D. FRANCISCI
TOLETI
SOCIETATIS IESV,
olim S. R. E. Card. ampliss.

COMMENTARIA
Vnà cum Quæstionibus
IN VNIVERSAM ARISTOTELIS
LOGICAM.

QVIBVS NOVISSIME ACCESSERVNT LVDOVICI Carbonis à Costacciaro Academici Parthenij,

ET IN ALMO GYMNASIO PERVSINO olim publici Magistri, ADDITAMENTA, atq; in Libros Priores Analyticos Prçludia subtilissima, cum tractatione de syllogismo, de instrumentis sciendi, & de præcognitionibus, atq; præcognitis.

Addito insuper Indice locupletissimo Quæstionum.

ET CVM PRIVILEGIIS.

S. Mariæ de Scala



VENETIIS, Apud Sessas. M. D. CIII.

INDEX COMMENTARIORVM ET QVÆSTIONVM:

In vniuersam Arist. Logicam,

Doctoris Francisci Toleti Societatis IESV. & S.R.E. Card. Ampliss

De Dialectica in communi.

Procemium.

Quæstio

In

stra-

Com-

In librum Secundum Posteriorum Analyticorum Aristotelis.

Laus Deo, & Domino Nostro Iesu Christo, & Virgini Sacratissimæ Mariæ Matri eius Gloriosissimæ. Amen.

IESVS MARIA.

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM COMMENTARIA,

Vnà cum Quæſtionibus.

Per Doctorem Franciſcum Toletum Societatis IESV, Nunc S. R. E. Cardinalem Ampliſſ.

De Dialecticæ, ſcriptoribus, & eiuſdem vtilitate.

PErpauca, ante Ariſt. eaq; imꝑfecta præcepta Dialectices extitere, præter rudem quãdã cognitionem Prædicamentorũ (quorũ inuẽtionem ad Architam Tarentinum nõnulli referũt) & præter argumentationũ quarundã gña, tunc tꝑis maxime nota, quibus frequentius vtebantur. Quãuis ſophiſtę plerique, qui diſputãdi peritia gloriabãtur, vt Gorgias Leõtinus, Protagoras, Prodicus, & plures alij, Ariſt. pręceſſerint, quos quibuſdã dialogis exagitat Plato, & ob quorũ ſophiſtarũ importunitatẽ Ariſt. libros priorũ ſe ſcripſiſſe profitetur, vt illorũ cauillis, & obiectionib. plene ſatisfieret. Cæterum ipſe Ariſtot. primus oĩum dialecticam, ita perfecit, vt vix vllus eũ aliqua in parte ſuperauerit. Extitere quidẽ Stoici pleriq; poſt Ariſtotelẽ, qui diſſerẽdi arte, & acumine plurimum valuerunt, & eius artis præcepta quã plurima cõſcripſerunt, ita vt lõgo interuallo Peripateticos, & Ariſtotelẽ ipſum (vt ait Cicero, & Seneca, varijs locis) dexteritate diſputandi ſe antecellere arbitrarẽtur. Cęterũ Poſterorũ iudiciũ ſecus habuit, & vt.ũ Ariſtotelem, ita oĩbus prætulit, vt præſtantiſſimi quique Philoſophi, eũ & ſequi, & in eũ cõmentaria edere nõ dedignarentur, & publicè omnibus prælegendũ proponere. Hunc ẽt præ

cęteris Philoſophis, Eccleſia ſuſcepiſſe iã videtur, a mille præſertim annis, & eũ potiſſimũ in Academijs, cęteris alijs Philoſophis poſthabitis adoleſcentib. erudiendis, enarrandum exhibere. In huius ergo vniuersã Dialecticã cõmentaria edẽda curauimus, ad iuuentutis ipſius conſtitutionẽ, cõmoditatẽ, & vtilitatem. Eſt aũt Dialectica, ad plurima, & maxima, ſine vlla controuerſia vtilis, ad ſciẽtias, inquam, oẽs addiſcendas, ad oẽs errores vitãdos, ad ipſiuſq; veritatis occultę cognitionẽ, ad rerũ deniq; naturã, & eſſentiã, earumq́ue principia, cauſas, partes, proprietates, & earũ accidentia peruestiganda. Hæc.n. Dialectica res latentes definitione explicat, multiplicia, & ambigua diſtinguit, & diuidit. Hæc ſubtiliter, acutè, & appoſitè, ac ſine deceptione, de oĩbus ratiocinandi viã aperit. Tunc hæc omnia inuenit, inuẽta iudicat, iudicata diſponit, diſpoſita, & ordinata probat, ac, ſi ab alijs oppugnentur, defendit. Denique, vt uno verbo dicam, cum hõ ſit animal rationis particeps, hæc autem rationem perficiat, unde & rationalis ſciẽtia meritò uocatur, maximè hominis propria cenſeri debet, & a cæteris illũ animantibus potiſſimum ſeiungit. Sed tamẽ antequam ad Ariſtotelis Dialecticam accedamus, breuiter proponenda erit ſcientiarũ diuiſio, ut appareat quem ordinem, quemq; locum, & gradum Dialectica ſeruet inter alias ſcientias, & diſciplinas.

Dialect. vtilitas.

De artium, & ſcientiarum diuiſione.

Artiũ & ſcientiarũ diuiſio.

Variæ quidem a diuerſis ſcientiæ, & ar-

tes, multiplicique diuisione, distinguuntur. Nos autem Aristotelica duntaxat diuisione contenti erimus, eam tantillum locupletan do. Omnis igitur scientia, hoc est clara, & certa alicuius rei cognitio, ab Aristotele secundo Metaphysices cap. primo, in speculatiuam, & practicam distinguitur, quæ distinctio ex fine desumpta est. Speculatiua enim est, cuius finis in sola ueritatis cõtemplatione cõsistit; Practica vero, cuius finis est opus: ignobiliores etenim cognitiones dubias, & incertas, quales sunt opiniones, & suspiciones, ac similes aliæ, a ratione sciẽtię penitus excludimus.

Scientia practica, & speculatiua.

Speculatiuam rursus scientiam diuidit idem Aristotel. sexto Metaph. c. 1. in Physicam, siue Naturalem, Mathematicam, & Metaphysicã, quæ ultima, tum diuina, quia de Deo tractat, & intelligentijs, tum naturalis Theologia, seu Prima Philosophia, ab ipso, & alijs uocari consueuit.

Speculatiuæ diuis.

Physica scientia est, quæ de rebus corporeis mutationi subiectus tractat, ut de animalibus, plantis, arboribus, & similibus, sub qua Medicina collocanda uidetur, quæ corpus humanum & eius affectiones considerat.

Physica.

Mathematica, quæ circa quantitatem, & eius affectiones uersatur, quæ quidem in quatuor partes diuisa est, ipsiusmet quantitatis diuisione. Alia enim quantitas est permanens, alia successiua, & permanens quidem una continua, scilicet magnitudo, de qua Geometria disserit, cui annectitur perspectiua, quæ est de linea uisuali, altera discreta, scilicet numerus, de qua agit Arithmetica. Successiua similiter alia continua, vt motus, & tempus, quæ in ipsis cælestibus orbibus maxime perspicua cernuntur, & circa hæc Astrologia uersatur, quæ & Astronomica dicitur, quamuis & astrorum, cœlorumque numerum, & magnitudinem, & distantiam, & alia similia, in cœlis, & astris, ope Geometriæ & Arithmeticæ, ipsa quoque consideras. Tandem alia est successiua, sed discreta quantitas, quasi successiuus quidam numerus, ut harmonicus sonus, & oratio longis, & breuibus syllabis constans, & hanc quantitatem eiusque affectiones, & sonorum, & concentuum harmoniam, sonorum inquam numerum, Musica considerat.

Math.

Item uero Metaphysica est, quæ disserit de rebus non corporeis, sed incorporeis, ut de Angelis, & intelligentijs, & tandem de Deo optimo maximo, atque ideo naturalis Theologia, ut diximus, uocatur, quod de istis agat, quantum lumine duntaxat naturali potest cognosci. Diuino autem beneficio præstantior longe Theologia, supernaturali lumine, humano generi a Deo concessa est, cui annecti potest iuris pontificij prudentia: nam ex ea prodeunt magna ex parte (præter forensia) Theologiæ decreta ex sacris literis, & Ecclesiæ diuino lumine deprompta, tum ad mores, tum ad fidẽ pertinentia, in vnum corpus redacta, quę per ipsiusmet Ecclesiæ gubernationẽ coaluerũt; quamuis Theologia, cum sit omniũ prima, & suprema, non tam speculatiua, quã supra speculatiua uocari debeat, & quæ & eminenter continet Practicam, & Speculatiuam, ut ait D. Thomas prima parte, q. 1. ar. 4. atque hæc de speculatiuis.

Meta.

Ius Pontificiũ.

Practica uero cum circa operationes uersetur, diuiditur ipsarum operationum diuisione, in Actiuam uidelicet, actionum immanentium, & factiuam, seu effectricem operum externorum, ex Aristotele sexto Metaph. cap. 1. Operationes enim aliæ sunt internæ, aliæ externæ, & internæ quidem in eo, qui operatur manent, ut intellectus cognitio, amor, & similes, quæ ob id propriæ actiones dicuntur, non affectiones, & istarum quidem actiua, est scientia. Sunt autem internæ mentis nostræ actiones triplicis generis, uoluntatis, intellectus, & memoriæ. Circa uoluntatis quidem operationes, moralis Philosophia uersatur, quæ quidem definiri potest, scientia recte uolendi. In tres autem partes secatur, in Ethicã, quę hominis actiones, & mores recte instituit. Oeconomicam, quæ actiones domesticas probe disponit. Politicam, seu ciuilem scientiam, quæ publicas actiones ad Reipublicæ uidelicet gubernationem pertinentes complectitur, sub qua iuris ciuilis scientia magna ex parte continetur, atque ex illa fere ortum habuit. Item uero circa intellectus operationes dirigendas Dialectica uersatur, quæ est recte uidelicet, intelligendi scientia. Circa memoriæ actiones, ars recte memorandi versatur, qualem tradit Cicero, & alij Rhetores, per loca, & imagines, & alia huiusmodi præcepta.

Practicę diuisio.

Opationes internæ.

Philoso. Moral.

Ius ciuilis.

Dialect.

ars memorãdi.

Operationes uero aliæ sunt externæ, uocis scilicet, uel operis, quæ in eo, qui agit non manent, sed in rem transeunt exter-

Opationes externæ.

nam,

nam, siue post illas opus aliquod effectum permaneat, vt post ædificationem domus; siue non maneat, sed solum ipsæ actiones transeant: vt vox, cantus, saltatio, &c. huiusmodi. Igitur circa uocis quidẽ actiones, ad congruè loquendum Grammatica versatur: ad ornatè loquendum Rhetorica, cui annecti merito poterit, ad carmina & poemata componenda, Poetica: & ad historias scribendas, Historia. In externis autem operibus efficiendis, cæteræ artes Mechanicæ cernuntur: quæ pro diuersitate rerum, & operum, in quibus versantur, quæque in ipsis efficiunt, distinguuntur: ut Agricultura, Pastoria, Militaris, Nautica, Lanifica, Fabrilis, cum alijs. Quæ operosum nimis hic esset sigillatim referre.

Gram. Rheto. Poetic. Histo. Artes mech.

At scientiarum quidem, & artium diuisio, sic se habet: & quem inter has locum Dialectica teneat, ex dictis constat. Aduertendum est autem, etiam operum esse posse speculationem, si in se, & per se consideretur, & non ad opus agẽdum referantur, (sunt enĩ res quædam, vt cæteræ aliæ, quas speculamur) esse autem practicam cognitionem, cum ad opus refertur. Ex istis autem aduertendũ est, septem liberales artes ab antiquis connumerari solere: sic dictas, vel ꝙ liberum hominem faciant, uel ꝙ liberum deceant hominem, uel ꝙ magis ratione utantur, quàm cæteræ artes mechanicæ, & seruiles, quæ in corporis potius exercitatione consistunt. Sunt autem hæ liberales reales quidem quatuor, quod in rebus uersentur, scilicet Geometria, Arithmetica, Astrologia, Musica, Sermocinales, seu rationales tres; quia in sermone, seu ratione cõsistunt, licet diuerso modo, ut postea ostendemus: Dialectica, Rhetorica, & Grammatica. Sed de his hactenus. Nunc de Dialectica nobis iam agendum.

Operũ põt esse specula tio. Artes liberales. Artiũ liberaliũ diuisio.

De quibus, & quo ordine agendum.

Igitur antequam ad Aristotelis interpretationem accedimus, quædam in uniuersum ad totam Dialecticam spectantia explicanda erunt. Hæc nempe sex. Primo, an Dialectica sit ad alias scientias addiscendas necessaria? Secundo, an sit propriè scientia? Tertio, an sit una scientia? Quarto, an sit scientia practica, an speculatiua? Quinto, de Dialecticæ subiecto, seu obiecto circa quod uersatur. Sexto, de ipsius Dialecticæ diuisione, & partibus.

QVAESTIO I.

Vtrum dialectica sit necessaria ad omnes alias scientias.

INTER alia, quæ in principio cuiuslibet artis, & scientiæ quæri solent, illud primum est: an ea ars, aut scientia sit necessaria, uel utilis: ut eius necessitate, & utilitate perfecta, facillimè ad eam capescendam accendamur. Cum autem constet de eius utilitate, nec in ea re ulla sit controuersia, de eius necessitate nunc quæramus. Erit igitur prima quæstio. Vtrum dialectica sit necessaria? In qua quæstione tria agemus. Primo titulum quæstionis explicabimus, nõ enim parũ lucis quæstioni definiendæ, & solutioni comprahendendæ affert, ut quod in dubiũ uertitur, semel intelligatur. Secundo, quid alij senserint, cum eorum rationib. proponemus, non admodum soliciti omnium sententias referre, sed eas duntaxat, quæ, præterquàm ꝙ probatorum uirorum sunt, aliquod emolumentum auditoribus afferre posse uideantur. Tertio, quid certius tenendum sit, ostendemus; ac oppositas rationes soluemus, nostram sic sententiam undique corroborando; eadem que disputandi Methodo, in alijs omnibus, diuina ope freti, utemur.

In titulo ergo quæstionis, duæ uoces explicandæ sunt, ex quarum cognitione eius intellectus pendet. Altera uox est Dialectica, altera, necessarium. Dialectica idem est quod ratio disserendi idest ars, qua uerum a falso discernere docemur: à multis pars Logicæ constituitur: est enim Logica, ut tradit Boet. 1. Topic. ratio disserendi, cuius duæ sunt partes, una Topica, idest ars inueniendi, & hanc Philosophus Dialecticam uocat: alia, Analytica, idest ars iudicandi. Et quan uis Aristoteles aliquando partem Topicam Dialecticum uocare uisus sit: hic tamen de Dialectica nos loquimur, ut utramque complectitur partem, & à Logica, quæ in uniuersum rationalis dicitur, non differt. Altera uox est

Tit. quæstionis expositio. Dialect. Logica partes duæ.

necessarium. Dupliciter autem aliquid necessarium dicitur: ut docet Arist. lib. 5. Metaph. cap. 5. uno modo absolute, altero modo ex suppositione. Necessarium absolute illud est, quod ex natura sua, nullo ordine ad aliud habito, non potest aliter se habere: ut Deus est necessaria res. Et necessarium est, hominem esse animal, duo, & tria esse quinque. Aliud est necessarium, quod ex se aliter se potest habere; tamen alio extrinseco posito, non potest aliter se habere: sicut esse calorem, non est necessarium: tamen posito igne, necesse est sit calor. Respirare non est secundum se necessarium: tamen si animal debet consistere, respiratio est necessaria. Sagittam non est necessarium sursum tendere: si tamen proijciatur, id efficietur necessarium: & hoc necessarium dicitur ex causa: siue causa sit efficiens, ut in exemplis propositis; siue finalis, ut cibus dicitur necessarius homini propter uitam: siue sit quæcunque alia causa. Hoc autem necessarium, quod à fine dicitur, duplex est: alterum, id sine quo talis finis obtineri nequit, quod necessarium simpliciter dicitur, ut cibus homini simpliciter necessarius est ad uitam: alterum, id sine quo finis commode non potest haberi: quamuis simpliciter possit: quo pacto homini necessarius est equus ad iter peragendum: & hoc dicitur necessarium ad bene esse, uel utile. In præsenti loquimur de necessario ad finem: & quærimus, an ista ars disserendi, quæ Logica dicitur, sit necessaria simpliciter ad scientias naturales acquirendas, an solum sit utilis; ita ut siue Dialectica posit quis scientias omnes alias adipisci. Et hæc de titulo.

Opi. 1. Idem etiam docet 1. Metaph. q. 1. Circa secundam partem. Prima opinio est Ioannis Iandu. 2. Metaph. quæst. 12. qui asserit, unam scientiam esse priorem alia ordine doctrinæ dupliciter: uno modo secundum necessitatem absolutam, & simpliciter: altero modo, secundum necessitatem secundum quid, idest ad bene esse: docet autem Logicam non esse necessariam simpliciter, sed solum ad bene esse, & utile. Pro hac opinione sunt aliquot argumenta. primo, illud est necessarium simpliciter propter finē, sine quo finis haberi non potest, sed scientiæ possunt acquiri sine logica: ergo non est logica simpliciter necessaria. Maior est certa. Minor probatur. Constat enim experientia multos discere Mathematicas absque Logica: referunt etiam Hippocratem caruisse arte Logicæ, qui tamen recte obtinuit Medicinam: & ius ciuile, ac pontificium sine Dialectica acquiritur, & quidem perfectè, ut uidetur. Secundo si Logica esset necessaria propter alias scientias, esset quia docet definire, diuidere, & argumentari: hæc enim sunt instrumenta, per quæ acquiritur cognitio rei; sed quælibet scientia habet suas definitiones, & diuisiones, & argumenta, secundum diuersitatem rerum, quas considerat; ergo Logica est superflua. Præterea, tertio, si Logica esset necessaria ad acquirendas alias scientias, esset primo loco addiscenda: sed hoc fieri non potest; ergo non est necessaria. Minor probatur. Dialectica tractat de his, quæ non cognoscuntur, nisi rebus alijs cognitis: ut de argumentatione, syllogismo, propositione: hæc autem non cognoscuntur, nisi cognitis rebus, ex quibus fiunt: propter quam causam Auerr. 4. Metaph. com. 2. Logicam asserit tractare de secundis intelligibilibus, & Auic. 1. Metaph. esse de secundis intentionibus. At aliæ scientiæ considerant res ipsas; ergo potius aliæ scientiæ sunt prius addiscendæ: & ita Logica non erit necessaria. Præterea quædam pars logicæ uidetur mala, & reijcienda, scilicet illa, quæ docet sophismata, & fallacias, qui enim sophistice loquitur, odibilis est, Ecclesiast. 37. ergo absolute Logica non est necessaria. Quinto, præterea, si Dialectica esset necessaria ad quamuis scientiam comparandam, cum ipsa Dialectica sit scientia quædam, erit etiam necessaria, ad suimet acquisitionem. Quare antequam Dialectica esset comparata, erit iam acquisita; quod implicat.

Pro horum determinatione, sit primum fundamentum. Homo qua parte intellectu præditus est, omnium naturas cognoscere, & earum causas speculari conatur: nulla tamen ei a natura cognitio insita est, sed solum principium a natura habet, quo omnia comprahendere possit, quod intellectus dicitur: sicut natura nullam animali uisionem tribuit, sed potentiam uisiuam, qua obiecta per se uidere posit, unde Aristot. 1. Ethic. c. 6. Sicut pupillæ, inquit, inest uisus, ita animæ intellectus: & utrumque à natura datum esse absque ullo opere nostro, Primū fund.

stro,

ſtro, docuit ſecundo de Anima. c. 5. Quemadmodum autem animal ipſum per uiſum à natura receptum poſtea per ſe res obiectas uidet: ita & anima per intellectum a natura cōceſſum, res poſtea intelligit & contemplatur, propterea 6. Ethic. cap. 11. aſſerebat neminem eſſe a natura ſapientem: hoc tamē inter alia, inter ſenſum, & intellectum intereſt: quod ſenſus facile in ſuorum cognitionem peruenit: quia eius cognoſcēdi modus unus, & facilis, ac certus eſt, ſcilicet ab ipſo obiecto præſente moueri, at intellectus magna difficultate rei ſpeculationem conſequitur, cum res in communi intelligat, & modo difficili procedat, ſcilicet ex notis, & quæ ignota sūt indagando, quem diſcurſum uocamus: hic autem modus multis eſt expoſitus erroribus, cum quid ex quo & qualiter ſequatur, ſit obſcurum, nec intellectui, ſecūdum ſe, preuiū. Vnde Ariſtot. 3. de Anim. cap. 3. maximam uitæ partem ſub errore homines ducere arbitratur. Hinc enim intellectus in multiplices incidit deceptiones

2. Fund. Sit ſecundum fundamentum. Quamuis modus procedendi in rerum cognitione, nō ſit nobis ſtatim notus, aliqua tamen ex parte notus eſt, cum ſolo lumine naturali intellectus, aliquos diſcurſus & ratiocinationes cognoſcamus: hoc tamē non ſufficit, ut abſolute rem omnē ſpeculemur, ut optime docet Auicen. in ſua logica cap. 2. Natura, inquit, & prima inchoatio hominis non fuit ſufficiens ad uerum cognoſcendum; fuit ergo opus aliqua arte, per quam modum procedendi in cognitione haberemus, ut tali modo perſpecto, poſtea ad rerum ſpeculationem accederemus. Hæc autem ars fuit logica, ſeu dialectica, quæ modum uniuerſalem tradit rem quamlibet ſpeculandi: propter quod à Boetio dicitur Dialectica, ſcientia diſcernens uerum à falſo: à S. Thoma uerò ſcientia rationalis, actuum rationis directiua. Ab Auguſtino, logica eſt ars artium, ſciētia ſcientiarum, qua aperta, omnes aliæ aperiuntur, & qua clauſa omnes aliæ clauduntur: eſt enim, quæ oſtendit uiam cognoſcendi. Et ab Alberto Magno lib. Prædicab cap. 3. logica eſt quæ a phantaſijs quæ uidentur, & non ſunt, liberat: errores damnat, falſitatem oſtendit, & lumen rectum in omni opere contemplationis præbet. Hæc autem logica acquiritur: nō enim à natura eſt, quamuis modum aliquem

lumine naturali habeamus: quam aliqui logicam naturalem uocant. Et Ariſtotel. 1. Rhetor. ad Theodect. c. 1. dicit, homines à natura Dialecticos, & Rhetoricos eſſe, tamen conſummatio, & perfectio à magiſtris modo habetur, uel longa obſeruatione, ſicut alij habitus ex aſſidua operatione in nobis fiunt.

3. Fund. Sit tertium fundamentum, quò Dialecticæ inuētio explicatur. Sæpe homines multa operantur non cognoſcentes modum, quo operentur, ſed modum tantum naturaliter tenent: & inde multa à caſu dicuntur facere: ita fit in intelligendo: homo cum naturaliter modum intelligendi habet, cum homo abſque ullo magiſtro in multis diſcurrat, & ratiocinetur, ut dicit Ariſtotel. 1. Elench. cap. 11. non tamen modum hunc ſemper intelligit & aduertit; ac propterea neſcit talem modum applicare omnibus rebus quibus applicari poteſt. Et ideo non ſemper in multis ratiocinatur. Præterea cum modum cognoſcendi nō intelligat, neſcit bonum à malo diſtinguere: & ob hoc frequenter decipitur: immo nec certam conſequitur cognitionem, modo ignorato: cum cognitio certitudinis modi, non exiguam rei cognitæ certitudinem afferat. Fuit igitur inuenta Dialectica ex obſeruatione cauta & diligenti huius modi, quem homines naturaliter intelligēdo obſeruant: qua obſeruatione rebus cognitis homines ſupra ipſum modum ſe reflectebant ipſius naturam conſiderantes, & paulatim plurium ſucceſſione, id quod homo naturaliter & caſu præſtabat, ad artem redactum eſt, & hæc eſt logica: quod elegantèr Ariſtotel. docet 1. Rhetor. ad Theo. cap. 1. probans Dialecticam, & Rhetoricā poſſe eſſe artes, ex eo, quia id quod temere, & naturæ ductu fit, ad rationem rectam redactum, fit ars, ut fit in ipſis artibus.

Prima Concl. His igitur ſuppoſitis fundamentis, ſit prima cōcluſio. Modus intelligendi per diſcurſum qui uſus logicæ dici poteſt, eſt homini naturalis, nec ſine illo ſcientiam aliquam poteſt conſequi. Hæc manifeſta eſt, cum naturaliter homo ſit diſcurſiuus, ſicut riſibilis, aut diſciplinabilis: nec in hoc pōt, nec debet dubium cadere. Vt probaui etiam ex Ariſtot. 1. Rhetor. & 1. Elench. in tertio fundamento.

2. Cōcl. Secunda concluſio. Aliqua cognitio modi eſt hominum naturalis, id ...

magistro, sed per se ipsum absque ullo labore percepta ex experientia, cum lumen naturale rationis aliquas consequutiones manifestet, qualis est illa, quæ in modo perfecto primæ figuræ fit.

Cōcl. 3. Tertia conclusio. Consummata cognitio modi intelligendi, quæ Logica dicitur, non habetur, nisi per doctrinam a magistris, uel propria inuentione, quæ magno errandi periculo, & longo labore fit, atque in his non est controuersia aliqua.

Cōcl. 4. Quarta conclusio. Cognitio modi intelligendi siue naturaliter sit nota, siue per inuentionem acquisita; siue per doctrinā accepta, est necessaria simpliciter ad alias scientias perfectè acquirendas, & illis est prius adipiscenda.

Probatur primo. Res non scitur, nisi cognoscatur, quia aliter se habere non potest, sed hoc fieri non potest, nisi cognoscatur syllogismi illatio certissima, ergo Logica, cuius est syllogismos cognoscere, est ad scientiā necessaria. Antecedens est Arist. 1. Poster. c. 2. scire, inquit, arbitramur, cum cognoscimus rem ex sua causa, & quòd aliter se habere nō potest quod sit, quando necessitatem syllogismi cognoscimus, ut explicat Albertus magnus 1. Post. tract. 2. c. 1. secundo cognoscere non possumus, nisi inueniendo & iudicando, sed non potest cognosci, an aliquid sit inuentum, uel non inuentum, nec similiter, an res processerit ex principijs, uel non processerit, nisi per Logicam, ergo est necessaria simpliciter. Hæc est sententia ipsius Aristotelis 2. Metaph. cap. 3. ubi impedimentum unum ad scientias capescendas docet, non prius tenere modum sciendi, quē Auerroes, & alij uocant Dialecticam etiam ex logicæ ignorantia, sæpissime in errores scientiarū antiquos lapsos fuisse tradit 2. de Partibus animalium. ca. primo. Præterea Auic. in sua Logica, cap. 2. inquit, esse necessariam, & Alber. Magn. Prædicab. cap. 3. inquit nesciens Logicam, etsi scire aliquid uideatur, nescit tamē, cum rationem sui sciti nesciat, & se habet ad scitum, & actum sciendi, sicut ignis ad comburendum lignū, ac propterea dicebat Augustinus, clausa Dialectica, omnes clauduntur scientiæ, nimirum, quia ignorato modo sciendi, ignoratur res. Quod idem manifestat Aristot. 1. Meta. signum scientis est posse docere, docere uero non potest, qui rationem sciti ignorat.

Aris. 1. Rheto. ad The. c. 1. tūc uehemē ter credimus cū demonstratum esse putauerimus.

Hæc tandem conclusio est Algaze. sua logica cap. 2.

Ad primum ergo argumentum. Respondeo, negando minorem, nullus enim scientiā consequitur absque aliqua logicæ cognitione, uel lumine naturali habita, qualis est cognitio aliquarum rationum Mathematicarum, uel propria obseruatione & diligentia acquisita, qualis forsan fuit Hippocratis, uel a magistris accepta, cum tamen illa, quæ naturaliter habetur, non sit sufficiēs ad scientiā totam, sed quæ uel est multo tempore inuenta, uel accepta ab alio. Ideo dicitur logicam esse necessariam simpliciter ad scientias, siue inuentam, siue acquisitam. Ius uero ciuile & pontificium demonstrandi, seu sciendi Methodo non traditur: non enim res per causas & principia comprobantur, sed sola authoritate creduntur, at plurimum etiam ad perfectam eius cognitionem Dialectica conducit. Ad 1.

Ad secundum circa minorem est considerandum, quod in syllogismo, argumentatione, & reliquis instrumentis, possumus duo considerare, unum est forma, alterum materia, ex qua fiunt. Quælibet ergo scientia dat materiam arguēdi, sed logicus formam. Itaque si formam consideres, una potest esse in pluribus materijs, sicut una forma & figura regis potest imprimi auro, argento, & ferro, ita una argumentationis forma uarijs potest rebus aptari modo, consideratio formæ est cōmunis; & ad logicum pertinet, consideratio materiæ ad particulares scientias pertinet, quæ tales res considerat. Vnde Aristot. 1. Rhet. ad Theod. cap. 1. inquit, Dialectica est eorum, quæ omnium quodammodo, & nullius determinatæ scientiæ sunt. Et 1. Elencho. c. 8. dicit duplicem esse redargutionem, quædam est particularis, quæ in scientia particulari fit, nimirum in certa materia, quædam communis & generalis, & hæc est Dialectica. Vnde Auuer. distinguebat duplicem modum sciendi, uniuersalem, & particularem, qui in qualibet scientia per se fit, ex alijs enim principijs constat syllogismus Mathematicus, & Physicus, sed eadem est forma. Vide Auerroem de hoc 2. Metaph. com. 15. 3. Ethi. comm. 3. & Paraphr. 1. de Partibus animalium, & Procemio 12. Met. idem etiam Albertus in principio suæ Logicæ. Constat autem, quod non posset in ulla scientia definitio, diuisio, argumenta- Ad 2.

tio

tio in particulari fieri, nisi præcognosceretur in uniuersali: quod fit in Logica. Duplex itaque est modus cognoscendi: vniuersalis, omnibus scientijs communis, qui diuisione, definitione, argumentatione fit: alter particularis, secundum quem, in qualibet scientia diuersimodè proceditur, ac uaria est methodus. Vnde duplex Logica, uniuersalis cognitio prioris modi, particularis cognitio posterioris. De particulari loquitur Aristot. 1. Parti. c. 1. in principio & uocat peritiam. Hæc distinctio est ex locis illis Auerrois. Et 7. Met. com. 2. Et primo Phys. com. 8. 35. & 8. com. 70.

Ad 3. Ad tertium respondeo, concedendo dicta Auerrois, & Auicennæ. Dicimus tamen tria, Primum quod simul cognoscimus rē, & utimur modo cognoscendi, cum discurrentes cognoscamus per intellectum. Secundo res possumus intelligere, non cognito modo intelligendi: non tamen illa cognitio dicetur scientia, ut ostensum est in conclusione quarta. Vnde fit, ut quàmuis in inuentione Dialecticæ præcesserit rerum cognitio, cognitionem modi, nunquam tamen illa fuit scientia, quousque ista aduenit, & sic natura prior fuit qualibet alia scientia: potius ergo rei cognitio antecessit Logicam, quàm scientia rei: cognitio enim rei, sine cognitione rationis, quæ Logica est, non est scientia. Tertio potest inuentionem autem, eius cognitio antecedit uia doctrinæ, omnes alias scientias.

Ad 4. Ad quartum facilis est solutio, non enim traduntur fallaciæ syllogismorum in Dialectica, ut eis utamur, sed ut eas cognoscentes magis rectum syllogismum intelligamus: ut intellectum nostrum ab erroribus qui ex ignorantia earum accidere poterant, liberemus.

Ad 5. Ad quintum respondeo, ad eas tantum scientias Dialecticam necessariam esse, quas antecedere potest. Quo fit ut cum ante seipsam esse non possit, non dicatur ad se ipsam necessaria, sed ad alias omnes scientias: quàmuis, & in ipsa quoque Dialectica, pars una cognita alteri prosit ad partem alteram melius cognoscendam. Immo uerò id quod est naturæ, iuuat ad rudem quandam, & imperfectam primā Dialecticæ cognitionem: & hæc imperfecta rursus facultatem præbet ad perfectionem, & ita gradu quodam ipsa seipsam perficit, usque ad suimet ultimam perfectionem. Quam ob rem etiam ad seipsam licet diuersis gradibus est necessaria. Hæc de prima quæstione.

QVÆSTIO II.

Vtrum Logica sit scientia.

Prima diuis. scientiæ. CIrca tituli declarationem oportet aduertere scientiam dupliciter sumi: uno modo pro ipso actu, scilicet cognitione, qua cognoscimus, quæ scientia actualis dicitur: altero modo, pro habitu, & promptitudine, quæ ex frequenti alicuius cognitione in potentia cognoscente remanet. Vt enim ex assidua circa aliquid operatione, quædam in nobis gignitur facilitas ad operandum postea, quæ dicitur habitus; ita ex frequenti intellectione alicuius, in intellectu superest promptitudo ad cognoscendum, quæ dicitur habitus cognoscitiuus, & scientia habitualis. Est autem discrimen inter utramque. Actualis non est, nisi illo tempore quo cōtemplamur. Habitualis uerò etiam nobis non cognoscentibus adest, & per eam ad cognoscendum actualiter sumus prompti, & certi.

2. diuis. sciēt. Oportet præterea aduertere, scientiam tā actualem, quàm habitualē dupliciter usurpari. Vno modo communiter pro quacunque cognitione, præsertim intellectus, siue sit rei contingentis, siue rei necessariæ, idque siue certa, siue incerta ratione sciamus: quo pacto omnes artes etiam Mechanicas scientias uocamus, & secundum quam scientiā dicimur etiam scire quæcunque cognoscimus: Altero modo propriè pro cognitione rei tantum necessariæ, & per suam causam ad demonstrationem, ut dicemus: quo pacto Aristot. considerat. 1. Poster. cap 2. Inter hanc autem sciētiam actualem propriè dictam, & habitualē, est discrimen. Actualis enim multiplicatur secundum numerum propositionum cognitarum: alia enim cognitione actuali cognoscitur, homo est risibilis; alia homo est disciplinæ capax, alia singulæ propositiones, quæ diuersis demonstrationibus demonstrantur. Et hoc docet Aristot. 1. Elench. c. 8. Infinitæ inquit, sunt scientiæ, quia & demonstrationes sunt infinitæ. At scientia habitualis non multiplicatur secundum numerum conclusionum: immo sub una scientia habituali conti-

continentur multæ demonstrationes, vt sub vna Geometria, sub una Arithmetica, plures conclusiones sciuntur. Quo autem modo sciētiæ habituales multiplicentur, inferius docebitur. Quæstio igitur est de habituali scientia tam communiter accepta, quàm propriè. Est enim sensus quæstionis, An logica sit sciētia propriè dicta, an communiter dicta; quāuis communiter dicta absolutè non est dicenda scientia. Quod autem dicitur de habituali, dici potest etiam de actuali, cum ab habituali procedat actualis.

Ti. q̄ō nis sensus.

Prima opin. Circa secundum fuit quorundam antiquorum opinio, ut Themistij.1.Poste.c.24. quam sequitur Aegidius Romanus 1. Elencho. in principio. Et post hos aliqui Neoterici, logicam non esse scientiam propriè dictam, sed organum & instrumentum, quo scientiæ acquiruntur. Pro hac autem opinione potest multipliciter duci argumentum. Primo, modus sciendi non est scientia, logica est modus sciendi, ergo non est scientia. Maior est nota, modus enim operandi non est ipsa operatio. Minor uerò est ipsius Aristotelis. 2. Metaph. ca. 5. ubi ait, absurdum esse quærere scientiam simul & modum sciendi, ubi per modum sciendi, Dialecticam intelligit, ut D. Thom. & alij exponunt. Et idē ait 2. Metaph. cap 3. & Auerr. eodem 2. com. 15. Præterea secundo, Scientia uersatur circa aliquod obiectum, id est tractat de aliqua certa re: at logica non tractat quicquam determinatum, ergo non est scientia. Maior est Aristotel. multis in locis: præsertim quarto Metaphy. cap. primo. & lib. 11. Metaphy. ca. 6. & primo Posterior. cap. 25. Minor est ipsius Aristot. expressè primo Elench. cap. 11. in princip. Et primo Poster. in ca. 8. in fine. 1. Rhetor. ad Theod. cap. 1. in fine, & 4. Metaph. tex. 5. Tertio argumentor. Scientia est de rebus necessarijs, at logica est de syllogismis, & argumentationibus, quæ non sunt res necessariæ, imò aliquando sunt quando disputatio fit: cessante autem disputatione, non sunt: ergo nō est scientia. Maior est Aristot. 1. Poster. cap. 7. Vltimo una pars logicæ est deceptoria, & potius est ad errores, quàm ad scientias capescendas. ergo logica non est, saltem secundum eam partem scientia.

2. Opi. At opposita sententia est communis: nempe logicam esse propriè scientiam: quam sequitur S. Tho. 4. Metaph. lect. 4. & Scot. q. 1. super Prædicab. & Albertus Mag. suæ Logicæ cap. 1. & Auicen. c. suæ Logicæ. Solet autem ista quæstio ab antiquis sub ista forma exprimi. Vtrum logica sit pars Philosophiæ? vt uidere est apud Boet. in prologo super Porphyr. & Alber. cap. secundo Logicæ, & Auicen. & Alpharab. in principio suæ Logicæ.

Vide de hac re. q̄ Alex. 1. Pric. in prol. ibi. Ph. & Alph. & Nypheus, qui latè id disputāt Thē. 1. Post. c. 24. q̄ nēgat esse scientiā.

Primū fund. Pro huius quæstionis determinatione sit primum fundamentum. Scientia propriè dicta est habitus certus, & euidens rei necessariæ per suam propriam causam: in quā definitione tres scientiæ continentur conditiones. Prima, quod sit de re necessaria, id est quæ aliter se habere non potest: rerum enim mutabilium & uariabilium, quæ modo sunt, & postea mutantur, non est scientia. 1. Poster. cap. 24. ob quam rationem singularia & entia per accidens ad scientiam non spectant, ut docet Aristot. 7. Met. c. 15. Secunda quod sit cognitio rei per causam: cum enim res etiam necessarias absque causa cognoscimus, scientia non est: cum scire, rem sit per causam cognoscere. 2. cap. lib. 1. Poster. & 1. Physic. 1. & 1. Met. cap. 3. Tertia conditio est, quod ista cognitio sit certa, & euidens: certa ad excludendam opinionem, quæ non est certa; euidens ad excludendam fidem, quæ licet certa sit, est tamen obscura. Hæc autem fient, quomodo talis cognitio procedit per syllogismum bonum, & perfectum: syllogismus enim bonus rem necessariam probans per suam causam, qui demonstratio dicitur, generat scientiam.

2. fund. Sit secundum fundamentum maximè animaduertendum; ex cuius inconsideratione, non parua multis accidit deceptio. Aliud est modus operandi, aliud cognitio modi operādi. Modus operandi simul est cum ipsa operatione. At cognitio modi operandi est tantum in potentia cognoscente: uerbi gratia est modus quidam operandi ignis, & hic est simul cum ipsa operatione; huiusmodi cognitio est in homine cognoscente. Vnde potest esse longe diuersum unum ab altero. Ita similiter est modus intelligendi res, & est cognitio modi. Hæc duo quamuis in eadem potētia sint, scilicet in intellectu; unum tamen ab altero secernitur: modus enim cognoscendi rem, est idem cum cognitione rei. At cognitio ipsius

ipsius modi est alia cognitio per se distincta. Modus igitur cognoscendi non est Logica; sicut res scita non est scientia: sed cognitio, & contemplatio ipsius modi est logica. At verò, quia ipsa cognitio modi, quæ logica est, est in eodem, & in eadem potẽtia, in qua est ipse modus cognoscendi; fit vt aliqui ea in re decepti fuerint, idem esse vtrumque arbitrantes. Fit rursus, vt intellectus cognito suo modo cognoscendi iuuetur per talem cognitionem ad intelligendum perfectius: quod non fit in igne, quia ipse non cognoscit suum modũ operandi. Propterea qui suũ modum cognoscit, potest illum iuuare. Ex quo præcellit illa antiqua distinctio logicæ, quam habet S. Thom. 4. Metaphys. lect. 4. & Scotus, & alij, in docentem, & vtentem. Vocatur enim logica docens, quæ modum cognoscendi contemplatur. Vocatur vtens; postmet, quatenus cognita modum intelligendi perficit, & per eam. Logici certè, promptè & in omnibus discursus, & syllogismos componunt, & varijs rerum naturis applicant. Hoc obseruandum est maximè.

Distinctio logicæ in docentem & utentẽ.

His suppositis sit prima conclusio. Modus sciendi seu intelligendi non est scientia, nec similiter logica, secundum quod ea vtimur, vt perfectiori modo cognoscamus. Hęc conclusio est manifesta. Modus enim operandi, vt modus est, non est operatio, sed qualitas operationis: & similiter ille vsus logicę non est sciẽtia, sicut vsus rei, vt vsus est non est ipsa res. Quare nec vsus logicæ est logica absolutè, nec secundum talem considerationem est scientia; sed dicitur logica vtens, improprio forsan vocabulo, potius dicenda passiuè, logica exercita.

Cõcl. 1.

Secunda concl. Logica docẽs, quæ scilicet tradit, & speculatur ipsum sciendi modum, absque dubio est proprie scientia. Et præter authoritates Doctorũ inductas, probatur ratione sumpta ex definitione ipsius scientiæ, expressa in priori fundamento Logica est habitus certus, & euidẽs rei necessariæ per suã causam, & per demonstrationẽ, ergo est sciẽtia. Consequentia est certa. Antecedens probatur. Conclusiones enim quæ in dialectica traduntur, sunt necessariæ, & demonstratæ: sicut illæ, quæ sũt in Physica: sicut enim est illa necessaria, corpus naturale mouetur, ita demonstratio generat scientiam. Syllogismus Topicus constat ex probabilibus: & sicut Physicus demonstrat illam cõclusionem per suam causam, scilicet, omne habens naturam mouetur, corpus naturale habet naturã, ergo mouetur: ita dialectici, seu logicus suas demonstrat cõclusiones. Omnis syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, Topicus est huiusmodi, ergo generat opinionem. Secundo, præterea, illa est verè scientia, quæ habet proprium subiectum, circa quod versatur, de quo proprias passiones cõsiderat, per propria principia demonstrat: dialectica verò est huiusmodi: nam siue ens rationis eius subiectum assignetur, vt postea dicemus, siue argumentatio, aut syllogismus aut quoduis aliud, tamen illud speculatur, & & eius propria principia, & partes, &c.

Cõcl. 2

Item quamuis dialectica sit vtilis ad omnes alias disciplinas, & scientias addiscendas, non ideo id amittit, quod habet in se, & per se, & ex se, etiam si non esset alijs vtilis, vel necessaria, sicut, & aliæ scientiæ, quæ alijs sunt vtiles vel necessariæ, non ideo sunt scientiæ. Declaratur similiter, vt bonum, aliud est honestum, aliud est vtile, sed tamen in aliquo vtrumque simul coniungi contingit, vt & idem sit honestum, & vtile. Vt. v. g. fortiter in bello pugnare, ad sui, & suorum defensionem. Nec verò, quia illud bonum sit vtile, ideo amittit rationem honesti, sed in se, & per se est honestum: ita scientia vna, vt verbi gratia dialectica, quamuis sit ad alias omnes vtilis, vel necessaria, non ideo rationem scientiæ amittit, quam habet ex se, & in se: quam quidem etiam si nulli esset vtilis, etiam si ad nullam scientiam viam præstaret, temen in se haberet.

Ad primum argumentum. Respon. cõcessa maiori, negando minorem, si loquatur de Logica docente, ista enim non est modus sciẽdi, sed speculatur, & ostendit modum sciendi, nec Arist. vel Auer. docet, modum sciendi esse ipsam logicam, sed dicit prius oportere cognoscere modum sciendi, quàm alias sciẽtias, non vero simul vtrumque quærere. Cognitio autem hæc modi logica est.

Ad primum.

Ad secundum Respond. dupliciter posse logicam considerari, aut secundum ea instrumenta, & modum sciendi de quo tractat vt secundum materiam, cui talis modus, & instrumenta applicantur. Si logica primo modo consideretur, habet obiectum determinatum de quo sit, nempe ipsa instru-

Ad 2.

strumenta & modum sciendi, & secundum hoc est scientia determinata: at si considere- tur secundum materiam, cui applicantur eius instrumenta, est admodum uasta, quia dat modum cognoscẽdi quamcunque rem. Hoc uolunt loca Aristot. non tamen id impedit, quo minus obiectum habeat determinatum, quod scientiam particularem possit constituere.

Ad 3. Ad tertium respondeo, quamuis iste syllogismus, uel ille non sit necessarius, & perpetuus, tamen istæ propositiones, syllogismus est compositus ex tribus terminis, argumentatio est consequentia, & aliæ similes, ita sunt necessariæ, sicut corpus naturale mouetur, ignis est calidus, de quibus est Physica. Et hoc solum est necessarium ad scientiam, per accidens est, quod non sit iste, uel ille syllogismus, sicut quod corrumpatur iste uel ille ignis, istæ enim omnes propositiones sunt de extremis naturaliter supponentibus.

Ad 4. Ad quartum est facilis responsio, Logica enim, quæ docet illas fallacias, ita uera, & necessaria est, sicut quæ docet alias partes: & sicut ista est necessaria, demonstratio generat scientiam, ita & Sophisticus syllogismus generat errorem. Verum est, quod usus Sophismatis facit errorem, sed iste usus non est Logica, nec propterea reijcienda est ista pars, quasi doceat malum, quia id docet, ut non erremus; abusus est potius Logicæ alios decipere. Hoc autem nihil refert, nam bono possumus abuti, nec propterea fit malum.

QVAESTIO III.

Vtrum Logica sit una scientia.

Quid sit unum & unitas.

CIrca titulum huius quæstionis, ut intelligamus quid sit una scientia. Primo aduertendum est, illud dici unum, quod duo habet. Primo, est indiuiduum esse in se. Secundo est, diuisum esse a quolibet alio extra se, ut lignum unum dicitur, quod in se non est, in partes scissum, sed continuum. & tamen est distinctum, & diuisum ab alijs omnibus. Vnde unitas secundum quam unum est, est indiuisio in se, diuisio a quolibet alio.

Quotuplex unitas.

Hæc unitas triplex est, quædam numerica, quædam specifica, quædam generica. Vnitas numerica est, secundum quam, quælibet res singularis est una. Vnitas specifica est, secundum quam plura singularia habentia unicam proximam definitionem, sunt unum, ut Petrus, Ioannes, & Martinus dicuntur unius esse naturæ, quia unicam participant definitionem, s. quod sunt animal rationale. ista tamen unitas est specifica, nam de unitate numerica id dici non potest, cum alia sit unius, alias alterius. Vnitas generica est inter illa, quæ quamuis diuersas habeant proximas definitiones, ac ppropterea specie differre dicantur, tamen conueniunt in unica definitione superiori, ut homo, & leo habent quidem diuersas definitiones, tamen participant definitionem animalis ex æquo, & propterea sunt unius naturæ genericæ. Per hæc patebit, quid sit differre, numero, specie, uel genere. Differunt enim numero, quæ diuersam sortiuntur numericam unitatem, unam definitionem participantia: Specie uerò, quæ distinctas habent definitiones in una tamen superiori conueniunt. Distincta genere, quæ nulla definitione conueniunt, uel habent diuersas definitiones communes, ut animata, & inanimata, genere differunt, quia sub se uaria comprehendunt genera.

Quæ sit scientiæ unitas & quotuplex.

Est secundo aduertendum, has unitates aliter in substantijs, aliter in scientijs, & habitibus sumi. In substantijs enim accipiuntur secundum se, & ab eo, quod in eis est, scilicet a sua natura, & definitione. At in scientijs nõ sic, sed unitas numerica sumitur ab unitate subiecti proximi, in quo est, sicut reliqua accidentia, unde illa est una numero scientia, quę est in unico intellectu, sicut una albedo quæ est in unico subiecto, & e contrario, scientiæ quæ sunt in diuersis subiectis sunt numero distinctæ, ut alia est Dialectica tua, alia est mea, alia illius, sicut alia albedo huius Cygni, alia illius unitas uero specifica, seu generica, ab unitate obiecti id est rei, de qua tractat, & finis, ad quem ordinatur, ut illa dicatur una scientia specie, quæ unius obiecti specifici, & finis est, illa uero una genere, quæ unius rei genericę, & unius finis communis est, & e contrario fit diuersitas specifica, & generica. Hinc fit, ut cum scientiæ, & habitus ab obiectis sumant suam unitatem & fines, definiantur aliquando per unum, aliquando per alterum, aliquando

per

per utrumque, ut docet Ammonius in primo Prædicab. poteris enim medicinam definire per obiectum solum: est ars, quæ circa humana corpora uersatur: à fine, est ars sanitatis effectiua: ab utroque uerò, est ars quæ circa humana corpora uersatur, eorum sanitatis effectiua.

Titul. quest. sensus. His suppositis est sensus quæstionis, non de vnitate numerica: clarum est enim esse plures secūdum pluralitatem subiectorum. Sed de specifica, seu generica, an scilicet sint plures Logicæ species, seu genera, quæ de diuersis rebus tractent. Hæc de titulo quæs.

Prima opin. Circa secundam quæstionis partem. Fuit opinio Nominalium, multas esse logicas, iuxta numerum eorum quæ tractantur. Vnde alius est habitus, & alia Logica, quæ docet definire, alia, quæ docet diuidere; alia, quæ docet syllogismos topicos; & alia quæ docet demonstratiuos. Immo secundum numerū conclusionum, quæ in Dialectica sunt, tot esse Logicas, & habitus. Hæc sententia probatur primo: habitus distinguūtur per obiecta, sed in Logica sunt plura obiecta specie differentia: ergò non est una Logica. Maior est certa. Minor patet: nam alia Logicæ pars est de syllogismo, alia de demonstratione, alia de diuisione. Præterea secundo, potest quis habere habitum, & esse promptus in definitionibus cognoscendis, non autem in demonstrationibus seu syllogismis. ergo alius est habitus pro illis, alius pro his. Atque adeo non est una Logica.

2. opin. Alia fuit opinio Capreoli. Prolo. 1. Sent. q. 3. quem sequuntur aliqui discipuli S. Thomæ: hi enim sustinent, Logicam esse unam specie, & unicum habitum simplicem, ut enim in igne non sunt multi calores, sed unicus, quo diuersa calefacit: ita in intellectu est unica simplex qualitas & habitus, quo omnibus conclusionibus, quæ in Logica sunt, assentimur. Ista sententia probatur primo. Ita se habet habitus ad suum obiectum, sicut potentia ad suum: sed unica est potentia simplex, qua multa percipimus obiecta, puta unicus uisus, quo multos colores uidemus: ergo unicus & simplex erit habitus quo multas cōclusiones unius rationis cognoscimus. Secundo præterea, Logica est una scientia, ergo est unus habitus, ergo est una qualitas. Tenet illatio a specie ad genus, sicut est unus homo, ergo unum animal, ergo unum corpus.

Primū fun. 1. Pro decisione huius quæstionis sit primum fundamentum. Intellectus noster habet duplices operationes. Prior operatio est qua res ipsas simplici, uel composita cognitionē percipit, ut quando cogitat hominem, leonem, plantam: seu hominem esse animal, leonem non esse hominem, & talis operatio dicitur apprehensio. Posterior operatio est, assentire, & acquiescere rebus cognitis & apprehensis cognitione composita, quæ operatio dicitur iudicium, sicut dissensio; ut quando iudicat, ac assentitur huic, homo est animal; dissentit uerò huic, homo non est lapis; & ex hac operatione oritur ueritas, uel falsitas: non enim est deceptus intellectus in apprehensione, quantumcunque apprehendat aliter quem se habet res: sed quando assentitur apprehēsioni rei, non sic se habentis. Verum autem est quando assentitur apprehensioni rei sic se habentis. Scientia ergo, quæ intellectum perficit ad uerum, potius perficit actus iudicij intellectus ut assentiatur cui assentiri oportet dissentiat cui dissentiendum est. Propterea scientia dicitur habitus iudicatiuus. Præter hoc etiam perficit intellectus apprehensionem, nam qui scit apprehensiones, & compositiones rectas, per scientiam efficit, quibus assentitur.

2. fund. Sit secundum fundamentum. Ad has duas operationes exercendas, duo concurrunt: ex parte rei, quæ intelligitur, unum: alterum, ex parte intellectus. Ex parte rei concurrit ipsius similitudo recepta in intellectu, vt enim uisus ad uidendum recipit in se quādam obiecti imaginem, seu similitudinem, quæ dicitur species: ita intellectus ad intelligendum. Alterum ex parte ipsius intellectus, scilicet promptitudo ad facilius & certius iudicandum, quæ dicitur habitus. Est tamen inter utrumque discrimen: Species enim est necessaria ad cognitionem, ita, ut sine ea cognitio esse nequeat: at habitus non est necessarius simpliciter ad iudicandum, cū solus intellectus iudicare possit: sed ad perfectius iudicandum, & cognoscendum, habitus enim perficit operationem potentiæ, ut docet Arist. 7. Physic. cap. 3. Scientia igitur est ipse habitus intellectus ipsum ad iudicandum de rebus apprehensis perficiens.

3. fund. Sit tertium fundamentum. Habitus & scien-

scientiæ, distinguuntur per distinctionem rerum, de quibus tractant, & circa quas uersantur; non tamen quæcunque rerum distinctio diuersas scientias facit, sed distinctio obiecti formalis. In obiecto.n. et re qualibet, quæ sub scienti. cõtinetur, duo sunt considerãda, sicut in obiecto potentiarum: Vnum, id quod talis sciẽtia cognoscit, & circa quod talis potentia operatur; ut albedo, quæ uidetur ab oculo, planta, quæ consideratur a Philos. Alterum, id ratione cuius illud prius sub tali scientia cadit, seu à tali potentia percipitur, ut in usu est color: albedo.n. uidetur ab oculo, quia color & planta consideratur a Philosopho, quia corpus naturale est, prius dicitur obiectum materiale, posterius autem formale obiectum: Potestque esse, ut multa obiecta materialia cõtineantur sub unico formali, ut albedo, nigredo, rubedo, sub colore, cuius ratione à uisu percipiuntur. Distinctio igitur generica, seu specifica scientiarum ab obiecti unitate, uel diuersitate formali sumẽda est: ut enim nõ ponitur diuersus uisus ad albedinem percipiendam, & alius ad nigredinẽ: quia quamuis sint duo obiecta, sunt tamen materialia, & conueniunt in unica ratione formali coloris. Ita in sciẽtijs fit; licet.n. multa tractentur, tamen si sub unica formali ratione compræhendantur, erit una scientia genere, uel specie.

Cõcl. 1. His igitur suppositis, sit prima conclusio. Logica absolute & simpliciter est dicenda una scientia. Hæc probatur. Vna scientia est, quę est unius obiecti, sed Logica unicum habet obiectum, ergo est una sciẽtia. Maior est Aristotele 1. Poste. c. 23. Minor est certa, & probabitur inferius esse ens rationis Logicũ, seu sciendi modum, quod idem est. Neque argumentum Nominalium prius factum quicquam probat; quamuis enim multæ sint res quæ tractantur in Logica, tamen cõueniunt sub unica ratione formali obiecti. s. quę ad argumentationem ordinantur, sicut in Philosophia, & quauis alia scientia.

Cõcl. 2. Secunda conclusio. Logica plures partes habet sub se specie differentes, quæ tamen sub unica ratione formali generica conueniunt, ac propterea unius est generis Logica ipsa. Hæc conclusio patet, nam in libris De interpretatione, est aliud partiale obiectum, aliud in lib. Prior. aliud in alijs; hæc tamen omnia sub ratione modi sciendi, seu argumentationis compræhenduntur quam logicus primo considerat.

Tertia conclus. In logica sunt plures habitus partiales secundum diuersas partes præcipuas ipsius logicæ, & hoc patet secũdo argumento nominalium: nõ tamen propterea sequitur eẽ plures logicas, seu plures partes logicæ. Logica enim cõstat ex plurib. habitibus partialibus unam scientiam facientibus; quia eorum obiecta sub unica ratione generica formali conueniunt. Nec est simile de potentia: nam potẽtia a natura est, habitus uerò partim ab obiecto fit, partim à nobis. Ad aliud autem quo arguitur, est una scientia, ergo vnus habitus, concedo consequens in hoc sensu, quod est unus totalis, conflatus tamen ex multis partialibus. Nec est hoc prẹter doctrinam Aristotelis, qui 5. Met. c. 6. docet, quæ sunt plura in uno genere, possunt esse unum in altero: ut plures milites in ratione substãtiæ sunt unus, in ratione quantitatis sunt multi. Cõcl. 3.

Quarta conclus. Probabilis est sententia Capreoli, quòd sit unus simplex habitus, ut probant argumẽta, & alia, quę possent adduci. Sed quia admodũ Metaphysica est, omittatur in proprium locum. Cõcl. 4.

QVAESTIO IIII.

Vtrum logica sit scientia speculatiua, an practica.

IN disputatione prẹsẽ[ti] primo nobis, quis sensus huius quæstionis sit, aperiendum est. Practica sciẽtia idem est, quod operatiua. Speculatiua uerò idem, quod cognoscitiuã, seu cõtemplatiua. Dicitur autem scientia practica, illa, cuius cognitio ordinatur ad opus, i. quando per eã cognoscimus, ut operemur. Speculatiua uerò, per quam solum cognoscimus, nec talis cognitio ad opus est aliquod ordinata. Iuxta hoc quæritur de logica, an sit practica, uel speculatiua. Quid scientia practica, & speculatiua.

Fuit sententia quorundam Neotericorum, logicam esse practicam. Huius opinionis est primum argumentum, Illa scientia est practica, cuius finis est operari, sed finis logicæ est operari, ergo est practica. Prima opinio.

Maior est nota: Minor probatur: quia finis eius est syllogismos, & discursus facere: hoc autem est operari. Secundo, scientia Practica est de obiecto operabili, & factibili à nobis: at obiectum Dialecticæ, s. argumentatio, est à nobis factibile: ergo est practica. Tertio, scientia Practica versatur in dirigendis, & ordinandis aliquibus operationibus nostris: vt ars pingendi ordinat tales operationes, quibus pingimus: similiter reliquę artes; sed logica uersatur in dirigendis intellectus operationibus, vt ait S. Tho. primo Periher. & 1. Post. ergo est practica.

Primum fund. Pro huius quæstionis determinatione, sit primum fundamentum. Scientia Practica, & Speculatiua in vno conueniunt, in alijs differunt: conueniunt enim, quia sicut per scientiam speculatiuam res cognoscimus, & de ipsis iudicamus; ita similiter per practicam; vt enim Physicus per Physicam cognoscit plantas; ita artifex per artem, & scientiam practicam cognoscit res, quas operatur. Differunt autem primo, in fine: per scientiam enim Speculatiuã rem cognoscimus, non vt illam operemur: at per practicam cognoscimus, vt operemur. Hanc autem conuenientiam Practicæ, & Speculatiuæ, simul & differentiam, non malè explicuit Auerr. 2. Met. com. 3. per Speculatiuã, inquit, scimus, vt sciamus: per Practicam sumus scientes, vt operemur. Est autem duplex finis, intrinsecus, & extrinsecus: intrinsecus est, ad quem scientia ex sua natura ordinatur: extrinsecus, qui finis scientis dicitur, est quem sibi proponit, qui eam scientiam habet, uel addiscit: vt qui disceret Philosophiam animo lucrandi, vel qui disceret artem ædificandi, vt sciret solum. Hic autem finis extrinsecus non facit scientiam Practicam, aut Speculatiuam: sed intrinsecus. Secundo differunt in modo operandi: Practica enim procedit modo practico, seu operatio: quia considerat rem, vt simul tradat modum operandi: Propterea 2. Metaph. c. 1. dixit Aristoteles, Practicum non considerare causam secundum se, sed in ordine ad opus: At Speculatiua solum procedit uia cognitionis, nec modum tradit operandi. Hinc sequitur, cum Practicæ finis sit operari, & modo operatiuo procedat; quod necessario tractet de re, quæ fit à nobis: non tamen propterea est Practica, licet hoc sit necessarium: quia potest esse Speculatiua de re, quam efficimus: vt Geometria, quæ est de figuris. Sed differentia consistit in fine intrinseco, ut vult Aristotel. 2. Meta. c. 3. & in modo procedendi: ex quo fit, scientiam Practicam, & Speculatiuam non differre penes actum suum proprium immediatum; quia per vtramque primo intelligimus res: nec in obiecto; cum possit esse Speculatiua de re à nobis facienda; sed in fine, & modo. Vnde in quauis scientia Practica, primo reperitur speculatio operum, quæ tractat, & facit: deinde præcepta faciendorum eorum operum; quo scilicet modo fiant; quæ propriè cognitio, est ipsa Practica. Sed hæc præterea duplex: vel in vniuersali; vt temperatè agendum est: mittendus est sanguis in dolore laterali: uel in particulari, tunc, nunc, & hoc modo; quod est, ex prudentia experti Medici. & 3. de An. c. 10

Secũdũ fund. Sit secundum fundamentum. Cum scientia Practica sit propter operationem: operatio autem duplex sit, quædam, quæ dicitur actio, quædam quæ dicitur effectio; erit duplex scientia Practica, quædam actiua, quædam effectiua. Actio uerò est operatio immanens, nec in aliquam materiam exteriorem transiens, ut tristari, sentire, amare. Effectio verò est operatio in materiam exteriorem transiens, vt scribere, pingere, ædificare. Scientia igitur effectiua dicitur, cuius finis est rectè has exteriores, operationes efficere, quales sunt artes Mechanicæ. Vnde Aristoteles 6. Ethicorum, cap. 3. Ars, ait, est habitus uerus, cum ratione factiuus. Scientia autem actiua, quæ moralis dicitur, est cuius finis sunt immanentes operationes: qualis est prudentia, quæ dicitur habitus uerus cum ratione actiuus. Vnde Aristotel. 6. Meta. cap. 1. Omnis, inquit, scientia aut est actiua, aut factiua, aut Theorica, aut Speculatiua. Sumit autem hic scientiam largo modo pro quocumque habitu intellectiuo. Inter speculatiuas autem scientias, & practicas constituit discrimẽ quoddam notãdum. 11. Met. c. 6 & 6. Metaph. c. 1. In speculatiuis principium est in ipsis rebus, idest nos suminus cognitionem ab ipsis rebus, & scientia nostra speculatiua conformatur ipsis rebus, vt tunc perfecta sit, quando ipsis rebus adæquatur: Propterea obiectum in his dicitur principium, & mensura scientiæ. At in practicis rerum cognitarum principium est in nobis,

vobis, quia nos sumus causa rei, & nostra scientia est rerum ipsarum mensura: vt talis sit res, qualis scientia, à qua procedit. Interest tamen, quod principium actiuæ est electio voluntatis, à prudentia regulata; vnde agibile, & eligibile idem est: At principium in factiuis, est ars quæ in intellectu est. Ex quo sequitur quoddam notatu dignum: videlicet, illam scientiam, quę non dirigit operationes immanentes, vt ab electione voluntatis procedunt, non esse actiuam. Quæ est expressa sententia Aristot. loco citato 6. Metaph. & 6. Ethic. cap. 10. Principium, inquit, actionis est electio. Sequitur etiam, quòd intellectus, seu scientia practica habet pro fine actionem, seu operationem aliquam extra ipsum intellectum: vt clarissimè colligitur ex Arist. 3. de ani. c. 9. & doctè tradit Alber. Magnus 3. de ani. tract. 4. q. 4.

Tertiū fund. Sit tertium fundamentum: Ex istis potest colligi triplex discrimen inter scientiam propriè dictam, & artem. Primo in fine: finis scientiæ est speculatio, & contemplatio sui obiecti: finis artis est aliquod opus, vt operatio extra ipsum intellectum. Secūdo, in obiecto: ars enim est de rebus contingentibus. 6. Ethic. c. 4. s. non de rebus, quæ possunt esse, & non esse solum, sed de rebus, quæ cum sint, possunt aliter, & aliter se habere vt est ars scribendi; quia scribere potest aliter, & aliter fieri. Prudentia est circa actus, qui cùm sint, possunt aliter, scilicet bene, aut male fieri; Est autem ars, & prudentia, vt bene, recteque fiant. At scientia est de rebus necessarijs, quæ semper sunt, & eodem modo. Discrimen tertium est in modo procedendi: ars considerat rem qualiter fiat, & causas applicat ad opus, propterea componendo semper procedit; & species compositas formando. At scientia, qualiter res sit considerat, & semper minutissimas, & vltimas eius causas, & principia speculatur. His igitur suppositis.

Cōcl. 1. Sit prima conclusio. Absolutè loquendo, logica non est propriè practica scientia, nec etiam ars. Probatur primo. Si esset practica, vel esset actiua, vel effectiua; sed neutra harum: ergo non est practica. Maior est nota ex Aristotele loco citato. Minor probatur. Non effectiua: quia eius operatio non transit in materiam extremam. Non actiua, quia nō est circa actionem, quæ procedat ab electione voluntatis, cum eius actio sit intellectu discurrere. Secundo, scientia practica, aut ars, habet pro fine aliquid extra intellectum at syllogizare, & discurrere, est opus ipsius intellectus, ergo absolutè non est ars. Tertio ars, & scientia practica, propriè rei naturam non tractant: sed qualiter fiat tantū ostēdunt, at logica naturam argumentationis, & syllogismi aperit, nec qualiter fiant, per se solum ostendit: ergo non est propriè practica. Ex quo patet, quòd finis proximus, & intrinsecus logicæ est, modi procedendi cognitio: finis sequens, scientia rei, quæ ex cognitione modi procedit: finis remotus, per logicam syllogismos constituere.

Secunda concl. Logica habet aliquid artis practicæ: hoc scilicet, quòd in aliquem finē extra seipsam ordinetur, scilicet in rei scientiam, & per eam operationes intellectus regulentur; ac propterea dicitur ars rationalis, ars artium. Quæ conclusio satis ex dictis est manifesta. Cōcl. 2.

Tertia conclusio. Simpliciter est dicenda speculatiua, ut patet rationibus ad primam conclusionem inductis. Probatur: Quia licet tradat præcepta argumentandi, & definiendi &c. tamen per se primo speculatur quid sit argumentatio, definitio, diuisio, & cętera omnia. Deinde his perfectis, præcipit, vt fiat. Conc. 3

Ad primū arg. respondetur, negando finē proximū esse syllogismos facere; sed id consequi ex eorum cognitione; sicut qui, cognita natura trianguli, potest triangulum facere.

Ad secundū negatur consequentia, est. n. fallacia accidentis: ista. n. cōsequentia est bona. Si est practica, ergo est de subiecto factibili: & à negatione consequentis, si nō est de obiecto factibili: ergo non est practica: non tamen valet, ab affirmatione consequentis. Si est de obiecto operabili; ergo est practica: nisi finis sit operatio, vt diximus.

Ad tertium respondetur: illud probare secundum quid esse practicam, & ita uocari solere quandam artem: non tamen absolutè quia deficiunt illa, quæ sunt de ratione artis, & scientiæ propriè practicæ.

QVÆSTIO.

Quid sit subiectum Logicæ.

Quot modis dicatur subiectū. VOcabulum hoc subiectum, multipliciter apud Aristotel. usurpatur. Vno enim

enim modo significat inferius alicuius superioris: quo pacto in Antepraedicamentis dicit Aristoteles, quædam de subiecto dicuntur. Secundo pro vna parte propositionis, quomodo dicitur, propositio constat ex subiecto, & prædicato. Tertio pro illo cui insunt accidentia, vt corpus est subiectum albedinis hoc dicitur subiectum inhæsionis; priora verò subiecta prædicationis. Quarto subiectum, pro eo quod a scientia primo consideratur, vt idem sit quod obiectum. Vnde Arist. 1. Poste. cap. 23. vna scientia est vnius generis subiecti, & sic in præsenti sumitur quod dicitur etiam materia. Sed materia multipliciter etiam sumitur: Primo pro substantia, in qua recipitur forma substantialis, quomodo dicitur, materia animæ est corpus, & sic sumitur. 2. Phys. Secundo pro eo, ex quo aliquid fit, vt ferrum est materia serræ, quia ex eo fit, & sic sumitur 4. Phys. c. 3. Tertio pro eo, cui applicatur opus artis, vt materia fabri est ferrum, quia opus suum in ferro facit. Quarto, pro illo, circa quod scientia uersatur, quæ dicitur materia circa quã, & sic idẽ est cũ obiecto, & subiecto sumpto vltimo modo, & secundum hoc, est quæstio de subiecto Logicæ, scilicet quid sit id, de quo præcipue sit Logica.

Vt autem aliquid sit subiectum, seu obiectum in aliqua scientia, quatuor sunt necessaria; duo ex parte obiecti; duo ex parte ipsius scientiæ. Primum ex parte subiecti, ut contineat omnia, quæ tractantur in scientia adæquate, vt nihil sit seu illa scientia, quod non contineatur ab illo obiecto, nec illud obiectũ contineat quicquam, quod non sit sub tali scientia. Secundo, quod det vnitatem, & speciem scientiæ, i. ab eo, sit scientia vna ab alijs distincta, & per illud definiri possit. Tertio, ex parte scientiæ, vt nihil scientia consideret, quod non sit subiectum, vel ad subiectum pertinens. Quarto, quod tradat causas sui subiecti. 11. Met. c. 6. & passiones, seu proprietates 4. Meta. ca. 1. & inferiora, partes, & species ipsius. 4. Metaphy. tex. 8.

Prima opinio — Circa hanc quæstionem fuit opinio Scoti. q. 2. Vniuersalium, & Aegidij Romani syllogismum esse subiectum Logicæ. ratio est, Logica enim docet rationes, & discursus intellectus: sed inter omnes præcipuus est syllogismus, ergo hic obiectum eius.

2. opin. — Secunda opinio fuit Auic. Logi. c. 3. & Algaz. logi. cap. 2. quam sequitur Albertus Magnus lib. Prædicabilium, ca. 4. argumentationẽ esse obiectum. Cuius ratio est: Logica tradit modum procedendi ex noto ad ignotũ: sed non solum per syllogismum, sed per quamcũque argumentationem hoc fit: ergo argumentatio est subiectum. Tertia opinio est Amm. esse non omnem argumentationem, sed potissimam omnium, uidelicet demonstrationem, cuius, causa omnia considerari videntur a Logica. 3. opin

4. opin. — Quarta opinio est Neotericorũ quorundam, orationem esse subiectũ Logicę; nec isti sumunt quamcunque orationem, sed illam, quæ est ignoti manifestatiua, qualis est definitio, diuisio, & argumentatio. Huius ratio est: Logica tradit modum cognoscendi, sed hic non sola est argumentatio, sed definitio, & diuisio, per quas explicantur natura, & partes rei, & per illas cognoscuntur, & sciuntur: ergo aliquid, vt est his commune, erit subiectum. Ista sententia fuit antiqua, eorum. s. qui sermonem faciebant Logicæ commune obiectum: quasi idem esset Logica, quod sermocinalis, quod impugnat Auic. & Albert. locis citatis.

5. opin. — Quinta opinio fuit S. Thomæ. 4. Meta. lect. 4. qui asserit ens rationis esse subiectum Logicæ. Ratio huius est: quia ens rationis comprehendit ea, quę sunt in Logica, quę tamen sub oratione, argumentatione, vel syllogismo non continentur, vt prædicatum, subiectum, genus, species. Pro declaratione vero huius difficultatis est aduertendum. Res dupliciter posse considerari. Vno modo secundum se, & suam naturam: altero modo, secundum quod a nostro intellectu percipiuntur. Si in se considerentur, habent quasdam proprietates sibi consequentes, ut quod homo sit risibilis, sit coloratus, sit quantus. Si vero considerentur, vt a nobis sunt intellectæ, habent alias proprietates, scilicet esse subiectum, esse prædicatum, esse genus, esse propositionem. Inter has autem, & illas vnum interest, quod illæ sunt in ipsis rebus: albedo enim, color, & alia accidentia rebus insunt; at istæ sunt extrinsecæ, vt enim columna est mihi dextra, non quia in ipsa sit aliquid, a quo dicatur dextra, sed ab extrinseco, quia ego habeo illam ad dextram meam; ita istæ res dicuntur genera, subiectum &c. non quod in eis sint istæ proprietates, sed ab extrinseco proueniunt, ex eo quod à nobis tali modo, vel tali cognoscuntur, & propterea ta- (Quid sit ens rationis.)

les proprietates dicuntur entia rationis, id-est, intellectus, quia ab intellectu cognoscente rebus adueniunt. Dicuntur pariter intentiones secundæ: quia cum prius sit rem esse in se, quam a nobis intelligi, proprietates aduenientes rei secundum quod est in se, dicuntur primæ intentiones: posteriores vero, secundæ intentiones. Ex quo patet, quod ens rationis est proprietas extrinseca adueniens rebus, vt ab intellectu percipiuntur. Hoc voluit S. Tho. esse subiectum logicæ, cum nihil sit in logica, quod non sit talis proprietas rei. Sunt præterea istis correspondentia in ipsis cognitionibus entia alia rationis illis correlatiua: rei inquam respectus ad cognitionem, & contra respectus hic rationis cognitionis ad rem. Istæ itaque sunt opiniones præcipue.

Primũ fund. Pro huius determinatione sit primum fundamentum. Logica, si vocabuli significatio cõsideretur, idem est quod scientia sermocinalis, seu rationalis: qua ratione Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, sub se complectitur, quia omnes in sermone uersantur: tamen cum discrimine: Grammatica enim solum sermonem per se considerat: cum nihil aliud intendat, quam congruum sermonem facere. At Rhetorica non solum sermonem sed etiã rationem complectitur: cum & dicere, & probare doceat. Vnde qua parte sermonem habet, cum Grammatica conuenit, licet in hoc ipso differat, quod hæc congruum, illa ornatum doceat sermonem: Grammatica autem, & à Rhetorica, & a Dialectica differt, quod rationis non est contemplatiua, cum nullum argumentandi genus per se Grammatica tradat, sicut Rhetorica, & Dialectica. Inter has autem duas, vna est conuenientia, sed multiplex differentia. Conueniunt enim in materia remota: sumpta materia pro eo, cui opus artis applicatur, vt enim logicus sua applicat instrumenta rebus omnibus, & cuilibet enti, ita & Rhetoricus sua applicat instrumenta rebus omnibus, ob quam causam ab Aristot. Rhetorica contraposita Dialecticæ censetur, & utramque artem communem vocat. Differunt tamen inter se. Logicus enim considerat res omnes, vt a nobis sunt cognoscibiles, tradit enim methodum rem quamcunque contemplandi, & speculandi. At Rhetoricus versatur circa res vt a nobis exprimantur, & manifestentur. Propterea Rhetoricus per se cõsiderat sermonem, quo exprimit rem, & vtitur probatione ad aliud, scilicet vt alteri probet. At cum Logicus sit primo ad se per accidens verbo vtitur, cum conceptus, & probationes alteri communicare intendit: tamen eius integra ratio absque sermone est, quod non sit in Rhetorica, ob idque eloquutio, pars Rhetoricæ, non autem Logicæ numeratur. Huius discriminis ratio est; quia Logicus est ad se, at Rhetoricus præcipue ad alium, vt habet Arist. 1. Rhe. ad Theo. c. 2. in fine. Vsus ergo Rhetoricæ absque sermone constare non poterit sicut potest vsus Logicæ primus, & potissimus. Secundo differunt etiam in amplitudine materiæ formaliter, nam Rhetoricus in omni re considerat id, quod probabile est, idest dat methodum cognoscendi, & persuadendi id, quod probabile in omnibus est. At Logicus, & id quod est probabile, & id quod est necessarium perspicit, idest, dat viam inuestigandi probabile, & necessarium. Propter quod duplex est Logicæ pars. Topica, cuius est tradere methodum circa probabile, vt docet Arist. 1. Top. cap. 1. & Analytica, cuius est modum necessarij peruestigandi aperire. Tertio differunt etiam in hoc, quod Rhetorica considerat probabile singulare, uel cum aliqua circumstantia singularitatis: persuadet enim singulare, vel aliquid commune determinatum, secundum aliquod tempus, vel locum, vel ordinem ad opus, quæ omnia ad singulare spectant.

Propterea dicitur uersari circa quæstiones definitas, vel circumstantias terminatas, vel hypotheses. At Logica, probabile commune, & uniuersale considerat, & ab omni conditione singularis abstrahit, atque ideo circa quæstiones, quas vocant infinitas, & theses. Quarto differunt in fine, finis. n. Logicæ est adhibere methodum, per quem consequamur scientiã necessariorum, probabiliũ opinionem, at Rhetoricæ finis est adhibere methodum persuadendi, ex quo sequitur fides, quæ est remissa quædam opinio, & quæ maxime pendet ex affectione voluntatis. Quinto differunt instrumentis. Rhetoricus enim vtitur enthymemate & exemplo, Logicus inductione & syllogismo. Hoc autem ideo fit, cum enim Rhetoricus omnibus alijs probet, & persuadeat, nec omnes capaces sint ad percipiendam vim syllogisticam,

sticam, assumit rationem omnibus facilem f. Enthymema, cum aut Enthymema sit syllogismus maiori suppressa? Dialecticus aũt sit ad se, & ad intellectum, cui nõ potest maior supprimi; syllogismo ad se utitur; licet aliquando ad alium, enthymemate utatur. Cum igitur Logicus argumentationem cõsideret, & enthymema sit species quædam argumentationis, merito Rhetoricam, quæ speculatur enthymema, Aristoteles particulam, & germen Logicæ uocat. 1. Rhet. c. 2.

2. fund. Secundum fundamentum. Aliud est de obiecto loqui Dialecticæ, secundum se, & in uniuersum Dialecticã cõsiderando. Aliud de Dialectica duntaxat, quam nunc habemus ab Arist. conscriptam, & de eius obiecto. Nã, ut mox dicemus, quædã apparent ad Dialecticã spectantia, de quibus nõ egit, ut uidetur Arist. nempe de diuisione, & definitione, de syllogismis hypotheticis, & alijs, aut si egit, eius certè libri non exeant.

3. fund. Sit tertium fundamentum. Obiectũ sciẽtiæ duplex est, ut diximus superius; materiale, & formale. Materiale est illud, quod talis scientia considerat; ut Physica tractat de plantis, de elementis, de animalibus. Aliud est formale: id scilicet ratione cuius omnia illa à tali scientia considerantur; ut Physicus omnia illa tractat, ut corpora mobilia sunt. Ita fit in qualibet alia scientia, arte, habitu, & potẽtia. Item obiectum aliud totale est, aliud partiale, sed præcipuum.

1. concl. His suppositis, sit prima cõclusio. Sermo, vel oratio non est subiectum Logicæ.

Patet. Illud est subiectum Logicæ, quod Logica primo, & per se considerat; sed sermo, uel oratio, per accidens, & minus principaliter ad Logicum spectat, ut diximus: ergo non est subiectum. Maior est nota; quia cum subiectum sit intrinsecum, & de ratione scientiæ, non debet ab ea quod per accidens est, considerari. Præterea quia sine sermone, seu externa oratione potest Logica constare, cũ illa sit, quę modũ intelligendi per se manifestat. Præterea. Sermo, uel oratio, si dicat eã orationem, quæ fit in uoce; probatum est in precedenti ratione, id esse per accidens ad Logicũ. Si uerò sumatur pro illa, quæ est in mẽte; non est subiectum. Nã oratio comprehendit etiam eam, quæ non significat uerum, uel falsum, ut optatiuam, imperatiuam, & omnia alia, quæ ad Grammaticos, & Rhetoricos spectant. Hæc autem Logicus non considerat, sed Grammaticus, & Rhetoricus.

Secunda conclusio. Demonstratio non est totius Logicæ subiectum. Probatur ex prima subiecti conditione, debet. n. continere sub se omnia illa, quæ tractantur in ea scientia. At uerò non omnia, quæ in Dialectica tractantur, continentur sub demonstratione; non. n. syllogismus probabilis, nec sophisticus, nec enthymema sub demonstratione continentur. Est tñ partiale potissimũ subiectum demonstratio, & eatenus rectè opinabatur Ammonius, cum inter alia omnia primum locum teneat demonstratio. 2. concl.

Tertia conclusio. Ens rõnis in uniuersum nõ est formale subiectũ Logicæ. Patet; quia Logicus non considerat ens rationis, ut tale est, nec illius causas, nec principia, nec passiones: hæc enim occultissima sunt, nec omnia entia rationis in tota sua latitudine, nõ enim priuationes, nec entia rationis Rhetorica, qualia sunt, esse tropum, uel figuram, esse exordium uel narrationem, &c. nec Grammatica entia rationis considerat Dialecticus. 3. concl.

Quarta conclusio. Ens rationis Logicum, idest quod consequitur operationem intellectus, quatenus intellectus intelligit, est formale subiectum Logicæ. Hic aũt, uno communi nomine uocari posset ens rationis Logicum, uel intellectuale, uel ratio instrumenti intelligendi, uel intelligendi modus, seu sciendi, quæ omnia in idem ferè incidere uidentur. Probatur hæc conclusio. Omnia enim quæ in Logica considerantur, sub illo continentur, & ad id spectant, ut modum sciendi, & intelligendi teneamus, & hæc fuit sententia S. Thomæ, nec sumpsit in uniuersum omne ens rationis: sed illud solum, quod rebus aduenit ex intellectus operatione: non autem illud, quod uoces consequitur: quale est, esse nomen, aut uerbum, aut participium, hæc enim Grammaticæ sunt. Propterea definitũ est superius, ens rationis esse proprietatem rebus aduenientem, quatenus ab intellectu percipiuntur. 4. concl.

Quinta conclusio. Materiale obiectum Logicæ sunt res ipsæ cognitæ, & cognitiones rerum. Probatur. Nam in istis, & ex istis, illa pullulant entia rationis, & istis conueniunt, & in istis inhærent, ut tales sunt: nam istæ dicuntur, & sunt Genera, & Species, &c. & ex istis fiunt ꝓpositiones, syllogismi 5. concl.

mi, &c. uoces uero, ut dictum est, p accidens, & secundario a Dialectico considerantur.

Diximus res cognitas, & cognitiones, q a res sunt remotius obiectum; cognitiones uero intellectus propinquius. Et quia sunt correlatiua inuicem: nam si cognitio est, alicuius rei est cognitio, & si res cognita est, per aliquam cognitionem est cognita: habent.n. inter se mutuum respectum rationis.

6. concl. Sexta conclusio. Argumentatio est Logicę subiectum, si Logicam accipiamus pro ea tãtum parte, quam Aristoteles in libris istis, qui ad nos peruenerunt, tractauit. Quod sanè uidentur spectasse, qui argumẽtationem subiectum Dialecticæ dixerunt, & eatenus uerè affirmarunt. Perspicuum enim est non egisse de definitione, ac diuisione, p se, ut per se faciunt scire essentiam, & partes rei; sed solum quatenus demonstrationi, seu argumentationi subueniunt. Quod sanè recte aduertit Albertus Magnus, & ut ipse circa initium Porphyrij refert, Auicenna, & Alpharabius, itẽ Caietanus in principio Cathegoriarum Aristotelis, & Aegidius in principio, in proœmio, & alij. Id autem siue putauerit minoris esse momenti, quod fusius tractarentur, ac seorsum; siue quia in argumentandi modos, quos primus (ut ipse ait lib. 2. Elench.) inuenit, incumbendum sibi potissimum existimasit, siue quia scripserit quidem his de rebus seorsum, sed eius libri perierint; certe quæ extant illud duntaxat subiectum argumentationis habent, & eò cuncta referuntur. Immo si quis recte perspexerit, cum definit hypothetici syllogismi; istorum operum Aristotelis sola argumentatio Cathegorica subiectum uideri poterit. Ex dictis constare potest rationum contrariarum, si quæ sint, solutio; & quo pacto omnes opiniones aliqua ex parte ueritatem attigerint, & quomodo omnia uerè consonent.

QVAESTIO VI.

De diuisione Logicæ, eiusque partibus.

LOgica diuersimode ab aliquibus diuiditur. Boetius enim 1. Top. principio in tres diuidit partes, in eam scilicet, quæ docet definire, & in eam, quæ docet diuidere, & in eam quæ docet argumentari. Quod si argumentatio procedat ex propositionibus necessarijs, est Demonstratio: si ex probabilibus, Topicus: si ex apparentibus, Sophisticus, syllogismus. Et secundum hæc est pars Demonstratiua, Topica, & Sophistica. Philop. in partem inueniendi, quę Topica dicitur, & in partem resoluendi simul, & iudicandi, quæ Analytica dicitur, Logicam distinxit: & partem Sophisticam posuit cum Topica; quia sophisticus syllogismus est obliquitas Topici. Cicer. 1. Topi. Logicã in iudicandi, & in inueniẽdi partem diuisit. Possumus tamen aliter commodius Logicam diuidere ex Sancto Thoma, principio Periher. celebri, & recepta diuisione. Cũ enim ipsa dirigat operationes intellectus, diuidetur ipsarum distinctione operationum. Triplex autem est intellectus operatio; prima, simplicium apprehensio, qua res ipsas singulas per se intelligimus: secunda, compositio, seu diuisio, qua res intellectas unam alteri copulamus: tertia, ratiocinatio est, quia ex noto ignotum discurrentes deducimus, quæ operationes similes sunt sermoni. Aliquãdo enim simplices uoces proferimus, aliquãdo propositiones componimus, tandem ex propositionibus syllogismos conflamus. Triplex igitur est Logicæ pars, prima quæ dirigit primas operationes intellectus, docens modum quamque rem per se intelligendi, & ad hanc reducitur pars, quę tractat de definitione. Secunda, quæ dirigit secundam operationem, quæ tractat de propositione: sub qua aliquo modo continetur de diuisione. Tertia, quæ dirigit tertiam, & hæc est de syllogismis. In singulis autem harum est inuentio, & iudicium: nam & docemur inuenire genera, & differentias, ex quibus est definitio, & de inuentis iudicare. Similiter in propositione, & syllogismo. Vide Boetium 1. Topic. Atque hæc in uniuersum de Dialectica dixisse, sit satis.

Iam ad primam ipsius Dialecticæ partem, quæ de simplicib. disserit, & in hac ad Porphyrij prius de quinque uniuersalibus tractationem accedamus.

IN

IN LIBRVM PORPHYRII DE QVINQVE VNIVERSALIBVS.

QVi in aliquem authorem Commẽtaria edunt, quædam solent quasi proœmij loco, ante illius enarrationem pertractare: De illius uidelicet operis Authore, vita, moribus, doctrina, ac laudibus; De ipsius operis argumento, vtilitate, ac necessitate; De scribendi modo, & methodo, & ordine, & partibus, & similibus alijs. Ex quibus, nos more aliorum interpretum, breuiter, quantum satis est ad nostrũ institutum, nonnulla referemus.

De Authore, & huius operis argumento, ac utilitate, scribendi methodo, ac modo; eiusdem ordine, & partibus.

POrphyrius Philosophus, natione Phœnix hoc opus edidit, vixit tempore Aureliani, & Diocletiani Imperatorum: Plotinum habuit insignem Philosophum Platonicum præceptorem; Discipulos uerò inter alios Iamblicum egregium Philosophum, & Chrysaorium Romanum, virum patritium, in cuius gratiam librum hunc conscripsit; ex occasione, ut referunt: q cũ Chrysaorius in Arist. Prædicamenta incidisset, & in quasdam ibi uoces, & res sibi ignotas impingeret, ad Porphyrium scripsit, vt sibi in ea re aliquod auxilium ferret. Atque ita hunc ad eũ libellum (quẽ inscripsit, πορφυρίου εἰσαγωγή idest Porphyrij introductio, subaudi in Arist. Dialect.) misit. Et quamuis hic author à fide Christiana defecerit, & eius factus fuerit hostis acerrimus, aduersus quem aliquot nunc extant sanctorum Patrum scripta pro Christiana Religione, ac D. Hieron. & D. August. & aliorum; Tamen hoc illius opus, quod Aristot. doctrinæ sit consentaneum, & bona ex parte ex Arist. sit decerptum, & ad illius prædicamenta, imò & uniuersam Dialect. multum conducat, & nihil aduersus fidem contineat, meritò, & ab Ecclesia permissum, & in publicis ubique scholis interpretandum ante Arist. Dialecticam susceptum est. Agit enim de quinque uniuersalibus, Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente, quæ de rebus omnibus prædicantur, aut prædicari possunt: tum essentiam rerum intrinsecam, tum extrinseca, propria, & accidentia rerum, continentibus. Ex quibus etiam omnes constant de unoquoq; re quæstiones; imò, & definitiones, & diuisiones, & ex istis quoque cõstant, quæ in prædicamentis collocantur, ut ipsemet postea Porphyrius sui operis utilitates connumerans refert; & nos postea explicabimus diligentius.

Scribendi modus ac methodus fuit facilis, introductorio. s. more, definiendo, diuidẽdo, & exemplis singula illustrando; ut ad introductionem tyronibus accommodatam, & aptam expediebat.

Ordo hic fuit, ut prius de singulis istis uniuersalibus; & quidem à prioribus ad posteriora, naturæ ordine progressus fuerit. Deinde singula inter se contulerit. Vnde in partes tres hic liber secatur, in præfatiunculam, seu exordiolum, & ipsorum per se quinque uniuersalium tractationem, totidem capitibus; & in ipsorum uniuersalium inter se comparationem; ultimo capite in varias ad inuicem comparationes subdiuisio.

DE INSCRIPTIONE Libri.

Porphyrij Phœnicis introductio.

QVæri potest cur sic inscripserit (introductio) tam latè patenti uocabulo? nec adiuderit cuius rei sit introductio. Responderi potest, uel per Antonomasian sic inscriptum fuisse ob istius libelli excellentiam, ut dicunt Ammonius, & nonnulli eius libri interpretes; uel quia ad uniuersam Dialecticã, atque adeo ad uniuersam Philosophiam primum aditũ patefaciat, vel quia certè ad Chrysaorium scripserat, & subintelligẽdum erat, ad id, quod ille petierat, esse introductionem, uidelicet ad prædicamenta, & Arist. Logicã intelligendam.

Inscribitur autem à complurimis præsertim Neotericis, de quinque prædicabilibus,

ab alijs de quinq; uniuersalibus, quod in idē ferè recidit: nam illa uniuersalia sunt, quæ prædicantur, & dicuntur de pluribus, & ideo sunt prædicabilia, quia sunt uniuersalia: de qua tamen re postea agemus.

Alij uerò, qui putant Dialecticam non de rebus, sed de uocibus agere titulum faciunt iuxta eorum sententiam, de quinque uocibus. Sed in hoc ēt titulo subaudiendum erit aliquid; nempe de quinque uocibus, scilicet, uniuersalibus, seu prædicabilibus. An uerò de rebus, seu de uocibus, uel intentionibus Dialectica differat supra ostendimus; & diligentius paulò post de ea re disseremus. Omnes autem in hoc titulo absolutè conueniunt, scilicet, de quinque vniuersalibus, seu de quinque prædicabilibus nihil aliud addendo, licet unus putet has esse res, alius esse tantū voces.

Cum sit necessarium Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem, Prædicamentorum doctrinam.

Diximus superius, cum quæsiuimus, an Logica sit necessaria; quot modis uox, (necessarium) accipiatur: quod hic breuiter repetemus. Duobus etenim modis necessarium dicitur, ut ait Arist. lib. 5. Met. c. 5. uno modo absolutè necessarium: quod .s. non potest ullo modo aliter se habere. Altero modo ex suppositione necessarium, quod posito aliquo alio, ad id necessario consequitur: quamuis in se res sit contingens: ut si ignis est, necessario calor erit: at calor ipse, & calorem esse cōtingens est. Est autem rursus hoc ex suppositione necessarium multiplex, pro suppositionum diuersitate, ex quibus necessario sequitur; uidelicet necessariū ex suppositione causæ alicuius efficientis, formalis, materialis, uel finalis, uel etiam alterius rei cuiusque suppositione, ex qua aliud necessario cōsequitur. Sed nos, alijs omissis, de necessario ex suppositione finis, quod ad præsentem difficultatē attinet, dicamus. Necessarium ergo ex fine, seu ad finem est duplex. Alterum, sine quo is finis obtineri non potest: quod dicitur simpliciter necessarium, uel necessarium ad esse rei; ut cibus necessarius est simpliciter ad uitam sustinendam. Alterum, sine quo non potest commodè assequi eiusmodi finis; quamuis simpliciter possit. Et hoc dici solet à Philosophis, necessarium ad bene esse, uel utile; ut equus ad iter agendum; nam sine illo iter posset peragi, licèt non ita commodè: atque ita illud alterum uocari solet necessariū ad esse rei, hoc ad bene esse: illud simpliciter necessarium, ut res sit: hoc secundum quid necessarium, ut scilicet, res bene sit, uel bene fiat.

Deinde aduertendum est, posse nos quærere: uel de hac quinque uniuersalium cognitione, an sit necessaria; uel de ipsa Porphyrij tractatione. Igitur tam tractationem Porphyrij, quàm ipsam per se notitiam uniuersaliū, certum est non esse absolutè necessariam hominibus: sed ex suppositione dumtaxat finis; si uelint, uidelicet Dialecticam, præsertim Aristotelis, addiscere, & alias disciplinas. Sed si de necessitate ad finem loquamur; distinguendum erit: ipsa quidem per se cognitio uniuersalium, est necessaria ad eum finē simpliciter: nam tum in prædicamentis Aristoteles ipsorum frequenter meminit, Generis, Speciei, Differentiæ, propriorū, & accidentium; tum in Topicis, & alijs eius Dialecticæ libris: atque ideo necessarium erit omnino, uel tunc simul addisci, uel antea. Si uerò de Porphyrij tractatione loquamur, necessaria quidem non est simpliciter: cum constet alium quemuis authorem de eisdem uniuersalibus disserentem nos posse suscipere. Est tamen utilis ualde, etiam necessaria secundo modo ad bene esse; quod magna dexteritate, & breuitate de eisdem egerit. Sed nec etiam ipsa per se cognitio uniuersalium est simpliciter necessaria, ut addiscantur ante ipsa prædicamenta: quandoquidem in ipsis prædicamentis, & alijs libris, cum occurrerent, addisci possent. Est tamen ualde commodum, ut prius addiscantur: ne postea in decursu lectionis Aristotelicæ studiosi retardentur. Atque ita necessario etiam antea addiscentur ad bene esse, ut melius, scilicet, & facilius addiscantur.

Nosse quid sit Genus, quid Differentia, quid Species, Proprium, & quid Accidens.

Seruauit Porphyrius naturæ ordinem in horum numeratione, & tractatione, à prioribus, scilicet secundum naturam, ad posteriora profectus: nam prius absolutè de ipsis in se uniuersalibus egit; deinde illis

con-

constitutis, ea inter se comparauit, prius enim oportet rem esse, deinde ad aliam comparari, & referri, res enim primo est in se, deinde refertur ad aliud. De ipsis vero singulis, similiter naturæ ordinē seruat, ut prius intrinseca, quæ ad essentiam rei attinent, referret, nempe Genus, Differentiam, & Speciem; deinde extrinseca, quæ extra essentiam sunt rei, Proprium, & accidens. Inter extrinseca rursus, prius partes essentiæ, ex quibus essentia tota constituitur, retulit. Nam ex partibus haud dubie totum consurgit, & prius oportet partes adsint, quàm totum fiat, quod sine partibus esse non potest. Et in partibus, eam, quæ in potentia prior est, collocauit, scilicet Genus, deinde, quæ illi tanquam actus, & perfectio aduenit, Differentiam, ex quibus ambabus tota Speciei essentia consurgit, atque componitur, quam tertio proposuit loco. Inter extrinseca quoque primum locum Propria, vtpote quæ ex ipsa permanant essentia, obtinent. Deinde vltimò quæ extrinsecus ex alijs causis contingunt, Accidentia. Tantillum autem in ipsa tractatione, Naturæ ordinem, quem hic proposuit, doctrinæ ordine permutauit, vt de Specie proxime post Genus ante Differentiam, quod illi esset correlatiuum, disputauerit.

Ac præterea idem naturæ ordo ex alia quoque causa conspicitur, proportione ad rerum naturalium generationem, & eius generationis ordinem, a prima origine vsque ad earum perfectionem. Nam in generatione rei cuiusque naturalis, primum est materia in potentia ad formam, deinde in eam ipsa forma inducitur, postea ex materia, & forma fit totum compositum, ex composito rursus, ipsius totius essentiæ proprietates emergunt, vltimò tandem accidentium ornatus omni rei superadditur. Atque ita res naturalis vndequaque tota interius, exteriusque perficitur. Igitur proportione quadam Genus se habet, vt materia, Differentia, vt forma, Species vt totum compositū. Propria proprijs, & Accidentia accidentibus respondent. Atque is ordo est, quem Naturæ dicimus, quòd a prioribus ad posteriora Natura progrediamur.

Et ad definitionem assignationem, & omnino ad ea, quæ de diuisione, & demonstratione sunt, vtili existente istarum rerum speculatione, compendiosam tibi traditionem faciens. &c.

Vtilis quidem istorum Vniuersalium cognitio est, ad definitiones conficiendas, fiunt etenim definitiones ex Genere, & differentia, & descriptiones fiunt ex Genere, & Proprio, vel Genere, & Accidentium collectione. Ad diuisiones quoque vtilis est, nam diuisiones quoque fiunt, Generis in Differentias, vel generis in Species, & aliquando etiā per Propria loco Differentiarum, & fiunt quoque subiecti in Accidentia, & Accidentis in subiecta, aut Accidentis in Accidentia. Vtilis etiam est ad demonstrationes, nam demonstrationis potissimæ medium est definitio ex Genere, & Differentia constans, & propria aliqua passio demonstratur de Specie in ipsa demonstratione. Accidentia demum cognoscenda erunt, vt à demonstratione remoueantur, & quia conferunt plurimum ad rei naturam perfectius cognoscendam.

Sed cur ad hæc vtilem dixit Porphyrius horum cognitionem, non etiam necessariā, cum non sit minus necessaria ad hæc, quam ad ipsa Prædicamenta? Facile responderi potest, vel quia antea vsus fuerat vocabulo necessitatis, noluisse idem iterum repetere, ne fastidium generaret, sed in aliud affine vocabulum, vt solent scriptores, mutare voluisse; vel quia vtile interdum pro necessario accipitur, dicitur enim vtile duobus modis, vno modo, pro eo, quod alteri conducit, sed non est ei omnino necessarium ad esse rei altero modo, pro eo, quod expetitur propter alterum, (de quo loquitur Aristot. tertio Ethicorum, cap. 2.) siue autem illud, omnino necessarium sit, sicut animali cibus, siue non sit necessarium, sicut homini vestis. Aliqui vero distinguunt, aliud, (inquiunt) est dicere vtilem ad definitiones faciendas, & diuisiones, ac demonstrationes, & ad hoc est vtilis tantum, cum sine horum vniuersalium cognitione, nonnulli, vt Geometræ, & Arithmetici, definiant, diuidant, & demonstrent. Aliud est ad artem, & præcepta definiendi, diuidendi, & demonstrandi cognoscenda, nam ad hoc non solum vtilis est, sed necessaria horum Vniuersalium cognitio. Id quoque obseruandū erit Porphyrium nō de sua tractatione lo-

qui, sed ipsorum vniuersalium per se cognitione.

Tentabo breuiter, velut introductionis modo, ea quæ ab antiquis dicta sunt aggredi, ab altioribus quidem quæstionibus abstinens, simpliciores vero mediocriter coniectans.

Hic Porphyrius tractationis suæ modum indicat, & eius aperit institutum, proponitque se sub breuitate, & vt introductionis ratio exigit, quæ ab alijs Philosophis dicta sunt, præsertim Peripateticis, allaturum, obscuriores vero, & difficiliores quæstiones, vtpote ad naturalem, vel Metaphysicum potius spectantes, prætermissurum, & ea se solum dicturum, quæ faciliora, & quæ ad rem potius spectare videantur, & legentium captum non superent, magisque sint accommodata.

Mox de Generibus, & Speciebus illud, quidem siue subsistant, siue in solis nudis intellectibus posita sint, & siue subsistentia corporalia sint, siue incorporalia, & vtrum separata, an in sensibilibus posita, & circa hæc consistentia, dicere recusabo, altissimum enim est huiusmodi negotium, & alius maioris egens inquisitionis. Illud vero quemadmodum de his, ac de propositis magis probabiliter antiqui tractauerunt & horum maxime Peripatetici, tibi tunc tentabo monstrare.

Aliquot ex illis difficilioribus quæstionibus, quæ de vniuersalibus fieri poterant, quas se prætermissurum pollicebatur, reijcit. Prima quæstio est, an Genera, & Species existant in rerum natura, an vero sit ecōtra, aliquod figmentum mente, & intellectu solum conceptum, vt cum dicimus, animal, vel homo, sit ne aliqua res ille homo communis, & illud animal commune, an solum generalis sit quædam sola cognitio mentis nostræ, hominis in quam, in communi, & animalis in communi. Secunda quæstio est. Esto sint in rerum natura illæ res cōmunes, quas Genera, & Species vocamus, an sint corporea, an corporis expertia, & incorporea. Tertia quæstio. An existant isthæc Genera, & Species in ipsismet singularibus rebus indiuiduis, quas sensu percipimus, an verò ab istis rebus indiuiduis sint separata. Has quæstiones, quoniam ad Metaphysicū potius spectant, prætermittit Porphyrius; pollicetur autem se de ijs tantum tractaturum, quę vtiliores. & dialecticis, magis accommodatæ videbuntur, quæ ab alijs Peripateticis, qui sequuti sunt Aristotelem, tractatæ fuerunt. Sed tamen quia mens nostra non ita his auditis conquiescit, & ob rationes, quas iam referemus, de istis nonnulla, quantum satis est Dialectico, magna facilitate, & perspicuitate, ac pariter breuitate referamus.

QVAESTIONES.

In proœmium Porphyrij.

Erit tripartita disputatio. Primo disseremus de vniuersali in communi. Deinde de primis, ac secundis intentionibus quibus ipsa constant vniuersalia, & alia ad Logicam spectantia. Tertio de huius libri subiecto. Postremo vniuersalium facta diuisione, aggrediemur singulorum in particulari tractationem, hoc ordine qui sequitur.

De vniuersalibus.

Primo. Quid sit vniuersale.

Secundo, Vtrum vniuersalia sint res, an solæ voces, vel conceptus.

Tertio, Vtrum vniuersalia sint in rebus distincta ante operationem intellectus.

Quarto, Quomodo respondendū sit quæstionibus de vniuersalibus a Porphyrio factis.

De primis, ac secundis intentionibus.

Primo. Quid sit prima, & secunda intētio.

Secundo. Quomodo fiat intentio vniuersalis, & aliæ secundæ intentiones, an scilicet per notitiam absolutam, idest per primam tantum abstractionem, an per notitiam comparatiuam.

De

De subiecto huius libri.

Primo. An vniuersale sit huius libri subiectum.

Secundo. An sit genus ad illa Prædicabilia, Genus, Speciem, Differentiam, &c.

Tertio. De numero Prædicabiliũ, eorumq; diuisione, an sint tantum quinque Vniuersalia, seu quod in idem redit, quinque tantum Prædicabilia? Sed iam de singulis, eo ordine quo proposita sunt disseramus.

QVAESTIO I.

Quid, & quotuplex sit vniuersale.

QVamuis Porphyrius ab istis de Generibus, & Speciebus quæstionibus abstinuerit, id nobis vitio dari nõ debet, q̃ de eis disputationem aliquam habeamus, præsertim, qui non ad Arist. solum Prædicamenta, sed ad totam Logicam, & Physicam auditores instituere studemus, quorum vtilitati, & in literis progressui nullatenus fieret satis, si quæstiones has, quæ omni doctrinæ maxime sunt necessariæ, in Metaphysicam vsque differemus. Cum nulla commodior offeratur occasio eas elucidandi, quam hæc præsens, id quod multi insignes Doctores, inter quos Albertus Magnus, & Boetius, diligenter præstiterunt. Nec tamen omnia, quæ in Metaphysica iure dici possunt, sed ea dumtaxat, quæ negotio nostro utiliora fuerint, ac tanta claritate, & breuitate, quanta fieri possit, proponemus.

Primo ergo naturæ, & doctrinæ ordine, ne in ambiguo uersetur disputatio, nobis explicandum est, quid Vniuersale, & quotuplex. Vniuersale igitur nomen est multiplex. Vno.n.modo sumitur complexè, altero incomplexè. Vniuersale cõplexum est propositio, cuius ueritas ex singulariũ multorũ per se ueritate dependet, ut si dicatur, oĩs homo currit, siue sit circa res contingentes, siue circa res necessarias; quõ utitur hoc nomine Arist. 1. Post. c. 7. 10. Met. c. 1. Vniuersale, inquit, est principium scientię. Vniuersale incomplexum est aliquid unum simplex ad plura ordinem habens, quod multiplex esse potest per ordinem multiplicem, quem unum ad plura potest habere. Primo.n. potest habere ordinem causę, siue efficientis, siue finalis, quando una causa existens, plures, & uarios habet effectus, quo pacto cœli dicũtur causę uniuersales horum inferiorum efficientes; quia hę omnes res naturales cœlorum uirtute producuntur; Deus etiam est omnium causa uniuersalis efficiens, & finalis, quia omnia ab ipso, ut ab efficiente, & ad ipsum, ut ad finem supremum, & optimum referuntur, & hoc Vniuersale communiter dici solet in causando. Secundo dicitur Vniuersale, id quod multorum est similitudo, ut imago est in mente artificis Vniuersale; quia multorum artificiatorum exteriorum est similitudo, & exemplar, quod etiam uniuersale in repręsentando dici solet. Tertio potest aliquid unum existens intelligi multorum esse substantiam, quo pacto Auer. falso putabat, unum esse intellectum assistentem hominibus, seu potius Plato, unicam esse ideam hominum, quę una existens omnibus per se dabat hominibus esse, & hoc uocãt communiter Vniuersale in essendo. Quarto est uniuersale in significando, quo pacto una uox uniuoca, seu cognitio una, multa significat, qualis est aliqua uox cõis. Tandẽ quinto est uniuersale in pręd cãdo. s. id quod de multis diuisim uere affirmatur, ut homo, qui de Petro, & Paulo per se pręd catur. De his ergo tribus ultimis est inter Philosophos disputatio, & controuersia. An id, quod de multis uniuoce prædicatur, sit sola uox, uel conceptus, an sit aliqua natura communis per uocẽ, & conceptum immediate significata? Quod si natura per uocem, & conceptum significata, An talis natura sit per se separata an in ipsis rebus habeat esse de quibus prædicatur? Hoc autem uniuersale Arist. 1. Periherminias. c. 5. sic definit. Vniuersale est id, quod de pluribus pręd cari aptum est, in qua definitione multæ conditiones uniuersalis tacitè assignantur. Primum enim debet esse aliquid unum, ex hoc quod dicitur (id quod) unum inquam, & nomine, & ratione. Sic enim Arist. docet libr. 1. Post. c. 8. & c. 20. ubi ait, uniuersale esse unum quid, non solũm nomine, sed etiam ratione: hac ergo particula excluduntur primo complexa, quoniam ut talia, non sunt unum nomine. Excluduntur etiam æquiuoca, quia non sunt unum ratione. Analoga uero, quia sunt unum quidem nomine, & conceptu formali, & ita quodammodo unum ratione, sed inæqualiter participata, qualia sunt, unum, ens, bonum, ac similia, ideo ab Arist. quibusdam in

poetis vniuersalia, ista; scilicet vnum; ens, bonum, uocantur, ut 3. Met. c. 3. & 4. cum ait, ens, & unum esse maximè vniuersalia. & l. 4. ca. 2. tot ait esse species vnius, quot sunt species entis: quibusdam vero alijs locis, id negare uidetur, ut 4. Meta. c. 2. cum ait, ens, & unum non esse uniuersalia, & eadem in omnibus, & 1. Ethic. c. 6. ait, bonum æque, ac ens, non esse quicquam uniuersale, ac unum, quia in omnibus. Prædicamentis, reperiãtur, sunt enim uniuersalia, analoga, & transcendentia, non uniuersalia uniuoca, quæ sunt uerè Genera, aut Species. Oportet ergo proprie uniuersale sit unum, s. incomplexum, & uniuocum, quod indicauit Arist. cum in eius definitione posuit particulam illam (id, quod.) Deinde in secunda particula cum dicit (prædicatur) intellige, affirmatur de pluribus s. diuisim; ita, ut illa multitudinem habeant in illo nomine, quo pacto, hic Deus, non est terminus uniuersalis, quia licet tribus personis conueniant, non tamen secundum illum recipiunt multitudinem, cum non sint plures Dij. Præterea intellige in prædicatione propria, & directa, qua superius de inferiori, uel Accidens de subiecto prædicatur. Notandum etiam est Aristot. non definisse uniuersale per actum prædicandi, sed per aptitudinem; quia non est necesse, ut actu prædicetur, ut sit uniuersale, sed quod sit aptũ de pluribus prędicari. Vniuersale ergo debet esse incomplexum, uniuocum, prædicatum, directũ de pluribus in illo diuisim multitudinem habentibus. Alteram definitionem uniuersalis attulit Arist. lib. 7. Met. c. 13. quæ est huiusmodi. Vniuersale est, quod aptum est, ut in pluribus insit, quę quidem ab altera in eo differt, ꝙ hæc per causam, illa traditur per effectum. Causa.n. cur aliquid uere possit de multis affirmari, ideo est; quia illud re ipsa est in multis: alioquin non posset uere de illis affirmari, si in eis non esset: nam quia Petrus est homo, & in eo est natura humana, ideo uere homo de Petro affirmatur: & quia albedo est in subiecto, & in re ipsa est album; ideo de illo album dicitur, ab eo etenim, quod res est, uel non est, oratio dicitur uera, uel falsa, ut recte ait idem Arist. Cum autem hæc definitio ab altera definitione solo uerbo, insit, differat; intelligẽdum est uerbum, insit, id est, quod uere rei ipsi conueniat; id autem siue intrinsecè, & secundum essentiã cõueniat, ut esse hoĩem, uel rõnale; siue extrinsecè, & extra essentiã, ut Propria, & Accidẽtia rebus ipsis cõueniunt. Atque ita cum illo effectu prædicationis primæ definitionis reciprocabitur. Nam cum sic insit plurib. de pluribus utique uere prædicabitur & cum verè prædicetur, ue in plur. bus inerit. De hoc autem uniuersali, an sit res aliqua à parte rei existens, an solæ sint uoces, uel conceptus, uel quid aliud, iam uidendum est.

QVAESTIO II.

Vtrum vniuersalia sint res, an sint voces, vel conceptus.

Titulus ipse quæstionis, ex dictis satis est perspicuus, ut nulla alia indigeat explicatione. De isto namque uniuersali in prædicando, quod iam definiuimus, quæritur, num sit in rebus, an in sola tamũ mente, & cogitatione, & quidem initio, hoc primo notandum est, negari non posse, esse aliquas uoces communes, & uniuersales, & esse conceptus quoque formales mentis communes, & uniuersales. Sed quæstio in hoc uersatur, an etiam in rebus ipsis sint uniuersalia, an uero tantum sint uoces, uel conceptus.

Fuerũt igitur in hac re tres Philosophorũ opiniones, duæ extremæ, & una quasi media.

Igitur una fuit sententia Nominalium, quam tradit Ochan suæ Logicæ. c. 14. & aliorum, qui illũ sequuti sunt, Vniuersale in pdicando esse idem cum uniuersali in significando; ita ut non sit aliqua natura cõis, quæ de multis prædicetur; sed solũ esse uocẽ cõem significantem plura, quæ aliquam inter se habẽt similitudinem. Sic etiam Buridanus in principio Prædicabilium, inquit; Vniuersale est terminus communis, cui ex modo suæ significationis non repugnat prædicari de multis uniuocè, & diuisim, & alij pleriq; istius sunt sententiæ, qui ideo Noĩales uocãtur, ꝙ tum hæc, tũ alia multa tribuant nominibus. Prima opin.

Hæc opinio probatur 1. Aristot. 1. de anima. cap. 1. inquit, uniuersale nihil est, aut posterius est, quod idem uidetur esse, ac si diceatur, nihil esse uniuersale, nisi uocem, aut conceptum in repræsentando, uel significando; quod uniuersale posterius est, cum res sint priores uocibus, & conceptibus. Item idem Aristo. in Prædicamentis capit. de substantia, ait, secundas substantias, hoc est uni-

vniuersalia significare quale quid: & hoc rebus non conuenit, sed nominibus.

Præterea: Quicquid est in Mundo, est singulare, vt experientia patet, ergo nullum est vniuersale.

Tertio: Si aliqua esset natura vniuersalis, uel hēret principiū, uel a nullo esset, hoc fieri nō pt, omnia.n. per Deū principiū hēnt, quod si hēt principiū; ergo per aliquam actionem incœpit esse, ergo est singularis, & non uniuersalis: actio enim singularis est. 1. Met. c. 1.

Secūda op. In opposita sn̄ia fuit Plato, ut tradit sæpissime Arist. hic. n. singularis substantiæ species posuit naturas separatas quasdam per se existentes, communes, & uniuersales, quarum participationes res constarent singulares, & has ingenerabiles, & incorruptibiles, posuit, Idæasq; uocauit. Huius placiti Arist. 7. Met. a tex. 17. usque ad 32. inclusiue, recitat duo motiua, & utrumque impugnat. Primo enim Plato motus est ad ponenda ista uniuersalia separata propter scientiam: scientia enim est uniuersaliū, & necessariorum; ergo per similia oportet constituere uniuersalia, quorum sint scientiæ, & definitiones. Secundo propter gñationes, cum multoties uideamus ignem a non igne, & alia a non similibus produci, qđ ostendit esse aliquam causam vniuersalē similem, à qua producuntur per sui cōicationem.

Aliqui Platonem interpretantes, asserunt hoc ei Aristot. imposuisse, inter quos est Aug. li. 83. q. 46. qui dicit Platonē per Idæas intellexisse rationes, & imagines existētes in mente diuinā, quę sunt idem cum sua essentia, per quas omnia produxit; quod idem interpretatur Seneca li. 8. Epi. 66. Deus, inquit, in se rerum exempla habet, quas Plato Idęas vocat. Sed quidquid de hoc sit, quod parum ad præsens conducit negotium, illa sententia sic secundum Aristo. exposita, est falsa, & impossibilis. Quod primo patet. Nulla quidditas est separata ab eo, cuius est quidditas, & natura: sed illa idæa est quidditas singularium; ergo non est ab eis separata. Præterea. Nullus singularis homo potest esse cōmunis omnibus hominibus, nam singulare est, quod de pluribus dici, aut prædicari non potest; sed illa Idæa hominis, sic per se separata ab alijs hominibus, qui intereunt, & corrumpuntur, esset quoddam singulare ab alijs realiter distinctum: ergo illis communis esse non posset. Tertio. Præterea, quod ab altero realiter distinctum est, de illo prædicari, aut dici nō potest; nec esse idē cum altero: immo hoc implicaret contradictionē, esse distinctū realiter ab aliquo, & esse idē realiter cū illo. Sed illa Idæa hominis, si esset separata ab indiuiduis, per se existens, & per se subsistens, esset realiter distincta à quolibet alio homine particulari, & singulari: ergo de illo dici, aut idē ei esse nequiret. Quarto rursus, hæc uera est prædicatio, Petrus est homo: ista, esset falsa, Petrus est illa Idea: igitur homo in cōi nō est illa Idea separata; neq; id significatur p uocē hāc, homo, sed aliud, quid quod uere conuenit Petro, & est in Petro: & quod de uno particulari, & in uno exemplo hominis dicimus de omnibus eadem ratione accipiendum est. Quinto amplius, magis intrinseca sunt unicuique rei, quæ ad eius essentiam attinent, quam eius rei accidentia: sed accidentia rei hærent in ipsamet re. ergo multo magis ipsa natura communis, s. Genera, & Species: quæ sunt rei ipsius essentia. Multis posset hæc sententia redargui, quæ omittantur in locum proprium.

Fuit ergo tertia sententia, quasi media inter utramque, Diui Thomæ, Alberti Magni, Scoti, & Realium omnium, & sine dubio Aristot. Vniuersale in prædicando, non solam esse uocem, uel conceptum, sed naturam communem per uocem immediate, uel conceptum significatam: quia non est tantum realiter à singularibus separata, sicut aiebat Plato, sed in ipsis singularibus, quo autem modo, postea declarabimus. Hæc sententia probatur. Primo. Sunt multæ Propositiones, in quibus prædicatum nec uocibus, nec singularibus potest conuenire: ergo est natura uniuersalis. Antecedens patet: si dicatur, homo est præstantissima species animalium: prima definitio hominis est animal rationale: sonus est obiectū auditus: in his clarum est, prædicata non uoci, sed naturæ cōi per uocem significatæ conuenire. Secundo. Scientia est de rebus, & non singularibus, ergo uniuersalibus. Maior est Arist. 4. Met. c. 1. & minor ipsius 7. Meta. ca. 15. Præterea, ex Arist. 7. Met. c. 13 Item uniuersale est in illis, de quibus prædicari aptum est, sed vox non inest, ergo aliqua natura est in eis communis. Ista sententia est uera, & à probatissimis auctoribus Græcis, Latinis, Arabibus, recepta. Propterea posuis aliquot fundamentis;

Tertia opin.

mentis, aliquibus etiam conclusionibus explicanda erit diligentius. Quarto rursus idem ex Aristot. testimonijs planè conuincitur, vt lib. 1. Perher. cap. 5. Rerum, ait, quasdam esse singulares, quasdam vniuersales: quo nihil apertius dici posse videtur, aduersus Nominales: & primo lib. Poster. cap. 2. ait: vniuersalia esse notiora singularibus: item vniuersale intellectu, singulare sensu cognosci posse. Et cap. 7. nec definitionem, nec demonstrationem esse de singularibus, & vniuersalia esse perpetua, quæ omnia vocibus conuenire non possunt. Ac præterea quoties Arist. disputat contra Platonem, vt lib. 7. Metaph. cap. 13. & plerisque alijs locis, non eum reprehendit, quòd uniuersales res posuerit, sed quasi supponendo, quòd essent res aliquæ, reprehendit, quòd a rebus separata vniuersalia, quas Ideas vocabat, posuerit, & non potius in ipsis rebus.

1. Fūd. Sit igitur primum fundamentum. Quæcunque res Mundi adinuicem conueniunt, & adinuicem differunt, vt patet, si vniuersè considerentur. Petrus, & Paulus vterq; est homo, licet particulariter differāt; similiter, plāta, & animal, vtrūque viuens, intellectus aūt noster quandoque percipit id, in quo multa conueniunt, & sine differentia; & tunc illud, in quo multa conueniunt, nudè consideratū, dicitur vniuersale. Vnde vniuersalia secundū Arist. sunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea conuenientiam, & eam facit intentionem vnam. Plato verò ponebat vniuersalia extra animam existentia.

2. Fūd. Sit secundum fundamentum, quo natura abstractionis, per quam vniuersale fit, manifestatur. Omnis nostra potentia cognoscitiua tam sensitiua, quàm intellectiua limitata est, & finita: ita vt vnum possit percipere, non aliud; verbi gratia, visus videt colorē, non odorem: gustus sentit saporem, sed non sonum, intellectus cognoscit primo communia, non singularia; inuenitur aūt hoc passim in rebus, vt multæ res diuersæ sint, & coniunctæ sint, vt in pomo simul sunt substantia ipsius, color, odor, sapor, quantitas, humiditas, quæ omnia clarum est, esse inter se longe diuersa: ex his duobus fit, vt quando aliquid huiusmodi nostræ potentiæ cognoscitiuæ limitatæ, cognoscendū proponitur, ipsa tantū percipiat, quod suum est cognoscere: omittat autem alia, quæ sua non sunt, verbi gratia, visui proposito pomo, visus ex omnibus his quæ sunt in pomo, non percipit, nisi colorē proprie, non odorem; gustus saporem, sed non colorem. Istæ cognitiones si considerentur ratione eius, quod per illas cognoscimus, dicuntur sensationes, si fuerint sensus; intellectiones, si fuerint intellectus: at si eædem considerentur quatenus suum obiectum percipiunt, vt multa alia, quæ ibi erant maneāt incognita, dicuntur abstractiones; abstractio enim non aliud est, quàm cognitio vnius nō cognitis his, quibus cum coniunctū erat; nec oportet existimare, quòd ibi fiat aliqua separatio realis, non enim mutatur color pomi, per hoc, quòd a pomi qualitatibus alijs cognoscatur seiunctus, sed dicitur abstractio similitudine quadam ad abstractionem, quę in rebus fit; isto modo etiam intellectu abstrahimus, dum vnum, absque alio coniuncto, intelligimus, licet multum sit inter sensum, & intellectum discriminis à nobis modo prætermittendum. Vnum tamen adnotandum est, quòd sensus rem cognoscit vnam absque alijs, non tamen componit affirmando, aut negando, vt visus videt colorem absq; odore pomi, non tamen affirmat, vel iudicat, color non est cum odore; atque ideo qui colorē solum percipit, non decipitur, aut habet falsitatem, quia falsum, & verum in iudicio solo cōponente consistunt: ita intellectus aliquando intelligit rem vnam absq; alia, non tamē cōponit, & diuidit, vt quādo simplici cognitione cognoscit hominē non cognitis eius accidentibus, & ista dicitur abstractio præcisiua: in hac non est deceptio, vt docet Boet. hoc proœmio, & Arist. 2. Phys. c. 2. abstrahentium inquit, non est mendacium, & Auer. 12. Met. com. 39. intellectus, inquit, noster natus est adunata in esse, diuidere in ea, ex quibus cōponuntur, licet non diuidantur in esse. Aliā tamen præter hanc propriā habet intellectus abstractionem, qua composita vnum ab alio diuidit, vt quando iudicat, homo nō est coloratus, & hæc dicitur abstractio negatiua, in qua potest esse verum, & falsum. Nec de ista in præsenti loquimur, sed de simplici, in qua error, & falsum non est, quāuis aliter quàm sint res per talem abstractionem intelligantur, sicut in sensu non est falsum.

Sit tertium fundamentum. Triplex est potentia in nobis, per quam cognoscimus, sensitiua exterior, idest visus, auditus, & 3. Fūd.

reli-

reliqui sensus exteriores. Sensitiua interior, scilicet imaginatiua, per quam absentia imaginamur. Tertia intellectus, quo rerum naturas cognoscimus. Vnaquæque autem harum potentiarum non percipit suum obiectum, nisi prius recepta similitudine illius, quæ vocatur species, hæc autem similitudo non repræsentat aliud, quam q̃ à tali potentia percipi potest, v.g. Species pomi quam visus recipit, repræsentat visui colorem pomi cum figura, & loco, & præsentialitate. At species, quam recipit gustus, repræsentat saporem in corpore illo præsenti, non autem colorem. Vnde potentiæ cognoscunt id, quod per talem speciem repræsentatur & cum in specie repræsentetur vnum, non aliud, dicuntur potentiæ abstrahere, quando illud sit cognoscũt, sed prior abstractio est in specie repræsentante vnum, non autẽ aliud; ista autem species non eodem modo fit, nec eodem modo repræsentat in his potentijs, sed in sensu exteriori producitur ab obiecto exteriori, v.g. in oculo, a re colore affecta, in odoratu, a re odorifera, at in sensu interiori ab ista specie recepta in sensu exteriori producitur alia similis in interiori, quę idem obiectũ repræsentat, & talis species dicitur phantasma, at ex isto phantasmate virtute quadã animæ, quę dicitur intellectus agens, producitur alia species, quę recipitur in intellectu, q̃ vocatur possibilis, & iste per talem speciem intelligit rem in ea repręsentatã. Istę species non eodem modo repręsentãt, propterea nõ est eadem abstractio in sensibus, & in intellectu, in sensu.n. exteriori repræsentat rem ratione alicuius qualitatis, s. coloris, vel saporis, vel odoris, item repræsentat rem cum loco, & figura, & rem præsentẽ, propterea sensus exterior per illam cognoscens, abstrahit ab his, quæ in ea non repræsentantur, cum autem repręsentet rem præsentem, sensus exterior non abstrahit a præsentia rei; at species sensus interioris abstrahit à præsentia, quia non repræsentat rem præsentem, & actu existentem; vnde absentia, & præterita sensu interiori imaginamur, non autem sensu exteriori percipimus; at species intellectus repræsentat rem non repræsentata singularitate cum qua erat, uerbi gratia, phantasma repræsentabat hunc hominem, at species intellectus repræsentat hominem, ut sicut species coloris repræsentat oculo colorem, non saporem, ita species intellectus repræsentat naturam, non autem singularitatem, per quam erat singularis, quia repręsentat naturam, non repræsentando locum, aut figuram, aut colorẽ, quæ repræsentabat phantasma, & cum talis natura in specie repręsentetur, nõ repræsentatis alijs omnibus, ita intelligitur. Et talis abstractio dicitur a singularibus, ex quo fit, vt illa natura fiat uniuersalis, nõ quod in se sit uniuersalis, sed q̃ ab intellectu cognoscatur tanquam uniuersaliter, dum cognoscitur separata a singularibus, & hoc est, quod dicitur, uniuersale fit per abstractionem intellectus, uel per abstractionẽ speciei a phantasmatibus, sicut color dicitur separatus ab odore, non quod ita sit, sed quod uideatur non uiso odore, ita fit natura uniuersalis, non quod sit, sed quod intelligitur, nõ cognitis singularibus, & inde dicitur esse uniuersale per intellectum.

Sit Quartum fundamentum. Vniuersale duo habet in se, materiale, scilicet, & formale, ut enim album pro materiali dicit corpus, at pro formali dicit albedinem, ita uniuersale in materiali significat naturam illam, scilicet hominem, & leonem, in formali uero ordinem ad plura. Ista uero natura in ipsis singularibus est, scilicet homo, in Petro, Ioanne, Cæsare; nec reperitur una omnibus communis, at quando talis natura separata intelligitur, iam est communis, & uniuersalis, & per talem intellectionem, communitatem, & uniuersalitatem acquirit ab extrinseco, propterea fit ab intellectu uniuersale, non quod fiat natura, & materiale uniuersalis, illud enim in rebus est, tamen nunquam acquirit uniuersalitatem quousque talis natura per intellectum abstrahitur, i. intelligitur, non intellectis differentiis singularibus, propter quod Auer. 1. de anima com. 8. intellectus, inquit, facit uniuersalitatem in rebus, nec propterea existimandum est, istam uniuersalitatem esse in rebus ipsis intrinsecam; nam est relatio & proprietas quædam extrinseca, consurgens ex hoc, quod intellectus cognoscit rem, non cognitis singularibus differentijs, quæ proprietas habet solum esse per intellectus considerationem, & propterea dicitur eus rationis, ut inferius dicemus. Quartum fund.

Ex his fundamentis, colligitur prima conclusio, Vniuersalia pro materiali, quod funda-

fundamentum dicitur, sunt in rebus, scilicet naturæ ipsæ factę singulares.

2.Cōc. Secunda conclusio. Tales naturæ dicuntur vniuersales per intellectum considerantem illas non consideratis singularibus.

3. Cōc. Tertia conclusio. Vniuersalitas consurgit rei ab extrinseco, ex tali intellectus abstractione.

4. Cōc. Quarta conclusio. Talis Vniuersalitas est quidam respectus, & relatio, qua natura intellecta abstracta ad plura inferiora refertur, de quibus prædicari potest.

5. Cōc. Vltima conclusio. Tunc res primo dicitur vniuersalis, quando in specie intellectus repręsentatur non repręsentatis singularibus, secundo autem quando cognoscitur non cognitis etiam eisdem singularib. Per hæc patet solutio ad argumenta Nominalium.

Ad primum. Ad primum respon. sensum Aristo. hunc esse: nullam esse naturam communem, & vniuersalem separatam, quod si est, posterius est, idest per intellectum abstrahentem illā a singularibus præexistentibus. Ad aliud testimoniū Aristot. ex lib. Prædic. respondetur, omnia fere quę in Prædicamētis tractat, esse de rebus ipsis, vt cōstat, & in eodē capite disseruit de ipsa substantia reali. Sensus ergo sunt Aristote. secundas substantias, i. nomina secundarum substantiarum significare quale quid, primas vero substantias, idest nomina primarū substantiarū significare hoc aliquid, sed res ipsas esse primas substantias, & in eis esse secundas substantias.

Ad secundū. Ad secundum respondetur, concedendo nihil esse in rebus ipsis secundum se vniuersale separatum, tamen per considerationem fiunt naturæ vniuersales.

Ad tertium. Ad tertium etiā est facilis solutio, actiones enim sunt rerum per se existentium, hæ autem omnes sunt singulares, at vniuersale in reb. nullum per se existit, sed sunt ipsa singularia: solum intellectu vniuersaliter res apprænhenduntur, & horum nulla est generatio, sed vt in singularibus sunt.

Nec argumentum Platonis quicquam valet, nam licet corrumpatur iste, uel ille homo, iste, uel ille equus, semper tamen manet equus, qui idem est in hoc, & in illo. Semper etiam manent propositiones, homo est animal rationale, equus est hinnibilis, quod sufficit ad scientiam. Similiter nec secundum ualet, quia unumquodque producitur à suo simili, uel formali, uel in uirtute, sed de hoc alibi dicendum.

Possunt autem omnes opiniones ex parte quadā conciliari, si dicamus, esse uniuersalia quædā in uoce, uidelicet uoces specificas, & genericas, &c. immo etiā in scripto simili modo; & esse etiā uniuersalia in mente, conceptus, uidelicet, intellectus formales, specificos, & genericos, &c. quæ possunt dici uniuersalia formalia. Esse præterea uniuersalia in rebus, rerū uidelicet ipsarū genera, & species realia, &c. quæ possunt dici uniuersalia obiectiua, q̃a sunt ipsarum cognitionū uniuersalium, obiecta; nam profecto uoces ipsæ, in uoce prædicantur de pluribus, & subijciuntur, & conceptus in mente prædicantur, & subiiciuntur, & res ipsæ per conceptus subijciuntur, & prædicantur. Demum esse quoque separata a rebus alia uniuersalia, s. ideas in Deo ipso, uidelicet, & mente diuina, ut aliqui Plat. interpretantur, atque ita omnia conuenirent ueritati.

QVAESTIO III.

Vtrum vniuersalia sint in rebus distincta, ante intellectus operationem.

HVic quęstioni partim uidetur satisfactū ex præcedenti, quamuis illic solū intendimus præcipue ostendere, uniuersale nō esse realiter separatū a singularibus, hic uero disputatur, constituto iam quod uniuersale non sit realiter extra singularia, sed sola intellectus operatione, quod omnes Peripatetici admittunt, Dubitatur an sit in singularibus aliqua natura, quę secundū se sit uniuersalis, & nō ex operatione intellectus. Pro cuius adhuc maiori explicatione est aduertendū, quod aliqua rei natura, puta hominis, leonis, aut ignis, potest tripliciter considerari. Vno mō, ut in singularibus, & indiuidis est contracta, & determinata singularibus differentijs. Altero modo, ut repræsentatur in specie intelligibili siue ut cognoscitur ab intellectu denudata à talibus differentijs. Tertio modo potest secundum se, & suam substantiam considerari. Quam triplicem considerationem expressit Auice. suæ Logicæ cap. 1. Si primo modo consideretur, non dubium est, quin sit singularis, homo enim

cum

cum differentia singulari est Petrus, aut Ioannes, aut aliud indiuiduum: at si consideretur ut est intellectu cognita, aut repræsentata, nõ dubium, quin sit uniuersalis, & habeat quandam relationem, & ordinem ad multa, quæ relatio dicitur uniuersalis. Natura itaque primo modo dicitur uniuersalis in potentia remota; natura secundo modo est uniuersalis actu separata iam per intellectum ab indiuiduis: at si consideretur tertio modo; est difficultas, an talis natura secundum se si uniuersalis, id est habeat aptitudinem, ut participetur à pluribus, quod uocant aliqui uniuersale obiectiuum, seu in potentia propinqua.

Prima opin. Scotus 7. Metaphysi. q. 18. & 2. sent. d. 3. q. 1. quem sequitur Paulus Venetus quæst. de uniuersalibus, item ante hos Albertus lib. 1. d. tract. vlt. cap. 3. dicit esse hanc opinionem realium qui asserunt, quòd natura rei, si secundum se consideretur, habet aptitudinem quandam, ut ei non repugnet à multis participari: verbi gratia, natura hominis, quæ est in Petro, ut natura hominis, est apta, ut sit in Ioanne, Paulo, & quouis simili: ac proinde est uniuersalis, quãuis non actu, quousque per intellectum separetur à singularibus: unde duas unitates ponunt in rebus ante operationem intellectus: unitatem numericam, quam habet natura per hoc, quòd contrahitur ab indiuiduali differentia: & aliam specificam, seu genericam, secundùm quam natura in se, & sua substantia cõsiderata una est specie, uel genere. Huius sententiæ est primum argumentum.

Obiectum præcedit actum potentiæ, sed uniuersale est obiectum intellectus, ergo præcedit operationem intellectus, ergo uniuersale est, antequàm intellectus operatio fit. Maior patet, color enim prior est uisione, & sonus auditione: Minor uerò est Aristot. 1. Physic. 50. in fi.

Item. Secundo, natura humana secundum se est indifferens ad plura, non magis ut sit Petrus, quàm Ioannes, ergo secundum se est apta ut sit in pluribus.

Præterea tertiò, Seclusa operatione intellectus, istæ omnes propositiones sunt ueræ, Petrus est homo, Ioannes est homo, Cæsar est homo, ergo seclusa operatione intellectus est aliqua una natura in eis communis, quæ de ipsis prædicatur.

Præterea quarto, Natura secundum se sumpta est ens, ergo est una, non numero, quia secundum se non est singularis, ergo specie, ergo illa natura secundum se est communis. Prior consequentia patet, quia ens, & unum se mutuo sequuntur. 4. Met. c. 2.

Secũda opin. Opposita sententia est S. Thomæ in opusculo de ente, & essentia, c. 4. & aliorum, qui eum sequuntur: cuius placitum hoc est.

Natura quælibet secundum se sumpta, nec est una numero, nec specie, nec uniuersalis, aut particularis, sed ei conueniunt sua prædicata essentialia, s. genus, differentia, & propriũ: & accidit ei, quòd sit una numero, quatenus est in hoc, uel illo indiuiduo: similiter accidit, quod sit vniuersalis, quatenus per intellectum consideratur abstractè: v. g. homo secundum se solum habet, quòd sit substãtia uiuens, animal rationale, risibile, & cætera essentialia: vt aũt est in Petro, est unus numero, & particularis, ut per intellectũ solitariè consideratur, est vnus specie, & vniuersalis. Ista videtur expressa sententia Auicen. 5. Meta. c. 5. Equinitas, inquit. i. natura equi secundum se, est tãtum equinitas, nec una, nec plures, nec uniuersalis, nec particularis.

Hæc opinio probatur. Si natura aliqua, puta hominis, secundum se est vniuersalis, ergo nullo pacto posset fieri particularis, sed natura hominis in Petro est particularis, ergo secundum se non est uniuersalis. Consequentia est certa, & minor patet. Maior probatur, quia cui unum oppositum per se competit, alterum oppositum competere nequit: at uniuersale, & singulare opponuntur ergo. Secundo, quod per se competit naturæ, prædicatur de illis, quibus talis natura competit: sed natura hominis per se est uniuersalis, ergo Petrus, qui est homo, erit vniuersalis, quod absurdum est.

Primũ funda. Circa huius quæstionis dissolutionem sit primum fundamentum. Tripliciter aliquid dicitur esse in intellectu; uno modo subiectiuè, s. ea, quæ insunt, ut accidens in suo subiecto: quo pacto scientiæ, & species intelligibiles, & conceptus dicuntur esse in intellectu, quia ei insunt sicut albedo corpori: altero modo aliquid dr̃ esse in intellectu, sicut effectus in causa, nimirum quia intellectus est causa eius: quo pacto dicitur, domus est in mente artificis, quia mens artificis est prima causa domus: sed iste modus est extrinsecus, quia domus facienda

secun-

secũdum suum esse non est in ipso intellectu subiectiuè. Tertio modo aliquid dicitur esse in intellectu obiectiuè, illud. s. quod ab intellectu cognoscitur: quo pacto omnia, quæ intellectus cognoscit, dicuntur esse obiectiuè in intellectu: non quòd ipsi inhereant; sed quòd per ipsius operationem intelligantur: unde res, quæ est extra intellectum, quando cognoscitur, dicitur esse obiectiuè in intellectu. Horum igitur, quæ obiectiuè sunt in intellectu, quædam habent esse in se, licèt non eo modo, quo intelliguntur: vt homo, animal, albedo, habent esse obiectiuè in intellectu, & in se, quamuis non sint separata sicut intelliguntur: quædam non habent aliud esse in se, quam cognosci, & ista dicuntur habere solum esse obiectiuè in intellectu: sicut Chimæra, & ea quæ non sunt, quando à nobis cognoscuntur, horum verò, quæ obiectiuè tantum habent esse in intellectu, quædam sunt obiectiuè directè: nempe ea, quæ per talem intellectus operationem cognoscuntur, ut Chimæra, Antichristus; quædam habent esse obiectiuè indirectè, & consequenter, s. illa quæ non sunt nisi aliqua existente operatione intellectus, licèt non per illam eandem cognoscantur, sed consequuntur ad rem ipsam cognitam obiectiuè existentem in intellectu: vt quando intellectus cognoscit hominem, resultat quædam relatio uniuersalitatis hominis intellecti in communi, quæ non habet esse nisi solum obiectiuè in intellectu, tamen indirectè: quia quando ego hominem considero, non considero tunc eius vniuersalitatem: hoc igitur est discriminis inter naturã rei, & eius uniuersalitatem: quòd natura est in rebus, & etiam obiectiuè in intellectu: at uniuersalitas non est nisi obiectiuè in intellectu. Præterea, natura est obiectiuè directè, vniuersalitas autem indirectè.

Sit secundum fundamentum. Vt aliqua natura sit uniuersalis, duo necessaria sunt: alterum ut sit una; si enim essent multæ naturæ, nihil esset, ꝙ à multis participaretur, quoniam vnum participaret uno, aliud alio: & hoc significat Arist. dum dicit esse vnum ꝓ potentia multa: hoc tamen non sufficit, sed est necessaria aptitudo, ut possit pluribus inesse: quod docuit Arist. 7. Meta. c. 13. dicens. Vniuersale est aptum esse in pluribus: itaq; vnitas cum aptitudine, vocatur unitas specifica, seu generica, seu vnitas uniuersalis, idque sit hoc pacto: cum non reperiatur in rebus natura cum tali unitate, non est ea ratione uniuersale in rebus: natura enim quælibet est singularis, nec fit una communis, nisi quando ab omnibus separatur, & in intellectu repræsentatur, & cognoscitur: tũc enim habet esse quoddam commune: ante intellectus autem operationem, natura ex se una est, sicut quælibet res est una transcendentali unitate tantum; re non est distincta ab unitate indiuidui, nisi interueniente intellectus operatione, per quam consideratur natura non consideratis singularibus, & tunc talis unitas est communis, & natura dicitur uniuersalis, & hæc est opinio S. Thomæ, quæ magis Peripatetica est: nec argumenta Scoti aliquid probant.

Ad primum distinguitur consequens: uniuersale enim est obiectum intellectus possibilis, & intelligentis, & huius operationem præcedit uniuersale: quia, vt diximus, uniuersale statim est, ac repræsentatur in specie intelligibili, quæ prior est ipsa intellectione: si verò argumentum probet, quòd uniuersale est ante intellectus agentis operationem, per quam abstrahitur species, uel genus, falsum est: nam intellectus agens est potentia actiua, & obiectum potentiæ actiuæ non præcedit eius operationem, sed per eam fit: antea verò solum erant res ipsæ indiuiduæ, hic homo, & ille homo, illæ scilicet naturæ factæ singulares, & determinatæ, & contractæ differentis indiuiduantibus, ex quibus intellectus abstrahit species illas intelligibiles repræsentantes uniuersale.

Ad secundum negatur consequentia, natura enim ut sit uniuersalis debet esse apta, ut sit in pluribus: at secundum se nec est apta, nec inepta: sicut homo ex natura sua neque est albus, nec non albus: sed natura, si per intellectum consideretur, est apta una ad plura, in rebus uerò est singularis: & est magna fallacia argumenti in reduplicatiuis argumẽtari à negatiua ad affirmatiuam, ut homo secundum se non est albus, ergo secundum se est non albus.

Ad tertium. Illæ omnes propositiones sunt ueræ, quia natura humana est in omnibus indiuiduis, licèt in unoquoque sit una numero facta: quòd si est unum prædicatum, id fit, quia per intellectum abstrahitur: prædicatio enim non fit, nisi interueniente intellectus opera.

Ad

ad 4. Ad quartum: Est facilius solutio. Natura enim secundum se est vna, sed ista vnitas non est communis, sed per quam unumquodque in seipso consideratum, est unum.

QVAESTIO IIII.

Quomodo respondendum sit quæstionibus a Porphyrio factis.

EX his, quæ in hac quæstione, & praecedenti dicta sunt, possumus quæstiones à Porphyrio positas soluere.

Ad primam.n.dicimus Vniuersalia nõ subsistere per se extra intellectum, nec similiter esse quid ab intellectu fictum, sed sunt naturę existentes in rebus, separatæ tantum a singularibus per intellectũ, & hoc significat Aristoteles cum dicit uniuersalia non esse substantias, idest non subsistere per se.3.Met.tex.20. & lib.7.tex.45 & lib.13.cap.10. subsistunt enim in singularibus quę si fuerint substantię, & Vniuersalia ad substantiam pertinent, ut homo, leo, animal, si accidens, ipsa sunt accidentia, ut albedo, color, quantitas.

Ad secundam quæstionem Respon. corpus aliquando sumi pro trina dimensione, scilicet latitudine, longitudine, & profunditate, incorporeum autem pro eo quod quantitas non est. Altero modo pro substantia indiuidua corporea habente hanc dimensionem, scilicet ligno hoc, uel illo, Petro, Ioãne. Tertio modo pro composito ex materia, & forma. Vniuersalia non sunt corporea, primo, & secundo modo accepta, quia nec sunt quantitates, nec substantiæ indiuiduæ, at vero tertio modo essent quædam corporea, scilicet illa, quæ haberent materiam, ut homo, & animal, & leo, quædam alia essent incorporea, quæ scilicet non habent materiam, ut Angelus & spiritus.

Ad tertium Respon. Vniuersalia ista corporea non esse separata à sensibilibus singularibus, sed solum per intellectus operationem intelligentis naturam, non cognitis singularibus differentijs. Ex dictis intelligimus, quæ soleãt à Philosophis appellari Vniuersalia ante multa, in multis, & post multa: Vniuersalia siquidem ante multa, si quæ essent, illa essent ideæ Platon. in multis, sunt res ipsæ, seu rerum naturæ in ipsis rebus existentes, ut ait Aristot. Vniuersale uero post multa est ipsa vniuersalitatis ratio per intellectum facta, ac de his hactenus.

De primis, & secundis intentionibus.

QVAESTIO I.

Quid sit prima, & secunda intentio.

CVm frequenter in hac materia, & in reliquis mentio fiat primæ, & secundæ intentionis, utile erit, si, quid sint, & in quo inter se differat, semel dixerimus. Intentio igitur in uniuersum, si uim nominis spectemus, nihil aliud est, quàm actus mentis nostræ, quo in aliquid tendit, atque inde dicta intentio, quod in aliud aliquid mens tendat, hinc etiam pro ipsa re, in quam tendit quoque accipitur, atque ita apud Philosophos, tum actus ipse mentis, tum res in quas fertur per illum actum, intentio uocari consueuit, est enim frequens ut nomine actionum vocemus obiectum ipsius, & contra, ex inopia nominum; hinc factum est, ut duplex dicatur intẽtio, scilicet formalis, & obiectiua, formalis est ipse actus, obiectiua est ipsum obiectum.s.res ipsa, in quam fertur talis actus, res inquam obiecta, ut obiecta est.

Iam uero uoluntatis intentio ad Morales Philosophos spectat, quæ est actus uoluntatis, quo finem uolumus, de qua nihil ad Dialecticum. Intellectus uero intentio, quæ ad nostrum attinet institutum, nihil est aliud, quàm conceptus, seu cognitio ipsa intellectus, qua rem sibi obiectam cognoscit, ut quãdo Solem, v.g. percipit, eius obiectum ipse est Sol; ac ita prima intẽtio formalis, ipse actus; secunda intẽtio obiectiua, dicitur ipsum obiectum cognitũ, hæc etiam (quod in idẽ omnino recidit) uocantur, & uocari consueuerunt conceptus formalis, & conceptus obiectiuus.

Sed rursus, ut ante dictum est, in re cognita, quam uocamus intentionem obiectiuam, seu conceptum obiectiuum, resurgit quidam respectus, eatenus, quatenus cognita est, quem uocamus, ens rationis, quod ad ipsam operationem intellectus consequitur, & hic dici potest secunda intentio obiectiua, quando ipsemet per reflexam cognitionem cognoscit, ut uerbi gratia cum de Vniuersali, & modo, quo fit, dicebamus, intellectum cognoscere rem aliquam, non intellectis conditio-

ditionibus indiuiduantibus, ex quo talis natura sic cognita, seu potius per speciem repræsentata, fit Vniuersalis, & resultat ista Vniuersalitas, quæ dicitur ens rationis, similiter resultant alia, scilicet ratio speciei, & generis, ac (ut ita loqui liceat) ipsa genericitas, & varia entia rationis.

Igitur in ipso Vniuersali naturæ ipsæ primo cognitæ, & repræsentatæ, dicuntur primæ intentiones obiectiuæ; illa uero entia rationis, secundæ intentiones obiectiuæ; intellectus autem non solum cognoscit naturas, & primas intentiones, sed postea reflectitur, & considerat ipsam Vniuersalitatem, & secundas intentiones, illa ergo cognitio, qua cognoscit rem, seu primam intẽtionem, dicitur prima intentio formalis, seu conceptus, seu notitia prima formalis, illa autem cognitio, qua entia rationis cognoscit, dicitur secunda intentio formalis. Quadruplex ergo intentio intellectus reperitur, uidelicet prima obiectiua, secunda obiectiua, qui conceptus obiectiui dicuntur, deinde prima formalis, secunda formalis; inter duas priores, & duas posteriores est hoc discrimen, ut diximus, quod priores intentiones sunt res cognitæ, posteriores sunt ipsæ notitiæ, & cognitiones, per quas intelliguntur. Secundo est discrimen, quod intentio formalis est subiectiue in intellectu, quia est operatio ipsius intellectus, & accidẽs reale; at prima, & secunda intentio obiectiua non est subiectiuè, sed obiectiuè in intellectu, licet cum discrimine; nam prima est etiã in rebus, propterea est ens reale; at secunda est obiectiua tantum, & ens rationis. Sicut autem de conceptibus diximus, ita de nominibus, quæ illis respondet, dicendum; esse scilicet nomina primæ intentionis, & nomina secundæ intentionis. Ex his præterea possumus colligere, Vniuersale pro materiali quidem esse primam intentionem, pro formali esse secundam intentionem.

QVAESTIO II.

Vtrum vniuersale, & aliæ secundæ intentiones fiant per notitiam comparatiuam intellectus.

VIdendum est iam, quomodo fiãt secundæ intentiones, tum Vniuersalis, tum aliorum, an per notitiam absolutam, an per notitiam comparatiuam. Igitur notitia ipsa est intellectus operatio, qua rem cognoscimus. Dupliciter autem possumus rem cognoscere, vno modo in se, non cognoscendo illã in ordine ad aliud, ut quando cognosco Hominẽ secundum se, album, animal, & talis cognitio dicitur notitia absoluta. Altero modo possumus rem cognoscere in ordine ad aliud, vt quando cognosco naturam humanã conuenire multis indiuiduis, naturam animalis multis Speciebus, & accidens inesse subiecto, & talis cognitio dicitur notitia comparatiua. Ex his patet sensus quæstionis, cum natura in rebus non sit Vniuersalis actu, nec Species, nec Genus, quousque accedat operatio intellectus abstrahentis.

Quæritur, an res dicatur Vniuersalis, Species, aut Genus, quando notitia absoluta cognoscitur per primam abstractionem duntaxat, an quando cognoscitur notitia comparatiua, scilicet in ordine ad inferiora? Sunt multi, qui asserunt has secundas intentiones non resultare, quousque res cognoscatur notitia comparatiua, uerbi gratia Homo, non dicitur Vniuersale, quousque cognoscatur ab intellectu pluribus conuenire, nec Species, quousque cognoscatur de pluribus numero differentibus prædicari. Sed iudicio meo ista opinio peccat in æquiuocatione, uel est falsa; aliud enim est, Vniuersale esse, Speciem, aut Genus esse, aliud est cognosci; Vniuersale quidem, Species, & Genus, sunt simul atq; intellectus cognoscit naturam, non intellectis inferioribus; quæ inferiora, si fuerint indiuidua immediata, talis natura dicetur Species, si vero inferiora fuerint Species, dicetur Genus; immò prius natura ante cognitionem sunt in specie intelligibili, repræsentante naturam absque inferioribus: at ista non cognoscuntur ab intellectu, esse Vniuersale, genus, aut Speciem, nisi per notitiam comparatiuam, ut explicuimus. Et hoc est argumentum magnum contra illam sententiam, quòd natura non dicitur Vniuersalis, Species, aut Genus, eo quod actu prædicetur de pluribus, sed quod apta sit proximè de pluribus prædicari, unde quando in specie intelligibili repræsentatur; uel actu, & notitia absoluta cognoscitur, est apta proximè de pluribus prędicari, quamuis actu non nisi per notitiam comparatiuam de pluribus prædicetur.

De

DE SVBIECTO HVIVS Libri.

QVAESTIO I.

Vtrum vniuersale sit huius libri subiectum.

POstquam de vniuersalibus, & primis ac secundis intentionibus egimus, nunc videndum est; an vniuersale sit huius libri subiectum. In qua quæstione primum oportet cognoscere discrimen inter vniuersale, & prædicabile. Vniuersale est, quod aptum est esse in multis, vt antea ostensum est, siue quod a multis participari aptum est: illa autem, quæ vniuersalis ratione participant, dicuntur singularia, siue sint prorsus singularia, siue minus vniuersale: hoc enim respectu magis vniuersalis singulare quodammodo dicitur. At Prædicabile dicitur, quod aptum est de pluribus prædicari, & refertur ad subijcibile. Igitur quòd vniuersale non sit subiectum huius libri apparet.

Primo, quia nullam in hoc libello eius Porphyrius fecisse mentionem videtur: cum tamen si esset subiectum, præcipua de illo deberet esse tractatio, & de illo passiones tradi, & demonstrari oporteret.

Secundo, si esset eius subiectum, aliæ scientiæ non tractarent de vniuersalibus, at Aristoteles tum in Topicis egit de genere, Specie, Differentia, Proprio, Accidenti, tum in 7. Metaph. cap. 13. & sequentibus de vniuersalibus disseruit. Immo vero omnes scientiæ de vniuersalibus agunt, vt idem Aristot. sæpe docet, præsertim 1. Poster. c. 7. & 2. de anima c. 5.

Tertio, videtur potius Prædicabile esse subiectum, & non vniuersale: quia hic Porphyrius tractat de indiuiduo, quod ait esse, quod de vno tantum prædicatur, at indiuiduum, vt constat, non est vniuersale; sed singulare: est tamen quoddam prædicabile, scilicet de vno tantum.

Quarto, quia tam genus, quàm Speciem, quàm proprium, quàm reliqua definit Porphyrius per prædicari, non per esse vniuersale, vt constant; ergo potius erit prædicabile genus, & non vniuersale.

Quinto. Omnis scientia demonstrat passionem propriam de suo subiecto; si ergo prædicabile esset proprium animalis, posset de illo demonstrari, quod non videtur.

Pro istius quæstionis dissolutione, sit primum fundamentum. Causa quare aliquid est prædicabile, hoc est, quare prædicari aptū est de multis; quia est in multis, vel aptum est esse in multis, vt antea diximus ex Arist. 7. Meta. c. 13. cum duplicem vniuersalis definitionem attulimus, atque ideo intrinsece, & per se, hoc conuenit vniuersali, scilicet esse in multis: prædicari vero est quid consequens, tanquàm proprium ipsius vniuersalis. Vniuersale itaque est essentia; prædicabile vero vniuersalis est proprium, atque ideo opus fuit, vt de vniuersalibus tractaretur, vt ait Albertus lib. Prædicabilium tract. 2. c. 1. Primū fund.

Respondemus igitur vnica conclusione. Vniuersale est subiectum istius libri Porphyrij. Probatur primo: quia illud est subiectum alicuius tractationis, in qua omnes species illius subiecti tractantur, atqui in hoc libello omnes vniuersalis species tractantur, scilicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens; ergo est subiectum vniuersale.

Secundo: quia omnes subiecti conditiones ei conueniunt: nam eius passio, scilicet prædicabilitatis in omnibus suis inferioribus ostenditur: etiam, nihil tractatur in hoc libro, quod non possit ad vniuersale aliquo modo reuocari, vel tanquam ad partes eius, vel tanquam ad passiones eius, vel tāquam ad essentiam eius, &c. ergo vniuersale est subiectum.

Ad argumenta. Ad primum respondemus, in hoc libello factam esse mentionem vniuersalis, capite de Genere, cum ait, eorum, quæ prædicantur, quædam de vno, quædam de pluribus prædicantur; vbi aperte definitio vniuersalis traditur per eius proprium, scilicet prædicari de pluribus, atque idem postea, cum omnia comparat inter se vniuersalia, agit cap. vltimo, cum ait hoc commune esse omnibus vniuersalibus, vt de pluribus prædicentur. Ad 1.

Ad secundum argumentum dicimus alias scientias agere de rebus ipsis, quæ vniuersales dicuntur. Dialecticæ vero proprium est de vniuersalibus, quatenus vniuersalia sunt, & quatenus prædicabilia, agere: pro formali itaque relatione vniuersalitatis, & prædicabilitatis considerando, aliæ scientiæ pro materiali dumtaxat, res scilicet ipsas, quibus talis ratio conuenit, & qui- Ad 2.

dem res ipsas in se, non ut subsunt tali ratione. Topica quidem de uniuersalibus agit, Genere, differentia, &c. quatenus efficiunt & constituũt quæstionum Dialecticarum diuersa genera, hic uero per se, & in se considerantur uniuersalis; eorum natura, & propria eorum explicantur: in Metaphysicis autem nõ quatenus conferunt ad modum sciendi, seu intelligendi, uel quatenus conferunt ad Prædicamenta, & alias Dialecticæ partes cognoscendas, ut Dialecticus considerat, sed ipsam per essentiam in abstracto, speculando & contemplando, & in hoc a Dialectico in istorum tractatione differt.

Ad 3. Ad tertium. Tractauit Porphyrius de indiuiduo, quatenus erat necessariũ illud cognoscere ad cognitionem ipsorum uniuersaliũ, quæ de pluribus differentibus numero prædicantur, & quia est quodam subijcibile, de quo illa prædicari possunt, & quia est correlatiuum oppositũ uniuersali ipsum singulare.

Ad 4. Ad quartum Porphyrius hoc ipso indicat se de uniuersalibus agere, quod propria passione ipsius uniuersalis utitur in omnium illorum explicatione. Potius autem per prædicationem definit: quia notior erat uniuersalis essentia, & talis occultior, atque ita ad finem, quæ uolebat introductionis, accommodatius. Dici etiam secundo potest, Prædicabile duobus modis accipi: uno modo, pro aptitudine ad prædicandum: & ita esse propriam passionem uniuersalis: altero modo, pro principio intrinseco, unde prouenit illi ipsa aptitudo, & eatenus esse essentiam, & uerã ipsam differentiam essentialem indicare, per quam uniuersale est uniuersale. Cum uero dicimus prædicabile esse proprium uniuersalis, intelligendum est, ut superius in uniuersalis definitione exposuimus, scilicet prædicabile de pluribus uniuoce per se directe, &c. quo pacto indiuiduum non prædicatur, & cętera, quæ tunc exclusimus.

Ad 5. Ad quintum demonstrari potest per illam primam essentialem definitionem uniuersalis hoc modo, omne quod est aptum esse in multis, est prædicabile, sicut aptum prædicari de multis, sed uniuersale est aptum esse in multis: ergo est prædicabile de multis.

QVAESTIO II.

Vtrum uniuersale sit genus ad illa quinque: Genus, Speciem, Differentiam, &c.

POsset hic dubitare quis. An uniuersale sit genus ad quinq; prædicabilia? Albertus Magnus libro Prædicab. tract. 2. c. 9. existimat, esse prædicatum analogum; quia ratio uniuersalis, scilicet esse in pluribus seu de pluribus prædicari, nobilior & perfectior est in uno prædicabili, quàm in alio: nã Genus, & Species, nobiliorem modum prædicandi habent, ut patebit postea, quàm differentia & alia duo: & Differentia quàm Propriũ, & hoc quàm Accidẽs. Similiter nobiliori modo est Genus, & Species in pluribus, quam Propriũ, & Accidens, nam illa sunt substantia eorum quibus in sunt, at hæc sunt extra substantiam. Prima opin.

Secundo item possumus idem sic ostendere. Vniuersale & Prædicabile non conueniunt in una, & eadem ratione, nec ex æquo omnibus illis, sed aliquib. prius, alijs posterius, igitur nõ est uniuocum sed analogum: nam Generi, & Speciei conuenit uniuersale primo, ut prædicatur de pluribus inferioribus sub se, at Differentiæ & Proprio ut prædicatur primo de æquali, s. de ipsa Specie, cuius est Differẽtia uel proprium & de indiuiduis inferioribus, postea mediante Specie. Iam uero Accidens alia ratione, s. extrinsecè & posterius prædicatur. Immo & Genus de indiuiduis, mediante Specie, prædicatur, Species uero infima immediate de indiuiduis. At uero id Analogum est, quod non eadem ratione dicitur, & quod uni primo, alijs conuenit posterius, ergo uniuersale, & prædicabile, est analogum, & ita non erit genus.

Tertio, si esset Genus, sequeretur, quod aliquot Genus sub sua Specie contineretur, nempe uniuersale sub Genere, si quidem omne Genus cõtinetur sub Genere in communi, at hoc uidetur falsum, & impossibile, ut genus sub sua Specie contineatur, ergo uniuersale non erit genus.

Quamuis ista sententia Alberti sit probabilis, mihi magis placet sententia Scoti q. 6. & esse scilicet genus ad illa quinque. Quod pro-

probatur primo, quia ratio uniuersalis in communi uniuoce eis conuenit, scilicet aptū esse in multis, prout abstrahit ab esse mediate, uel immediate: sic etiam ratio prædicabilis in communi, aptum prædicari de multis, prout abstrahit a prædicatione mediate, uel immediate, quæ postea species prædicationis distinguuntur, & prædicabilium, secundum diuersitatem modorum, quibus res insunt in multis de quib. prædicantur, quę sunt, Differentiæ diuidentes Genus uniuersalis, & eius rationem uniuersalem. Præterea cum vnumquodq; prædicabile, per illud definiatur, dū dicimus, Genus est uniuersale, Species est uniuersale, Differētia est uniuersale, & sic reliqua, conuincitur esse Genus, nam aliàs id non liceret, si Genus non esset, & uniuocum: definitio. n. non est per analogum assignanda, ut Aristo. docet sexto Top. cap. secundo.

Ad 1. Ad argumenta respondendum erit. illam rationem Alberti, infirmam esse, non enim illud solum facit analogiam, si quidem id in omnibus Generib. apparet, nam uerbi gratia animal, est Genus, & tamen perfectius est in una Specie, quam in altera, & eodem modo in cæteris.

Ad 2. Ad secundum, dictū est conuenire una, & eadem ratione communi, prout abstrahit ab esse mediate, uel immediate. Deinde dici etiam potest. Differentiam, & Proprium quā uis immediate de Specie prędicentur alterum in quale essentiale, alterum in quale accidentale, tamen hoc ipso esse uniuersalis, quia de uniuersali prędicantur ex æquo, & ita utrumque postea de indiuiduis inferioribus & ita hoc solum discrimen efficere, uarias esse formas, seu species uniuersalis, quia sunt uariæ formæ, & species prædicationis, nam si unus solus esset in omnibus prædicandi modus, una tunc solum esset species uniuersalis, non uero quinque.

Ad 3. Ad tertium, dicimus non contineri uniuersale sub una specie, & sub Genere, essentiali prædicatione, sed accidentali. Est enim hęc accidentalis prædicatio, uniuersale est Genus, sicut hæc, Animal est genus, & (qđ in idē recidit) materialiter continetur, non formaliter. Est autem inconueniens, & impossibile ut idem cōtineatur sub una spetie essentialiter, prædicatione, scilicet essentiali.

Potest etiā dubitari. An uniuersale habeat aliquam propriam passionem, cum sit genus, subiecta enim scientiarum, & partium sciarum habent suas passiones, & proprietates, ut patet 1. Post. c. 23. Resp. passionē uniuersalis, ut dictum est, esse, prædicare, seu prędicari posse de plurib. inferiorib. ut. n. ab homine, ut homo est. procedit hæc proprietas, quod sit risibilis, ita ab uniuersali, ut ad plura ordinem habet, fluit, quòd sit prædicabile & prædicetur.

QVAESTIO II.

Vtrum sint tantum quinque uniuersalis species (seu) quod in idem recidit, quinque tantum Prædicabilia.

De numero iam uniuersalium, seu prædicabilium inquirendum est; nū tantū sint quinque, an uero plura, aut pauciora. At primo, quod sint pauciora, quam quinque, apparet, nam prædicabile, & prædicatum idē uidentur esse, in hoc enim solum differunt, quod unum dicit actum; alterum dicit aptitudinem, seu potentiam ad eiusmodi prædicationis actum, at uero quatuor tantum prædicata ab Arist. traduntur, primo lib. Topic. cap. 3. Proprium uidelicet, Definitio, Genus, & Accidens, de quibus postea sigillatim differit.

Quod uero sint plura, sic ostendi potest. Definitio est quoddam prædicabile, siquidē loco citato inter alia prædicata connumeratur ab Aristotele, quare iam erunt sex, si definitio ad illa quinque addatur.

Secundò. Imò etiam alicui uideri poterit ipsa quoq; diuisio, aliud prædicabile, siquidē de diuiso ipso potest diuisio prædicari, ut animal, aliud est hō, aliud brutum.

Tertio, Genus & species dicunt essentiam rei, sed existentia rei uidetur aliud prædicatum, quod prius adhuc ante essentiam quæri debet, nam prius quærimus, an res sit, deinde quid sit, aut qualis. Hæc itaque est omnium de existentia rei prima quæstio, Aris. inquam sit? erit ergo existentiæ quoddam prædicabile, & quidem omnium primum, ut uidetur.

Quartò. Præterea, indiuiduum uagum ut quidam homo, de pluribus prædicantur sub disiunctione, est enim Petrus uel Ioannes

nes, & cæt. ergo etiam illud vniuersale. Immo de ista voce, hic Homo, seu conceptu respondente, videtur idem dicendum ex de indifferenter posse, isti vel illi homini applicari, & de hoc vel illo dici, & prædicari, vt hic Homo est Ioannes, hic Homo est Petrus, &c. atque ita cætera, quæ dicuntur indiuidua demonstratiua.

Primũ fund. Ad istius quæstionis solutionem, Primũ sit fundamentum, Species vniuersalium nos posse colligere trib. modis. Primò à posterio rib. & notioribus quo ad nos, vt Porphyrius collegit ex diuersitate prædicandi. Vel secundo modo, a priori ex diuersitate existendi in alio, siquidem vniuersale est, quod aptum est esse in multis. Tertio modo ex ipsismet rebus, a parte rei, & his, quæ secundum naturã ipsis reb. conueniunt, si quidem vniuersale fundamentum habet in rebus, & per intellectum perficitur in ratione vniuersalis, & postea sic conceptum, de rebus ipsis prædicatur & ea ipsa quæ sunt in rebus a nobis cognoscuntur, si vere cognoscimus. Sunt etiam aliæ viæ hunc numerum vniuersalium ostendendi, tamen hæ tres videntur præcipuè.

2. fund. Sit secundum fundamentum. Ad hoc vt aliquid sit vniuersale, oportet (vt antea fuit ostensum, cum quæsiuimus, quid esset vniuersale) vniuocum, & simplex, & directa prædicatione de pluribus sub eadem ratione prædicetur.

Prima concl. His positis, sit prima conclusio, quinque tantum esse Prædicabilia, seu vniuersalium species, nempe Genus, Speciem, Differentiã, Proprium, & Accidens, quæ sic ostenditur. Primo modo, Porphyrij ratione, ex quintuplici diuersitate modi prædicandi, videlicet de vno, & de pluribus, in quid, vel in quale, in quid rursus de pluribus numero, vel pluribus differentibus specie, et in quale, vel essentiale, vel accidentale, & demum accidentale, conuersim, seu reciproce, vel non conuersim. Igitur quicquid dicitur, seu de altero prædicatur, aut prædicatur de vno tantum, & hoc est indiuiduum, & singulare, aut de pluribus, & hoc est vniuersale. Rursus si de pluribus, aut in quæstione quid est, aut in quæstione quale est. Si in quid vel de pluribus Specie differentibus, & est Genus, vel de numero tantum differentibus, & est Species. Si in quale, aut essentiale, quod dici solet, quale quid, & est Differentia, aut quale accidentale, scilicet, Accidens accidentaria prædicatione, & tunc aut conuersim, & reciproce prędicatur de specie aliqua, vel Genere, & est proprium, aut non conuersim, & est Accidens.

Secundo modo, idem ostendi potest à priori Philosophice, ex modis existendi in multis, nam quicquid est, aut est id, in quo omnia alia insunt, aut sunt ea, quæ insunt, si id in quo insunt omnia, est indiuiduum, si quæ in alio insunt, vel quæ in vno solo, & hæc sunt indiuidualia accidentia, & conditiones aliæ indiuiduantes, vel insunt in multis, & sunt vniuersalia. Sed omisso indiuiduo, & quæ vt indiuiduo cõueniunt, de eo quod inest in multis, videamus, si est in multis, ergo aut intrinsece inest in essentia eorum, aut extra essentiam extrinsece adiacet, ut in subiecto, & si extrinsece, aut inest vt totum, aut vt pars si vt totum, scilicet tota essentia, est Species, si autem inest, vt pars in toto quæ se habet vt materia, & in potẽtia, & est Genus, aut tanquam forma, & est Differentia, si vero inest extrinsece, & in subiecto, vel vt ab essentia fluens ab intrinsecis ab ea dependens, & est proprium, vel subiecto adueniens ex externis causis extrinsece adiacens, & est Accidens.

Tertio modo ex ipsismet rebus a parte rei. Quicquid est in vnaquaque re siue singulari, siue vniuersali, quicquid de illa cognosci potest, aut sunt eius rei essentia, aut accidentia si essentia, aut tota essentia rei, aut pars essentiæ, si pars essentiæ, aut in qua conuenit cum alijs rebus & est genus, aut in qua differt, & est Differentia. Si tota rei essentia est Species, iam vero si Accidens est aut proprium eius tantum rei, & est proprium Accidens, aut commune cum alijs, & est Accidẽs commune, quod absolute uocamus Accidens communi uocabulo, ac de his superius quoque diximus, cum ostendimus Naturæ ordinem seruasse Porphyrium in istorum uniuersalium tractatione, quare plura hoc loco non erit necesse superaddere.

Nunc ad argumenta. Ad primum dicimus, Aristotelem de his egisse in libro Topicorum, quatenus spectant ad efficienda uaria genera quæstionum Dialecticarum, atque ideo illa quatuor sola retulit, quæ discrimen quæstionum efficiebant, & diuersitatem locorum, ac tractationis, & ob id etiam addendam quæstionem de eodem, & Ad 1.

& diuerso, præter alias quatuor quæstiones, Generis, Definitionis, Proprij, & Accidentis; quod diuersam ab alijs requirere tractationem, & loca uidentur. Speciem ergo ob id ad genus reuocasse uidetur Aristot. eo quod ex ijsdem locis, quibus quæstio Generis tractatur, potest etiam quæstio tractari Speciei. Differentiam uero ad definitionem retulisse uidetur: si quidem ultra Genus addit ipsam Differentiam, uel Differentias. Atque ita omnia conueniunt, & nulla est Aristot. cum Porphyrio repugnantia.

ad 2. Ad alia argumẽta, quòd sint plura, quam quinque. Respondemus ad primum, & secundum. Vniuersalia, & Prædicabilia nos simplicia tantùm quinque asserere: at composita, & complexa Prædicabilia esse posse per multa, & definitionem, & diuisionem, & complexa alia omnia uel accidentalia uel essentialia.

ad 3. Ad tertium dicimus, Existentiam rei, cum quærimus de re aliqua, an sit, non esse prædicatum aliquod præter ipsum uerbum, quod medio uerbo de subiecto dicatur, sed est ipsummet substantiuum uerbum. Vnde in hac quæstione, si recte dispicimus, non tam quæritur aliquod prædicatum, quam ipsummet subiectum quæritur per se, an sit in rerum natura. Postea uero subiecto iam posito existente in rerum natura, de illo, & quærimus, & dicuntur quinque ista Prædicabilia uniuersalia. Et certum est, antequam res sit, nihil ei posse conuenire, & oportere, ut res prius sit, antequam ei aliquid conueniat, aut de ea prędicetur.

ad 4. Ad quartum, Quidam homo, uel hic homo, & alia similia indiuidua uaga, includunt in sua ratione duo: naturam communem, & rationem, seu Differentiam indiuiduantem; quare impossibile est, ut una, & eadem ratione conueniat singulis indiuiduis: atq; ideo uniuersalia nec esse, nec dici possunt, quia nõ prædicantur de multis sub una, & eadem ratione. Deinde hæc indiuidua uaga ex modo significandi sunt complexa, non solum complexione uocis (quia posset facile una uox imponi ad significandum illud ipsum) sed complexione significationis, & conceptus apprehendentis multa singularia per disiunctionem: nam tantum ualet quidam homo, ac si diceres, hic homo, uel iste homo, uel ille homo, &c. Tandem de indiuiduo demonstratiuo, cum dicimus homo, & demonstrando, uerbi gratia Petrum, & hic homo demonstrando, uerbi gratia Ioannem: in mente diuersus omnino conceptus illorum diuersorum respondet, atque adeo non est eadem ratio communis, sed æquiuoca, & diuersa: & ideo non est uniuersale. Ac de his hactenus; nune de singulis uniuersalibus uideamus.

DE GENERE.

Cap. I.

Videtur autem neque Genus, nèque Species simpliciter dici. Genus enim dicitur, & aliquorum quodammodo se habentium ad unum aliquod, & ad se inuicem collectio: secundum quam significationem Romanorum dicitur Genus, ab unius scilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudinis habentium aliquo modo adinuicem eam, quæ ab illo est, cognitionem secundùm diuisionem ab alijs Generibus dictum. Dicitur autem, & aliter rursus Genus, quod est uniuscuiusque generationis principium: uel ab eo qui genuit, uel ab eo loco in quo quis genitus est: Sic enim Orestem quidem dicimus à Tantalo habere Genus, Hylum autem ab Hercule; & rursus, Pindarum quidem Thebanum esse Genere, Platonem uero Atheniensem, etenim patria principium quoddam est uniuscuiusque generationis, quemadmodum, & pater. Hæc autem uidetur promptissima esse significatio. Romani enim dicuntur, qui ex genere descendunt Romuli, & Cecropidæ, qui à Cecrope, & horum proximi. Et prius quidem appellatum est Genus uniuscuiusque generationis principium; de hinc etiam, & multitudo eorum, qui sunt ab uno principio, ut à Romulo: quam diuidentes, & ab alijs separãtes, dicebamus omnem illam collectionem

Romanorum Genus. Aliter autem rursus Genus dicitur, cui supponitur Species: ad horum fortasse similitudinem dicitur. Et enim principium quoddam est huiusmodi Genus earum, quæ sub ipso sunt Specierum: videtur etiam multitudinem continere omnem, quæ sub ipso sunt, Specierum.

Tripliciter igitur cum Genus dicatur, de tertio apud Philosophos sermo est quod etiā describentes assignauerūt, Genus esse, dicentes, quod de pluribus, & differentibus Specie in eo quod quid est prædicatur, vt Animal. Eorum n. quæ prædicantur, alia quidem de vno dicuntur solo, sicut indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc: alia uero de pluribus, quemadmodum Genera, & Species, & Differentia, & Propria, & Accidentia communiter, sed non proprie alicui: est autem Genus quidem, vt animal: Species uero, vt homo. Differentia autem, vt rationale: Proprium, ut risibile: Accidens, ut album, nigrum, sedere. Ab ijs igitur, quæ de uno solo prædicantur, differunt Genera: eo q hæc de pluribus prædicantur. Ab ijs autem rursus quæ de pluribus: à Speciebus quidem, quoniam Species etsi pluribus Prædicātur, non tamen de differentibus Specie, sed numero, homo. n. cum sit Species, de Socrate, & Platone prædicatur: qui non Specie differunt, sed numero: Animal uero cum sit Genus, de homine, & boue, & equo prædicantur, qui differunt à se inuicem specie, non numero solum. A Proprio uerò differt Genus: quoniam Proprium quidem de una sola Specie, cuius est Proprium prædicatur, & de ijs, quæ sub ipsa Specie sunt indiuiduis quemadmodum risibile de homine solo, & de particularibus hominibus: Genus autem non de una Specie prædicatur, sed de pluribus, & differentibus. A Differentia uero, & ab ijs, quę communiter sunt Accidentia, differt Genus: quoniā, & si de pluribus, & differentibus Specie prædicantur Differentiæ, & communiter Accidentia, non tamen in eo quod quid est prædicantur, sed in eo quod quale quid est. Interrogantibus. n. aliquibus, quid est illud, de quo prædicantur hæc: Genus respondebimus, Differentias autem, & Accidentia non respondebimus: non. n. in eo quod quid est prædicātur de subiecto, sed magis in eo quod quale quid est: interroganti enim quale quid est homo; dicimus quod Rationale: & quale quid est Coruus; dicimus quod nigrum: est autem rationale quidem Differentia, nigrum uerò Accidens: quando autem quid est homo interrogatur, animal respondemus, est autem hominis Genus animal. Quare de pluribus prædicari diuidit Genus ab ijs, quæ de uno solo, eorum, quæ sunt indiuidua, prædicantur; hoc uero, de differentibus Specie, separat ab ijs, quæ sicut Species prædicantur, uel sicut Propria: in eo autem quod quid est prædicari, diuidit à differentijs, & communiter Accidentibus, quæ non in eo quod quid est, sed in eo quod quale quid est, uel quo modo se habet unumquodque, prædicātur de ijs, de quibus prædicantur. Nil igitur superfluum, neque minus continet Generis dicta descriptio.

Quæstiones cur prius de Genere, quàm de specie, aut alijs agitur.

AGgreditur modo Porphyrius de singulis uniuersalibus in particulari tractationem: quam quinque sequentibus Capitibus absoluit. Postea ultimo capite ea inter se comparat, & quam admittant habitudinem.

ordinem habeant, ostendit. Incipit igitur ab ipso Genere: in quo merito quis dubitare posset, qua ratione id factum fuerit: Boetius huius duas assignat causas: prior est, Genus enim est uniuersalius, cum comprehendat sub se multas Species. Vniuersalia autem nobis sunt notiora 1. Physic. capit. 1. propterea ab eis est incipiendum: cuius rationem dat Aristot. 1. de partibus. capit. 1. Si enim uniuersalia primo nõ traderentur, cum illa sint in particularibus, oporteret in particularium tractatione sæpe idem repetere. Posterior ratio, quæ est etiam Ammonij, Genus est generatione prius, quam Species, cuius signum est, si Genus auferatur, auferuntur Species; sed non oblata una, aut altera Specie, Genus auferatur: quod docet Aristot. 2. de generat. animal. cap. 3. dum dicit, uitam plantæ priorem esse, deinde uitam sensitiuam, tandem rationalem. Ex utraque autem ratione colligitur Porphyrium seruasse & Naturæ, & Doctrinæ ordinem, seu cognitionis: Naturæ, dum a prioribus cognitionis, dum ab uniuersalioribus incœpit. Hæc tamen utraque ratio declaratione indiget: Genus enim & Species dupliciter considerari possunt: uno modo secundum naturam & substratum: altero modo formaliter secundum rationem, & relationem Generis, & Speciei. Si primo modo considerentur, & Genus, scilicet natura ipsa est prior, & communior Specie: at si secundum relationem, tunc simul tempore, & natura sunt: non est prius Genus quàm sit Species, sicut non prius, formaliter Pater, quàm sit Filius, relatiua enim simul natura sunt, ut docet Aristot. in Prædicamento. Ad aliquid.

Sed si sic est, poteris merito quis obijcere, cum hic considerentur ista secundum formam, uidentur ergo istæ rationes non sufficientes. Ad quod dicendum, rationes esse nihilominus bonas, & probabiles, quia cum natura ipsius Generis sit prior, & communior, æquum fuit, ut eius intentio prius consideretur. Possumus autem tertiam rationem addere etiam secundum intentiones ipsas, cum enim ista introductio sit ad Prædicamenta Aristotel. fuit congruum, ut illud primo explicaretur, quod illic primo occurrit. illic autem primo occurrit Genus, cum statim ens in decem diuidatur: & in Prædicamento quoque substantiæ, quod ante accidentia est, primũ sit ipsum Genus generalissimum: hæc autem ratio est uniuersalis probans ordinem omnium Prędicabilium; substantia enim est primum Prædicamentum, in quo, nec propria, nec accidentia sunt, & in eo primum locum habent Genera, & Species: illæ autem rationes solum ordinem inter Genus & Species probant.

Videtur autem neque Genus, neque Species dici simpliciter.

Hoc caput in duas potest partes secari. In primi, aliquot modos acceptionis nominis huius narrat: in posteriori Genus ipsum Logicum, de quo præsens inquisitio est, definit, ipsamque definitionem manifestat.

Tripliciter ergo Genus sumitur. Primo, Genus dicitur congregatio multorum habentium inter se aliquam affectionem, uel habitudinem, & hæc habitudo, & affectio, adinuicem ad unum aliquid est, sicut dicitur Genus Heraclidarum, congregatio multorum, qui inter se ordinem habent aliquo modo, scilicet, quia affines, uel cognati sunt: & hoc respectu unius, scilicet Herculis, a quo descendunt: & propterea, dicuntur Genus Heraclidarum, & sumunt nomen ab uno illo, ut distinguantur ab alijs Generibus. Hoc exemplum sumpsit Porphyrius ab Aristotele 10. Metaph. 11. Boet. quia Romanus erat trãstulit Genus Romanorum, qui ab uno Romulo descendunt. Secundo sumitur pro ipso principio, a quo talis collectio emanauit, qd duplex esse potest, aut Pater, aut patria: nam & ipsa patria, quodam principium est: non enim solum locus naturalis est corporum cõtentiuus, sed eorum aliquo modo productiuus, & conseruatiuus: cum influxum habeat erga corpora: cuius argumento, est diuersa temperies horum & illorum corporum, & varietas eorum quæ diuersis locis producuntur. Sic inquit Virgilius:

Hic segetes, illic ueniunt fœlicius uuæ.
Arborei fœtus alibi, atque iniussa uirescunt.
Gramina: nonne uides, croceos ut Tmolus odores
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.
Et Chalibes nudi ferrum?

Hic posset esse dubium. An ipse pater, vel patria sint ulterius Genus. Auerroes uidetur id affirmare; at credendum cum Caietano non dici Genus patrem ipsum, aut patriam, sed ipsum principium, & originem, quæ ab eis ducitur. Dubiũ.

Statim Porphyrius comparat has duas acceptiones: dicit itaque, posterior est promptissima, id est se primo offert, est enim prior: quod probat: prius enim illud principium, quod Genus dicitur, fuit, atque ab eo appellatio facta est, scilicet Genus Romanorum, Heraclidarum. Vnde potest duplex ratio fieri, propter quam ista significatio est magis in promptu: Primo, quia ab eo, quod est Genus primo modo, sumitur denominatio, dicitur enim ab Hercule Heraclidarum genus: Secũdo, quia ista fuit prior; prius enim fuit illud principiũ, quam collectio eorum qui ab eo fluxerunt: Tertio sumitur Genus pro eo, cui supponitur Species, id est pro eo, quod de Speciebus prædicatur, & hoc est Genus Logicum, cuius est tractatio præsens.

Huius Generis Porphyrius similitudinẽ assignat cum alijs Generibus: cum posteriori secundo modo accepto: sicut enim Genus secũdo modo est principium eorum, quę ab eo originem trahunt, ita genus hoc est suarum specierum principium: similiter est simile generi primo modo accepto, ut enim hoc est multorum collectio, ita & Genus Logicum est multarum specierum aggregatio, id est sub se multas continet Species.

Dubia aliquot scitu digniora in priorem hanc partem capitis de Genere.

Circa hanc capitis partem aliquod sunt aduertenda. Primo, Porphyrium has Generis acceptiones ex Aristot. fere desumpsisse. nam Arist. 5. Metaph. c. 28. refert quatuor Generis acceptiones. Primo, Genus dicitur continua aliquorum generatio, quòd idem est cum collectione multorum habentium habitudinem secundum generationẽ: vbi intelliges istam habitudinem, quam dicit Porphyrius esse inter illas, quorum collectio dicitur Genus, debere esse secundum generationem & ea quæ ad generationem attinent; ut quod sint cognati, uel consanguinei, uel filij, uel aliud simile. Quod adnotauit Albertus explicans Porphyrium contra Auicennam. Secundo dicitur, Genus principium, à quo talis generatio est, quod est pater, uel patria, & aliquando etiam dicitur mater. Tertio Genus est subiectum, ex quo res fiunt, uel in quo: quomodo dicitur Genus figurarum specialium esse aliud à Genere solidarum: & in naturalibus materia dicitur Genus: quo pacto cœli & elementa dicuntur esse Genere diuersa: iuxta eorum sententiam, qui asserunt esse ex diuersa materia: & tale Genus dicitur Physicum. Quarto genus est, quod prædicatur, scilicet istud, quod hic proponitur tertio loco a Porphyrio.

Poterit autem quis dubitare, Quare prætermisit Porphyrius Genus tertio loco positum ab Aristotele. Dicitur, quòd istud habet similitudinem quandam cum Logico. ut. n. Logicũ est, ex quo fiunt Species ita & illud: Logicum enim est, uelut materia Specierum; uel forsan, quia parabat facilem introductionem, & esset obscurum explicare, quid esset illud subiectum, quod genus appellatur. Dubiũ.

Circa uerba ipsius Porphyrij, Nota illud verbum (videtur) aliquandò enim pro eo, quod apparet, & non est, sumitur, ut patet apud Aristot. 1. Elencho. cap. 1. & 2. Sunt syllogismi, inquit, qui uidentur, & non sunt: at hic non sic usus patet: sed pro eo, quod est, & patet, ac est manifestum. Nota uerbum (simpliciter) nam uno modo idem est, quod vniuersaliter; ut habetur 1. Metaph. text. 48. & 1. Elench. cap. 6. Secundò modo idem est, quod uniuocè, vt habetur 1. Metaph. tex. 47. Tertio modo accipitur pro eo, quod est sine addito diminuente 1. Elench. cap. 5. quo pacto dicitur, Aethiops non est simpliciter albus. Vltimo modo pro eo, quod est solum, ut Brutum est simpliciter sensitiuum: qua significatione utitur Porphyrius c. de Differentia: hic sumitur modo secundo; ac si dicat, Genus non dicitur uniuocè.

Nota præterea, dicit (videtur autem) hic uelut excusat se ab eo quod proposuit, scilicet docere, quid sit horum quodque ac propterea incepturus erat a definitione: sed id prohibet eius æquiuocatio, æquiuoca enim prius diuidenda. Nota præterea non explicasse nisi Genus, & Speciem; quia ista sunt relata, ut docet Ammonius: uel ut vult Boetius, omnia alia subintelligi, quæ etiam sunt æquiuoca: quæ quia iam erant enarrata, prolixitatis uitandæ gratia prætermisit.

Nota ultimo, secundum Albertum discriminanter Genus tertio modo, & alia Genera: Genus enim secundo modo, non est in tota collectione eorum, quæ ab eo procedunt: non enim est Romulus in singulis Romanis;

tis: at tota natura Generis est in singulis Speciebus: Homo enim est substantia animata, sensibilis, patitur & Leo, & aliæ Species. Præterea Genus primo modo continet multa, sed quasi partes integrantes; de quibus prædicari nequit: non enim singuli Romani sunt Genus; at Genus hoc, de singulis Speciebus per se prædicari valet.

Tripliciter igitur cum Genus dicatur, de tertio apud Philosophos sermo est.

Hæc est posterior cap. pars, qua Porphyrius definit Genus tertio modo: eius enim usus ad Dialecticos & Philosophos pertinet. Definitio est ista: Genus est id, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie, in eo quod quid est: quæ definitio ad literam desumpta est ex Aristot. 1. Topic. cap. 4. pro cuius explicatione Porphyrius tres distinctiones insinuat eorum, quæ prædicantur: quædam namque de uno prædicantur, ut Socrates, Plato: quædam de pluribus, ut Homo. Secunda; eorum quæ de pluribus prædicantur, quædam de pluribus differentibus numero; quædam de differentibus Specie prædicantur. Tertia, eorum, quæ de pluribus differentibus Specie prædicantur, quædam prædicantur in eo, quod quale; quædam in eo, quod quid. Illud est prædicari in quid, esse tale prædicatum, ut ad quæstionem factam per quid de re, scilicet de natura rei, possit per illud responderi: ut quid est homo? congruè respondebis, si dicas animal: animal igitur prædicatur in quid de homine. Illud autem est prædicatum in quale, esse tale prædicatum, ut possit per illud responderi ad quæstionē factā de qualitate rei, ut, qualis est homo? dices, doctus, aut albus, ista prædicantur in quale. Hac diuisione Porphyrius colligit definitionē Generis sufficientem esse, cum ipsum separaret ab omnibus alijs Prædicabilibus. Ex hoc enim quod Genus de Pluribus prædicatur, ab indiuiduo distinguitur: quod quidem prædicatur, sed de uno solo. Per hoc quod Genus prædicatur de differentibus Specie, a Specie distinguitur, & a Proprio; Species enim de pluribus indiuiduis, Proprium autem de unica Specie, cuius est propriū, de indiuiduis illius Speciei quoque prædicatur: per hoc autem quod in eo, quod quid, a Differentia & Accidenti distinguitur. Hæc enim in eo, quod quale, de pluribus prædicantur, ut si dicas, qualis est homo? respondebitur, est rationalis, uel Albus. Patet igitur definitionē neq; esse superfluam, nec diminutam iuxta præcepta Arist. 6. Top. c. 1. & 2.

Hic notat Ammonius, quod definitio superflua diminuit definitum, id est coarctat, ut iuxta illam definitionem paucioribus conueniat, quàm conueniet; ut qui dicit, homo est animal rationale, album; facit, ut non sint homines nisi albi; definitio uero diminuta, definitum dilatat, ut qui dicit, homo est animal mortale, facit, ut equus sit homo, qui est animal mortale; hoc fit, quando definitio est superflua per additionem illius quod nō est de natura rei, aut ipsius naturæ Proprium.

De definitione Generis quæstiones quatuor.

Circa definitionem Generis positam, uidenda sunt quatuor, deinde de indiuiduo, cuius tum in hoc capite, tū in sequentibus frequenter fit mentio agendum quoque, igitur quæremus. Primo quid sit definitū in hac Generis definitione. Secūdo quæ sit ista definitio, an quidditatiua, an sit descriptiua? Tertio quid loco Generis in hac definitione ponatur. Quarto recte ne sit posita, ubi uidebimus, quo modo singulæ partes sūt intelligēdæ. Vltimo de indiuiduo, an indiuiduū prædicetur.

QVÆSTIO I.

Pro declaratione primi dubij, aduertere oportet ista nomina secundæ intentionis, scilicet Genus, Speciem, Differentiam, & reliqua esse connotatiua, & ita duo includere in sua significatione, uidelicet materiale, & formale, ut antea sæpe dictum fuit. Significat enim pro materiali, seu pro substracto, quod idem est naturam & rem aliquam: pro formali uero secundum intentionem obiectiuam: sicut album pro materiali significat corpus, pro formali, albedinem. Est igitur dicendum, quando definitur Genus, an definiatur intentio ipsa, an materiale substratum, an simul materiale substratum cum intentione. Est autem rursus aduertendū aliud esse in connotatiuis, id quod definitur, aliud rationem, secundum quam definitur, uerbi gratia, quando dicimus album est uisiua dis-

[illegible] quod definitur est subiectum, ut formæ substat: at ipsa ratio secundum quā est definitio, est forma. Præterea aliud est, cui conuenit definitio, aliud ratio per quam conuenit: ut id quod disgregat, est corpus albū: ratio disgregandi est albedo, definitio enim de subiecto uerificabitur. Quod Caietanus alijs uerbis explicuit, dicens, quod definitio cōpetit subiecto denominatiuè; formæ quidditatiuè. Hoc supposito, perspicuis quibusdā conclusionibus respondemus, quæ per sese [illegible] manifestæ sunt, iam dictis & ex constanti.

Prima Concl. Sit prima conclusio. Natura & substratum Generis est, id, quod definitur, ut intentioni substat.

2. Cōcl. Secunda conclusio. Ratio, secūdum quam definitur, est secunda intentio.

3. Cōcl. Tertia. Definitio competit naturæ substratæ: Animal enim est, quod prædicatur & corpus, & aliæ naturæ, quæ Genera sunt, sed nō prædicantur, nisi quia Genera, & ut secundæ intentioni substant: non tamen intentio prædicatur, hoc idem dicimus de alijs definitionibus Prædicabilium.

QVAESTIO II.

Circa secundum sunt tres opiniones; Scotus, vniuersalium quæst. 5. existimat, hanc definitionem esse quidditatiuam, cuius Genus est Prædicabile. Alij existimant esse descriptiuam, & dari per Genus quod est Vniuersale, & propriam passionem, quæ est prædicari. At Ammonius credit hanc definitionem esse descriptionem, neq; per Genus propriū assignari, neq; posse assignari. Ratio Ammonij est duplex, prior est. Genus hic definitū cōprehendit decē Genera suprema; nam singula sunt Genus: at nihil potest esse Genus generis supremi: ergo Genus non potest definiri per Genus. Posterior, Genus hoc comprehendit genera Substantiæ, & Accidentis, sed Substantiæ & Accidenti nihil est commune Vniuocum; ergo non potest assignari ipsi Generi.

Hæc ratio Ammonij fundatur in hoc: cum hic definiatur natura Generis, ut substat intentioni, si definiri debet quidditatiuè, erat dandum Genus, non solum ex parte intentionis, sed ex parte materialis, quod esse non potest: quia materiale est Substantia, vel Accidens, quæ non possunt habere Genus commune, sed accidit aliquid, & illius propriam, quæ est prædicari: propterea dicit esse descriptionem; & est sententia Alberti, tract. 2. c. 9. uniuersale enim ex parte solius intentionis, Genus quidem est, non tamen ex parte materialis.

Sed hæc sententia Ammonij, & eius rationes non placent: nam in concretis accidentalibus, definitio & essentia attendenda est secundum formam, quæ potest esse unius rationis, etiam si materialia non sint eiusdē rationis: & certum est, rationem uniuersalis eandem esse, siue materiale sit Accidens, siue Substantia, sicut in definitionibus etiam substantijs: potest ergo esse Genus proprium, atque ideo dicendum est, definitionem esse potuisse quidditatiuam, quantum est ex parte Generis, si deinde addita fuisset essentialis Differentia, ut si diceretur, Genus est uniuersale, quod inest multis Specie differentibus; sed tñ cum per Prædicabile, tanquam per notius nobis definierit Porphyrius, puto, descriptionem hanc esse, ut dicit secunda opinio, & idō Porphyrius, quia non per Differentiam, sed per passionem, id est prædicationem [illegible]

Et ad primam rationem Ammonij dicendum. Esse posse aliquod Accidens Genus unius [illegible] specificum, quod conueniat supremo Generi, & alijs Generibus, scilicet rationem ipsam Generis. Ratio uero posterior Ammonij non ualet: nam diuersis prædicamentis nihil potest esse uniuocum quidditatiuè, potest tamen aliquid esse accidentaliter, quales sunt hæ intentiones: sicut enim relatio uniuoce conuenit multis diuersis prædicamentorum fundamentis; quamuis secundum Porphyrium non ponatur uniuersale; ut Genus, ut in sequenti dubio dicetur.

QVAESTIO III.

Sed tunc dubitabis circa tertium, quid fiat, cum constituatur loco Generis, secundum Porphyrium? Breuiter respondebis, non Vniuersale loco Generis, sed Prædicabile constitui. Huius est ratio conueniens, Differentia in definitione ponitur, ad excludendum ea, quæ sub eodem Genere conueniunt: [illegible] gratia rationale ponitur in definitione hominis: ut separet illa animalia, quæ non sunt rationalia; ubi autem ponitur [illegible]

sta Genus: sed Porphyrius excludit individuum à ratione Generis, per illam differentiam prædicari de pluribus: ergo Genus non est universale, quia individuum non convenit cum universali, com... prædicabile: nam individuum est prædicabile, sed de uno: Genus autem de pluribus prædicabile, ergo erit incongruens.

QVÆSTIO IIII.

Qualis sit quarta, An scilicet rectè supposita sit Generis definitio: obijcitur contra definitionem ipsius Generis. Primo contra ultimam particulam, ibi qua à differentia distinguitur: Differentia prædicatur in quid, ergo non differt in hoc à genere. Probatur antecedens ex Arist. 4. Topic. & 7. Topic. 3. & 6. Topic. ... non in hoc differt à Genere dicere, sed quòd Genus de pluribus specie differentibus prædicetur.

Secundo: Accidens non est de substantia rei, nec pars substantiæ rei, ergo non prædicatur in quale quid, ut dicit Porphyrius.

Tertio: Multa sunt propria quæ de pluribus Speciebus prædicantur, ergo non differt in hoc à genere, quòd solum de una specie proprium prædicetur. Antecedens probatur mobile, æquale, simile: sunt passiones propriæ, quæ tamen de pluribus corporibus specie differentibus prædicantur.

Quarto. Differentia non prædicatur de pluribus Speciebus, ergo non convenit in hoc cum Genere: patet antecedens: rationale enim est Differentia, quæ tamen uni speciei est propria.

Quinto. Genus prædicatur de pluribus differentibus numero, ut ... de Petro, & Ioanne prædicatur, ergo à specie non differt.

Pro horum argumentorum solutione est primo notandum duo esse necessaria, ut aliqua differant specie: alterum est, ut habeant distinctas definitiones: quapropter Petrus, & Paulus, & individua unius Speciei Specie non differunt: alterum est, quòd sub eodem sint genere, quod docet Arist. 10. Metaphy. ... differre ergo specie est sub eodem genere distinctas habere definitiones.

Possumus autem tres modos differendi Specie desumere, ex Arist. 5. Metaph. c. 10.

Primo illa differunt Specie, quæ sub eodem genere distinctas habent definitiones, & ipsa in alias species inferiores dividi nequeunt, quo pacto differunt species ultimæ, Homo, Leo; & ista dicuntur differre Specie ultima; quia habent propria Differentia specifica.

Secundo, illa differunt Specie, quæ sub eodem Genere ex æquo continentur, & rursus dividi possunt in alias Species sub se: sicut corpus animatum, & corpus inanimatum, & ista dicuntur differre specie subalterna, seu Genere intermedio. Dicuntur autem ex æquo contineri sub Genere, quæ per æquales Differentias illius Generis componuntur: sicut corpus animatum, & corpus inanimatum: corpus enim quod illorum Genus, æqualiter per animatum, & inanimatum dividitur.

Tertio, illa differunt Specie, quæ sub eodem sunt Genere, tamen non æqualiter, cum videlicet unum est communius, alterum minus commune: quia pluribus intermedijs Differentijs, ab illo Genere, in quo conveniunt, distant licet non unum sit superius ad alterum: quo pacto, homo, & planta Specie differunt: clarum est enim quòd planta communior est quam homo, sed non ad hominem, quia homo planta non est. Si enim esset superior illo, esset Genus: at Genus, & Species sub ipso, non dicuntur differre Specie, ut ait Aristo. 10. Metaph. c. 1. Genus igitur est, quod de pluribus Specie differentibus prædicatur, utcunque Specie differant, sive primo, sive secundo, aut tertio modo.

Est secundo notandum, Duo esse necessaria, ut aliquod prædicatum prædicetur in quid: unum quòd sit de natura, vel pars naturæ rei; nec hoc sufficit; nam Differentia est pars naturæ rei, tamen non prædicatur in quid: sed est necessarium alterum, scilicet quòd prædicetur per modum naturæ, scilicet quòd nõ sit connotativum, quando subiectum fuerit absolutum; tunc enim significat per modum Accidentis: sed vel utrunque absolutum, vel utrumque connotativum. Genus ergo respectu Speciei habet utrumque, & est de natura Speciei, & prædicatur per modum naturæ, & substantiæ, propterea prædicatur in quid. At differentia habet unum, scilicet est de natura rei, non tamen habet modum prædicandi: propterea non prædicatur in quid, sed dicitur in quale quid: quid, quia est de substantia rei: quale, quia est ad modum Accidentis, & Accidens neutrum habet, propte-

tractim simpliciter in quale prædicatur: unde fit, ut constituatur prædicatio in quid, & in quale quid, & in quale.

ad 1. His suppositis, Respon. ad primum. Differentia prędicatur in quid, secundum rem, sed non secũdum modum, sicut Genus, quod absolutè in quid prædicatur. Nec Aristot. dicit oppositum, sed asserit prædicari in quid, sed differt à Genere, quia se habet ut qualitas, in quo manifestat prædicari in quale quid.

ad 2. Ad secundum Respon. Quando dicitur, quale quid est coruus? illud quid, non petit naturam, sed idem est, ac si dicatur, quale ens est coruus?

ad 3. Ad tertium Resp. admittendo aliquod proprium de pluribus Speciebus prædicari, sed id non habetur ut proprium, & Porphyrius hoc intendit, quòd prædicatio, quæ necessario, & semper constituit Genus, sit de pluribus Speciebus prædicari; at prædicatio necessaria propriè est de una Specie; reliquum est per accidens, & secundario, quia illa sua Species, de qua prædicabatur, erat subalterna. Dici etiam potest, concedendo illationem: aliqua inquam propria esse generica, quæ de Genere immediatè prædicantur; aliqua esse Propria specifica, quæ de specie ultima prædicantur: differre autem à Genere, & Specie, quia non in quid, sed in quale prædicantur.

ad 4. Idem Resp. ad quartum de prædicatione de indiuiduis; hæc enim prædicatio est primò, & immediatè, & speciei, non autem Generis, nisi secundario, & mediatè.

ad 5. Ad quintum Respon. Porphyrium existimasse, nullam esse particularem, & propriam Speciei Differentiam, sed omnes esse communes, & rationale non solum homini, sed Angelis conuenire. Sed de hoc latius dicemus capite de Differentia.

DE INDIVIDVO.

QVÆSTIO I.

Vtrum indiuiduum prædicetur.

Prima opin. Circa ultimam difficultatem, an scilicet indiuiduum prædicetur, sunt tres opiniones. Prima est S. Thom. 7. Metaph. cap. 3. qui loquens de indiuiduo substantiæ, inquit, posse dupliciter prædicari: uno modo de alio, ut homo est Petrus, animal est Cæsar, & talis est prædicatio per accidens, & indirecta: altero modo potest de se prædicari, scilicet Petrus est Petrus, & talis est prædicatio per se, & hoc uidetur asserere quoque Boet. Nihil inquit, uerius, quam idem de se ipso prædicari. Immo uidetur Arist. sententia 2. Perihermen. cap. ultimo. Bonum inquit, per se est bonum: ubi approbat prædicationem identicam, qua idem de se ipso prædicatur, & 5. Meta. cap. 18. homo per se est homo. Eiusdẽ sententiæ est Porphyrius, qui indiuiduum de uno prædicari affirmat, scilicet de seipso.

2. opin. Secunda opinio est Auerr. c. de Specie, qui interpretans Porphyrii definitionem, illam, Indiuiduum de uno prædicatur, dicit, duplex esse indiuiduum: substantiæ, ut Petrus: accidẽtis, ut hoc album, indiuiduum accidentis de uno prædicatur, at substantiæ indiuiduum de nullo: & propterea non bene Porphyrius definiuit, qua soli indiuiduo Accidentis illa definitio competit. Melius Arist. dixit 1. Perihermen. c. 5. Singulare est, quod non de multis prædicatur. Ista sententia uidetur Arist. ca. de substantia, & 7. Meta. c. 1. Prima substantia, inquit, idest indiuiduum substantiæ, de nullo prædicatur: non enim Auer. uult prædicationem esse eiusdem de se ipso. 1. Priorum, in digressione quid quarta figura, quæ est Galeni, inquit, Si daretur quarta figura, idem de se ipso prædicaretur, quod est in fine abominationis, & 10. Meta. com. 8. & 4. Meta. com. 3. dicit illam esse nugatoriam, neque habere subiectum, neque prædicatum.

3. opin. Tertia opinio est Caiet. c. de Specie: ubi distinguit duplicem prædicationem, naturalem, & artificialem. Naturalis est, quæ est uera, tamen non est apta ad disputationem aliquam, & talis est illa, in qua idem de se ipso prædicatur: alia est artificialis sicut sunt reliquæ, quarum usus artis scientiæ, deseruit, & per hanc distinctionem conciliat opiniones.

Pro huius determinatione est aduertendum, aliud esse necessarium ad ueritatem prędicationis, aliud ad proprietatem. Vnde aliud est prædicatio uera, aliud propria: ad ueritatem sufficit, quòd ita sit in re, sicut ipsa significat; ad proprietatem est necessarium quod prædicatum sit forma, & subiectum materia, quod esse non potest in prædicatione eiusdem de se ipso.

Iuxta hoc sit prima conclusio. Prædicatio, qua indiuiduum substantiæ de alio prædicatur,

tur, ut iste veniens est Petrus, est per accidens: ista est Arist. 1 Priorum. c. 28.

2. concl. Secunda conclusio. Prædicatio, qua de se ipso aliquid prædicatur, est uera, sed impropria propter rationem prædictam. Hæc est Arist. tract. 3. c. 4. & Auerrois: nec oppositum voluit Boetius: dixit enim, nihil uerius, non autem dixit, nihil proprius: immo nec sanctus Thomas qui dixit, illa esse per se eo modo, quo etiam uocat Arist. per se, id est, non per aliam causam; si enim dicas, quare homo est homo? dices, nulla causa, sed per se, & ita interpretatur Boet. 2. Perihermenias.

3. concl. Tertia conclusio est, quantum existimo, est vera contra Auerroem: nec in indiuiduum Accidentis de uno propriè prædicatur, quando necessè de illo prædicetur: Hæc est sententia expressa Arist. ca. 2. Ante prædicam. Hoc Albũ, inquit, est in subiecto, sed de nullo prædicatur. Ratio autem est, quia quando demonstratur Accidens indiuiduum, demonstratur ipsum subiectum in quo est, quia ab eo indiuiduatur, unde perinde est dicere, Petrus est hoc album, ac Petrus, est ipse habens albedinem.

QVÆSTIO II.

Quæ & quot sunt prædicationum genera.

QVia tamen de prædicatione loquuti sumus, & omnia ista ad prædicationem spectant, non erit inutile, quid prædicatio, & quotuplex sit, ostendere. Est igitur prædicatio, affirmatio alicuius de aliquo: propositio enim negatiua, non propriè prædicatio, sed diuisio quædam dicitur. Hæc prædicatio duplex est, quædam propria, quædam impropria: propria est, cuius ueritas pendet ex propria significatione, & propria acceptione terminorum, ut homo est albus, impropria, cuius ueritas est impropria acceptione terminorum pendet, ut homo est bulla, diuitiæ sunt fumus. Propria est triplex, ordinata, & inordinata contra ordinem, & inordinata præter ordinem.

Ordinata est, in qua subijcitur id, quod subijci debet, scilicet id, quod se habet, ut materia: prædicatur id, quod debet prædicari, scilicet quod habet modum formæ, quales sunt prædicationes inferiorum respectu superiorum prædicatorum, & accidentium de subiectis, & Differentiarum de suis Speciebus. Hæc ordinata duplex est, essentialis, & accidentalis; essentialis est, in qua prædicatum, vel est natura, uel de natura subiecti, quæ duplex est, essentialis quidditatiua, essentialis sola, essentialis quidditatiua, qualis est prædicatio Generis, & Definitionis, scilicet quando prædicatum est aliquid essentialis sola, quando prædicatum est in quale quid, qualis est prædicatio Differentiæ. Accidentalis, in qua prædicatum non est de natura subiecti; quæ duplex est, propria, & communis; accidentalis propria est, in qua prædicatum est Proprium alicuius Speciei, ut Homo est risibilis; communis est, in qua prædicatur accidens commune, ut homo est albus. Accidentalis communis duplex, externa, & interna; interna, in qua prædicatur Accidens, quod inest subiecto, de quo prædicatur; ut homo est albus; externa in qua Accidens non inest subiecto de quo prædicatur, ut homo uidetur. Præterea triplex est, prima, quæ sumitur ab actibus animæ, ut paries videtur, homo amatur: secunda, quæ sumitur à secundis intentionibus, ut Homo est Species, Animal est Genus: tertia, quæ sumitur ab aliquo adiacente extrinseco, siue loco, ut homo est Romanus, siue alia habitudine, Philosophus est Platonicus.

Inordinata prædicatio contra ordinem est, in qua id prædicatur, quod debet subijci, id subijcitur, quod debet prædicari; istæ sunt oppositæ, seu conuertentes omnium ordinatarum, nec oportet nunc has rursus distinguere. Antiqui uocabant ordinatam prædicationem, naturalem; inordinatam, non naturalem: quam distinctionem ponit Auer. 7. Met. com. 59. & 4. Phys. com. 33. ubi soluit problema Logicum, scilicet cur Aristoteles fecit syllogismos, ex terminis conuertibilibus in secunda figura ex prius affirmatiuis, cum possit per conuersionem eos facere in prima, & esset consequentia bona de forma? dicit id non fecisse, ne daretur prædicatio non naturalis, scilicet in qua subiectum de Accidenti, uel definitio de passione prædicetur. Eandẽ distinctionem habet Themistius 1. Post. c. 38. Alij prædicationẽ naturalem vocant directam, non naturalem indirectam. Vide Philos. de hac præd. 1. Post. cõ. 83. & 34. & tabu. fol. 3. co. 8.

Alia est prædicatio inordinata præter ordinem; Hæc est triplex, quædam identica, quædam disparata; quædam per accidens a

iden-

identica, qua idem de seipso prædicatur: disparata, qua disparatū de disparato, ut homo est leo, uel contrarium de contrario ut album est nigrum, per accidens est, in qua duo connotatiua inuicem prædicantur, quorum prædicatio in abstracto falsa est. Est enim obseruandum, quando connotatiua prædicantur, ad ueritatem propositionis sufficere id̄ntitatem subiecti, ut albū est dulce, ueritas huius pendet ex eo, quod albedo & dulcedo sunt in aliquo uno subiecto, tales uocamus per accidens, dummodo illorum prędicatio in abstracto non ualeat, aliter enim erit non per accidens, ut album est coloratum, non est per accidens, ualet enim albedo est color. Hęc est triplex: Prima, in qua connotatiuum unius prædicamenti prędicatur de alio alterius Prædicamēti, ut albū est simile. Musicus ędificat. Secunda, in qua connotatiuum unius Prædicamenti prædicatur de connotatiuo eiusdem Prædicamenti; ut album est dulce. Tertia, in qua una Differentia, uel Proprium de alio, ut rationale est sensibile; risibile est flebile.

DE SPECIE. Cap. II.

Species autem dicitur quidem & de uniuscuiusque forma, secundum quam dictum est. Prima quidē species digna est imperio. Dicitur autem species & ea, quæ est sub assignato Genere secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis, cum sit genus animal, album autem coloris speciem, triangulum uero figuræ speciem. Quod si enim genus assignantes speciei meminimus, dicentes quod de pluribus & differentibus Specie in eo quod quid est prædicatur, & speciem dicimus id, quod sub assignato genere est, nosse oportet, quod quoniam & genus alicuius est Genus, & Species alicuius est Species, utriusque utriusque, iccirco necesse est in utrorumque rationibus utriusque uti. Assignant ergo & sic speciem. Species est, quæ ponitur sub genere, & de qua Genus, in eo quod quid est prædicatur. Amplius aūt sic quoq; Species est quæ de pluribus & differentibus numero, in eo quod quid est prędicatur. Sed hęc quidem assignatio specialissimæ est, & quæ solum species est, non autem & Genus aliæ uero erunt & nō specialissimarum.

Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In unoquoque Prædicamento sunt quædam Generalissima, & rursus alia specialissima, et inter generalissima & specialissima, sunt alia, quæ genera, & Species dicuntur eadem. Est autem generalissimum quidē, supra quod nullum aliud sit superueniens Genus. Specialissimum autem est, post quod non est alia inferior Species. Inter generalissimum aūt, & specialissimū alia, quæ Genera, & Species sūt eadem, ad aliud tamē, & ad aliud sumpta. Fiet aūt in uno quidem Prædicamento manifestū quod dicitur. Substantia est quidem & ipsa Genus, sub hac autem est corpus, & sub corpore animatum corpus: sub quo animal, sub animali uero rationale animal, sub quo homo sub homine uero Socrates, & Plato, & qui sunt particulares homines. Sed horum substantia quidem generalissimum est, & quod Genus solum. Homo uero specialissimum, & quod solum Species. Corpus autem Species quidem est substantiæ, Genus uero animati corporis, sed et animatum corpus Species quidem est corporis, Genus uero animalis, rursus Animal Species quidem est corporis animati, Genus uero rationalis animalis, sed rationale animal Species quidem est animalis, Genus autem hominis, homo uero Species quidem est rationalis animalis, non autem Genus particularium hominum, sed solum Species, & omne, quod ante

in-

in diuidua propinque prædicatur, Species erit, solum, non etiam genus.

Generum ac Specierum in Prædicamento Substantiæ ordo.

Genus	*Substantia*	*generalissimum*
Species	*Corpus*	*& Genus*
Species	*Animatum corpus*	*& Genus*
Species	*Animal*	*& genus*
Species	*Rationale animal*	*& Genus*
Species	*Homo*	*specialissima.*
Particulares	*Socrates, & Plato*	*homines.*

Quemadmodum igitur substãtia cũ suprema sit, eo quod nihil supra eã sit, Genus est generalissimum, sic ẽt homo cum sit Species, post quam non est alia Species neq; aliquid eorũ, quæ possunt diuidi in Species, sed solum indiuidua (indiuiduum n. est Socrates, & Plato, & hoc album) Species erit solum, & ultima Species, & (ut dictum est) specialissima, quæ uero sunt in medio, eorum quidem, quæ ante ipsa sunt, erunt Species, eorum aũt, quæ post ipsa sunt, Genera. Quare hęc quidem duas habent habitudines, eã, quę est ad ea, quę antecedunt, secundum quã Species ipsorum esse dicuntur, & eam, quæ est ad posteriora, secundum quam Genera ipsorum esse dicuntur. Extrema uero unam habent habitudine. Nam & generalissimũ ad ea quidem quę posteriora sunt, habet habitudinem, cum sit Genus omnium id quod est supremum, eam uero, quæ ad superiora non habet, cum sit supremum, & primum principium, & (ut diximus) supra quod non est aliud superueniens Genus. Specialissimum autem unam habet, & ipsum habitudinem, hanc quidem, quæ est ad superiora quorum est Species, eam uero, quæ est ad posteriora, non diuersam habet habitudinem, sed eandem, & Species indiuiduorum dicitur, sed Species quidem dicitur indiuiduorum, uelut ea continens. Species autem superiorum, uelut quę ab eis continetur.

Determinant igitur generalissimum Genus ita, quod cum Genus sit, non est Species, & rursus, supra quod non est aliud superueniens Genus. Specalissimam uero Speciem sic, quæ cũ sit Species, non est Genus, & quam, cum sit Species, in Species diuidere non possumus, adhuc autem, & quæ de pluribus, & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Ea uero, quę in medio sunt extremorum, sub alterna uocant Genera, & Species, & unum quodq; ipsorum Speciem esse, & Genus ponunt, ad aliud tamen, & aliud sumptũ, ea enim, quæ sunt ante specialissima usque ad generalissimum ascendentia, & Genera dicuntur, & Species sub alterna, ut Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & ultimum Iouis. Sed in familijs quidem plerumque ad unum reducuntur principium, uerbi gratia ad Iouem, in generibus uero & speciebus non sic se habet. Neque enim est commune unum Genus omniũ ens, nec omnia eiusdem Generis sunt secundum unum supremum Genus quẽadmodum dicit Aristoteles, sed posita

ta sint (quemadmodum in Prædicamentis dictum est) prima decem genera quasi prima decem principia. Et si omnia quis entia vocet, æquiuoce (inquit) nuncupabit, sed non vniuoce. Si enim vnũ esset commune omnium Genus ens, vniuoce omnia entia dicerentur. Cum vero decem sint prima, communio secundum nomen est solum, non tamen secundum rationem, quæ secundum nomen est.

Decem igitur generalissima, quidem sunt, specialissima vero in numero quidem quodam sunt, non tamen infinito. Indiuidua autem, quæ sunt post specialissima, infinita sunt. Quapropter vsque ad specialissima a generalissimis descendentes, iubebat Plato quiescere, descendere autem per media diuidentes specificis differentijs, infinita vero (inquit) relinquenda sunt, neque enim eorum scientiam posse fieri.

Descendentibus igitur ad specialissima, necesse est diuidentes per multitudinem ire, ascendentibus vero ad generalissima necesse est colligere multitudinem in vnum, collectiuum enim multorum in vnam naturam Species est, & etiam magis id quod Genus est. particularia vero, & singularia econtrario semper in multitudinem diuidunt id, quod vnum est, participatione enim Speciei plures homines vnus, particularibus autem & singularibus vnus, & communis plures, diuisiuum enim semper, est quod singulare est, collectiuum autem, & adunatiuum, quod commune.

6 Assignato autem Genere, & Specie, quid sit vtrumque eorum, & genere quidem vno existente, speciebus vero pluribus (semper enim in plures Species diuisio generis est Genus quidem semper de Specie prædicatur, & omnia superiora de inferioribus: Species autem neque de proximo sibi Genere, neque de superioribus: neque enim conuertitur.

Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de equo: aut maiora de minoribus, vt animal de homine: minora vero de maioribus minime; neque enim dices animal esse hominem: quemadmodum hominem dices esse animal. De quibus autem Species prædicatur, de ijs necessario, & Speciei genus prædicabitur, & generis Genus vsque ad generalissimum: si enim verum est dicere Socratem hominem, hominem autem animal, animal autem substantiam: verum est, & Socratem animal dicere, atque substantiam, semper enim cum superiora de inferioribus prædicentur Species quidẽ de indiuiduis prædicabitur, Genus autem & de Specie, & de indiuiduo: generalissimum vero de Genere vel generibus, si plura sint media, & subalterna, & de Specie, & de indiuiduo. Dicitur enim generalissimum quidem de omnibus sub se positis generibus, & speciebus, & indiuiduis; Genus autem, quod ante specialissimum est, de omnibus specialissimis, & indiuiduis solum autem Species, de omnibus indiuiduis indiuiduum autem de vno particulari.

Indiuiduum autem dicitur Socrates & hoc album, & hic veniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius. 7
Indiuidua autem dicuntur huiusmodi: quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum quarum collectio nunquam in alio eadem erit: Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt eædem: eæ vero quæ sunt hominis proprietates, (dico autem eius qui est cõmunis) erunt eædem in pluribus, magis autẽ, & in omnibus

particu-

particularibus hominibus, in eo quod homines sunt.

2 *Continetur igitur indiuiduum quidem sub Specie, Species autem sub Genere. Totum enim quiddam est Genus: indiuiduum autem pars, Species vero & totum est, & pars, sed pars, quidem alterius: totum autem non alterius sed in alijs, in partibus enim totum est. De Genere igitur, & Specie, et quid generalissimum, & quid specialissimum, & quæ Genera eadem, & Species sint, quæ etiam indiuidua, & quot modis Genus, & Species dicantur sufficienter dictum est.*

Cur de Specie post Genus, & non prius de Differentia egerit?

POst genus tractat Porphyrius de Specie: qua in re non absque ratione potest quis dubitare, cum Differentia sit prior Specie, est enim eius pars, & cum in procemio fuerit ante Speciem proposita, cur modo de Specie, postposita Differentia, tractauerit? Ammon. & Boet. huius unam assignant causam: nempe quia Genus, & Species relatiua sunt, & vnum relatiuum perfectè absque altero cognosci nequit. Auicen. secundam huius dat causam, quia Genus est magis intrinsecum Specie, quã Differẽtia, propterea post Genus sequitur Species. Species enim constat ex Genere, & Differentia: Genere, vt materia: Differentia, vt forma; vt autẽ materia magis est intrinseca composito, cuius est pars; quam formæ, ita genus Speciei, quam Differentiæ est magis propinquum. Poterit etiam tertio dici, quod quamuis in esse præcedat Differentia, tamen in prædicandi modo prior est Species: prædicatur enim in quid, at Differẽtia in quale, & fere admodum accidentis.

Species autem dicitur &c.

Hoc igitur caput in tres diuiditur partes: in prima tradit acceptiones Speciei, & definitiones, in secunda constituit ordinem prædicatorum, in tertia definit, & diuidit indiuiduum. Dupliciter igitur sumitur Species, Vno modo, pro forma, & pulchritudine rei, quo pacto dicimus, præstantissima Species digna est imperio, scilicet homines pulchri, & formosi sunt digni, ut alijs imperent. Secundo modo dicitur Species, quæ subijcitur Generi; quo pacto dicitur, homo est Species animalis, de qua in præsenti loquitur Porphyrius. Et quia poteramus ei obijcere quare Speciem per Genus definit, cum genus per speciem definierit? vitium. n. est circulos in definitionibus. s. definire unum per alterum, & e contra: excusat se, dicens id in his quæ relata, & ad aliud sunt, non esse inconueniens: immo unum per aliud definire necesse est.

Huius Speciei tres assignat definitiones. Prima est, Species est quæ ponitur sub Genere. Secunda, Species est de qua Genus in eo quod quid prædicatur: quamuis has duas aliqui, inter quos est Auicenna, vnam esse uelint: & admodum probabile videtur, scilicet, Species est quæ ponitur sub Genere, & de qua Genus in eo quod quid prædicatur, vt posterior pars sit prioris declaratio. Tertio, Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid, vt homo prædicatur de Petro, & de Paulo, & alijs similibus. Statim hanc tertiam comparat duabus præcedentibus, & his manifestat Porphyrius, illas esse duas dum pluraliter de eis loquitur: discrimen autem est, illæ duæ priores competunt omni Speciei, ista posterior soli speciei ultimæ, & specialissimæ.

Est enim duplex Species, quædam quæ solum est Species, & relata ad superiora, & relata ad inferiora: ad superiora, quia inferius dicitur Species superiorum: ad inferiora quidem; quia sunt solum indiuidua, & singularia, de quibus prædicatur: vt homo, leo, equus: & hæc dicitur Species specialissima, seu athoma, seu Species subijcibilis, & sic prædicabilis.

Altera Species est quæ relata ad superiora est Species, ad inferiora uero est Genus, quia inferiora eius sunt plura Specie differentia, vt animal respectu uiuentis, seu substantiæ est species, at respectu hominis, & leonis est Genus: & hæc dicitur Species subalterna. Modo illæ definitiones priores conueniunt vtrique, Speciei specialissimæ, & subalternæ: at tertia definitio solum specialissimæ competit.

Dubia aliquot scitu digniora in primam partem capitis de Specie.

Nota Primo. Circa hanc partem est primo notandum quod Species est nomen primæ intentionis, idest significans rei ipsas secũdum se: & est nomen secundæ intentionis, ut rem significat: qua ratione prædicatur, vel subjicitur: si priore modo consideretur, adhuc multiplex est: significat enim apud Philosophos similitudinẽ rei, quæ in potentia cognoscente recipitur: quo pacto loquuti sumus superius. Secũdo significat formã rei substantialẽ, quę est altera pars compositi: compositũ.n. cõstat ex materia, & forma, cuius vsus est frequẽs apud Aristotelẽ, qui formã rei vocat Speciem. Tertio sumitur ꝓ pulchritudine corporis, quæ quoddã accidens est, Porphyrius duas priores prætermisit, quia obscuræ erant, tertiam explicuit, quia facilis est, & similitudinẽ aliquã cũ Specie Logica habet: ut enim rei pulchritudo ex debita partium compositione fit, ita Species ex Generis; & Differentiæ recta unione, & cõiunctione: quæ Species dicitur Logica, & secunda intentio.

2. Nota Et præterea notandum circa literam; aliquos textus habere (Species Priami digna est Imperio) & ita legit Albertus, & Auerroes: at Græce habetur, prima, seu præstans Species digna est Imperio; quasi pulchritudo corporis, animi uirtutem arguat, vt dicit Aristot. 1. Rheto. Lineamenta corporis uirtutis animi signa sunt.

Nota 3. Circa exemplum Porphyrij, quo triangulum assignat tanquam Speciem, & figurã ut Genus: aliquis id esse falsum existimant, credentes figuram non esse Genus ad triangulum, quadrangulũ, & alias; quia per prius dicitur de una q̃ de altera, & quia ex triãgulo reliquæ componũtur. Ammonius hic Porphyrium defendit: nos hoc prætermittimus, quia in secundo de Anima, ubi maior hoc examinãdi offeretur occasio, differemus: interim id saltem supposuisse satis est.

Est tertiò notandum. Circulus in aliqua definitione, uel demonstratione fit, quando per id quod definitum est, definimus aliquid eorum, quæ in definitione sunt, uel per id quod probatum est, probamus iterum ea, quæ ad illius probationem assumpsimus; quod quidem uitium est, ut docet Arist. 1. Poster. c. 3. quia sequitur aliquid esse notius se ipso. Nã si hoc uerbi gratia A. definitur per B. seu probatur per B. notius est B. quia definitio est notior, & antecedens similiter notius est, quã consequens: iterũ si B. definitur per A. seu probatur per A sequitur quod A. est notius, quàm B. ergo A. est notius se ipso, quia est notius eo, quod ipso, est notius. At quãuis hoc non liceat in alijs, in relatiuis licet unũ per alterum definire; quia iste defectus non cõmittitur in his. relatiua.n. sunt æque ignota per se sola; singula tamen ad alterum relatiuũ comparata sunt & fiunt notiora se ipsis, non ad aliud relatis: & innotescunt cum alijs sumptis: notius enim est relatiuum, pater; simul cum suo relatiuo sumptum, s. filio quã ipsum per se; hoc autem non est inconueniens.

Nota 4. Est quarto notandum esse dubium circa definitionem primam: Species est quæ ponitur sub Genere: uidetur enim alijs competere quàm speciei; nam indiuiduum ponitur sub Genere: aliqui subintelligunt uniuersale, alij prædicabile, asseruntque hoc debere intelligi de prædicatione immediata. Albertus, & Caietanus hoc uidentes non esse cautum, quia indiuiduum Generis immediate ponitur sub Genere, scilicet hoc animal est animal, nescio quid imaginantur. s. quod Species est sub Genere, quantum ad ordinem positionis, & participationis, & totalis principiationis: quod est dicere, Species est inferior per se Genere ordine naturali, & prædicandi, & iste est ordo positionis, & est inferior ordine participationis, quia Species in sua substantia participat Genus, Genus vero non Speciem; & Genus continet totam substantiam speciei; nam species constat ex Genere, & Differentia: Differentia in potentia continetur sub Genere; & hoc est dicere Genus esse totale principium speciei, & speciem habere ordinem ad Genus totalis principiationis, quod non fit in indiuiduo: quia indiuiduatio est in materia, & accidentibus, non autem procedit à Genere sicut Differentia: & sic uolunt isti Doctores, illud (Sub) in definitione, s. Species est quæ sub genere ponitur, habere hos tres ordines; hæc optime dicta sunt ab Alberto tractatu quarto ca. 1. Sed profecto nescio an præter rem; cum sensus sit alia ex parte clarissimus, & minus

expo-

expositus capillo, scilicet, Species est, quæ ponitur sub Genere, tali positione secundum qualem Genus est Genus, & hoc nulli præter speciem competit.

Nec similiter est curandum, cur Porphyrius dixit sub assignato Genere; uolunt.n.ꝙ (sub assignato).i.certo, & determinato significet, quia una Species ad unum pertinet Genus; patet enim ibi significare illud uerbum sub assignato genere, idest definito, & descripto paulo ante, & hoc ipse declarat consequenter dicens, Genus assignantes, idest deficientes, seu describentes.

SECVNDA PARS Capitis de Specie.

Planum autem erit, quod dicitur hoc modo, &c.

HAec est capitis secunda pars, in qua Porphyrius manifestat hoc, quod dixerat de duplici Specie, & comparatione ad superiora, & ad inferiora, describitque totū prædicamentum, quo ista continentur.

Hæc autem pars in tres alias diuidi potest. In prima, ea quæ in uno quoq; Prædicamento constituuntur, explicat, & differētiam assignat, & eorum similitudinem. In secūda, singula eorum definit, & exemplo quodam manifestat, ostendens in quo similitudo, & dissimilitudo exempli consistat. In tertia eorum numerum, & modum ea constituendi, & inter se prædicandi ordinem enarrat.

Nota primo. Circa primum est notandum, ꝙ prædicamentum, ut in præsenti sumitur est, quædam multorum Generum, & Specierum ordinatio sub unico supremo contentorum, ut patet in exemplo; quod Porphyrius proponit in substantia; est.n.quoddam commune, substantia. Sub qua est corpus; sub corpore est corpus animatum; sub corpore animato est animal; sub animali, animal rationale; sub animali rationali, homo.

Nota secūdo. In quo exemplo duo sunt consideranda, alterum ꝙ hic defectu nominum ponuntur uocabula composita, tamen illa consideranda sunt, tanquam simplicia, quorum loco ponuntur; alterum est, ꝙ Porphyrius in ista ordinatione ponit animal rationale tanquam Genus hominis, quia ipse existimabat cœlos, & Angelos esse animalia rationalia, sed ista sententia est erronea, nec eā recipit Christiana religio. Imò nec schola Peripatetica, sed animal rationale est solus homo; propterea istud Genus est prætermittendum.

Nota tertio. Est etiam aduertendū tertio; potuisse istā coordinationē in prædicamentis accidentis cōstitui, quia uero notior est in substantijs, & prima; propterea in substantia fit exemplum.

Enarrat ergo Porphyrius ea, quæ in hoc Prædicamento sunt. Sunt aūt tria. Primum est generalissimum quoddam unum Genus omnia alia complectens; est etiam species ultima, & sunt intermedia; uerbi gratia Genus supremum substantia; species vltima homo; Genera intermedia, animal, corpus, & reliqua. Hæc autem sic se habent. Genus supremum non habet aliud Genus supra se; propterea semper est Genus; Species vltima, non habet speciem sub se, propterea semper est species, at intermedia vtrumque habent, & supra se Genus, & sub se Species; propterea habent duas habitudines, quia respectu superiorum species sunt; respectu vero inferiorum, Genera; at Genus supremum unicam habet habitudinem, sicut Species ultima; uocat habitudinem, relationem mutantem denominationem; unde species ultima duas habet relationes, & ad superius, & inferius, sed unica est habitudo, quia secundū utramque dicitur species. Hæc est prima pars huius secundæ partis.

Determinant igitur generalissimum, Genus ita &c.

Hac secunda parte describit Porphyrius horum singula; generalissimi autem duas ponit descriptiones. Prima est, generalissimū est, quod cum sit Genus non est species. Secūda, Generalissimum est Genus, supra quod non est aliud Genus.

Species autem ponit tres descriptiones, prima est, species specialissima est, quæ cum sit species, non est Genus: Secūda species est, quæ cum sit species non diuiditur in species. Tertia species est, quę prædicatur de pluribus differentibus numero, in eo quod quid: Speciei uero subalternæ est descriptio, quæ cum sit Genus est species, & cum sit species est Genus respectu diuersorum.

Hanc prædicamentorum seriem exemplo familiari naturalis generationis manifestat: in generationibus enim datur unum ulti-

mum, vt verbi gratia, Agamemnon, ante quē est pater, scilicet Atrides; ante hunc Pelops; ante hunc Tantalus; ante hunc vero Iuppiter; sed discrimen est; nam plerunque ista ad vnū referuntur; at ista Genera prima, & Prædicamenta sunt plura, sunt enim decem suprema Genera, quæ ad vnum Genus reduci nequeunt; nam si ad vnū reducerētur, hoc esset ens, quod nō potest esse Genus, quia genus, vt constat, esse debet vniuocum; at ens secundum Aristot. 4. Meta. c. 2. est analogum, quod hic Porphyrius vocat æquiuocum.

Circa quod est considerandum, ista Genera dici generalissima superlatiuo gradu negatiue sumpto, vt substantia est Genus generalissimum non, quòd sit communior omnibus, sed quòd nihil illa sit cōmunius; eadem ratione singula aliorum generalissima, & suprema dicuntur.

4 *Decem igitur generalissima sunt, &c.*

Hic numerum eorū, quæ in Prædicamento collocantur, constituit tali conclusione; Genera suprema decem tantum sunt, specialissima verò plura sunt, sed non infinita; at indiuidua infinita sunt. Hæc duo probat ex doctrina Platonis, quæ habetur in dialogo dicto, Sophista. Plato. n. iubebat, vt quando ab aliquo generalissimo descēderemus ad inferiora, sisteremus in Speciebus, non vltra procedentes, quia vltra speciem sola sunt indiuidua, hæc autem sunt infinita, propterea ad artem, & scientiam nō spectant: ars enim, & scientia certis limitibus continetur.

Nota. Hic nota, infinitum bifariam sumi: vno modo in actu, quo pacto si modo realiter infiniti simul homines existerent, diceretur numerus infinitus in actu: altero modo est infinitum in potentia, & hoc in numeris apparet, quorum augmentum nūquam cessat, sed multis datis, adhuc plura dantur: quo pacto si Mundus esset duraturus in æternum, cū hominum perpetua propagatione, vt existimauit Porphyrius darentur infiniti hoīes, non quidem actu, sed potentia, quia nunquā cessarent alij, & alij continuè nasci, & esse. De hoc infinito est intelligendus Porphyrius, qñ asserit indiuidua esse infinita, non quidem actu, sed potentia. At species vtroque modo finitæ sunt, & actu, & potentia: quia semper sunt eædē species, licet non eadē indiuidua,

Descendentibus igitur ad specialissima necesse est, &c. 5

Obiectio. Hic Porphyrius, quantum existimo, rñdet obiectioni, quam quis potest obijcere: si enim generalissima decem sunt, quare species tot sunt, & indiuidua infinita? Rñdet, vniuersalia in se multa inferiora includere: ita, vt sub una specie singularia innumera; sub vno Genere, species multæ, & sub Genere superiori multa inferiora comprehendantur: vniuersale enim est collectiuum, & quò magis uniuersale, magis est collectiuum, & particularia sunt plura, & quò magis particularia, plura sunt: & propterea superiora Genera per differentias varias in varias species multiplicantur. Solu.

Nota. Hic notandū est, dupliciter aliquid posse dici magis collectiuum, ut notat Caietanus: priori modo id quod est magis vnū, quod dicitur magis collectiuū intensiuè: altero modo id quod plura comprehēdit, & sic dicitur magis collectiuum extensiuè. Iuxta hoc intellige minus uniuersale esse magis collectiuum intensiuè, quia magis sunt vnum, quæ in minus vniuersali conueniunt, quàm quę solum in magis uniuersali: at magis uniuersale est magis collectiuum extensiuè, quia sub se plura continet, & sic loquitur Porphyrius.

Assignato autem genere, & specie, &c. 6

Ordinem prædicandi horum, quę in prædicamento constituuntur, hic explicat, & ex his, quæ clarè, & rectè dicit, ista conclusio potest colligi. s. superiora de inferioribus, & de his, de quibus dicuntur inferiora, prædicantur, & æqualia de æqualib. unde Genus de speciebus, & indiuiduis prædicatur, & Genus superius de inferioribus Generibus, & horum Speciebus, & earum indiuiduis, & tandem generalissimum de omnibus inferioribus; non tamen econtra inferiora de superioribus prędicantur: hæc intellige de prædicatione ordinata, & directa.

Indiuiduum aūt dicitur Socrates, &c. 7

PARS TERTIA.

HAec est tertia huius capitis pars, in qua quid indiuiduum sit, & quotuplex, & quare indiuiduū dicatur, tractat. Est igit indiuiduum,

uiduum, qđ de uno prædicatur, ut diximus superius: triplex esse indiuiduum exemplo manifestat; est indiuiduum substantiæ determinatum, ut Petrus, Ioannes; & est indiuiduum ex suppositione, ut filius Petri, si unicum habeat filium; est etiam indiuiduum Accidentis, vt hoc album, & sub hoc potest esse indiuiduum ex demonstratione, scilicet iste homo, hoc animal.

Dicitur autem indiuiduum, eo quod collectio proprietatum, quæ in uno sunt in altero esse non possit: & optimè dixi collectionem proprietatum, quia vnum Accidens unius indiuidui nihil prohibet esse in altero: vt quod sit ex ijsdem parentib. natus, uel eodem loco vel eodem tēpore: at omnes simul, quæ in vno sunt, in altero esse nequeunt, sicut proprietates speciei; quæ omnib. sunt communes.

Septem proprietates indiuidui. Hæ autem proprietates indiuiduorum ad septem plus minus reduci possunt, sub quib. omnes continentur, quæ sunt hæ, Forma, Figura, Locus, Tempus, Sāguis, Patria, Propriūque nomen; per formam intellige temperiē: per Figuram vultum, coloremque corporis, & staturam, ac quantitatem: per sanguinem cognationem, parentes, & reliqua. Hoc loco Auerroes reprehendit Porphyrium, quia ista definitio indiuidui soli indiuiduo Accidētis uidetur competere; & ita eius iudicio melius esset cum Aristot. I. Perihe. c. 5. dicere, Indiuiduum est quod non prædicatur de multis. Sed iam de hoc quid sentiēdum esset, quodque Auerrois sententia non sit vsquequaque vera, latius diximus cap. de Genere.

Dubiū. Est unicum dubium: nam habetur 7. Metaph. c. 15. indiuidui, uel singularis non esse definitionem, neque scientiam: quomodo ergo hic definitur? Ad hoc dico indiuiduum posse dupliciter considerari, uno modo primo

Respon. intentionaliter, scilicet pro ipsa re, quæ est singularis secundum se, scilicet pro Petro, aut Paulo: & sic nullatenus potest definiri, Petrus. n. non definitur: altero modo secundò intentionaliter. s. pro re singulari, quatenus habet hanc proprietatem intellectus, qđ de uno prædicetur, uel non possit in alia inferiora diuidi: & sic definiri potest, & in præsenti definitur Porphyrio.

Continetur igitur indiuiduum sub specie, &c.

Porphyrius ex his, quæ dixit, scilicet Genus de speciebus, & speciē de indiuiduis prædicari, infert indiuiduum sub specie, & Speciē sub genere constitui: vnde species, & ad Genus refertur; & ad indiuidua, sed aliter ad unum, aliter ad alterū: ad Genus enim vt pars ipsius, ad indiuidua verò ut totum in ipsis: & ad explicandas has duas diuersas relationes, & respectus, diuerso loquendi modo est usus; scilicet Species est alterius, scilicet Generis, quia, est eius pars: & Species est in alijs. s. indiuiduis, tanquam totum in partibus. Tandem epilogat Porphyrius ea quæ dicta sunt.

Est notandum totum esse triplex uniuersale, definibile, & integrale; uniuersale, est superius respectu inferiorum, & inferiora dicūtur partes potentiales, totum definibile est definitum respectu partium definitionis: totum integrale est compositum respectu partium integrantium, & quantitatis, ut manuum, pedum, capitis. Totū est triplex.

Iuxta hoc intellige speciē esse totum definibile respectu ipsius Generis, & Genus partem: natura ex Genere, & differentia est Species: at Species est pars potētialis Generis, & ipsum Genus est totum uniuersale: & ita loquitur Porphyrius, s. Genus est totum uniuersale, & Species est ipsius pars potentialis, indiuiduorum uero est totum uniuersale. Hæc quantum ad capitis interpretationem.

QVAESTIO VNICA.

An definitiones Speciei, & reliqua de Specie, à Porphyrio rectè tradita sint.

Circa ea, quæ in capite hoc de Specie, & eius definitionib. dicta sunt; præcipua aliquot difficultates erunt agitandæ. Et primo objiciam nonnulla contra definitiones duas Speciei, deinde contra alia.

Primum argum. Sit ergo primum argumentum. Species ut species est, est quoddam uniuersale, sed illæ definitiones non sunt de specie, ut est uniuersale, ergo non sunt rectæ. Maior est nota. Minor probatur, quia uniuersale dicitur aliquid in ordine ad inferiora, sed species relata ad Genus sumitur in ordine ad superius: ergo. Secundo arguitur cōtra id quod dicitur, ultimam definitionem soli speciei specialissimæ competere. Genus etiam prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid; ergo non soli speciei vltimæ Secū. ar.

competit illa definitio. Antecedens est notum; animal enim de Petro, & Paulo, & reliquis in eo, quod quid prædicatur.

Tertiũ. Tertio. Illa definitio tertia non conuertitur cum Specie, ergo non est bona, Probatur antecedens. Sunt multæ Species, quæ de pluribus non prædicantur, vt Sol. Phœnix, Mundus, ergo non omnibus speciebus definitio competit; similiter sunt multa quæ prædicantur de pluribus numero differentibus in eo quod quid, quæ tamen non sunt Species. probatur. Punctus prædicatur de multis punctis; instans de multis instantibus anima de multis animabus hæc autem non sunt Species, quia sub nullo genere sunt, punctus .n. non est in Genere, nec alia; cum in Prædicamento non sint, nisi reductiue, ergo non sunt Species: aliter enim Species esset, quæ non est sub Genere, contra aliam definitionem.

Quartũ. Quarto. Petrus, & Paulus, & similiter alia indiuidua propriè non differunt numero, ergo Species non prædicatur de differentibus numero. Antecedens patet. Differre numero non potest, nisi quod est numerus, sed Petrus per se, & Paulus per se sunt vnum, quod non est numerus, sed numeri principium, ergo nõ differunt numero. Præterea, quia sunt multæ Species, quæ nulla ratione de numero differentibus dicuntur, quia numerus pertinet ad quantitatem indiuidua autem, & Species multæ sunt extra quantitatem.

Quintũ. Quinto. Argumentor contra quędam alia, quæ in capite continentur, Genus est prius specie, vt superius probauimus, ergo Genus, & Species non sunt relata. Patet consequentia, quia relata simul sunt natura, ut docet Arist. in Prædicamento ad aliquid.

Sextũ. Sexto. Dicitur Genus inferius generalissimo, esse Genus subalternum. Contra. Esse subalternũ, est esse sub altero, sed Genus, vt sub altero est, non est Genus, sed Species, ergo est implicatio, & repugnantia in adiecto, dicere Genus subalternum.

Septimum. Septimo. Ista Genera vocantur media. Cõtra. Medium participat naturam extremorũ, vt color medius, s. rubedo (vt videtur) constat ex albedine, & nigredine: at Genus non fit, nec participat ex superiori, & inferiori, ergo non est dicendum medium.

Octauũ. Octauo. Contra id quod dicitur, vniuersale esse collectiuum. Si ita esset, ista nomina essent collectiua, homo, animal, corpus, & tandem omnis terminus communis, sed hoc manifeste est falsum, ergo, & antecedens illud est falsum. s. vniuersale est collectiuum.

Alia possent proponi argumenta, cõtra, ea quæ de Specie dicuntur, quæ quia minoris, momẽti sunt, & partim ex his quæ diximus in capite de Genere nota, prætermittuntur: hæc autẽ, quæ proposuimus eiusmodi sunt, quorum solutio, maximè Speciei naturã, & essentiam perfectamq; eius notitiã aperiunt.

Circa primum ergo argumentum, Alphatabius, & Auicẽna in sua Logica c. de Specie, mouent dubium, an Species, vt ad Genus refertur, sit vniuersale? Auicenna videtur dubitare: propter quod ab Alberto reprehenditur tractatu 4. c. 2. Asserit. n. Albertus cum Alphatabio, Speciem, vt ad Genus refertur, non esse vniuersale: cuius ratio est fortis. Species, ut ad Genus refertur, est subiectum, nempe de qua Genus prædicatur: sed vniuersale, vt uniuersale, est prædicatum: est enim uniuersale unũ in multis, & de multis: ergo vt species refertur ad Genus non est uniuersale.

Ex hac doctrina infert Caietanus in præsenti. Cum natura Speciei, vt Species est, sit ad Genus, & Species, vt Species non sit uniuersale, de natura Speciei non est esse vniuersale, sed est proprietas, & accidens, quod sequitur ipsam Speciem. Atque ita Porphyrius definiens Speciem in ordine ad Genus, definit illam secundum naturam; in ordine vero ad indiuidua definit per proprietatem: vnde secundum Albertum, & Caietanum, Speciei, vt ad Genus refertur, accidit esse vniuersale.

Sed pace tantorum uirorum dicam. Ista sententia mihi non uidetur recipienda, quia prius est esse uniuersale, quam esse speciem: cum uniuersale sit communis, imò, ut ante ostendimus, sit Genus ad speciem, & alia Prædicabilia, ergo non accidit speciei. Et præterea, quod me magis mouet, Species est non solum, quòd refertur ad Genus, sed quod refertur immediatè ad Genus, sed quod immediatè ad Genus refertur, est uniuersale, cum Genus, vt Genus immediatè de singularibus non prædicetur, ergo species, ut ad Genus refertur, est uniuersale, & de ratione eius est, ꝙ sit uniuersale.

Propterea dico. species habet tria, quòd sit uniuersale, quòd sit specialis, & specialissima, ꝙ sit uniuersale, habet in ordine ad inferio-

riora; quòd sit Species, in ordine ad superiora, ita tamen quòd nisi sit vniuersale, non sit Species; quòd uero sit specialissima, respectu ad inferiora indiuida de quibus immediatè prædicatur; atque ita species specialissima cõstituit secundum Prædicabile, & est Species verè, & vniuersale est eius Genus. Quòd si Albert. uoluit dicere, quòd illa Species non dicitur vniuersale comparatione ad Genus, sed ad inferiora, recipimus; si tamen uelit dicere cũ Caietano, quod non est de natura speciei, quę ad Genus refertur, esse uniuersale, falsum est, ut probaui: quia quòd immediatè ad Genus refertur, est uniuersale: ex quo patet tertia definitio Porphyrij; quæ est de Specie ut Species specialissima est.

Dici etiã potest, ut arbitror, facilius, & clarius, adhibita quadam distinctione; quæ omnem videtur euacuare difficultatem. Vniuersale vt uniuersale sicut antea ostensum fuit, dicitur per se, & intrinsecè esse in multis, & ex hac eius essentia, quia tale est, duas relationes, seu duas proprietates consequitur; quarum altera est esse pędicabile de multis, altera est, esse subijcibile, secundum illa omnia multa, quę in se continet; sicut è contra, indiuiduum habet duo, quæ ipsum, ut tale est, consequuntur; alterum, quòd de uno tantum prædicatur; alterum, quòd subijcitur, ut unum tantũ. Vnde fit, ut sicut aliud est pędicabile de multis, scilicet uniuersale, aliud prædicabile de uno, s. singulare, & indiuiduum; ita subijcibile, alterum sit subijcibile uniuersale, alterum subijcibile, sed singulare. Distin.

Dicendum igitur, Speciem ut Generi subijcitur, esse subijcibile, sed tamen subijcibile uniuersale. Nam Genus immediate nõ de indiuiduis, sed de Speciebus uniuersalib. prædicatur, & ita ipsæ Species, ut tales, subijcibilia uniuersalia sunt; similiter ut respicit inferiora, esse pędicabile uniuersale; sed inferiora, sint, uniuersalia quoque, esse Genus subalternũ; si indiuidua tantum, esse Speciem specialissimam, pędicabile, s. de ijs tantum, & ita tã secundum prædicationem, quam secundum subiicibilitatem, est vniuersale. s. prædicabile uniuersaliter, & subijcibile uniuersaliter; atq; ita per omnes gradus prædicabile genericum, & subijcibile genericum; & prædicabile specificum, & subijcibile specificum, & prædicabile, ac subijcibile medium .s. subalternum.

Immo uero si quis subtilius consideret, uniuersale ex se, & per se prius est; & abstrahit ab esse pędicabile, & subijcibile, quatenus. s. est in multis, siue prędicetur, siue subijciatur siue non, nec sub talibus rationibus concipiatur, sed secundum intrinsecum, ut est in multis, & ita ex se, & per se diuidi potest intrinsece per esse in multis, in his, s. aut in illis.

Quoddam itaque est Genus generalissimum, si sit in omnibus quæ non conueniunt genere cum alijs; est Species, si est solũ in his quæ differunt tantum numero; est subalternum, & altius, & minus altum quod est in pluribus, uel paucioribus sub se contentis. Quamobrẽ nec per prædicabile, nec per subijcibile constituitur intrinsece, uniuersale Genus, uel species, sed per esse in multis; in istis, aut illis. Nam prædicari, & subijci postea consequuntur. In quibus tota difficultas euacuata est.

Ad argumentum dicitur, quod quamuis species à tali relatione ad Genus non sit uniuersale, tamen taliter non posset referri nisi esset uniuersale; propterea dum ad Genus definitur referri, esse uniuersale definitur. Ad primũ arg.

Secundo respondetur à tali relatione ad Genus formaliter, & intrinsece non esse Speciem, neque uniuersale, sicut nec à relatione prædicabilitatis; sed ab eo quod est esse in multis: uerum tanquam per duo propria, essentiam illius duabus relationibus subijcibilitatis uniuersalis, & prædicationis uniuersalis explicari, & meritò, quia ad essentiam ambæ illæ pariter consequuntur.

Circa secundum, Auicenna suæ Logicæ cap. nono, uoluit propter hoc argumentum, addendam, seu intelligendam esse particulam exclusiuam, tantum; ut sit sensus, Species est quæ prædicatur tantum de pluribus differentibus numero: at Genus prædicatur de his, & de differentibus specie; quam sententiam recipit Caietanus, At quia posset fieri argumentum, Genus prædicatur etiam tantum de differentibus numero, quia prædicatur de indiuiduis, quæ differunt numero, & de speciebus, quæ etiam differunt numero, nam maior distinctio includit minorem, quæ enim differunt specie, differunt numero, licet non econtra.

Propterea alij dicunt, differentib. solo numero; unde duas exclusiuas addunt: Species est, quæ prædicatur solum de pluribus, differentibus numero tantum.

Sed melius est cum Alberto dicere tra-

ad 2.arg. ctatu quarto c.1.in fine, hic, fieri sermonem de prędicatione immediata: quando enim Genus de indiuiduis prædicatur, est mediata prędicatio, quia prius speciei, & per speciem indiuiduis inest, at species immediate ab indiuiduis participatur, Nec est aliqua exclusio addenda, quia denominatio absoluta indicat pręcipuum denominatum; per differentia uero numero, singularia simpliciter intelliguntur.

ad 3.arg. Ad tertium respondet Boetius explicans definitionem speciei, quæ fere in fine capitis traditur: & ait, quòd dupliciter potest excusari Porphyrius. Primo, quia multo plures sunt species, quæ de numerosis indiuiduis prædicantur, quam quæ de Vno; Porphyrius autem definit eam, quæ ut plurimum inuenitur. Secundo dicit, quòd intelligendus est Porphyrius de aptitudine, & potestate, non actu; illæ autem species quamuis actu de pluribus non prædicentur; potestate tamen prædicantur, & ista est melior solutio.

Dubiũ. Sed dubitabis, & merito, an sufficeret hoc ad Genus: quod potentia de pluribus speciebus prædicetur? quod est dicere, si unica esset actu Species, an esset Genus per hoc quod potestate de pluribus speciebus prædicaretur?

Solut. Ad hoc respondet Boetius loco allegato, & paulò superius in eodem cap. Quod nullatenus, sed necessario, ut Genus sit, plures actu species requiruntur: Quam sententiam ex professo sustinet Albertus, tract.4.cap.6.& uidetur doctrina Aristot.4.Topic.cap.3. Horum ratio est, quia Genus contrahitur ad speciem per Differentiam, sed Differentia non constituit nisi simul distinguens ab alijs, ergo Genus non est in una specie, sed pluribus.

Nota. Pro declaratione est notandum, quod aliter se habet Genus ad Speciem, aliter Species ad indiuidua: natura enim Generis est natura imperfecta, & incompleta, quæ perficitur per formam, sicut materia per formam perficitur, & sicut cera, quæ quid informe est in Genere artificiatorum, per formam autem perficitur. Præterea, sicut materia non per unam formam perficitur quantum ad totam eius potentiam, sed per multas, ita nec Generis natura per vnam differentiam solam habet perfici, sed per plures, & ex hac parte natura Generis non potest existere perfecta in unica Specie, & inde cum non sit natura Generis in se perfecta, hinc est, quòd postulat Genus Species; At Speciei natura in se est natura perfecta, nec ab indiuidui accidentibus perficitur, sed multiplicatur, in uno tamen perfecta manet; inde est, quòd sufficit indiuiduum unum, vt dicatur manere Speciem, & sufficit, quòd possit de alijs prædicari; quod in Genere non est; quia in vna Specie non existit eius natura perfecta, & hæc doctrina est maxime consideranda. Huius sententiæ fuit idem Boet. in lib. de Diuisionibus, & D. Thomas dist.19.q.3.art.2. lib.1. Sententiarum.

Ad secundam partem huius argumenti respondet Caietanus & benè, quòd ad Speciem duo sunt necessaria, & quod prædicetur de pluribus numero differentibus in quid, & quòd sit natura perfecta, scilicet pertinens ad lineam rectam prædicamenti sub aliquo Genere, & hoc secundum deest illis puncto, animæ, instanti, quia non sunt nisi partes naturæ perfectæ, cum per se in Prædicamento non collocentur; dicentur autem Species imperfectæ, quæ propriæ non sunt prædicabiles prædicatione prædicamentali.

Ad quartum respondet Boetius, quòd indiuidua non dicuntur numero differre: quasi unum indiuiduum faciat distinctum numero ab alio, sed quasi dum numeratur differant, scilicet quando numeramus singularia, unum distinctum ab alio facimus, nec sub eadem unitate collocamus. Ad aliam partem respondeo, admittendo esse alias species præter quantitatem, tamen harum indiuidua numero differunt per ordinem ad quantitatem; nam distinctio numerica accidentium, sumitur penes diuersitatem subiectorum, in quibus est quantitas, uel habent ordinem ad quantitatem, hæc enim albedo differt ab illa penes subiectum. ad 4.

Ad quintum facilis est solutio. Genus enim, & Species possunt dupliciter considerari, uno modo fundamentaliter secundum naturas ipsas materialiter significatas, & sic natura Generis est prior natura, quam Speciei natura, si uero altero modo considerantur formaliter, tunc sunt relata, nec unum est altero prius, non enim dicitur Genus, nisi sint species. ad 5.

Ad sextum perinde est facilis solutio. Genus enim non dicitur subalternum, quia sub altero ponitur, sed quasi alternatim se habeat, ut modo supponatur alteri, modo præponatur, & modo sit Genus, modo sit Species. ad 6.

Ad

Ad septimum. Ad septimum respondeo. medium multis sumi modis, aliquando dicitur medium positiue, scilicet; quod æqualiter distat ab extremis, ut punctus est medium id circulo, siue in linea; aliud est medium participatiue, quod ex extremis conficitur, ut rubedo dicitur, medius color inter albedinem & nigredinē, aliud est medium metaphoricum, vel secundum rationem, quo pacto dicitur, Virtutem esse in medio, aliud est medium in prædicatione, quale est in præsenti, scilicet id, quod de alio, & de quo aliud prædicatur, ut animal dicitur medium, inter uiuens, & hominem; hoc autem medium, in multis differt à medio ex participatione; in medio ex participatione extrema concurrunt per mistionem quandam accidentalem ad faciendum medium, uel per uirtutē vtrinque ex parte cōmunicatā. Præterea, nulla est inter ea prædicatio, cum nec medium de extremis, nec extrema de medio prædicentur. Præterea tertio, medium est posterius extremis, cum sit eorum effectus, at in medio prædicationis, nō concurrunt extrema, non enim animal fit ex homine, & uiuenti, sed uiuens est de essentia, & substantia animalis & animal de substantia hominis.

Præterea, extremum superius de medio, & medium de extremo inferiori prædicatur, & tertio vnum extremū superius est natura prius medio, & medium est prius natura altero extremo; vt uiuens est prius natura āīali, & animal prius est natura quam homo.

Ad octauum. Circa octauum argum. nota, aliqua multa tripliciter possunt in unum conuenire.

Primo, in unum aliquod extrinsecum puta locum, finem, causam efficientem, ut plura grana cōgregari uno loco, & plures ciues vnica Vrbe, & plures hoīes ad aliquod agendum, & nomina significantia ista plura, secundum talem vnitatem dicuntur simpliciter collectiua, vt Ciuitas, Vrbs, Senatus.

Secundo, aliqua plura conueniunt in aliquod unum intrinsecum, siue accidentale, siue substantiale, quod tamen non est in singulis per se perfecte, & totaliter: quo pacto plures partes domus cōueniunt sub vnica forma, & plures partes totius, sub una forma totius, quæ tamen in singulis per se non est, vt Petrus, Ioannes, homo respectu animæ, & corporis, & talia nomina significantia plura sub ista unitate, non sunt dicenda collectiua

Tertio, aliqua plura conueniunt sub aliqua forma intrinseca, quæ tamen est in omnibus, & singulis per se, & talia nomina dicūtur uniuersalia, Species, & Genera; & reliqua, quæ de singulis diuisim, prædicantur, quia forma, quam significāt, in singulis per se perfectè inuenitur, & de tali collectiuo hic loquitur Porphyrius, quod constat longe diuersum esse ab eo, quod simpliciter vocatur collectiuum: hoc enim tertium non propriè collectiuum, sed vniuersale dicitur.

De differentia. Cap. III.

Differentia uerò, & communiter, & propriè, & propriissimè dicitur. Nam communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate differt quocumque modo, uel à seipso, uel ab alio. Differt enim Socrates à Platone alteritate, & ipse a seipso, & puero existente, & uiro facto, & faciente aliquid, uel quiescente, & semper in aliquo modo habendi se alteritatibus spectatur. Propriè autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidēnte alterum ab altero differt. Inseparabile uero accidens est, ut cęcitas oculorū, aut nasi curuitas, aut cicatrix cum ex vulnere occalluerit. Propriissimè autem differre alterum ab altero dicitur, quando specifica differentia differt: quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt, rationalis qualitate. Vniuersaliter ergo omnis Differentia addita alicui alteratum facit. 1

Sed eæ quidem, quæ & communiter, et propriè sunt, alteratum faciunt, quæ uero propriissimæ, aliud. Quæ quidē igitur aliud faciunt, specificæ uocantur: illæ uero, quæ alteratum, simpliciter differentiæ. Animali enim adueniens rationalis differentia, aliud fecit: eius autem quod est moueri, alteratum solum à quiescente fecit. Quare illa quidem aliud, hæc uerò alteratum solum fecit. 2

Secun-

Secundum igitur aliud facientes differentias, diuisiones generũ fiunt in Species, & definitiones assignantur, quæ sunt ex Genere, & huiusmodi differentijs: secundum autem eas, quę solum alteratum faciunt, alteritates solum consistunt, & aliquo modo se habendi permutationes.

3 *A superioribus ergo rursus incohoanti, dicendum: differentiarum alias quidem esse separabiles, alias uero inseparabiles. Moueri enim, & quiescere, & ægrum esse, & sanum esse, & quæcunque his proxima sunt, separabilia sunt: at uero aquilinum esse, uel simum, uel rationale, uel irrationale, inseparabilia sunt. Inseparabilium autem aliæ quidẽ sunt per se, aliæ uero per accidens. Nam rationale per se inest homini, & mortale, & disciplinæ esse susceptiuum: at uero aquilinum esse, uel simum, per accidens, & non per se. Illæ igitur, quæ per se sunt, in substantiæ ratione accipiuntur, & faciunt aliud; illę uerò, quę secundum accidens, nec in substantiæ ratione accipiuntur, nec faciunt aliud, sed alteratum. Quæ quidem igitur per se sunt non suscipiunt magis, & minus: quæ uero per accidens (etsi inseparabiles sint) intensionem accipiunt, & remissionem. Nam neq; Genus aut magis, et minus prædicatur de eo cuius fuerit Genus, neque generis differentiæ, secũdum quas diuiditur. Ipsæ enim sunt, quæ uniuscuiusque rationem complent: esse autem vnicuique unum, & idem, neque intensionem, neque remissionem suscipiens est: aquilinum autem esse, uel simum, uel coloratum, aliquo modo & intenditur, & remittitur.*

4 *Cum igitur tres species differentiæ considerentur: & hæ quidem sint separabiles, illæ uero inseparabiles: & rursus inseparabilium hæ quidem sint per se, illæ uero per accidens, rursus earum, quæ per se sunt, differentiarum alię quidem sunt, secundum quas diuidimus genera in species, alię uero, secũdum quas ea quæ diuisa sunt specificantur: ut cum per se differentię omnes huiusmodi animalis sint, animatum, & sensitiuum, rationale, & irrationale, mortale, & immortale: animati quidem, & sensitiui differentia constitutiua est substantiæ animalis. (est enim animal substantia animata sensitiua) mortalis uero, & immortalis differentiæ, & rationalis, & irrationalis diuisiuę sunt animalis differentiæ: per eas enim genera in species diuidimus. Sed eę quidem, quę diuisiuę sunt differentiæ generum, completiuæ fiunt, & constitutiuę specierum: diuiditur enim animal, rationalis, & Irrationalis differentia, & rursus mortalis, & immortalis differentia, sed rationalis, et mortalis differentiæ constitutiuæ sunt hominis: rationalis uerò, & immortalis Dei: irrationalis autem, & mortalis irrationalium animalium. Sic uero & supremæ substantiæ, cum diuisiuæ sint animati, & inanimati differentiæ, & sensitiui, et insensitiui, animata quidem & sensitiua, iuxta substantiam sumptę animal perfecerunt, animata uero, & insensitiua perfecerunt plantam. Quoniam ergo eędem aliquo modo quidem acceptę fiunt constitutiuæ, aliquo modo autẽ diuisiuę specificę omnes uocantur.*

Et his maximè opus est ad diuisiones generum, & ad definitiones: sed non his, quæ secundum accidens inseparabiles sunt, neque etiam magis ijs, quę sunt separabiles. 5

Quas etiam determinantes dicunt, Differentia est; qua abundat Species à Genere. Homo enim plus habet quam 6

animal.

animal, rationale, & mortale: animal enim nihil horum est. Nam unde species haberent differentias? Neque verò omnes oppositas habet quoniam idem simul habebit opposita. Sed, quemadmodum censent, potestate quidem habent omnes eorum, quæ sub se sunt, differentias; actu vero nullam: ac si neque ex ijs, quæ nō sunt, aliquid fit, neque opposita circa idem erunt. Definiunt autē eam, & hoc modo. Differentia est, quæ de pluribus, & differentibus Specie in eo quod quale quid est prædicatur. Rationale.n. & mortale de homine prædicatum in eo quòd quale quid est homo dicitur: sed nō in eo quod quid est. Quid est.n. homo? nobis interrogatis, cōueniēs est dicere, animal: quale autem animal? inquisitis, quòd rationale, & mortale est, cōuenienter assignabimus. Rebus.n. ex materia, & forma constantibus, vel secundum proportionem ad materiam, & formam, constitutionem habentibus quemadmodum statuta ex materia quidem ex ære, ex forma autem figura; sic & homo communis, & specialis ex materia quidem proportionaliter consistit ex Genere, ex forma autem Differentia: totum autem hoc animal rationale, mortale, homo est, quemadmodum illic statua. Describunt autē, & hoc modo. Differentia est quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub eodē Genere sunt: Rationale.n. & irrationale hominem, et equum, quę sub eodem genere sūt, quod est animal, diuidunt. Assignant autem & hoc modo. Differentia est, qua differunt à se singula, nāque homo, & equus secundum Genus non differunt, sumus .n. animalia nos, & equi: sed additum rationale disiūxit nos ab illis, & rationales sumus & nos, & Dij; sed mortale appositum disiūxit nos ab illis. Exactius autem pertractātes ea, quæ ad differentiam pertinent, dicunt non quodlibet diuidentium ea, quæ sub eodem genere sunt, esse differentiam, sed quod ad esse conducit, & quod quid erat esse, & quod rei pars est. Neque enim quod natum est nauigare, est hominis differētia, etsi proprium hominis. Dicere enim possumus animalium hęc quidem apta esse ad nauigandum, illa uerò minimè, diuidentes hominem ab alijs: sed aptum natum esse ad nauigandum, non est substantiæ completiuum, nec eius pars, sed aptitudo solum ipsius; iccirco quia non est talis differentia, quales sunt, quæ specificæ dicuntur differentiæ. Erunt ergo specificæ differentiæ, quæcunque alterā faciunt speciem, & quæcunque in eo quod quid erat esse, accipiuntur. Et de differentia quidem tot sufficiant.

Non oportet, ut bene dicit Boetius, hic quærere, quare Differentia, Proprio, & Accidenti anteponatur, cum in dubium reuocatum fuerit, an speciei esset proponenda: est enim prædicatum essentiale, quod nec Proprio, nec Accidenti competit. Non autem hic agimus de differentia concreta. s. de ipsis, quæ differre dicuntur, sed de ipso principio, & forma, per quam unum ab altero differt: ut differentia sit forma, per quam unum ab altero differt. Nec agimus de isto principio, & forma secūdum se, sed ut per intellectum assumitur ad prædicandum de illo cuius est Differentia.

Hoc igitur caput in duas partes diuiditur in priori sunt quinque diuisiones Differentiæ, in posteriori quinque definitiones: est autem prima diuisio, Differentia triplex est quædam communis, quædam propria, quædam proprijssima. *diuisio triplex differētiæ.*

Differentia communis est Accidens separabile, per quod unum ab alio, uel à se aliqualiter differt, ut Petrus sedens à non sedente, currens à quiescente, senex à se ipse ipso puero differunt.

Differentia propria est Accidens inseparabile, per quod unum ab alio differt, vt cæsijs oculis

oculis differt ab eo, qui non est oculis cæsijs, illa oculorum affectione, & colore cæsio, quę dicitur differentia propria: illa enim affectio nō separabitur à subiecto dum ipsum fuerit.

Differentia proprijssima est forma substantialis, per quam vnum ab alio differt, ut homo ab equo differt per rationale: Porphyrius ponit conuenientiam inter has, & discrimen: omnes enim tres hoc habent quòd faciūt diuersum vnum ab altero, sed differunt, quòd duæ primæ faciunt differre in accidenti, tertia uero in substantia: unde illæ duæ primæ dicuntur tantum facere diuersum, seu alteratum; tertia vero aliud, id est diuersum in substantia.

Nota 1. Circa istam diuisionem est primo notandum ex Auicenna hoc capite, quòd acceptiones Differentiæ aliter se habent, quam acceptiones Speciei, & Generis: istæ enim Generis, scilicet, & Speciei, non omnes sunt Logicæ, sed tãtum tertia Generis, & Posterior Speciei: at istæ tres acceptiones Differentiæ omnes ad Logicum, & Physicum spectant.

Nota 2. Nota secundo cum Boetio, quod istæ duæ primæ Differentiæ, scilicet prima, & secunda sunt indiuiduorum, & singularium; ista enim Accidentia propriè sunt singularium: at Differentia tertia est specierum, & Generum, idest per quam Species, & Genera differunt, sicut per illam differunt indiuidua qua de causa illæ tres differentiæ superius positæ, scilicet differentia numerica, specifica, & generica, ad has reducuntur: numerica.s. ad duas priores, specifica uero, & generica ad tertiam.

Nota 3. Nota tertio. Differentia prima communiter dicta, iudicio meo, propterea communis dicitur, quia sit tale Accidens, quod sicut modo accidit uni extremo, quod per eam differt ab alio, potest etiam, & isti alias accidere: verbi gratia, sedens differt à stante, accidenti, & differentia communi: secundum quam potest etiam, & qui modo stat à sedente differre; nā stans potest sedere, & qui sedet aliquando stare: reliquæ dicuntur propriæ differentiæ, id est peculiares vniuscuiusque, quia quod semel per illas differt, semper eas differt.

Differentiarum ergo aliæ quidem, &c.

Diuisio secunda. Ex discrimine superius inter illas tres Differentias assignato, Porphyrius infert diuisionem secundam. Quædam Differentiæ faciūt alteratum, i. diuersitate in Accidenti: quædā faciunt aliud, idest diuersam substantiam: sub priori membro sunt Differentia prima, & secunda, scilicet communis, & propria: sub posteriori verò est tertia, scilicet proprijssima: inter quas est duplex discrimen: prius Differentię facientes alteratum, dicuntur simpliciter, & tantum Differentiæ, at facientes aliud dicuntur Differentiæ specificæ, quod additum est causa perfectionis, ad explicandū huius Differentiæ specificæ munus, quod explicat in posteriori discrimine, nam definitiones quidditatiuę, & Generum diuisiones fiūt per has specificas Differentias, & facientes aliud, non per illas, secundum quas non fiūt, nisi alterationes, & mutationes quædam accidentales.

A superioribus ergo rursus inchoantibus.

Rursus in communi iterum tertio diuidit Differentias. Quædam sunt Differentiæ separabiles, quædam inseparabiles separabiles sūt Accidentia, quæ non constant, vt sedere, currere, & sub hoc membro, est Differentia communis: inseparabiles sunt, quæ nunquam à re manente dimouentur, quales sunt Differentia propria, & proprijssima. Diuisio 3.

Et hanc subdiuidit in inseparabilem per Accidens, qualis est propria, quæ Accidens est quoddam inseparabile, & inseparabilem per se, qualis est proprijssima, quæ de rei substantiam, & naturam pertinet, & hæc est quarta diuisio, quæ subdiuisio est potius unius membri, tertiæ præcedentis. Constituit autem duplex discrimen inter has duas inseparabiles. Alterum; inseparabilis per Accidens facit diuersum in Accidenti, vt superius diximus: at inseparabilis per se facit aliud, idest diuersum in substantia; Alterum, Differentia inseparabilis per Accidens suscipit magis, & minus, idest non æqualiter semper inest: nam aliquis homo est magis cæsius, quàm alius, & curuior naso, quàm alius: at inseparabilis per se non suscipit magis, aut minus, unus enim homo non est magis rationalis, quàm alius. Huius erat rationem, quia Differentia pertinet ad esse, & naturam rei, at esse, & natura non suscipit magis in his, quàm in illis, aut minus: vnus enim non est magis homo, aut animal, quàm alius, nec magis corpus, quàm alius. Diuisio 4.

Cum

Cum igitur tres species Differentiæ considerentur.

Porphyrius epilogat has diuisiones propositas, insinuans unum consideratione dignum: uidelicet Species differentiæ esse solum tres illas primo loco cõstitutas: sed quia uariæ sunt proprietates illarum, factæ sunt rursus aliæ diuisiones secundum ea, quæ illæ habent; unde eadem sunt prorsus numero membra diuidentia, s. illæ tres Differentiæ, & inter has quædam inueniuntur facientes alteratũ, quædã aliud, quædã separabiles, quędam inseparabiles, tã per se, quã per accidẽs.

Diuisio quinta. Postea vero Porphyrius Differentiam inseparabilem per se, s. specificam, quinta diuisione subdiuidit: quædã, inquit, sunt alicuius Generis diuisiuæ, id est per quas Genus diuiditur: quædam illius Generis constitutiuæ. i. per quas Genus illud constituitur: uerbi gratia, animal habet has Differentias; animatum, sensibile, rationale, irrationale, mortale, immortale: sed harum quædam sunt, per quas animal cõstituitur, s. duæ priores: animal n. est animatum, & sensibile corpus: per alias diuiditur, per rationale, & irrationale, mortale, immortale. Inter has unum est discrimen: nam per diuisiuas Generis cõstituuntur Species illius Generis, non autem per constitutiuas, ut per rationale, mortale, iuxta opinionem Porphyrij constituitur, homo, per rationale, immortale, simul cum animali, Deus: per irrationale uero mortale constituitur brutum. At uero, quamuis istæ constitutiuæ non faciant Species, tamen si ad superius tale Genus considerentur, tales differentiæ dicentur illius superioris diuisiuę, & ipsius inferiorum, tanquam Speciei constitutiuæ; ut animatum, & sensibile, sunt superiorum diuisiuæ, corpus enim per animatum, & inanimatum diuiditur: & corpus animatum per sensibile, & insensibile: animatum aũt, & sensibile, cum substantia, faciunt animal, sicut insensibile cum animato facit plantam, unde eędem differentiæ simul sunt & diuisiuæ, & constitutiuæ: sed inferiorum constitutiuæ, superiorum diuisiuæ: quapropter omnis Differentia specifica dici potest, quia constituit Speciem aliquam, siue subalternam, siue specialissimam.

Nota primo. Circa hoc, Nota istud exemplum esse falsum, non enim Deus est animal, nec corpus: nec aliquod est animal, quod sit immortale. Porphyrius loquitur, ut Philosophus Platonicus, vt superius diximus.

Nota etiam genus generalissimũ solũ habere Differentias diuisiuas, nõ constitutiuas: cum nullũ supra se habeat Genus. specialissimã uero specieẽ solas habere Differentias cõstitutiuas, quia sub se non habet inferiores Species, in quas per Differentias diuidatur. Not. 2.

Nota similiter tertio; si istæ differentiæ ad idem Genus comparentur, aliæ distinctæ sunt differentiæ diuisiuæ, aliæ constitutiuæ: si uero ad diuersa comparentur, eadem potest esse differentia diuisiua, & constitutiua, sed respectu diuersorum: superioris quidem diuisiua, inferioris uero constitutiua. Not. 3.

Et his maxime opus est ad diuisiones Generum &c. 5

Hic Porphyrius duos usus harum differentiarum specificarum ponit: prior est ad diuisiones Generum faciendas, hæc enim præcipue per tales Differentias diuiduntur: posterior ad definitiones componendas ipsarum specierum; aliæ enim differentiæ per Accidens, tam separabiles, quàm inseparabiles, non sunt aptæ ad præcipuas diuisiones, & definitiones, sed ad descriptiones, & diuisiones non essentiales, & minus præcipuas, cum sint accidentia rei, nec de eius natura.

Differentia est, quà abundat Species a Genere. 6

Hæc est posterior pars huius capitis, qua ponuntur aliquot ipsius Differentiæ definitiones.

Prima est proposita, s. Differentia est, in qua Species excedit Genus: natura. n. Speciei ex Genere, & Differentia constat: unde plus includit in sua natura, quam Genus: Genus. n. non includit in sua natura Differentiam Speciei, sicut ipsa Species. Prima definitio. Differẽtiæ.

Posset tamẽ dubitare quis, unde habet species Differentiam? non enim à Genere; quia in genere quomodo possunt esse plures Differentiæ oppositæ? non autem Differentia potest esse ex nihilo: à quo ergo est? Respon. quod Differentiæ sunt in Genere, non actu, id est non sunt de natura eius, sed in potentia, quia ex illo fiunt: sicut è cera extrahitur forma alicuius imaginis: & non est Dubitatio. Solu.

inconueniens quòd multæ differētiæ sunt in Genere in potentia, vt multæ figuræ eræ in potentia.

Secūda. Secunda definitio est. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus Specie in quale quid: quod exemplo claro ostenditur, vt enim res componuntur ex materia, & forma, vel aliquo simili, materiæ, & aliquo simili formæ vocat simile materiæ, subiectū in rebus artificialibus, vt statua fit ex ære, vt materia, & figura tanquam forma; dicit autem subiectum simile materiæ, quia propriè materia est pars compositi substantialis ita, inquit, Species, s. homo componitur ex Genere tanquam ex materia, & ex differentia tāquam forma: vt ex hoc intelligamus, quòd Differentia est velut qualitas, sicut forma.

Tertia. Tertia definitio. Differētia est, per quā genus separatur, i. diuiditur in ea quę sub se sūt.

Quarta. Quarta vero: Differentia est secundum quam vna Species ab alia differt. At quia istæ duæ vltimæ videbantur sufficientes, cum essent aliqua, per quæ Genus diuiditur & vna Species ab alia differt, s. accidentia propria: dicit Differentiam non solum habere hoc, sed etiam esse de definitione, & quidditate rei, & esse ipsius definitionis, & quidditatis partem.

Quinta. Propterea addit quintam definitionem, exactam, scilicet, Differentia est, qua vna Species ab alia separatur, cum sit ipsius natura, & Speciei pars.

Quæstiones, seu dubia quædam scitu digniora in Cap. de Differentia, præsertim circa eius definitionem, rectè ne sit tradita?

Dubiū primū. Circa hoc caput sunt aliquot dubia, quæ à nobis breuiter erunt examinanda: primum est, Cum Logicus non tractet de rebus ipsis, secundum te, sed vt intentionibus substant, tales intentiones considerando, cur hic Porphyrius de Differentia ipsa reali tractat, quod munus videtur esse Metaphysici, quod quidem tractat Arist. 5. Meta. c. 9.

Solutio. In hac re dicendum, quod Differentiæ tres actus habent. Primus est diuidere, seu determinare Genus ipsum. Secundus est constituere naturam. Tertius est eam ab alijs distinguere. Isti tres dupliciter possunt considerari: uno modo fundamentaliter, ut in rebus ipsis sunt. Nam in rebus ipsis natura Generis est determinata, & facta Species per differentiæ naturam & natura specifica ab alijs distincta, & tunc isti tres actus ad Metaphysicum pertinent, & considerare differentiam secundum istos actus in rebus. Altero modo possunt considerari, ut per intellectum isti assumuntur, & exercentur, id est quatenus Genus ipsum abstrahentes per differentias diuidimus, & Speciem ex Genere cum Differentia componimus, & per differentiam ab alijs separamus: & sic considerare Differentiam, est Logici: consideramus enim differentiam, ut intentioni secundæ substat, & ex his procedit quidam quartus actus ipsius Differentiæ, qui magis est Logici. s. prædicari de his quæ per talem constituuntur Differentiam, & hoc peculiariter hic consideratur, s. ut est prædicabile. Atqui omnia ista melius cōsiderantur, & cognoscūtur in ipsis rebus; propterea Prophyrius miscet res ipsas, tamen intelligenda sunt omnia in ordine ad intentiones.

Dub. 2. Dubitatur secundo. Videtur enim ista definitio diminuta, scilicet prædicatur de pluribus Specie differentibus in eo quod quale quid: cum multis Differentijs non competat, nam ultimæ Differentiæ non prædicantur nisi de unica Specie.

Prima opin. Circa hoc multiplex est dicendi modus, Fuit prima sententia Burlęi in pręsenti loco: cum duplex genus sit Differentiarum: quędā genericæ, per quas Genus constituitur: quædam sunt ultimæ, per quas ultima Speceies, & specialissima componitur, inquit Burlæ. Sicut in capite de Specie, quædā est data definitio, quæ soli specialissimæ competit, quędam aliæ pro utraque Specie: ita in hoc capite ista definitio est pro differentia generica, aliæ pro omnibus sunt.

2. opin. Alia fuit sententia multorum asserentium Porphyrium non meminisse in hoc capite, nisi solum Differentiarum genericarū, quia ultimæ nō sunt cognitæ a nobis: & hic modus dicendi non uidetur abhorrere à doctrina S. Th. 2. Post. lect. 13. qui idem docet super Arist. s. non meminisse ultimarum, quia incognitæ sunt. Nec longe ab hac sententia distat Simpl. c. 3. Ante prædicam. regula 2. ubi refert Porphyrium definisse Differentiam, ut in plurimum.

Confutatio. Sed prima sententia Burlæ. non uidetur mihi

mihi admodum rationabilis, quia cum ratio præcipua Differentiæ in hoc loco sit, vt prædicabile est, & id explicetur: solũ in hac definitione, debuisset Porphy. oẽm Differentiam definire, sicut fecit in capite de Specie, vbi dedit definitionem conuenientẽ Speciei, quæ est prædicabile. Secunda item sententia videtur Alberto tracta. 5. c. 6. non esse recipienda, quia cum veritas sit; esse Differentias vltimas, non debuit assignare definitionem Porphy. non conuenientem omnibus differentijs.

3. opin. Fuit tertia sententia aliorum, qui nullas esse Differẽtias vltimas existimauerunt, sed omnes genericas, & communes, & quòd duę, aut tres simul iunctæ Speciem vltimam componunt, vt mortale conuenit homini, & bruto, rationale homini, & Angelo secundum Porphyrium, at rationale mortale soli homini: & hanc crediderunt esse sententiam Porphyrij, & videtur esse doctrina expressa Arist. 2. Post. c. 14. vbi asserit Differentias singulas per se competere multis Speciebus; tamen aliquæ simul iunctæ vnam rem componunt: & sic esse dandæ definitiones. & 1. Top. c. 3. problema Differentiæ ad problema Generis reducit. & 4. Topi. c. 6. ponit discrimen inter Genus, & Differentiam, quod quamuis vtraque de pluribus prædicentur, tamen adhuc de pluribus Genus, quàm Differentia.

Confutatio. Circa hoc dico duo. Primum, mihi videtur ista sententia esse Porphy. vt clarè patet in ipso capite: non enim aliter constituit Species, quàm per multas differentias genericas. Dico Secundo istam sententiam, quòd non sint vltimæ Differentiæ, esse manifeste contra Aristotelem qui 7. Metaphys. cap. 12. inquit, vltimas Differentias cum Specie conuerti, & primo de partibus animal. cap. 2. dicit, aliquas Species non habere nisi vnicam Differentiam. Nec locus Aristot. in oppositũ probat quicquam, quia illic docet Aristoteles definitionem secundum eas Differentias, quę inueniuntur: ac vltimæ occultissimæ sunt, non tamen propterea sunt negandæ: & in Topic. ipse clare dicit, Differentiam, quæ generica est, cum genere esse ascribendam, vbi insinuat esse Differentiam, quæ non est generica.

4. opin. Quarta opinio fuit Alber. tracta. 5. ca. 6. & Auicen. & Alphar. Dicunt enim, quod Differentia duo habet, secundum quod est Differentia alterum est Genus distinguere, alterum, Speciem constituere: quod vero constituant Differentiæ determinatam, & vltimam Speciem, non habent inquantum Differentiæ, sed inquantum sunt quædam naturæ particulares non conuenientes pluribus Speciebus; ex quo fit, quod propria ratio Differentiæ inueniatur in genericis; nam vltima Differentia habet aliquid mistum, quod non est Differentiæ secundum se; & ita dicunt Porphyrium definisse Differentiam secundum ea, quæ per se habet; & ita non curauit vltimas definire.

Confutatio. Contra hoc dicit bene Caietanus, quòd vltima Differentia, licet habeat aliquid, quod non est Differentiæ secundum se; non tamen amittit ea, quæ sunt Differentiæ secundum se; nam diuidit, & constituit, & propterea debuit definiri.

5. opin. Vnde est quinta sententia ipsius Caietani asserentis illic: definiri omnes Differentias etiam vltimas: & sensum definitionis esse negatiuum, scilicet, Differentia est, cui in quantũ Differentiæ nõ repugnat prędicari de pluribus Specie differentibus: si enim repugnaret, nulla Differẽtia prędicaretur de pluribus. Et hæc fuit sñia Iamblici asserentis ꝙ differentiæ vltimæ, vt Differentia est, non repugnat de pluribus Speciebus dici, quod idem docuit Auic. c. de communitatibus: vnde sententia Caietani non est noua, & propria.

Confutatio. Sed quamuis ista sint probabilia, tamẽ existimo esse præter mentem Porphy. qui vltimas Differentias non definiuit, siue quia credidit non esse, siue quia occultæ sunt.

Solutio. Propterea vniuersaliter, posset sic Differentia definiri. Differentia est, quæ prædicatur de Specie, cuius est Differentia, in quale quid.

Dubiũ tertium. Dubitatur tertio. Quomodo Differentia prædicetur in quale quid, Pro quo oportebit aduertere, quod qualitas non est aliud, quam id per quod fit modus, & determinatio alicuius, quod ex se est indifferens, & indeterminatum.

Solut. Potest autem aliquid tripliciter determinari. Vno modo, ad aliquem modum se habendi accidentalem, ut homo postquam est homo, est indifferens, vt sit albus, vel niger, calidus, vel frigidus: & vniuersaliter omnis substantia postquam est, est indeterminata, vt sic, vel sic se habeat, & talis forma

mã determinans in communi dicitur qualitas accidentalis. Secundo, aliquid est indifferens ad esse substantiale, quo pacto materia est quędã substãtia indeterminata ex se, & imperfecta, ex qua multa fieri possunt, & determinat per formã ipsam, vt si sit forma ignis, fit ignis, si forma equi, fit equus, & talis forma dicitur qualitas substantialis. Tertio, aliquid est indifferens, tanquam aliquid confusum, & multa comprehendens, & per particulare determinatur, quo pacto se habet Genus respectu Differentiæ, vnde & Differentia dicitur etiam qualitas substantialis: has qualitates posuit Aristoteles 5. Meta. c. 14.

Nota. Est autem notandum discrimen inter has; qualitas enim accidentalis, cum eo, quod determinat, non facit aliquam naturam, ut albedo determinat hominem, sed homo, & albedo non faciunt unicam naturam per se, sed tantum compositum accidentale: at forma cum materia facit unicam naturam per se, & vnicum compositum substantiale, hominem, leonem, aut aliud quoduis: similiter Differentia cum Genere facit unicam naturam specificam.

Sed omissa qualitate accidentali, inter has, scilicet formam, & materiam, Differentiam, & Genus, est triplex discrimen considerandum. Primum, materia, uel forma per se non claudunt totam rei substantiam, sed materia dicit vnicam partem, forma alteram partem: at Genus, & Differentia vnumquodque per se, totam substãtiam dicunt, & claudunt; verbi gratia animal totam substantiã compositam ex forma, & materia dicit: similiter rationale, sed cum discrimine: nam animal in homine dicit totam substantiam hominis secundum quod in ea est aliquid, in quo homo alijs animalibus est similis: at rationale dicit eandem hominis substantiam, secundum quòd in ea est aliquid, in quo ab alijs animalibus separatur: & uniuersaliter Genus dicit rei integram substantiam, vt in ea alijs Speciebus assimilatur. at Differentia dicit eandem rei substantiam, vt in ea aliquid est, quo ab alijs separetur. Propter quod S. Thom. de Ente, & Essentia, c. 3. dicit hominem, seu Speciem non componi ex Genere, & Differentia, sicut ex duabus rebus, sed sicut ex re aliter intellecta, & eadem re aliter intellecta.

Secundum discrimen est, quod ex hoc infertur, materia, & forma, cum singula rei substantiam non dicant, de composito prædicari nequeunt: non enim dicetur homo est anima, homo est corpus; at Genus, & Differentia, cum singula totam rei substantiam dicant, per se de re prædicantur, ut homo est animal, homo est rationalis.

Tertium, composita singula non participant totam materiæ substantiam, cum ex alia parte materiæ fiat unum, ex alia aliud: at singulæ Species totum Genus participant, quantum, ad eius substantiam, quæ per definitionem explicatur, ut homo per se, leo per se, capra per se, sunt participes integræ substantiæ animalis, sed non participant singulæ Species totam Generis potentiam, quia Genus in potentia continet omnes Species suas: at una Species non continet aliam.

Hinc patet quantũ intersit inter Genus, & materiã, Differentiam, & formam quod si Genus dicitur materia, & Differentia forma, est ad similitudinẽ, ut enim materia contrahitur, & forma contrahit; ita Genus per differentiam contrahentẽ limitatur: unde Differentia ipsa, dicitur etiam qualitas.

Sed est maximè considerandum. Differentia potest dupliciter comparari, & ad ipsum Genus, quod determinat, & ad Speciem, quam constituit: respectu enim Generis est qualitas, sed extrinseca aliquo modo, quia non est de natura Generis: unde de Genere prædicatur in quale, sed non essentiale: at Speciei est qualitas essentialis, quia est pars naturæ eius: propterea de Specie, in quale quid prædicatur, sicut anima est qualitas corporis, sed non est de essentia corporis, at hominis & compositi est pars propterea dixit Porphyrius: Differentia dat esse rei, scilicet speciei, & est pars substantialis, idest est intrinseca rei. Nota.

Dubitatur quarto breuiter; quomodo ultima Differentia, cum de una specie prædicetur, sit uniuersale? Dico primo, secundum nos nullum dubium esse, qui diximus huius libri subiectum primum, esse uniuersale, ut est in multis, & quia rationale est in multis, sicut & ipsa species, quam constituit; ideo esse uerè, & propriè uniuersale, sed etiã si quis subiectum diceret esse Prædicabile, idem consequitur, constat enim Differentiam esse prædicabilem. Dub. 4. Solut.

Dici etiam secundo posset; Differentiam

talem

ualem esse uniuersale, quia de subiecto uniuersali prædicatur, unde & de contentis sub tali specie prædicabitur, sed cum discrimine, nã Species immediatè, at Differentia, mediatè, scilicet per Speciem ipsam prædicabitur.

Dub. 5. Dubitatur quinto, quomodo Porphyrius utitur Differentijs priuatiuis, scilicet irrationale, immortale? Boetius existimauit tales Differentias posse constituere Speciem; sed quia aliàs latius de hoc dicemus: interim dico absque nullo dubio sententiam Boetij esse contra Aristot. q. 1. de partibus animæ, vbi docet, & probat oppositum: Boetius forsan sequitur Platonem, qui huius sententiæ fuit: ratio est clara contra eum, quia priuatio non est de essentia alicuius entis positiui, & absoluti, quales sunt Species.

Solut. Vnde dico, illas Differentias priuatiuas poni loco positiuarum, quod fit ob duplicem causam, quam tradit Aristot. 6. Topic. cap. 3. uel quia Differentiæ aliæ sunt occultæ, uel quia sunt multæ, quas enuntiare esset prolixum.

DE PROPRIO. Cap. IIII.

Proprium uero quadrifariam diuidunt. Nam & id, quod soli alicui Speciei accidit, etsi non omni. Proprium dicitur, ut homini medicum esse, uel geometram. Et quod omni accidit Speciei, etsi non soli, quemadmodum homini esse bipedem. Et quod soli, & omni, & aliquando, ut omni homini in senectute canescere. Quartum autem id, in quo conuenerunt & soli, & omnes, & semper; quemadmodum homini esse risibile; nam etsi non semper rideat, tamen risibilis dicitur, non quòd rideat semper, sed quòd semper aptus natus sit ut rideat, hoc autem ei semper connaturale est, quemadmodum & equo hinnibile. Hæc autem & propriè Propria dicuntur, quoniam etiam conuertuntur; si quid enim equus est, hinnibile est, & si quid hinnibile est, equus est.

Sequitur quartum prædicabile, scilicet Proprium, quod meritò Accidenti præponitur, quia quamuis de rei substantia non sit, est tamen substantiæ, & essentiæ rei proximum, ab ea, scilicet, immediatè emanans. In hoc igitur capite duo tantum continentur: alterum, quatuor sunt Proprij acceptiones, alterum ipsius Proprij Logici prædicabilis definitio.

Sumitur autem Proprium quatuor modis. Primo dicitur Proprium, prædicatum aliquod accidentale, quod soli alicui speciei inest, non tamen omnibus indiuiduis illius Speciei competit, sicut esse Grammaticum, Medicum, non nisi homini conuenit, non tamen omni homini. 1

Altero modo Proprium dicitur prædicatum accidentale, quod omni indiuiduo alicuius Speciei, non tamen ei soli competit, quo pacto hominis est Proprium esse bipedem, omnis enim homo est bipes, non tamen solus homo, quia alia aliqua animalia duos pedes habent. 2

Tertium. Proprium est prædicatum etiam accidentale, quod omni indiuiduo alicuius Speciei, & soli competit, tamen non semper, sed aliquo tempore, quo pacto canescere est Proprium hominis: omnis enim homo, & solus homo canescit, sed non semper, nisi in senectute, fit enim canities, ex corruptione humidi, quod calor naturalis, quia modicus est, ex longa, & continua actione non potest consumere, quod potissimum tempore senectutis fit, quando calor tenuis est: potest etiam accidentali, quo talis calor impediri ab actione, & tunc humidum corrumpetur, & fient cani: sunt etiam aliqui, qui etiam senes tardè, aut nunquam canos habent, in quibus humidum est subtile, & pingue, quod modicus calor potest consumere. 3

Quarto modo dicitur Proprium, prædicatum accidentale, quod omni, & soli, & semper conuenit, & hoc propriè, & simpliciter dicitur Proprium, sicut risibile est Proprium hominis, solus enim homo, & omnis homo, & semper est risibilis. Posset autem aliquis dubitare, nam non semper hõ ridet. Respond. quamuis actus ridendi semper nõ sit, tamẽ aptitudo ad ridendum est semper: propterea semper hõ est risibilis, idest aptus natus ad risum. Ex hoc infert proprietatem unam Proprij, scilicet quod conuertitur

cum suo subiecto: ualet enim homo est, ergo risibile est: risibile est, ergo homo est. Ex quibus potest componi integra definitio Proprij, scilicet, Proprium est accidentale prædicatum, quod conuenit omni, & soli, & semper Speciei, & conuersim prædicatur de ea.

Dubia quædam scitu digniora in Caput de Proprio.

1 Circa hoc caput aduertendum est primo, Proprium dupliciter sumi: vno modo ut distinguitur contra improprium, quo pacto dicimus homo propriè significat viuum, impropriè pictum, & sic in præsenti non consideratur: altero modo ut distinguitur contra commune, ut id sit Proprium alicui, quod nō alijs præter ipsum competit, & sic in præsenti sumitur. Vbi considerandum quoque est, in omnibus his acceptionibus, Proprij, semper loco Generis, sumi illud (accidit) id est prædicatum accidentale, id est quod non est de natura rei, de qua prædicatur.

2 Est secundo aduertendum, quòd Arist. 1. Top. c. 4. distinguit Proprium in absolute Proprium, & ad aliquid, & quando. Proprium absolutè est (vt definit ipse) quod non indicat naturam rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur. Prima particula est ad excludendum Genus, Definitionem, & Differentiam, quæ sunt natura rei, uel de natura rei; secunda particula ad excludendum proprium secundo modo, & Accidens commune, quæ pluribus insunt; tertia particula ad excludenda Propria primo, & tertio modo, quæ soli Speciei insunt, tamen non conuertuntur. Proprium ad aliquid est, quod secundum se commune est; tamen si subiectum, cui inest, alijs comparetur illi est Proprium, ut bipes absolute hominis, non est Proprium, tamen si homo ad equum comparetur, homini bipes est Proprium. Proprium, quando est idem, quod Porphyrius ponit; & quamuis non his uerbis de Proprio Porphyrius egerit, tamen omnia, quæ dicit, re ipsa sunt eadem cum Arist. nam Proprium, quarto modo, est absolutè Proprium, & definitio hic assignata (vt dixi) est eadem cum illa Aristotelis. Proprium autem tertio modo uocat Aristoteles quando; reliqua sunt ad aliquid: quamuis Proprium primo modo cum sit indiuiduorum, particulatim ab Arist. sit prætermissum, quia ea, quæ vniuersaliter dicuntur, ibi quærebat.

3 Dubitari etiam solet, an Proprium sit dicendum Vniuersale? Aliquibus uidetur dubium, quia non prædicatur de indiuiduis, ut proprium est, nisi mediatè, dico tamen esse vniuersale, & immediatum, ut enim uniuersale sit immediatum, sufficit quòd immediatè de uniuersali prædicetur, scilicet de Specie sicut diximus de ultima Differentia superius, & quod sit in multis, sicut ipsa Species cui conuenit.

DE ACCIDENTE. Cap. V.

Accidens autem est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem in duo: hoc enim ipsius separabile est, illud uero inseparabile: dormire quidem separabile accidens est: nigrum uero esse inseparabiliter coruo, & Aethiopi accidit. Potest enim intelligi & coruus albus, & Aethiops abijciens colorem, præter subiecti corruptionem. Definiunt autem sic quoque. Accidens est quod contingit eidem inesse, & non inesse. Et quod neque Genus est, neque Differentia, neque Species, neque proprium: semper autem est in subiecto subsistens. Omnibus autem determinatis quæ proposita sunt (dico autem Genere, Specie, differentia, Proprio, Accidente) dicendum est quæ eis communia sunt, & quæ propria.

Non est hic, quòd in dubium uertamus, quare de Accidēti tractet Porphyrius, cū nullū supersit Prædicabile, cui anteponatur: cūque inter oīa sit maxime extra rei essentiã. In hoc igitur breuissimo capite sunt tres Accidentis definitiones, cum unica diuisione.

Prima definitio est, Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionē;

ac si dicat, est prædicatum uniuersale, quod de subiecto ita affirmari, uel negari potest, ut nec propter eius præsentiam, uel affirmationem, nec propter eius absentiam, uel negationem, natura subiecti destruatur, ut siue dicas, homo est albus, siue homo non est albus, non propterea homo corrumpitur.

Sequitur Accidentis diuisio. Duplex est Accidens, quoddam est separabile, quoddam inseparabile: inseparabile, quod à subiecto separari non potest, vt albedo est Cygno inseparabilis: separabile, quod separari potest, vt sedere, currere. At quia quis posset obijcere Porphyrio, quod hæc diuisio videatur aduersari definitioni, si enim est Accidens inseparabile, nõ ergo adest, & abest. Resp. quamuis re adesse, & abesse non possit, intellectu tamen separatur: dum Æthiopem absque nigredine, & Cygnum absque albedine cõsiderare possumus.

Secunda definitio est. Accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse, Ista magis explicat naturam Accidentis: nam adesse, & abesse, non solum Accidentibus, sed alijs competit: at inesse est proprium Accidentis.

Tertia definitio est, Accidens est, quod nec est Genus, nec Species, nec Differentia, nec Proprium, semper autem est in substantia subsistens, id est nunquam extra substantiam reperitur. Hæ duæ ultimæ definitiones sunt Arist. 1. Top. c. 4.

Dubia quædam, seu Quæstiones scitu digniores in caput de Accidenti, & eius definitiones.

Omnia fere, quæ in hoc capite continentur, ab Auicenna reprehenduntur: at vt nos horum sensum perfectum teneamus erit primo aduertendum, Accidens tripliciter sumi: uno modo, ut distinguitur contra substantiam, ut omne ens, quod non est substantia sit Accidens, quo pacto dicitur ens diuidi in substantiam, & Accidens, & hoc aliqui uocant Accidens nominale, quia scilicet per nomen Accidentis significatur, & de illo in se dicitur, hoc est Accidens: Altero modo latius sumitur pro omni eo, quod extra substantiam alterius est, siue sit substantia, siue accidens, quo pacto homo est Accidens animalis, & Petrus hominis, in qua significatione Philosophi concedunt illas esse prædicationes Accidentales; animal est homo, homo est Petrus, & hoc uocat Accidẽs uerbale, quia non tam dicitur, homo est Accidens animali, quam accidit animali, & de isto modo Accidentis loquutus est Arist. 5. Met. c. 30.

Nota.

Tertio. Accidens sumitur particularius pro una parte Accidentis primi modi accepti, quod dicebatur nominale: hoc enim diuiditur in commune, & proprium: commune est, quod non fluit ex principijs essentialibus alicuius subiecti, respectu cuius dicitur commune, vt albedo respectu hominis: non enim ex natura hominis fluit albedo. Aliud est, quod ex subiecti natura fluit, & hoc illi dicitur Proprium, ut risibile homini: tunc autẽ signum erit fluere ex principijs essentialibus subiecti, quando nec illud sine subiecto, nec subiectum sine eo esse possunt: quando uerò contra non fluit, commune reputatur: illud ergo Accidens proprium facit quartum Prædicabile, commune uero quintum Prædicabile.

Ex quo sequitur Accidens, quod est quintum Prædicabile, non esse Accidens secundo modo, quia secundum illud fiunt prædicationes indirectæ, quæ non sunt artis: nec esse Accidens in uniuersum, ut distinguitur contra substantiam, quia hoc comprehendit Proprium, & istud Prædicabile quintum: sed est Accidens commune quod non fluit ex principijs essentialibus subiecti de quo prædicatur, & hoc noluit aduertere Auicenna.

Est secundo notandum, Accidens tripliciter posse considerari. Vno modo, secundum quòd in rebus est, & secundum suam essentiam, & naturam, & sic ad Metaphysicum pertinet. Altero modo secundum quod est in intellectu, & hoc respectu eorum, quæ sua sunt, idest respectu inferiorum, uel superiorum, vel Differentiarum, & sic nec est quartum, nec quintum Prædicabile, sed aliqua sunt Genera, aliqua Species, & Differentiæ. Tertio modo, vt ad subiectum comparatur, de quo prædicatur, & tunc Accidens proprium facit quartum; commune vero, quintum Prædicabile; & hoc est considerandum. Vnde Accidens non dicitur prædicatum Proprij, aut Accidentis, nisi respectu subiecti; & ita Porphyrius de istis duobus semper in ordine ad subiectum tradidit, nam respectu inferiorum, vel superiorum, Genera sunt, aut Species.

Dubitatur contra primam definitionem, quid

quid ibi loco Generis constituatur? In qua re oportet annotare, illa uerba in prima definitione, dupliciter posse considerari. Vno modo primò intentionaliter, scilicet adesse pro reali inhęrentia Accidentis in subiecto: & abesse pro reali Accidentis separatione: corruptione subiecti, pro reali destructione: ut sit sensus, Accidens est, quod realiter subiecto inhæret, & non inhæret, absq; ulla reali subiecti corruptione: & iste sensus quamuis sit uerus, non est Logicus, qui res absolutè non considerat. Alter sensus est secundò intentionaliter, ut adesse sit affirmari, abesse negari, subiecti corruptio, sit repugnantia naturæ subiecti: ut sit sensus. Accidens est prædicatum uniuersale, quod de subiecto affirmari, & negari potest, absque ulla repugnantia naturæ subiecti: ut, siue dicas homo est albus, siue dicas, homo non est albus, nihil dicitur repugnans naturæ subiecti; & talis sensus est Logicus, & sic à multis intelligitur talis definitio: ita explicat Caiet. & idem uidetur Auer. & tunc loco Generis est illud prædicatum, uniuersale, quod in multis alijs ponitur.

Ratio autem quæ mouet hos authores, ut existiment definitionem esse intelligendam in sensu secundæ intentionis, est, quia iste sensus est Logicus, & potest definitio sub eo explicari. Possumus etiam dicere, quòd sumitur primò intentionaliter, nec est inconueniens, quia cum Logica imitatur Metaphysicæ, potest aliquando ab ea aliqua petere; præsertim, quando clara, & ualde nota sunt, sicut ista; hæc enim definitio potius admittere uidetur sensum realem: nam si Porphyrius intenderet definire Logico, modo clarius id posset explicare, quam explicauit.

Dubitatur, an tali definitione definiatur Accidens proprium, quibusdam enim uidetur, quòd sic: quia si aliqua ratio id uetaret, esset, quia Proprium abesse non potest: at eadem ratione inseparabile abesse non potest: quod si dicas inseparabile intellectu separari, similiter, & Proprium separatur, ut enim coruus absque nigredine: ita homo absque risibilitate intelligi potest. Alijs uisum est opposito modo, nec Proprium, nec inseparabile hic definiri, sed tantum separabile, quia hoc solum potest abesse. Sed hoc non uidetur ad mentem Porphyr. si enim tantum Accidens separabile hic definiretur, oportuisset distinctionem præmittere definitioni, & non committere uitium: prius enim distinguendum est æquiuocum, seu multiplex, quàm definiendum. Alijs communiter uisum est, & hoc magis est ad mentem Porphy. utrumq; se Accidens tantum commune definiri, sed ad argumentum non uno modo responderur.

Albertus uidetur dicere, quòd hominem sine risibilitate intelligere possimus, at risibilitatem sine homine nullatenus: coruum uero absque nigredine, & nigredinem absque coruo possumus intelligere. Hæc doctrina uera est, & certa, & est Aristot. 7. Metaph. cap. 5. tamen non soluit dubium, nam Porphyr. loquitur de separatione subiecti: dicit enim, quòd Cygnum absque albedine possumus intelligere, hac autem separatione, etiam hominem absque risibilitate possumus intelligere.

Caietanus aliter respondet: & distinguit de duplici separatione per intellectum: altera est simplex, qua unum absque alio intelligimus, altera est composita, qua unum ab alio diuidentes, separamus, ut si quis intellectu componat, homo non est albus, dicit primo, simplici cognitione possumus subiectum absque Proprio, & absque inseparabili æquè intelligere, scilicet hominem absque risibilitate, & coruum absque nigredine. Secundo, abstractione composita subiectum à Proprio separare non possumus, dicentes, homo non est risibilis, subiectum uerò ab inseparabili possumus optimè separare, dicentes, coruus non est niger. Quod si dicas id non posse fieri, quia sicut prior est falsa, ita & posterior. Respon. Tertio, quod posterior est falsa, non alia ratione, nisi quia ita non est in rebus: at prior est falsa, non solum quia ita non est, sed quia destruitur natura subiecti, cui repugnat, quòd non sit risibile. Ista sententia est subtilis, & uera; quamuis ad mentem Porphyrij existimo esse dicendum, subiectum accidentis inseparabilis posse intellectu coniungi cum Accidenti opposito, possumus scilicet Æthiopem album intelligere: nec erit compositio implicans repugnantiam: & hoc manifestat ipsum Porphyrij exemplum: at subiectum cum opposita forma Proprij, non possumus intelligere, quia est implicatio, quamuis absque ullo Accidenti nudè posit intelligi, & hæc omnis abstractio fit absque aliqua compositione propositionis, sed per simplicem cognitionem como-

eo modo, quo corpus album simplici cognitione cognoscere possumus hæc etiam sententia fuit Aegidij Romani 1. Poster. ca. 6. in fine tex. 18.

Dubitatur circa secundam definitionem, an tantum separabili Accidenti competat? Respon. quòd ita existimauit Auer. alij vero inter quos Caietanus, credunt utrumque tam separabile, quàm inseparabile definiri cuius ratio est firma, quia ista definitio est desumpta ab Arist. 2. Top. cap. 4. Sed Arist. illic utrumque definit, quia ad problema Accidentis, de quo illic tradebat, æqua est utriusque Accidentis ratio.

5 Sed tunc insurgit argumentum, quia sunt multa Accidentia, quæ non adesse, & abesse possunt sine subiecti corruptione, vt lethales morbi similiter mors, combustio, corruptio, & alia similia.

Ad ista Respōdet Albertus, mortem combustionem, non esse Accidentia, sed destructiones substantiæ, & priuationes. Caietanus Respondet, hanc, homo est mortuus, esse disputatam, sed ueram propter ampliationem, quia sensum facit, homo qui est, uel fuit, est mortuus: immo, inquit, est per se causalis, quia causa, quod mortuus est, est quia fuit. Sed hoc uidetur ridiculum: nam quid dicet ad hanc, domus est combusta? non enim causa, quia combusta est, est quia fuit, & sunt aliæ innumeræ huiusmodi propositiones.

Propterea existimarem, ita esse dicendum subiectum febris esse hominem: tamē febris sua præsentia non corrumpit hominem, immo dum febris est, homo est, & cum homo non est, febris nō est, immo si multum febris durat, homo etiam durat. Ad illud uero de morte, & combustione, & corruptione, crederem illarum mutationum, in quibus substantia corrumpitur, subiectum non esse hominem, nec lignum, quod comburitur, sed materiam ipsam: & hæc semper manet. similiter destructionis domus materia ipsa est subiectum, & hæc etiam manet, destructa domo. Ista est sententia Burlæi super hoc caput, & videtur idem docere Ammonius in præsenti.

Dices, Si subiectum est materia, ergo prædicabuntur de materia, dicendo, materia est mortua, lapides sunt destructi, quod est falsum. Dico igitur quòd istæ mutationes inducunt alicuius præexistentis priuationem, vel alicuius quod non erat, positionem, & propter hoc de eodem prædicantur, dicendo domus est cōbusta, homo est mortuus, quia homo non est, & contra ignis est generatus, quia ignis acquirit esse.

DE HIS QVAE COMMVNIA sunt quinque Vniuersalibus. Cap. VI.

Commune quidem est omnibus de pluribus prædicari, quemadmodum dictum est. Sed Genus quidem de omnibus suis speciebus, & indiuiduis; & Differentia similiter. Species autem de ijs, quæ sub ipsa sunt indiuiduis. At vero Proprium, & de Specie, cuius est Proprium, et de ijs, quę sub Specie sunt indiuiduis. Accidens autem, & de Speciebus, & de indiuiduis. Namque animal de equo, & boue prædicatur, quæ sunt Species, & de hoc equo, & de hoc boue, quæ sunt indiuidua: irrationale uero de equo, & boue, & de ijs, qui sunt particulares, prædicatur. Species autē, vt homo, solum de ijs, qui sunt particulares homines prædicatur. Proprium vero de Specie, cuius est Proprium, & de ijs, quæ sub Specie sunt indiuiduis, vt risibile de homine, & de ijs, qui sunt particulares. Nigrum autem, & de Specie coruorum, & de ijs quæ sunt particulares, quod est accidens inseparabile, & moueri de homine, & de equo, quod est Accidens separabile, sed principaliter quidem de indiuiduis, secundario autē de ijs, quæ continent indiuidua.

Postquam Porphyrius de singulis secundum se Prædicabilibus tractauit, ea ipsa inter se comparat, explicans, quibus inter se, & conueniunt, & differunt. Caput quidem hoc, vt est longissimum, ita est clarissimum, nec est expers vtilitatis, cum magis Prædicabilium naturæ, & proprietates, ex mutua comparatione clarescant. Ea igitur omnia, quæ hic Porphyrius fusissime tradit, in sum-

nam quandam breuem, & epilogum redigemus, si quid dignum occurrerit, adnotantes.

In hoc ergo capite fiunt decem collationes Prædicabilium inter se, vnde in decem posset secari partes. In prima Genus cum Differentia confertur, & quantum ad ea, quæ communia, & quantum ad ea, quæ diuersa habent. In secunda confertur similiter Genus cum Specie. In tertia Genus cum Proprio. In quarta Genus cum Accidenti. In quinta Differentia cum Specie. In sexta Differentia cum Proprio. In septima Differentia, cum Accidenti. In octaua Species cum Proprio. In nona Species cum Accidenti. In decima Proprium cum Accidenti. Ac si quis rectè inspiciat, reperiet non posse esse plures istorum inter se uniuersalium comparationes, nec enim oportuit multiplicare collationes Differentiæ cum Genere, nec posteriorum cum superioribus quia eædem sunt cum collationibus superiorum cũ inferioribus.

Ante uerò quàm vnum alteri conferat, vnum omnibus commune ponit, scilicet de pluribus prædicari, Genus de speciebus, & indiuiduis Specierum: Differentiam de suis Speciebus, & Specierum indiuiduis: Species de suis indiuiduis: Proprium de Specie, eius indiuiduis: Accidens de Speciebus etiam, & de indiuiduis.

Hic nota pulcrum quoddam discrimen, quod inter Proprium, & accidens assignat. Proprium enim per prius de Specie, & per posterius de indiuiduis dicitur: prius natura enim homo est risibilis, posterius Petrus est risibilis: at prius Petrus est albus, posterius homo est albus: Huius ratio est, quia Proprium oritur immediatè tanquam ex causa, & principijs Speciei: at Accidens ex materia, & indiuidualibus principijs, quòd docet Aristot. 10. Metaph. ca. 11. homo, inquit, est albus, quia Callias, est albus.

Dubiũ. Posses hic dubitare in his omnibus prædicationibus, an quando Genus de indiuiduis prædicatur, sit prædicatio Generis, & quando Differentia, & proprium similiter de indiuiduis, sit prædicatio proprij, & prædicatio Differentiæ? Respondendum est, tales prædicationes esse Generis, & proprij, & Differentiæ, nec valet, quia Species prædicatur de indiuiduis, ergo illa prædicantur, vt Species: hoc enim nihil est, quia Species in quid, immediatè de indiuiduis, Genus vero mediatè, Proprium mediatè, & in quale prædicatur, similiter, & Differentia: non dubium, quin principales prædicationes sint illæ, quæ per definitiones explicantur, ut Genus de Speciebus, Proprium de indiuiduis.

De his, in quibus Genus, & Differentiæ conueniunt.

Commune autem est Generi, & Differentiæ continentia Specierum. Continet enim Differentia Species, & si non omnes, quot Genera. Rationale enim, & si non continet irrationalia, quemadmodum animal, tamen continet hominem, & Deum, quæ sunt Species. Et quæcunque prædicantur de Genere, vt Genus, & de ijs, quæ sub ipso sunt speciebus, prædicantur, & quæcunque prædicantur de differentia, vt differentia, & de ea, quæ ex ipsa est, Specie prædicabuntur. Nam cum Genus animal sit, non solum de eo prædicantur, vt Genus, Substantia, & animatum, & sensibile, sed etiam de ijs, quæ sunt sub animali Speciebus omnibus prædicantur hæc, vsque ad indiuidua. Cumque Differentia sit rationale, prædicatur de ea vt Differentia, id quod est ratione vti: & non solum de eo quod est rationale, sed etiam de ijs, quæ sunt sub rationali Speciebus, prædicabitur ratione vti.

Commune quoque est perempto Genere, vel differentia, simul perimi, quæ sub ipsis sunt. Quemadmodum enim, si non sit animal, non est equus, neque homo: ita si non sit rationale, nullum erit animal, quod utatur ratione.

Dubitabit merito quis, cum post Genus secuta fuerit Species, quare Genus prius cum Differentia, quàm cum Specie conferatur? ad quod facile Respon. id factum fuisse,

&, quia hic erat naturæ ordo, ut primo Genus, deinde Differentia, postmodum ex utrisque totum compositum, scilicet Species sequatur, ut supra diximus. Vel, quia plura sunt ea, quę in comparatione Generis cũ Differentia inueniuntur communia; cum in pluribus conueniant, & tamen differant minus, quàm quæ in collatione cum Specie.

Sunt autem tria, in quibus conueniunt. Primum, sicut Genus de pluribus speciebus ita, & Differentia iuxta Porphyrij sententiã, prædicatur: loquitur autem de diuisiua Differentia: propterea dicit, quod non de tot prædicatur, sicut Genus. Quid autem dicendum sit de Differentia ultima, & quomodo Differentia dicatur prædicari de pluribus differentibus Specie, supra explicuimus: Auicenna quidem interpretatur, quòd nõ repugnat Differentiæ de pluribus prædicari Speciebus; sed alij aliter: ut supra uidimus.

Secundo. Quidquid de Genere essentialiter prædicatur, etiam de specie prædicabitur: hoc idem de Differentia est intelligendum. Dixi (essentialiter) ad uitandas secundas intentiones: non. n. ualet, homo est rationalis, rationale est Differentia: ergo homo est Differentia.

Tertio. Sicut perempto Genere, perimuntur eius Species, ita perempta Differentia perimuntur Species, quæ sub ea sunt: ut. n. ualet, non est animal, ergo, non est homo, ita non est irrationale, ergo non est equus. Auicen. existimat hanc secundam esse omnibus uniuersalem conuenientiam: quod. n. de Proprio; & Accidenti realiter prædicatur, etiam de his, de quibus ea prædicantur, prædicabitur. Et id uidetur approbare Alber. sed mihi non placet, dicitur enim homo est albus, album est Accidens, non tamen dicitur homo est Accidens.

De differentijs inter Genus, & Differentiam.

3 *Proprium autem est Generi de pluribus prædicari quàm differentia, & Species, & Proprium, & Accidens. Animal enim de homine, & equo, & aue, & serpente, prædicatur: quadrupes uerò de solis quatuor pedes habentibus: homo uerò de solis indiuiduis, & hinnibile de equo solum, & de ijs qui sunt particulares: & Accidens similiter de paucioribus. Oportet autem Differentias accipere, quibus diuiditur Genus, non eas quæ complent substantiã Generis, sed quæ sũt diuisiuæ. Amplius Genus continet differentiam potestate (animalis enim hoc quidem rationale est, illud uerò irrationale) Differentia vero non continet Genera. Amplius. Genera quidem priora sunt ijs, quę sunt sub se positæ differentijs: propter quod simul quidem eas auferunt, non autem simul auferuntur ab eis: sublato enim animali, aufertur rationale, & irrationale: Differentiæ uerò non amplius simul auferunt Genus: nam etsi omnes interimuntur, tamen substantia animata sensitiua intelligitur, quę est animal. Amplius, Genus quidem in eo quod quid est: Differentia verò in eo quod quale quid est, quemadmodum dictum est prædicatur. Amplius, Genus quidẽ vnum est secundum vnamquamque Speciem, ut hominis id, quod est animal: Differentię uerò plures sunt, ut rationale, mortale, mentis, & disciplinæ perceptiuũ, quibus ab alijs animalibus differt. Et Genus quidem consimile est materiæ, formæ uerò Differentia. Cum autem sint & alia communia, & propria Generis, & Differentię, nunc ista sufficiant.*

Sex sunt, quibus Genus à Differentia differt. Primo, Genus de pluribus, quam Differentia prædicatur, cum Genus de oppositis. Differentijs, ipsæ autem non de se inuicem prædicentur: loquitur autem de diuisiuis Generis respectu eiusdem Generis, hæc est Arist. 4. Topic. c. 6. Secundo, Genus potestate continet Differentiam, non è contra, de hoc supra diximus. Tertio Ge-

nus, est prius natura Differentia, sicut forma est posterior ipsa materia, à qua educitur. Genus autem est, ut materia: hæc semper intelligit, de diuisiuis Differentijs: unde fit, ut sublato Genere, auferantur Differentiæ omnes, at sublatis Differentijs omnibus diuisiuis, adhuc manet integra natura Generis, saltem per intellectum. Quarto, differunt in modo prædicandi. Genus enim in quid, differentia in quale quid prædicatur.
4
Quinto. Vnius Speciei unicum Genus est immediatum, at sub uno Genere multæ Differentiæ unius Speciei: Genus hominis est animal, at rationale, mortale, Differentiæ. Ecce clare docet Porphyrius, non esse Differentias ultimas, sed Species componi per multas Differentias communes simul sumptas, aliter enim unius Speciei esset unicum proximum Genus, & vna vltima Differentia.
5
Sexto differunt, in compositione enim Speciei Genus habet locum materiæ, Differentia verò locum formæ, non quod sint materia, aut forma, ut supra declarauimus.
6

De comparatione Generis cum Specie.

4 *Genus autem & species commune quidem habent de pluribus, quemadmodum dictum est, prædicari, sumatur autem species ut species solum, sed non vt Genus, si fuerit idem Species, & Genus. Commune autem his est, & priora esse ijs, de quibus prædicantur. Et totum quoddam esse utrumque.*

Differunt aũt eo, quòd Genus quidẽ continet Species sub se: Species uerò cõtinetur, & non continet Genera: de pluribus enim Genus, quàm Species prædicatur. Amplius, Genera præiacere oportet, & informata specificis differentijs perficere Species. Vnde & priora sunt naturaliter Genera, & simul interimentia, sed quæ non simul interimantur, & Species quidem cum sit, est & Genus omnino: Genus verò cum sit, non omnino erit Species. Et Genera quidem vniuocè de speciebus prædicantur: Species verò de Generibus minimè. Amplius, Genera quidem abundant earũ, quæ sub ipsis sunt specierum continentia. Species verò a Generibus abundãt proprijs differentijs. Amplius, neque Species fiet vnquam generalissima, neque Genus fiet vnquam specialissimum.

Tria sunt in quibus Genus, & Species cõueniunt, hic autem sumitur Species specialissima; aliter enim, inquit, esset idem Genus cum Specie. Primo est commune suprapositum, scilicet de pluribus prædicari. Secundo 1
sicut natura Generis est prior naturaliter Specie, quia est ipsius principium, ita species idest natura, quæ dicitur Species, est naturaliter prior indiuiduo; ut prius natura est animal, quàm homo, & homo, quàm Petrus. 2
Tertio sicut Genus est quoddam totum continens Species; ita & Species totum continens indiuidua. Sed hic nota, non eodem modo esse totum Genus Speciei, sicut Species indiuiduorum: nam Genus non continet totam quidditatem Speciei in actu, quia Species non solum ex genere, sed etiam ex Differentia constat, at Species continet totam naturam indiuidui, cum indiuidua non habeãt aliam essentiam, quàm essentiam, & definitionem, seu quidditatem, quod idem est, ipsius Speciei: nisi quis cum Scoto uellit addere Differentias intrinsecas indiuiduantes, nam tunc eadem esset utriusque ratio, quantum ad hoc Generis, & Speciei. 3

Differunt autem primo, quòd Genus continet Speciem: Species autem non continet Genus: hoc intellige quantum ad potestatem, idest Genus continet Speciem, & omnia, quæ in potentia Speciei sunt, scilicet indiuidua; at Species continet quidem Generis naturam, sed non potestatem, quia non comprehendit omnia, quæ sub Genere continentur: & hinc est, quod Genus de pluribus, quàm Species prædicetur. Secundo differunt, quòd Genus est ueluti materia, ex qua simul cum Differentia fit Species. Ex quo sequitur tertia differentia, quòd Genus est prius natura Specie, sicut prius est aurum, ex quo fit statua, quam ipsa statua: & ex hoc etiã sequitur, quarta differentia, quòd 1 2 3

sublato

4 sublato Genere per intellectum, auferetur Species, tamen ablatis Speciebus, adhuc manet
5 per intellectum integra natura Generis. Quinto differunt, quod Genus de Speciebus uniuocè prædicatur; non è contra Species de Genere: Hoc intellige non quòd Species æquiuocè de Genere prædicetur, sed quòd non faciat prædicationem per se, & ordinatam, sed
6 indirectam, & per accidens. Sexto Genus quantum ad potestatē excedit singulas Species per se, quia Genus in potentia continet omnes, at quantum ad actum Species excedit Genus in Differentia, nam Species in natura includit Differentiam, quæ tamen non est in natura, & essentia Generis, uti diximus. Septimo differ-
7 sunt, quòd nullum Genus potest fieri specialissima Species, nec ulla Species Specialissima Genus. Hæc sunt in quibus Species, & Genus mutuo conueniunt, & mutuo differunt.

De comparatione Generis cum Proprio.

5 *Generis autem, & Proprij commune quidem est sequi Species: si quid enim homo est, animal est: & si quid homo est, risibile est. Et æqualiter prædicari Genus de Speciebus, & Proprium de quæ illo participant indiuiduis; æqualiter enim & homo, & bos animal est, & Cato, & Cicero risibile est, Commune autem est etiam vniuocè prædicari Genus de proprijs Speciebus, & Proprium de ijs, quorum est Proprium.*

Differunt autem, quoniam Genus quidem prius est, posterius verò Proprium; oportet enim esse animal, dehinc diuidi Differentijs, & Proprijs.

Et Genus quidem de pluribus speciebus prædicatur. Proprium verò de una sola Specie, cuius est Proprium. Amplius, Proprium quidem conuersim prædicatur de eo, cuius est Proprium, Genus vero de nullo conuersim prædicatur: nam neque si quid animal est risibile est: si quid verò homo est, risibile est, & e conuerso. Amplius, Proprium omni Speciei inest, cuius est proprium, & soli, & semper: Genus verò omni quidem speciei inest, cuius fuerit Genus, & semper, non autem soli. Amplius, Propria quidem interempta, non simul interimunt Genera; Genera vero interempta simul interimunt Species, quarum sunt propria: quare, & his, quorum sunt propria, interemptis & ipsa simul interimuntur.

Tria sunt, quibus Genus, & Proprium conueniunt. Primum. Quemadmodum in bona consequentia ex Specie infertur Genus, ita & Proprium. Valet enim est homo, ergo est animal: est homo, ergo est risibile. Secundo sicut Genus de suis Speciebus non secundum magis & minus prædicatur, ita & Proprium; non enim homo est magis, uel minus animal, quàm alia Species, nec unus homo magis risibilis, quam alius. Tertio 3
sicut Genus, & definitio Generis de Specie prædicatur, dicendo, homo est animal, & homo est substantia animata sensibilis, ita & Proprium, & definitio proprij de suo subiecto prædicatur.

Contra hoc tamen potest esse obiectio. Proprium definitur per subiectum, ergo si definitio Proprij de subiecto prædicatur, esset nugatio, dicendo homo est homo aptus ad ridendum. Ad hoc Respon. Albe. tract. 8. cap. 6. quòd Proprium potest dupliciter definiri: uno modo, secundum quòd proprium est, & tunc per subiectum habet definiri: altero modo, ut est in suo Prædicamento constitutum, & tunc aliter definietur scilicet risibile est aptum ridere, & sic prædicatur. Hæc responsio nunc sufficiat, posset autem aliter fortasse responderi, sed extra limites Logicos egrederemur, cum pertineat ad 7. Metaph. cap. 5.

Ea autem, quibus differunt, sunt quinque: Primo, Genus est prius natura Specie, de qua prædicatur; Proprium verò est posterius: Genus enim est principium Specierum, at Species est Proprij principium. Secundo, Genus de pluribus speciebus prædicitur, at Proprium de una: hoc intellige, quòd semper Genus pluribus prædicatur, proprio autem non repugnat de una sola

præ-

prædicari: nam aliqua sunt Propria, quæ de pluribus speciebus prædicatur, scilicet ea, quæ sunt Propria aliquorum subiectorum communium: mobile enim est passio, & Proprium
3 corporis naturalis. Tertio, Genus cum singulis speciebus non prædicatur conuersim, at Proprium conuertitur cum specie, cuius
4 est Proprium. Quarto, Proprium inest soli Speciei suæ, omni, & semper: Genus inest quidem omni, & semper, sed non soli, scilicet Genus non interimitur per interemptionem, & negationem specierum, ut diximus: non enim ualet, non est homo, ergo non est animal, at interempta Specie, interimitur Proprium, ualet enim, non est homo, ergo non est risibile; non est equus, ergo non est hinnibile.

De comparatione Generis cum Accidenti.

6 *Generis verò, & Accidentis commune est, de pluribus, quemadmodum dictum est, prædicari, siue separabilium illud Accidentis sit, siue inseparabilium: etenim moueri de pluribus, & nigrum de coruis, & Aethiopibus, & aliquibus inanimatis prædicatur.*

7 *Differt autem Genus ab Accidente: quoniam Genus ante Species est; Accidentia verò speciebus posteriora sunt: nam etsi inseparabile sumatur Accidens, tamen prius est illud cui accidit quàm Accidens. Et Genere quidem quæ participant, æqualiter participant. Accidente verò non æqualiter: intensionem enim, & remissionem suscipit Accidentium participatio, Generum verò minimè. Et Accidentia quidem in indiuiduis principaliter subsistunt: Genera vero, & Species naturaliter priora sunt indiuiduis substantijs. Et Genera quidem in eo quod quid est prædicantur de ijs quæ sub ipsis sunt; Accidentia vero in eo quod quale aliquid est, vel quomodo se habeat vnumquodque: qualis enim est Aethiops interrogatus, dices niger: & quemadmodum se Socrates habeat, dices, quod sedet, vel ambulat.*

Genus igitur, quo ab alijs quatuor differat, dictum est. Contingit autem etiam vnumquodque alterum differre ab alijs quatuor: quare cum quinque quidem sint, vnumquodque autem ab alijs quatuor differat, quater quinque, viginti fiunt omnes differentiæ. Sed non ita se habet, sed semper deinceps enumeratis, & duobus quidem vna Differentia deficientibus (propterea quoniam iam sumpta est.) tribus verò duabus, quatuor verò tribus, quinque verò quatuor, decem omnes fiunt Differentiæ, quatuor, tres, duæ, vna. Genus enim quo differt à Differentia, & Specie, & Proprio, & Accidente, dictum est: quatuor igitur differentiæ. Differentia vero, quo differat à Genere, dictum est quando quo differt Genus ab ea dicebatur; reliquum est igitur quo differat Differentia à Specie, Proprio, & Accidente dicatur: & fiunt tres. Rursus Species quo quidem differat à Differentia dictum est, quando quo differt à Specie Differentia dicebatur: quo etiam differat Species à Genere dictum est, quando quo differt Genus à Specie dicebatur: reliquum est igitur vt quo differat Species à Proprio, & Accidente dicatur: duæ igitur sunt & hæ Differentiæ. Proprium autem quo differat ab Accidente relinquetur: nam quo à Specie, & Differentia, & Genere differat, prædictum est in illorum ad ipsum Differentijs. Quatuor igitur sumptis Generis ad alia differentijs, tribus vero differentiæ, duabus autem speciei, vna vero proprij ab accidente, decem erunt omnes: quarum quatuor, quæ sunt Generis ad reliqua, superius demonstrauimus.

Dif.

Differentiarum quinque Vocum numerus.

Genus.	*Species.*	*Differentia.*	*Proprium.*	*Accidens.*
I	I	I	I	I
	I	I	I	I
		I	I	I
			I	I
				I

Vnum inter alia, quę assignari possent, est, in quo genus cum accidenti conuenit, scilicet de pluribus prædicari; hoc autem tam accidẽti separabili, quàm inseparabili inest. Qua-
1 tuor autem sunt ea, quibus differunt. Primo, Genus est prius natura ipsa Specie, At accidens utrumque est posterius, tam separabile
2 quàm inseparabile. Secundo, Genus non prædicatur secundum magis, & minus, at Acci-
3 dens suscipit magis, & minus. Tertio, Accidentia in indiuiduis subsistunt, at Genera prius natura sunt in se, quàm in indiuiduis,
4 & Speciebus. Quarto Genus prædicatur in quid, at Accidens in quale, vel in quo modo se habet: si enim dicitur, qualis est homo. Respon. est albus: qualiter se habet? Resp. sedet: aut studet. Hic reddit rationem Porphyrius, quare non tradidit comparationem Differentiæ ad Genus, nec tradidit Proprij ad Genus, & Speciem: inquit facta comparatione superiorum cum posterioribus, non est necessaria rursus comparatio posteriorum cum prioribus, quia eadem est, quod supra diximus.

De comparatione Differentiæ cum Specie.

Commune ergo Differentiæ, & Speciei est, æqualiter participari. Homine enim æqualiter participant particulares homines, & rationalis Differentia. Commune etiam est, & semper adesse ijs, quæ illis participant. Semper enim Socrates rationalis est, & semper Socrates homo.

Proprium autem Differentiæ quidẽ est in eo quod quale est prædicari; Speciei uerò in eo quod quid est. Nam etsi homo velut quale quid accipiatur, non tamen simpliciter erit, quale, sed secundum id, quod Generi aduenientes Differentiæ cum constituerunt. Amplius, Differẽtia quidem in pluribus sæpe speciebus consideratur, quemadmodum quadrupes in pluribus animalibus Specie differentibus; Species verò in solis ijs, quæ sub Specie sunt indiuiduis est. Amplius, Differentia prior est ea Specie, quę est secundum ipsam; simul enim ablatum rationale interimit hominem; homo vero interemptus non aufert rationale, cum sit Deus. Amplius, Differentia quidem componitur cum alia Differentia: (rationale .n. & mortale compositum est in substantia hominis) Species verò Speciei non componitur, vt gignat aliam aliquam Speciem; quædam enim equa cuidam asino permiscetur ad muli generationem; equa autem simpliciter asino composita nunquam perficeret mulum.

Duo sunt, quibus Differentia cum Specie
conuenit. Primo, neutra secundum magis, & 1
minus, de suis prædicatur. Secundo sicut Spe 2
cies semper adest indiuiduis, ita Differentia Speciei: ac si dicat, sicut non potest indiuiduum sine Specie intelligi, quæ est natura eius, ita nec Species sine Differentia: unde vtrique est commune, vt semper adsint suis subiectis, de quibus prædicantur. Vide hic Albert. tract. 8. c. 8. de propositionibus, quas uocant sempiternæ ueritatis.

Differunt autem in quatuor. Primo, Dif- 1
ferentia prædicatur in quale, Species in quid.
Secundo, Differentia de pluribus speciebus 2
prædicatur, at species, scilicet specialissima

solum

3 solum de pluribus indiuiduis. Tertio Differentia est prior natura Specie, cum sit uniuersalior: ubi uidetur Porphyrius non cognouisse differentias ultimas: unde Auicenna paulo seuerius inquit, hæc omnia à Porphyrio per ignorantiam fuisse dicta: sed tamen quomodo hæc intelligenda sint, & num cognouerit Porphy. vltimas Differentias specificas, atque etiam Aristo. superius satis diximus in capite de Differentia.
4 Quarto, Multæ Differentiæ concurrunt ad vnam Speciem, at multæ Species nunquam ad unius constitutionem. Ratio huius est Auic. quia vna Differentia habet se vt potentia respectu alterius, quæ est velut actus: & hoc verum habet de Differentiis subordinatis, quarum vna est sub altera, vt sensibile, & rationale secundum veritatem: nam prior constituit Genus, quod est velut potentia, & materia, respectu posterioris Differentiæ.

Quod si obijcias duas species aliquando ad tertiam concurrere, vt cū ex animantibus Specie diuersis tertium interim procreatur, sicut mulus ex equo, & asina nascitur, & similiter alia, Resp. Alber. id esse in indiuiduo tamen ipsa natura unius Speciei non coniungitur cum altera ad tertiæ constitutionē, sed ista maiora sunt quā locus præsens patiatur.

De comparatione Differentiæ cum Proprio.

8 *Differentia vero, & Proprium commune quidem habent æqualiter participari ab ijs, quæ illis participant; æqualiter enim rationalia, rationalia sunt, &*
1 *risibilia, risibilia sunt. Et semper, & omnia adesse commune vtriusque est: etsi enim currere dicatur qui bipes est, tamē ad id, quod natum est semper, dicitur, quoniam, & risibile in eo quod natum est habet semper, sed non in eo quod semper rideat.*

Proprium autem Differentiæ est, quòd hæc quidem de pluribus speciebus dicitur sæpe, ut rationale de Deo, & homine; Proprium vero dicitur de vna sola specie, cuius est Proprium; Et Differentia quidem illis est consequens, quorum est Differentia, sed non conuertitur; propria vero conuersim prædicantur de ijs, quorū sunt propria, propterea quod conuertuntur.

Differentia, & Proprium in duobus conueniunt, & in duobus differunt. Conueniunt 1
primo, ut enim Differentia prædicatur æqualiter de suis Speciebus, non secundum magis, & minus, ita & Proprium. Secundo sicut Differentia 2
uniuersaliter de suis Speciebus prædicatur, ita Proprium vniuersaliter de Specie, & eius indiuiduis.

Differunt, quod Differentia de pluribus speciebus (eo modo, quo antea diximus) Pro 1
prium de una prædicatur. Secundo, Differentia 2
non conuertitur cum Specie, Proprium vero conuertitur.

De comparatione Differentiæ cum Accidenti.

Differentiæ autem, & Accidenti commune quidem est de pluribus dici. Com 9
mune verò est, & ad ea, quæ sunt inseparabilia Accidentia, semper, & omni adesse; bipes.n. semper adest omni homini; & oībus coruis nigrū esse similiter.

Differunt autem, quoniam differentia quidem continet Species, & non continetur; continet.n. rationale Deum, & hominem: Accidentia uero aliquo quidem modo continent, eo quòd in pluribus sint; aliquo uero modo continentur eo quòd non unius accidentis susceptiua sint subiecta, sed plurium. Et differentia quidem intensibilis est, & irremissibilis; Accidentia verò magis, & minus suscipiunt, Et impermixtæ quidem sunt contrariæ differentiæ: mista verò nonnunquam sunt contraria Accidentia. Huiusmodi quidem communiones, & proprietates differentiæ, & cæterorum sunt. Species uerò quidē quo differt à Genere: & differentia dictum est

in

in eo, quod dicebamus, quo genus differt à cæteris; & quo differentia differt à cæteris. Deinceps quo differt à Proprio, & Accidente dicitur.

1 Conueniunt primo. Tam Differentia
2 quam Accidens de pluribus prædicatur. Se-
cundo, Sicut Differentia semper conuenit
his, quibus est Differentia, ita Accidens inse-
parabile semper inest.

1 Differt autem primo, ꝙ Differentia sem-
per prædicatur vniuersaliter de Speciebus, &
de omnibus indiuiduis, at Accidens non uni-
uersaliter: album .n. de homine, sed non de
2 omni prædicatur. Secundo, Differentia non
suscipit magis, aut minus, at Accidens susci-
3 pit. Tertio contrariæ Differentiæ non simul
miscentur, ut rationale, & irrationale: at con-
traria Accidentia miscentur: ex albo enim, &
nigro fieri possunt colores medij, ut rubrum, pallidum, &c.

De comparatione Speciei cum Proprio, & Accidenti.

10 *Speciei autem, & proprij commune quidem est, adinuicem conuersim prædicari. Nam si quid homo est, risibile est, & si quid risibile est, homo est. Risibile verò, quod secundum id, quod natum est ridere sumendum, sæpe iam dictum est. Commune est quoque, & æqualiter esse, æqualiter enim adsunt Species ijs, quæ illis participant, & propria ijs, quorum sunt propria.*

Differt autem species à Proprio, quoniam species quidem potest, & aliorum Genus esse; Proprium verò aliarum specierum esse Propriũ impossibile est. Et Species quidem ante subsistit, quàm Proprium; Proprium verò post fit in Specie, oportet .n. hominem esse, ut sit risibile. Amplius, Species quidem semper actu adest subiecto: Proprium verò aliquando, & potestate, homo enim semper actu est Socrates: non uerò semper ridet, quamuis natus sit semper vt sit risibilis. Amplius, quorum termini sunt differentes, & ipsa sunt differentia. Est autem speciei quidem sub Genere esse, & de pluribus, & differentibus numero in eo quod quid prædicari, & cætera huiusmodi: Proprij verò, & soli, & omni, & semper adesse.

Speciei verò, & accidentis commune quidem est de pluribus prædicari. Raræ verò sunt aliæ communitates, propterea, quòd quàm plurimum distãt ab inuicem accidens, & id cui accidit. Propria verò sunt vtriusque, Speciei quidẽ in eo quod quid est prædicari de ijs, quorum est Species, Accidentis autem in eo quod quale quiddam est, uel quomodo se habens est. Est etiam vnamquamque substantiam una quidem Specie participare, pluribus autem accidentibus, & separabilibus, & inseparabilibus. Et Species quidem præintelliguntur accidentibus, etsi etiam sint inseparabilia (oportet enim esse subiectũ, ut illi quidẽ accidat) accidentia uerò posterioris Generis sunt, & aduentitiæ naturæ. Et Speciei quidem participatio æqualiter est; Accidentis uerò etsi inseparabile sit, non æqualiter: æthiops enim æthiope habere posset colorem uel intensum, uel remissum magis secundum nigredinem. Restat autem de proprio, & Accidente dicere: quo enim Proprium à Specie, & Differentia, & Genere differt, dictũ est. 11

In duobus ista conueniunt. Primo Pro- 1
prium, & Species de se inuicem prædicantur.
Secundo, sicut Species æqualiter, & non se- 2
cundum magis, & minus de indiuiduis prædicatur, ita & Proprium.

Differunt autem primo, ꝙ species respectu unius potest esse Species, respectu aliorum Genus: loquitur autem de subalterna: at proprium, semper respectu unius speciei

est

est proprium intellige adæquatè, & immediatè, quia Proprium ab unico subiecto pro-
2 ximè fluit. Secundo, Species est natura prior
3 Proprio, proprium autem posterius. Tertio species semper dicit actum, at Proprium apti-
4 tudinem. Vt risibile, flebile. Quarto, alia est definitio speciei, alia Proprij: hæc differentia ponitur, ut cognoscamus diuersum naturam esse Speciei, & Proprij.

Cum Accidenti vero cõuenit in vno quod de multis prædicatur.

1 Sed differt. Primò, species in quid, Accidens in quale, vel quomodo se habet, prædi-
2 catur. Secundò unicum indiuiduum unicam habet speciem, tamen multa Accidentia di-
3 uersa. Tertiò, Species est prior Accidente.
4 Quartò non suscipit magis, aut minus; Accidens vero suscipit.

De comparatione Proprium, & Accidentis.

Commune autem proprio, & inseparabili accidenti est, quòd præter ea nunquam consistant illa, in quibus considerantur, quemadmodum enim præter risibile non subsistit homo, ita nec præter nigredinem subsistit Aethiops. Et quẽadmodum semper, & omni adest proprium, sic & inseparabile accidens. Differunt autem, quoniam proprium vni soli Speciei adest, quemadmodum risibile homini, inseparabile uero accidens, vt nigrum, non solum Aetiopi, sed etiam coruo adest, & carboni, & ebeno, & quibusdam alijs. Amplius, Proprium cõuersim prædicatur de eo, cuius est proprium, & æqualiter est, inseparabile uero accidens conuersim non prædicatur. Et propriorum, quidem æqualis est participatio, accidentium uerò uel magis, uel minus. Sunt quidem aliæ communitates, uel proprietates ab ijs, quæ dicta sunt, sed sufficiunt, & hæ ad discretionem eorum, communitatisque traditionem.

Proprium conuenit cum Accidenti inseparabili, ut subiectum, cuius est Proprium, vel Accidens non sit sine utroque, cum Accidenti uero utroque conuenit, quia omnia in quali prædicantur.

Sed differunt. primò, quòd Proprium soli 1
conuenit, non tamen vtramque Accidens. Se- 2
cundo; Proprium conuertitur cum Specie. 3
Tertio, non suscipit magis, & minus. Accidens uero nec conuertitur, nec æqualiter se habet, secundum magis, & minus.

Finis Porphyrij.

In Librum CATHEGORIARVM ARISTOTELIS, QVAE PRÆDICAMENTA DICVNTVR

Commentaria, unà cum Quæstionibus,

Per D. Francisc. Toletum Societatis IESV.

De quot, quibusque rebus acturus sit.

POST Porphyrij introductionem, ipsius Aristotelis doctrinam Deo authore, profiteri aggredimur: & quãuis multa, quæ ad ipsius opera, & modum procedẽdi, & ordinem vniuersalem pertinent, pręmittenda essent, eatñ in præsenti, quæ commodius alibi tractãda sunt, & modo nos nulla cogit necessitas relinquemus: idque solum, quod operi huic nostro magis deseruit, trademus. Octo autem inter, alia, quæ in initio cuiuslibet libri tractari solent, præcipua delegimus, sunt autem hæc. Primo propositum, seu finis, quis sit, quæve intentio, aut institutum, quæ omnia idem sunt, secundo quæ utilitas, tertio quis ordo, quarto diuisio huius libri, quinto proportio ad alios, sexto uia doctrinæ, septimo inscriptio lib.i, octauo eius auctor.

Circa primum, hæc tria speculabimur, primũ, quis finis peculiaris huius libri sit secũdo subiectũ eius: tertio an ad Logicum, an potius ad Metaphysicũ pertineat talis cognitio.

De fine huius libri prædicamentorum.

Vt igitur ad primum deueniamus: finis ex duob. locis Arist. colligi potest, primo ex 1. Top. in priu. vbi dicit, propositum esse methodum tradere, per quam possimus de omni proposito problemate syllogizare. Ex hoc hic finis Topicorum colligitur, scilicet perfectam habere methodum ad consequendam rerum opinionem, quæ per tales syllogismos Topicos fit. Alter locus est. 1. Priorũ in prin. vbi inquit intendere, quod demonstratio, & scientia demonstratiua sit, tradere: ac si dicat, finem esse cognoscere demõstrationẽ, per quã scientia acquiritur, ex utroque aũt loco colligi in uniuersum põt, finem totius ipsius Logicę esse, (ut dictũ antea fuit) cognoscere methodũ, & viã sciẽdi, uel opinãdi. Hæc autẽ uia, seu methodus est tripartita in methodum definiendi, methodũ diuidendi, & methodum argumentandi: duo.n. sunt, quæ de quaque re cognoscimus, rẽ ipsã, & rei proprietates, & accidentia: sed in re ipsa, tũ essentiã, tũ partes: igi͠t ad essentiæ rei cognitionẽ est definitio, ad partium cognitionem est diuisio, ad proprietates de re inquirendas est argumentatio, licet diuisio secundario ordinetur ẽt ad definiendum, & ad argumentãdum, & definitio quoque ad argumẽtandũ. Hic ergo est finis Logicæ, cognoscere methodum sciendi rem sic totam perfectè.

Hic aũt finis non hr̃ nisi per tres actus, vt inquit Alber. ordinare, componere, colligere. Ordinare est simplicia ipsa cognoscere, & sic cognoscere, vt vnumquodque qualiter in prædicando, & in subijciendo se habeat, cognoscamus: sunt enim uarij prædicãdi, & subijciendi modi; multipliciter enim aliqua & prædicantur, & subijciuntur, secundum rerum multiplicitatem. Componere, est ista ordinabilia adinuicem coniungere, siue dum definimus, siue dum enuntiamus: colligere est inferre, & vnum ex alio deducere. Hi tres actus, ut antea in diuisione Logices diximus, in Dialectica, seu Logica traduntur,

duntur, & perficiuntur, sed primus in libro præsenti, qui tradit methodum, per quam vnumquodque simplex ordinemus, & disponamus secundum suum modum prædicandi, & subijciendi, ex quibus finis huius patet: est enim eius proximus finis cognitio omniũ ordinabilium in prędicatione, & subiectione; finis ultimus est, ad definitiones, & argumentationes, quæ non sine his constare possunt.

De subiecto libri Prædicamentorum.

Sed de subiecto huius libri iam agendum. Non est autem satis inter omnes constitutũ, quid id sit; uaria enim existunt placita, sicut in uniuersum de totius Logicæ subiecto, & de libro Prædicabilium dicebamus. Alexan. & Simpl. existimant, hic agi de uocibus simplicibus, quod colligunt ex capite 2. sequenti; vbi dicit Aristoteles quædam cum complexione, quædam sine complexione dicuntur: hoc autem uidetur rebus conuenire non posse, sed uocibus. *Prima opin.*

2. opin. Alia fuit sententia Eustratij, & Auerr. & aliorum, hic agi de rebus, non autem de uocibus: ratio est ex Aristotele c. 2. huius, ubi diuidit eos in decem Prædicamenta, non ergo Prædicamenta sunt de uocibus.

3. opin. Tertia sentẽtia fuit Porphyrij, ut uidetur, & aliorum, qui nec de reb. nec de uocibus, sed de conceptibus existimarunt esse, scilicet de Generibus, & intentionibus secundis, ab intellectu factis; cuius motiuum fuit id; quod in huius fine Arist. dicit, scilicet: de Generibus hæc dicta sufficiant.

4. opin. Quarta sententia fuit Ammonij, qui de uocibus hic tractari, ut per conceptus rerum significatiuæ sunt, asserit: uel de rebus, ut medijs conceptibus per uoces explicantur. Hoc ẽt habet Boet. dum docet, hic agi de uocibus, ut rerum sunt significatiuæ. Nominales ad uoces, & nomina omnia referunt, ut solent. Hæc difficultas, pendet ex alia, nimirum quid primo prædicetur, an termini, seu uoces, an res ipsæ.

Primũ fund. Existimo esse dicendum, res prædicari, enuntiari, dici; uoces uero, prædicare instrumentaliter, dicere, & enuntiare; conceptus verò formaliter, intellectus effectiuè; uerbi gratia si quæras, quid prædicatur, uel si petis, quæ est causa effectiua prædicationis? est intellectus; si petas, quid prædicatur formaliter; sunt notitiæ & conceptus: si petis instrumenta: voces dicam: at quid prædicatur? quid uerò enuntiatur? dicam res; res igitur prædicantur, & enuntiantur, unde res sunt prædicatum, & subiectum passiuum, quod alij prædicari obiectiuè uocant.

Ex quo ad difficultatem illam respondeo, hic tractari primo, & per se de rebus, uocibus significatis, aut per conceptus expressis: dein de secundario ipsos conceptus; & ultimo tãquam externa quædam instrumenta prædicationum, uoces ipsas; non tamen absolutè res, uel uoces, vel conceptus hic considerantur, sed ut sunt ordinabiles secundum subiectionem, & prædicationem: subiectum igitur huius libri, ut optimè dixit Albert. est simplex ordinabile per subiectionem, & prædicationem. *Responsio ad qõnem.*

An liber Prædicamentorum ad Logicum, an ad Metaphysicum potius pertineat.

Sequitur, quod tertio fuit loco propositum, An iste liber ad Metaphysicum, uel potius ad Logicum pertineat? Aliqui uiri docti ex Neotericis uehementer contendunt, nullatenus pertinere ad Logicum, sed ad Metaphysicũ, quorũ ratio fortissima hæc est. Hic liber totus est de rebus, at Logicus res non tractat, sed intentiones: ergo Logicus non est hic liber: Ad hanc rationem potest responderi ex Alber. hoc loco non tractari ista entia, vt entia, & naturæ sunt, hoc enim est munus Metaphysici, sed ut ordinabilia secundum subiectionem, & prædicationem, & hoc idem sustinet Burlæus, asserens, hic agi de rebus, ut substant intentionibus. Quòd si obijciatur, hic res secundũ se tradi, ut patet in contextu, Respondetur cũ Boetio in præsenti, quod hic traduntur res, quia uoces nõ plenè explicantur, nisi præsupposita aliqua rerũ cognitione: ita posset dici de intẽtionibus, quę sine aliqua rerum cognitione perfectè, non cognoscuntur. *Prima opin.* *2. opin.*

Primũ fund. Sed ut hoc ex propria radice eruamus, & veritas magis constet, est aduertendum, quòd intellectus primo scientiam, & cognitionem naturæ rei consequi affectat, tamen multipliciter ab hoc impeditur. Primo propter multitudinem naturarum rerum: Cum enim innumeræ sint rerum naturæ,

naturæ, difficile est cognoscere, ad quam harum, res, quam cognoscere studemus, pertineat: mens n. vagatur admodũ hinc inde inquirendo. Impeditur secundo, propter comunionem, & coniunctionẽ multarũ naturarũ in unum, cum in una re, vel subiecto, multæ cõcurrant naturæ, quas distinguere esset admodum difficile, ut in homine uno, coniunguntur substantia, & uaria accidentia. Tertio impeditur, quia non habet aliquam uiã, vel modũ distinguendi, & cognoscendi rem. Contra hæc tria adhibuerunt Metaphysici per eorum scientiam remedium. Contra primum reduxerunt omnem multitudinem naturarum ad decem, ut nulla sit res finita, cuius natura sub una ex his decem non comprehendatur. Contra secundum, istas decem naturas ita distinxerunt, ut earum in rebus permixtio intellectũ non confunderet. Contra tertium, proprietates, & signa quædam ipsarum inuenerunt, per quæ dignoscerentur.

Secũ lũ fund. cũ mẽsione ad quæ stionẽ. Ex quibus non erit difficile rei propositæ naturam inuenire, quamuis non in particulari statim. Hæc omnia Metaphys. sunt Logicus autem ex his decem naturis decem modos prædicandi desumit fundatos in his decem modis entis, ad quos omnis modus prædicandi rei pertinet, & reliquos desumit secundarum intentionum respectus: vt quemadmodum ex cognitione Metaphysica, rei naturã cognoscimus, ita ex modis his prædicandi, & alijs respectibus secundarũ intentionũ, primo vnumquodque per se cognoscamus, & huic postea singulas propositiones, & quæstiones cõsequamur, an sint Generis, an Differentiæ, & quidis, an Accidẽtis huius, uel alterius: & possimus secundum uaria prædicata cognitiones, & cognoscendi modos definire, diuidere, argumentari. At uero, quia, ut superius dixi, non possumus hos modos cognoscere, quin aliqua facilis, & cõfusa rei cognitio præmitteretur: optima ratione, & consilio Aristot. res ipsas proposuit, nõ sicut Metaphysicus, earum inquirens naturam, sed supponens, ut uarios modos prædicandi, & cognoscendi super eas res fundatos, eliceremus: quod ipse clarè ostendit dum definiens per prædicationẽ præcipuè, & alijs similibus rationis respectibus, definiuit. Semper enim substantiam per prædicationem explicat, & qualitatem dicit esse, secundum quam quales esse dicimur.

Vide Arist. 1. Top. c. 7. in fi.

Vnde alia ratione hæc Metaphysicus, alia Logicus considerant. Et iudicio meo hoc est euidens: nam in libris Topic. innumera loca argumentandi, sunt propositiones Metaphysicæ, scilicet, si quod magis videtur inesse, nõ inest, nec id, quod minus: contrariorum eadem est disciplina: & alia multa: Hæc tamen Logicus considerat, non ut probet, sed ut declaret, & ex eis modos ratiocinandi, & argumentandi eliciat. Cur ergo non præsupponet hic aliquam rerum facilem cognitionẽ, vt numeros, prædicandi modos, & alios respectus intellectus colligat? Infertur igitur, Prædicamentorum doctrinam esse Logicã quantũ ad modũ hunc eam tractandi, considerando modos prædicãdi, & alios respectus mẽtis in eis.

De vtilitate, ordine, diuisione, proportione, doct. inæ uia, inscriptione, & authore huius libri.

Sequitur secundum de utilitate. Hæc autem Prædicamentorum cognitio utilis est, & ad definitiones, quæ ex Generibus, & Differentijs constat, & ad diuisiones, quæ multipliciter fiunt, & ad demonstrationes, quæ de subiectis per definitiones proprietates ostendunt, & ad Topicos syllogismos, quæ circa problemata varia sunt: quorum aliud est problema accidẽtis, aliud proprij, aliud generis, aliud definitionis. Hæc autem omnia ex prædicamentis habentur.

Ordo est clarus, cum n. iste liber de simplicissimis tractet, ante alios est collocandus.

Diuisio est in tres partes, in quædam præludia necessaria ad ipsa prædicamenta, quæ Ante prædicamenta dicuntur, & in ipsa Prædicamenta: & in quædam multis communia, quæ Post prædicamenta dicuntur.

Proportio huius est sicut partis ad totum, si ad totam Logicam comparetur.

Circa aliud, s. doctrinę uiã est cõsiderandũ apud Auerr. ista duo maxime distingui, s. ordo doctrinę, & uia doctrinę. Via doctrinæ est modus, & genus pbandi rem: Ordo doctrinæ est, secũdũ quẽ in sciẽtijs, quædã prius, quędã posterius traduntur: modo hic nõ traditur uia scientifica: & demõstratiua doctrinæ, cũ nõ de demõstratione agat, sed modo quodã potius disciplinæ, cũ pcessus definitione, & diuisione fiat. Modus. n. eẽ põt uel p demonstrationẽ, vel per definitionẽ, & diuisionẽ tantum,

cùm sola eorum explicatione, vel leuiori etiã aliqua probatione, quàm ipsa sit demonstratio. Hæc ergo Prædicamenta, iuxta naturæ ordinem sunt collocata, modus autem est, quem diximus, non per demõstrationem, sed definiendo, diuidendo, & explicando, ac narrando singulorum propria, & quandoq; facili, & breui aliqua ratione ad probando.

Circa inscriptionem, iste liber dicitur Cathegoriarum: & vt notat Ammonius, & Porphyrius, & alij interpretes, Cathegoria, non hic sumitur pro accusatione, quæ apud iudices in foro fiebat, sed pro prædicato, ut sit sensus, liber decem prædicatorum: Latini cõuertunt Prædicamentorum. Prædicamentum autem aliquando sumitur pro ipso genere supremo, aliquãdo pro coordinatione integra multorum prædicatorum ab vltima Specie, vsque ad genus supremum inclusiuè: & sic est sensus, liber decem Prædicamentorum; i. decem supremorum Generum, vel coordinationum talium.

Huius author est Arist. ut volũt Themist. & Auerro. licèt Iamblicus, ut refert Boet. uelit esse Architæ, Prædicamentorum inuentionem. Tamen hic liber Arist. est habendus.

DE AEQVIVOCIS, Vniuocis, & Denominatiuis, seu Paronymis. Cap. I.

Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa, vt animal, & homo, & quod dictum est: horum enim solum nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa. Si enim quis assignet quid sit eorum vtrumque quo animal est, propriam assignabit vtriusque rationem. Vniuoca vero dicuntur, quorum & nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio, vt animal, & homo, atque bos, communi enim nomine horum vtrumque animal nuncupatur, & est ratio substantiæ eadem: Si quis enim assignet vtriusque rationem, quid vtrumque est quo animal est, eandem assignabit rationem. Denominatiua vero dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia casu, secundum nomen habent appellationem: vt à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis.

Cur de his Antepradicamentis prius egerit, & cur hoc ordine.

Totus hic liber græcè solum in capita quatuordecim est distributus; ac liber Cathegoriarum inscriptus: at Latini in tres diuiserunt partes, vt dictum est, in anteprædicamenta, postprædicamenta, & prædicamenta. Prima pars est antepredicamentorum, quæ nihil aliud sunt, quàm quædam præambula utilia ad ipsorum prędicamentorum cognitionem: secunda pars est ipsorum prędicamentorum; tertia quorundam, quæ ipsa communiter consequuntur & hæc post prædicamẽta uocãtur.

In his igitur antepredicamentis continentur tres definitiones, duæ regulæ, duæ diuisiones: unde multi asserunt, ante prædicamenta esse tria, definitionem, diuisionem, & regulam: alij uero esse quinque, secundum ea, quæ definiuntur, diuiduntur, & quorum regulæ sunt, scilicet uniuoca, æquiuoca, denominatiua, subiectum, & prædicatum.

In hoc igitur capite tres definitiones continentur, cuius finem ut intelligamus, aduertendum est, omnia decem prædicamenta tripliciter posse comparari, ut notat. Albert. tract. 5. ca. 2. Primo, ad ipsum ens, cuius membra diuidentia sunt. Secundo, unumquodque ad sua inferiora. Tertio, primum prædicamentum ad nouem sequentia, uel nouem ad ipsum primum, quod est Substantia. Si ergo ad ens comparentur, in eo æquiuocationem quandam habet, cum ens ad decem ista genera æquiuocè se habeat, ut superius dixit Porphyrius: si uero singula ad sua inferiora comparentur, uniuocè de eis prædicantur, cũ omne uniuersale uniuocè de eis prædicetur. Tertio, si nouem ad primum comparentur, omnia de eo denominatiuè dicuntur.

Cũ igitur hæc tria in prædicamentis contineantur, merito Arist. præmisit, quæ æquiuoca, quæ uniuoca, quæ denominatiua dicantur incæpit autem ab æquiuocis, quia prima est comparatio ad ipsum ens, in quo æquiuocè conueniunt; est autem prima, quia ante

omnia alia hoc ib decem genera diuiditur, vel vt notat Ammonius, quia sunt æquiuoca simpliciora, quam uniuoca, cum æquiuoca solo nomine, at uniuoca re, & nomine conueniãt: definiuntur autem sic.

Aequiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est secundum nomen vero substantiæ ratio diuersa.

Primum fund. Pro cuius explicatione aduerte, res significatas, & uoces pariter significantes dici vniuocas, & æquiuocas mutuo ordine: uoces, ut res significant, res ut uocibus significantur, uniuocæ, uel æquiuocę dicuntur. Solet autem à Logicis hoc ita distingui: nam uoces dicuntur uniuoca uniuocantia, uel æquiuoca æquiuocantia: at res significatæ uniuocata, uel æquiuocata, hic autem non voces, sed res uniuocæ, uel æquiuocæ definiuntur.

Aduerte præterea tria esse opus, ut aliqua secundum aliquod nomen sint æquiuoca. Primum quod vniuocum nomen habeant: quando.n. singula sua nomina varia habent non æquiuoca, sed multiuoca dicentur. Secundo, quod habeant diuersas definitiones: si.n. illa plura unicam habeant definitionem, non æquiuoca dicentur, unde Petrus, & Paulus non æquiuoca sunt, quia unicam habent definitionem. Tertio, quòd habeant distinctas definitiones secundum illum nomen, i. quatenus per illud nomen significantur: in quo monemur esse plura habẽtia diuersas definitiones, quæ tamen in aliquo nomine sunt non æquiuoca, quia illas non habent, ut per tale nomẽ significantur, v. g. homo, & leo in nomine animali æquiuoca non sunt: quia licet distinctas habeant definitiones, non tamen secundum illud nomen: immo ut animal sunt, unicam habent definitionem. Ex quo elicitur: aliqua esse æquiuoca respectu alicuius nominis, non autem respectu alterius; quia secundum illud nomen diuersas habent definitiones, non autem secundum hoc, v. g. canis latrabilis, & canis cœlestis, & marinus in hoc nomine, canis, æquiuoca sunt, quia diuersas sub eo definitiones habent, non autem sub hoc nomine, corpus, quia vt corpora sunt, unicam habent definitionem.

Explicatio. Definitionis æquiuocorum. Hæc igitur tria ad æquiuoca necessaria significantur in definitione; primum in hoc quorum nomen est commune; secundum in hoc, ratio diuersa; tertium in illo uerbo, secũdũ nomen; hoc exemplo animalis ad hominẽ viuum, & pictum manifestat ubi ſm tale nomen diuersas assignat definitiones illorum.

Sed hæc iterum ipsa uerba Aristotelis, singula considerantes paulo diligentius scrutemur. In primis dicit (æquiuoca) non æquiuocum, quia una res nõ habet diuersas definitiones sub unico nomine, unde nec æquiuoca dici potest. Dicit (dicuntur,) non aũt sunt; quia uerè in se res sunt uniuocæ, nec æquiuocæ dicuntur, nisi secundũ uoces, per quas significãtur, ut notat Boet. Propterea dicit, dicuntur. Dicit (nomẽ,) non solũ ut distinguitur cõtra uerbum, ut notat Ammo. sed pro quacunque dictione significatiua, quo pacto 1. li. Periher. c. 3. dicitur, Verba secundum se nomina sunt. Dicit, (Solũ) ut dicit Ammon. ad excludendã definitionem, ut sit sensus, habent commune solũ nomen, i. nomen, non aũt definitionem; cõmune, i. ex æquo conueniens multis: ratio, idest definitio, uel aliqua descriptio: non.n. omnia definitionẽ habent quidditatiuã, sed. sat est, quòd sit descriptio aliqua, uel notio, aut manifestatio. (Substantiæ,) non hic pro substantia distincta ab accidẽti usurpatur, sed pro re, seu essentia, ut ratio substãtiæ, significet rei definitionẽ, & hoc optimo consilio ab Arist. fuit positum: aliter.n. omnia æquiuoca dicerẽtur uniuoca, respectu eiusdẽ nominis, quia omnia habent unã definitionẽ illius nominis, & uocis: quod Arist. cauens dixit, definitio substantiæ, idest rei, non nominis.

Notat Boe. ꝙ ratio quadrupliciter accipitur: uno modo pro ratione, quæ est in anima nostra, quæ est idem cũ intellectu: altero modo, pro ratione, comparationis, secundum quam dicimus, sed de rationem: tertio, ratio naturę, idest similitudo, quę est, inter id, quod producitur, & id, à quo producitur: quarto, pro eo accipitur, quod definitione, uel descriptione explicatur: sic in præsenti sumitur. Secundum nomen, additur propter tertium, quod explicuimus supra.

Vniuoca dicuntur quorum nomen commune est, & secundum nomen est eadem substantiæ ratio.

Hæc definitio ex his, quę in præcedenti dicta sunt, est facilis, eodem .n. tenore uerba procedunt: sed aliqua peculiarius hic explicabimus. Primum quare definit uniuoca pluraliter,

ficet, cum constet res singulares, esse uniuocas respectu suorum nominum; est.n. Petrus uniuocum nomen ad unicum Petrum, & alia similiter; iudicio meo arbitror ita esse respondendum. Hic Aristotelem uniuocationem, & prædicationem in prædicatis considerare, & ea, quæ uniocantur, uel æquiuocantur secūdum aliquod prædicatum: cum autem uox singularis in prædicatione propria, uti diximus, prædicatum non sit, non hic ab Aristotele consideratur: non dubium tamen, quin talia nomina uniuoca sint censenda, si ad unum significatum comparentur.

1. Dub. Dubitatur, qua ratione nomen uniuocatis ipsis, & etiam in æquiuocatis asserat esse commune, cum cōmune sit uniuersale, quod in pluribus est, & de pluribus uniuocæ prædicatur: at unum nomen non est in pluribus rebus, nec nomen de æquiuocis rebus vniuocæ prædicatur. Resp. ex Ammon. & Boe. & Dexippo, commune multipliciter dici. Primo, quod in partes diuiditur, & non totum commune manet, sed partes singulorum sunt; ut domus dicitur communis, quam multi inhabitant. Secundo, dicitur commune, quod in partes non diuiditur, sed uicissim in multorum usus transit: quo pacto equus dicitur cōmunis, cuius usus multorum est. Tertio, commune dicitur, quod usu, cuiusque fit propriū, tamen post usum commune manet: quo pacto theatrum, dicitur commune, cum enim quis eo utitur, illi est proprium: quando discedit, in commune remittitur. Quarto, dicitur commune, quod totum unico tempore in singulos uenit: quo pacto dicitur uox communis, quia unico tempore in singulorum aures uenit: & ita existimat Boet. & alij, hic nomen commune dici: sed ista communitas uidetur esse non penes significatas res, sed ab extrinseco, penes eos, ad quos uox peruenit: propterea dicerem hic uocari nomen commune, quod à multis rebus significatis participatur: hæc autem participatio non alia est, quàm significatio; rem enim nomine participare est, per id significari, & repræsentari.

2. Dub. Dubitatur præterea; quid est habere rationem eandem, uel diuersam. Aliqui existimāt, quòd habere rationem, est, quòd definitio sit una illorum, uel diuersa, secundum tale nomen, utcunque sit, siue accidentalis, siue substantialis; unde dicunt homo, & leo sunt uniuoca in hoc nomine albus, quia participant nomen, & definitionem eandem; homo enim est albus, & leo est albus, & inquantum albus unicam habent albi rationem.

Sed hæc est magna huius doctrinæ peruersio, quamuis Caiet. dicat, id esse Arist. dignū, sed profectò nihil magis ab eo alienum; nullum enim accidens de substantia secundum nomen, & rationem dicitur, ut ipse expressè dicit c. de substantia: non ergo subiecta dicenda sunt habere rationem prædicati accidentalis; unde album non uniuocæ de homine dicitur, habet enim suum modum dicēdi, quod sequitur, s. denominatiuè; debent autem illa participare definitionem eādem, quæ sit illis intrinseca, ac propterea additur illud uerbū, ratio substantiæ: illa autem definitio albi respectu illorum nominis est, nō rei, & hoc est hic considerandum; non.n. loquitur de omni uniuocatione, sed de propria, secundum quā unum prædicamentum de alio non dicitur, sed de suis inferioribus eiusdē prædicamenti. Reiectio sol.

Denominatiua dicuntur, quæcunque ab aliquo solo differentia casu, secundū nomen habent appellationem.

Explicat Arist. quæ denominatiua dicantur, & ut notat Simplicius, & Aug. 1. to. c. 4. suarum Cathegoriarum, quodammodo sunt media inter æquiuoca, & uniuoca. Vniuoca .n. nomen, & rationem habent eandem: æquiuoca nomen solum, non rationem: denominatiua uero rationem non habent prorsus eādem, sicut uniuoca: nec prorsus diuersam sicut æquiuoca: nomen autem, nec prorsus idē nec prorsus diuersum: sicut album, & albedo, eandem rem dicunt, sed non eodē modo, alterum ut per se, alterum vt est in subiecto; nomina non sunt prorsus idem, nec diuersum, sed habent quandam conuenientiam, & deriuationem inter se, & hæc dicuntur denominatiua. 1. Fund.

Sunt igitur quatuor necessaria ex Ammonio, ut aliqua dicantur denominatiua. Primū, vt sit aliqua conuenientia rei, & rationis. Secūdo, ut sit & aliqua diuersitas, quorum defectu homo, & humanitas nō dicuntur denominatiua, quia sunt eadē res: nec homo, & leo: quia adinuicem non habent conuenientiā, s. quòd leo sit aliquid hominis, uel homo aliquid leonis. Tertio, quòd in nomine sit aliqua dissimilitudo. Quarto, quòd sit in nomine aliqua similitudo; quorum defectu, 2. Fund.

iustus,

iustus, & misericors nō sunt denominatiua, quia omnino sūt diuersa nomina: nec iustus, & iustus, seu musica pro arte, & musica pro muliere habente artem, quia prorsus sunt eadem nomina. Sunt ergo denominatiua, quæ neque omnino eādem rationem, nec omnino diuersam, nec omnino idem nomen, nec omnino diuersum habent.

Explicatio Definitionis Denominat. Per hæc explicatur definitio Arist. illa sūt denominatiua, quæ ab aliquo hñt noīs appellationē, i. quę sumunt nomē ab aliquo, & denominationem, seu nominātur ab aliquo, a quo casu, i. transfiguratione aliqua vocis differunt: quia scilicet denominatiuum, & id a quo denominatur in nomine conueniunt, & aliqua nominis mutatione differunt, vt albū albedo: iustus, iustitia. Hęc magis in quęstione sequenti examinabuntur.

Nota. Ex his definitionib. Arist. aliquot nobis vtilia colligere possumus. Primo, cū ęquiuoca, vt æquiuoca, in nulla definitione cōi conueniant, non hñt, Genus, vt æquiuoca sunt, præterea a prędicamēto excluduntur, nec. n. sunt Genus, nec Species, quia hæc vnicā hñt definitionem. Secūdo docemur, oīa gña, & Species, vniuocè prædicari, quia vnā hñt rōnem. Tertio omnia accidentia denominatiue de substantia dici: nominant. n. substantiam ab aliquo accidēti, a quo casu noīs differunt.

Quæstio vnica circa hoc idem Cap. primum.

Num quæ ab Aristotele hic dicuntur rectè sint dicta?

Argumēta in contrarium. Vt aliqua, quæ difficiliora in hoc capite videntur, nota fiant, & horum exactior habeatur cognitio: oportet, vt aliquot argumenta breuiter ꝑponamus, quorū solutione illa facilius consequemur, argumentū primum sit.

Primū argum. Nomen non solum est vox ipsa, sed etiā significatio; est enim nomen vox significatiua: sed vox æquiuocorum non habet eandem significationem, vt notum est; ergo nō est vnum nomen, sed plura, & si æquiuoca non habent commune nomen, vel si vnum nomen habent; quare non dicentur vniuoca, idest vnius uocis, & nominis.

2. arg. Secundū contra exemplū Aristotelis. Homo uiuus, & pictus non sunt æquiuocè animal, sed analogice: animal. n. ad ea non est nomen æquiuocum, sed analogum: ergo exemplo falso utitur, & diminutus est, cum de analogis non disserat.

Tertium. Præterea æquiuoca sunt plura, & plures habent definitiones, ergo non erant unica definitione definienda. 3. arg.

Quartum. Illa definitio denominatiuorū uocibus conuenit, non rebus: ergo non rectū tenorem seruat Aristoteles, cum primo res æquiuocas, & uniuocas definitur, postea transierit ad uoces: antecedens patet: quia denominatiua dicuntur casu differentia, at casu differre, nominum est, non rerum. 4. arg.

Circa primum argumentum, Alber. mag. tract. 1. huius c. 2. inquit, in nomine quolibet esse tria, Primū se habet, ut materia, scilicet sonus ipse, qui ore hominis fit. Secundū est forma, & hæc est talis illius soni cōfiguratio, & articulatio, secundū quam uaria est uox, homo, leo, capra, quam configurationē ab imponēte ad significandū habet. Atque hæc duo, inquit, sunt de natura nominis, quibus multiplicatis nomen multiplicatur. Tertium est ipsa significatio, & hæc non est forma nominis, sed actus secundus, i. perfectio consequens, sicut motus animalis, qui sequitur ipsum animal non tamen est ipsius forma, & hac multiplicata, non multiplicatur, nec variatur nomen: & per hoc respondet ad argumentū, æquiuoca. n. habent vnū nomen, cū tale nomen sit eiusdē materiæ, & formæ. Ad primum. Prima solutio.

Ista sententia non mihi placet in hoc, quod asserit significationem, non esse formam nominis, sed configurationem: hoc enim videtur falsum, quod patet sic. Ablata significatione à uoce: etiam manēte eadē configuratione, nō dicitur nomē, ergo illa nō est forma. Præterea, potest esse talis configuratio in uoce, & quod non sit nomē defectu significationis; ut patet in uocibus non significatiuis: ergo significatio est forma. Præterea nomen, ut nomen est, signum est, ut patet ex Arist. 1. Periherm. sed de natura signi est significare, ergo, & de natura nominis, & ita existimo esse dicendum.

Ad argumentū autē Respon. quòd in compositis ex materia, & forma, siue substātiali, siue accidentali, non est sumenda multitudo numerica penes formam, sed penes materiā; ut docet Arist. 1. cęli. c. 9. unde licet in Petro multa, & uaria accidentia sint, non Plura, sed unum ens est dicendum: ita similiter licet 2. solut.

multæ significationes sint, quia unum est subiectum illarum, idest una uox, dicitur unum nomen, non plura, & hoc est obseruandum.

Ad replicam uero, qua argumentabatur, ergo dicentur æquiuoca uniuoca potius, quando quidem unum sit nomen: Dico ex Simplicio in prologo, quòd non dicuntur uniuoca solum, quia unum habeant nomen: sed quia simul, & coniunctè, & inseparabiliter unum nomen habeant; idest illud nomen uniuocum simul res significat, qua ratione unam, eadem aliam, ut homo, omnes homines: nec potest cadere à significatione vnius, quin cadat, & mutetur à significatione aliorũ: & hinc est, quod unica impositione ea omnia significat, At æquiuoca habẽt quidẽ unũ nomẽ, sed non inseparabiliter, quãdo alia rõne unũ, alia aliud significant: & potest à significando uno deponi, nec tamen cadat ab alterius significatione; & inde est, quod plurib. impositionibus æquiuoca ad significandum imponũtur: propter hanc separabilitatem dicuntur æquiuoca, idest uocis æqualis.

Possumus autem hinc colligere, res multipliciter se habere ad uoces. Quædam enim vnica definitione, & unico nomine conueniunt, & hæc uniuoca latinè, synonima græcè uocantur. Quædam ex opposito multas definitiones, & multa nomina habent: vt homo, & leo, respectu harum duarum uocum: hæc latinè diuersiuoca dici possunt, græcè heteronyma dicuntur. Quædam tertio multas definitiones sub unico habent nomine, ista latine æquiuoca, græce homonyma dicuntur. Quædam ex opposito: unam definitionem uarijs nominibus expressam habent, ut ensis, gladius, & hæc multiuoca, Græce paronyma uocantur, quamuis, ut notat Simplicius, & ex Aristotele in poetica probat, hæc aliquando synonima uocantur; deinde uelut in medio denominata, græce paronyma dicta, collocantur; quia hæc nec omnino idem, nec omnino diuersum nomen habent, & definitionem.

Ad secũdum. Diuisio æquiuocorũ, & Analogorum.

Circa secundum argumentum distinctionem æquiuocorum proponere oportebit; eorum uero naturam, quia altior, & obscurior est, alibi explanabimus: & quia facilior erit, si per uoces, quàm si per res explicetur, ipsas uoces diuidemus, ac quidem diuisionẽ Ammonij & Boet. sequentes eam perficiemus, Aequiuocum duplex est, quoddam à fortuna, uel ut alij dicunt, à casu: quoddã à consilio. A fortuna est quando uox imponitur ad plura significandum, nulla consideratione, sed casu quodam; ut aliquis Romæ imponit filio nomen Petri, aliquis etiam in Hispania imponit idem nomẽ, tunc talis uox illa plura significat, & est æquiuocũ à casu. Aequiuocum à consilio, est quando consideratione, & ratione quadam, nomen ad plura significandum imponitur, & hoc duplex est, a consilio pure æquiuocum, & analogum: pure æquiuocum a consilio est, quando uox plura significat, non propter ordinem, aut similitudinem aliquam ipsarum iterum significatarum inter se; sed propter aliquid ex parte imponentis: ut quando aliquis imponit nomen filio suo Caroli, propter memoriam, & recordationem parẽtũ, qui tali nomine uocati sunt: tunc nomen Caroli est æquiuocum ad parentes, & ad filium a consilio: sed pure æquiuocum, quia non significat sua significata propter ipsorum ordinem, uel similitudinẽ. Hoc inter alia duplex est; a memoria, & a spe, pro diuersitate, scilicet eorum quæ mouent ad imponendum nomen. Igitur a memoria est, quod modo prædiximus: à spe, quod imponitur ad plura significandum, propter aliquam boni expectationem, vt si quis puero imponat nomen Platonis, quia expectat futurũ philosophum: uel nomen Petri, quia sperat futurum Diuo Petro deditum.

Analogum uerò est, quod plura significat, propter aliquem ordinem, uel similitudinem ipsorum, & hoc maxime est considerandum: non enim omne æquiuocum a consilio, analogum est; ut multi falso existimant, cum a memoria, & à spe sint æquiuoca à consilio, non autem analoga: illud autem analogum est, quod multa, vti diximus, propter aliquem unius ad alterum ordinem, uel similitudinem significat. Hoc autem est triplex, a similitudine, a causa, a proportionalitate, Analogum a similitudine est, quod multa propter similitudinem vnius ad alterum, quod principaliter se heabet, significat, vt homo principaliter uiuum significat, & dictum propter similitudinem, quam habet ad viuum. Hoc duplex est, quoddam a forma, quoddam ab actione. A forma dicitur, quando similitudo in forma consistit; vt homo viuum, & pictum significat. Ab actione, quando similitudo in actione consistit, ut homines poten-

potentes crudeles vocantur. Nerones, propter similes operationes cum operationibus Neronis Imperatoris. Analogum à causa est, quod multa significat propter ordinem, & dependentiã ab uno, quod est illorum causa: quod si fuerit causa efficiens dicitur analogum ab efficienti: si finalis, à fine; si uero fuerit materialis, à materia. Vnde triplex est analogum à causa: primum, ab efficienti, quod multa significat propter dependentiam ab uno, quod eorum est causa efficiens. v.g. medicans. seu medicinale dicitur de Medico curante ægrotum, similiter de potione, & cibo, & emplastris, sed medicus dicitur medicans tanquam cã efficiens: reliqua catenus medicamenta dicuntur, quatenus ab illa cã efficienti ordinata procedunt. Analogũ à fine est, qñ multa nomen significat propter ordinẽ ad aliquẽ finem, ut sanũ dicitur de animali habẽte sanitatem: de urina, & medicina: sed de animali, tanquã de eo, in quo est sanitas: de reliquis, ut ad sanitatem ordinantur: urina, quia est signũ, medicina, quia est causa illius. Analogum à materia est, quod plura significat propter ordinem ad unum, quod est, subiectum illorum: ut ens significat plura accidentia, & substantiam; sed accidentia ideo dicuntur entia, quia omnia ordinantur ad substantiam, tanquam eorum subiectum.

Hoc unum est omnibus commune, quod maximè est considerandum, & memoriæ mandandum; ꝙ hæc analoga à causa, singula significant unam formam, quæ principaliter, & intrinsecè est in uno significatorum, & ab eadem reliqua extrinsecè denominantur, idest per eius ordinem, uerbi gratia, sanum significat unam formam, s. sanitatem, & dicitur de animali, urina, & medicina: sed de animali, principaliter, tãquam de eo, in quo sanitas est, de reliquis, extrinsecè; nam urina non dicitur sana; quia in se habeat sanitatẽ, nec medicina: sed ab illa sanitate animalis, ista duo extrinsece dicuntur sana: unũ, quia illius est signum, alterum, quia illius est causa. Similiter medicans intrinsecè de medico medente, de reliquis extrinsecè: & ens principaliter de substantia: & hoc uocauerunt Metaphysici, dici per prius, & posterius, de illo dicitur per prius, de quo intrinsecè: de illis per posterius, de quibus extrinsecè.

Analogum proportionalitatis est, quod plura significat propter quandam significatorum proportionalitatem. Pro quo aduertite, quòd apud Arithmeticos ista duo vocabula differunt, proportio, & proportionalitas. Proportio est habitudo inter duos numeros æquales, uel inæquales, ut habitudo quatuor ad duo, nam quatuor includũt bis duo. Proportionalitas est habitudo, seu potius similitudo duarum proportionum, secundum quam dicimus, sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad tria: in utroque enim numerus maior hic includit minorem: propterea proportionalitas dicitur proportio proportionũ, quæ inter quatuor (ut minimum) formaliter terminos fit, duos ex una parte, & duos ex altera.

Hoc supposito sunt aliqui termini plura significantes propter talem proportionem, ut ridere de prato, & homine: ridet enim homo, ridet & pratum, sed propter hanc proportionalitatem: ut enim risus se habet in homine, quia eius lætitiã ostendit, ita uiriditas in prato, quia eius fœcunditatẽ ostendit. Huiusmodi sunt multa nomina, in quib. omnibus illud cõsiderandũ est, hæc nomina non significare illã similitudinẽ, aut porportionalitatem: sed res propter talem similitudinem.

Cum igitur tot Species æquiuocorũ sint, in definitione ista Aristotelis conueniunt, quòd nomen est commune, & ratio diuersa: non tamen Aristoteles ea omnia distinguere curauit; quia negotio præsenti id erat inutile, nos autem declarauimus sequuti omnium ferè probatissimorum interpretum rationem, qui suis uiis hæc loco præsenti tractarunt, quia uniuersaliorẽ cognitionẽ, quam prædicamentorum doctrinam instituimus.

Ad tertium. Ad tertium argumentum, est solutio facilis. Aequiuoca enim; si unumquodque per se sumatur, definiri nequeunt, s. canis, cum suis significatis per se. Homo cum suis, s. uiuo, & picto per se, & alia: at si omnia sua hac proprietate uniuersali cõsiderentur; quod æquiuoca sunt, definiri possunt, in hac enim uniuoce conueniunt, scilicet esse æquiuoca. & sub hac definiuntur in præsenti.

Ad 4. Primũ fund. Circa quartum argumentum est considerandum. Primo in denominatiuis concurrunt aliqua ex parte rerum, aliquis ex parte uocum: ex parte rei, concurrit una forma, & id, quod talem formã participat, scilicet albedo, & subiectum ipsum albedinis, scilicet corpus; ex parte ucrò uocum concurrit

nomen illius formæ, quod dicitur abstractũ: & nomen participantis talem formam, quod dicitur connotatiuum, vt albedo, & album, iustitia, & iustum.

Secũdũ fund. Aduerte quia potest esse, quod unicam formam in re multa uariè participent: ut a sapientia anima dicitur sapiens, & homo, & sermo, & operationes, quæ omnia aliquo modo sapientiam participant: ita similiter in nomine ab uno multa deriuantur, ut sapientia, sapiens, sapienter, & sapientis, obliqua enim explicant uariam participationem in re unius formæ.

Tertiũ fund. His suppositis, Nota res ipsas, idest formã, & participãtia talem formam, dici denoĩatiua denoĩata; uoces uero denoĩatiua denoĩantia. nec est curanda admodum huius sermonis proprietas, dummodo res intelligatur: sic enim Logici loquuntur, Græce uero uocant, paronyma, tam res, quam nomina: sed non per se, sed ordine unius ad alterum: sunt. n. illæ res paronymæ, quæ cum una aliam participet, nomen habent consimile: quia in sola extremitate differunt eorum nomina. Similiter & nomina paronyma, quæ cum consimilia sint, res huiusmodi se habentes significant.

Rñsio ad quæstionẽ. Cum ergo & res, & uoces sit paronyma dicãtur, sub iudice est, an in definitione res; uel nomina definiantur, ad quod uidetur mihi esse respondendum. Primo neutrum. f. esse euidẽs, quia utriusque potest definitio adaptari,

1. Cõcl. si. n. uocibus adaptetur, erit sic dicendũ, paronyma sunt nomina, quæ ad aliquo habent nominis appellationem, i. ab aliquo deriuationẽ habent, scilicet unum ab alio, a quo solo differunt casu. Si uero rebus adaptetur, erit hic sensus, paronyma dicuntur res, quæ ab aliquo, scilicet ab aliqua forma, secundum nomen habent appellationem, s. sic nomen, & denominationes in uoce sumunt, ut ab ea, scilicet eius nomine solo, differat casu: ac si dicatur, sunt res ita se secundum nomen habentes, cum una sit ab altera, quod illarum nomina solo casu differunt.

2. Cõcl. Dico secundo, mihi esse probabilius hic non uoces, sed res, ut per uoces significantur, definiri. Hoc præterquam quod est sententia Ammonij, Boet. & aliorum, consecutio ipsa uerborum Arist. ad postulat, cum dixerit: æquiuoca dicũtur, uniuoca dicuntur, denominatiua, dicũtur eodem tenore: at illic res definiuntur, ergo & hic, Præterea quia dicit, (dicuntur) rerum autem est dici per uoces, uocum autem dicere. Præterea, quia si uoces definiat, non a fortitudine fortis descendit, ut dicit Arist. sed potius a forte fortitudo: at in re fortitudo est forma, a qua fortis est.

Est etiam præter hæc notandum, duo esse necessaria, ut aliqua paronyma, seu denominatiua dicãtur. Alterum, quod forma, & id, quod formam participat, sint distinctæ naturæ, quod designat, ut notat Alber. in hoc, quod dicit, quæcunque ab aliquo: illa. n. propositio inter ea distinctionem designat. Ex quo sequitur, quod nec Species respectu generum, aut differentiarum, nec indiuidua respectu Specierum denominationem habẽt: quia genera, & differentiæ sunt de substantia Specierum, & Species, indiuiduorum, tam in generibus substantiæ, quam in generibus accidentium. Nota.

Est secundo notandum, non solum ad denominationes est necessaria participatio in re, sed etiam in uoce, & econtra. Vnde aliqui solent distinguere triplex, denominatiuum, in re tantum, in uoce tantum, in re, & uoce simul in re, quando participatio quidem est in re, non autem est in nomine, ut uirtus, & ipse homo, qui eam participat, in uoce tamen non est denominatio, quia in uoce non correspõdent, uirtus, & studiosus: alia sunt, in uoce sola, ut studium, & studiosus, non enim in re, a studio dicitur studiosus, cum aliud studium, aliud studiosum significet, studium enim diligentiam, studiosus uirtute præditum significat, alia sunt in re, & uoce, quando est participatio in re, cum participatione uocis ad modum prædictum, ut albedo, album, & hæc sũt perfecta denominatiua, seu paronyma, quæ hic Aristoteles definit, alia enim secundum quid sunt. Nota.


DE DIVISIONE EORVM quæ dicuntur, & sunt. Cap. II.

Eorum quæ dicuntur, alia quidem secundum complexionem dicuntur, alia vero sine complexione. Ea igitur quæ secundũ complexionem dicuntur, sunt, vt homo currit, homo vincit: ea vero, quæ sine complexione dicuntur, sunt,

vt homo, bos, currit, vincit.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto uerò nullo sunt, ut homo de subiecto quidem dicitur quodam homine, in subiecto verò nullo est. Alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur. In subiecto uerò esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est: vt quædam grammatica in subiecto quidem est in anima, de subiecto verò nullo dicitur: & hoc album in subiecto quidem est corpore: omnis enim color in corpore est: de subiecto autem nullo dicitur. Alia uero de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, ut scientia in subiecto, quidem est in anima, de subiecto uero dicitur, ut de grammatica. Alia uerò neq; in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur: ut quidam homo, & quidam equus: nihil enim talium neque in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur. Simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & unum numero, de subiecto nullo dicuntur: in subiecto autem nihil aliqua prohibet: quędã.n. grãmatica in subiecto est; at de subiecto nullo dicitur.

Complexionum consistentium, & inconsistentium descriptio.



Eorum quæ dicuntur alia quidem secundum complexionem dicuntur.

In hoc capite continentur duæ diuisiones, In quibus uelut in quodam compendio continentur decem sequentia prædicamenta, & ad ipsa eadem sunt præambulũ quoddam necessarium, cum in his diuisionibus ex qualibus rebus, & quibus uocibus prædicamenta constent, doceamur.

Est igitur prior diuisio rerum, ut per uoces significantur; scilicet, quædam sunt complexæ, quædam incomplexæ, quæ etiam potest uocibus adaptari, ut notat Ammon.

Immo secundũ mentem Aristotelis magis est uocum; ut res significant: nam capite 4. subdiuidens uocibus tribuit: & ita uult Simpl. & benè, licet Auerr. de rebus hanc diuisionem; nam quædam uoces sunt complexæ, ut homo currit; quædam incomplexæ, ut

vt homo, per se, & currit, per se, in quibus obseruare oportet, vt in introductione diximus, non solum vocum multitudinem, sed significatam rem: cum enim Logicus non voces secundum se, sed vt rerum significatiuæ sunt scrutetur, vt bene dixit Auicen. non sumit rationem complexi, aut incomplexi secundum vocem solã, sed præcipue secundum rem, vnde possit esse complexum aliquod in voce, quod Logicus iudicet incomplexum, & econtra in voce incomplexum, quod complexũ sit, vt illa genera quæ apud Porphy. c. de Specie legimus, quæ incomplexa sunt, licet voce complexa appareant, vt corpus animatum, substantia corporea: ponderemus igitur Aristotelis verba.

Dicuntur.] Notat Ammon. verbum hoc, & rebus, & vocibus, & cõceptibus posse adaptari, quãuis diuersimode, dicũtur enim res quasi per uoces significentur, & manifestentur, dicuntur uoces quia proferuntur, & pronunciantur, dicuntur conceptus quasi enuncientur, & per eos propositiones mentales fiant; ex quo fit, quod ista diuisio rebus, vocibus, & conceptibus applicari possit, & res enim cum cõplexione dicuntur, quãdo plures pluribus uocibus significatiuis manifestãtur; res uerò sine complexione dicuntur, qñ singulæ per se singulis uocibus, uel pluribus idem significantibus significantur. Voces uerò, uel conceptus cum complexione dicuntur, quando plures multa significantes & enunciantur, & proferuntur, sine complexione uerò quãdo uni uoci, & conceptui res significata respondet; hic autem obserua, non esse complexionem aliquam in uoce, & conceptu, quin aliqua connexio uocum, aut conceptuum compositio interueniat: non enim conceptus æquiuocis resp ondentes complexi sunt, sed absolutè plures: nec uox æquiuoca complexa, quia non per modum alicujus compositionis significat: nec pariter res, cum per talem modum non significantur.

(Secundum complexionem,) Dubitabis, quare præmisit complexa, cum incomplexa sint simpliciora? Respondent Ammo. & Simpl. complexa esse nobis notiora, quia sunt tota, & quamuis ordine doctrinæ præcedant simplicia, hic tamen Arist. horũ doctrinam tradere non studet, sed solum quandam diuisionem assignare, proptere a notiora præmittit. Præterea etiam quia qñ diuidimus intẽtione, & animo subdiuidendi, membrũ subdiuidendum posteriori loco collocamus, ita fecit Arist. quia incomplexa rursus in posteriori diuisione erat diuisurus, & similiter postea in decem prædicamenta.

Currit. Vincit. Notat Ammon. ideo Arist. usũ esse verbo tertiæ personæ, quia uerba secũdæ, & primę, magis apparẽt cõplexa in re, quia suppositũ hñt determinatũ, at verbũ tertiæ minus, quia suppositũ est indeterminatũ. Sed vere cõplexa hæc ẽt sunt re, q̃a semp est aliquid significatũ cui tribuatur illatio, propterea melius est dicere currere, vincere, quia hic significatur actio sine supposito. Hęc oĩa mihi nõ placet, est. n. maximè considerãdum nomen, vel vocem dici cõplexam penes rem, quã significat: non penes rem quã consignificat, vel connotat: aliter enim oĩa connotatiua essent cõplexa, cũ significent formã per modũ inhærẽtis subiecto, quod tñ est falsissimum, aliter. n. non esset in prædicãdo. Præterea Aristót. 1. Periher. cap. 3. inquit: Verba secundum se dicta, nomina sunt: & aliquid significant; si ergo per se potest sumi, ergo, est incomplexum: significat enim vnum aliquid, quamuis connotet aliud: Hic etiã oportet notare, quamuis exemplum complexi sit propositio, nõ solum propositiones, sed alias etiam orationes esse complexas, per quas rerum diuersitas significatur, vt equus albus, homo iustus, quæ etiam ad prędicamẽta per se non pertinent, sicut nec propositiones.

EORVM QVAE SVNT.
Diuisio II.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur.

Hęc est posterior diuisio, quę quadrimembris est, virtute tamen continet duas diuisiones bimembres. Prior est, entium quædam sunt substantiæ, quædam accidentia. Posterior, entium tam substantiarum quam accidentium, quædã sunt vniuersalia, vt hõ, leo, animal, color, albedo: quædã particularia, vt hic hõ, hoc animal, hic color, hæc albedo.

Sub hac duplici diuisione cõtinentur decem Prædicamenta, tam Genera suprema, quam ea, quæ sub eis sunt; nam primũ Prædicamentũ est substãtia, reliqua accidentia; simpliciter in quolibet prædicamento non Not. 1.

alind

aliud est per se, quam vniuersalis natura, & particularis, siue substantia, siue accidēs. Aristoteles autem hæc sub quadrimembri diuisione est complexus, ne posteriorem diuisionem postea applicaret substantię per se, & accidenti per se, & diuisiones multiplicaret, dicendo, substantiarum aliæ vniuersales, & alię particulares, & similiter accidentium alia vniuersalia, alia particularia. Diuiduntur igitur ea, quæ sunt, in vniuersales substātias, & particulares substantias, in vniuersalia accidentia, & particularia accidentia.

Nota secundo. Non tamen his nominibus diuisit Aristoteles, nec hoc vtitur ordine, & nō sine ratione, vt postea dicemus, substātiā, explicat per nō esse in subiecto: accidens, per esse in subiecto: vniuersale p dici de subiecto, particulare per non dici de subiecto. Vnde copulādo vtrūque. s. substantiam cum vniuersali, vel particulari, similiter accidens, duplici utitur modo vt substantia vniuersalis non sit in subiecto, sed de subiecto dicatur.

Nota tertio. Formalis igitur diuisio Aristotelis est. Eorum, quæ sunt, quædam de subiecto dicuntur, in subiecto vero non sunt, scilicet vniuersales substantiæ, homo, animal: quædam in subiecto sunt, sed de subiecto non dicuntur, scilicet particularia accidentia, hoc album, hæc grāmatica: quædā, & de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, s. vniuersalia accidentia, ut color, albedo: ultimo quædā nec in subiecto sunt, neq; de subiecto dicuntur, s. particulares substātiæ; ut quidā homo quoddā animal: & concludit omnia indiuidua hoc unum commune habere, quod de subiecto non dicantur, quāuis eorum aliqua in subiecto sint, qualia sunt indiuidua accidentis.

Dubia quædam scitu digniora circa diuisionem Arist. præcedentem.

Prima opin. Dubitatur primo, quæ qualisve est ista diuisio? Solent aliqui, & non male respondere, sub hac diuisione duas concludi: altera est: entiū aliud substātia, aliud accidēs: & hæc est analogi in sua analogata, secundū. n. sentētiā Arist. 4. Meta. c. 2. ens est analogū ad substantiā, & accidēs: altera est: entiū aliud uniuersale, aliud particulare: & est diuisio p accidētia, nā rei accidit esse uniuersale per intellectum: per materiam uero fit in rebus particulare.

Secunda opin. Sed posset quis petere; ista diuisio, sic ab Arist. expressa, quæ est? Alber. tract. 1. ca. 15. respondet esse uelut Generis in species, sed hoc non omnino placet. Genus enim uniuocum est speciebus, at nihil hic reperitur in his membris uniuocum.

Tertia opin. Iudicio meo optimè respōdet Simpl. hanc nō esse diuisionē, sed potius enumerationem quandam entiū: si qua diuisio est, æquiuoci est potius, vel analogi, quam alterius.

Dubiū secūdū. Dubitatur secundo, quare Aristoteles non usus est his nominibus, scilicet, substantia, accidens, vniuersale, particulare? Respondet Simpl. id fecisse, ut magis rei naturam explicaret: explicuit autem dum eorum tradidit descriptiones: ut enim magis manifestatur natura uniuersalis per dici de subiecto, quā per nomē uniuersale: ita, & natura substantiæ p non esse in subiecto, & alia similiter. Crederē etiā id fuisse factū, tali loquendi modo, quia magis est propinquus ad prædicationis naturam explicandum.

Dubium tertium. Dubitatur tertio; quare substantiam uniuersalem, accidenti particulari cōiunxit? Existimo id esse, quia uidentur inuicem contraponi substantia uniuersalis, cum accidenti particulari, & accidens uniuersale cum substantia particulari, ut patet si eorum inspicias descriptiones, hoc idem dicit Simpl.

Dubium quartū. Dubitatur quarto, quid uocet dici de subiecto? breuiter respondetur, prædicari de subiecto est de aliquo sibi essentialiter inferiori prædicari, seu affirmari: quo pacto species de suis indiuiduis: & Genus de speciebus: similiter, & differentiæ de suis prædicantur, & dicuntur tanquam de subiecto: similiter accidentia de suis accidentibus: at quando accidens de substantia prædicatur, non sic de subiecto dicitur: id enī dicitur in subiecto esse, ut modo declarabimus: dici ergo de subiecto inest cuilibet prædicatorum respectu suorum inferiorum.

In subiecto vero esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quędam pars impossibile est esse sine eo, in quo est.

His uerbis Aris. explicat, & describit, qd sit esse in subiecto, qd accidētiū est, & p hoc manifestabitur substātia, quæ nō est in subiecto; p positionem enim intelligitur negatio.

Tres igitur assignat cōditiones eius, quod est in subiecto, seu accidētis: prima quod est in aliquo: secūda quod nō est in aliquo, sicut pars; tertia quod ab eo, in quo est, separari nequit.

Pro

Primum fund. Pro cuius declaratione oportet nosse, quot modis vnũ in alio esse cõtingat. Boet. secutus Arist. 3. Physic. c. 3. quẽ multi sequuntur, octo assignat modos; at quia iste numerus perfectus nõ est, cum Aristoteles aliquot prætermiserit, quia illorũ nondũ erat tradita cognitio; vt dicit Simplicius, plures à nobis multiplicãdi sunt cum Ammonio, & Simplicio. Vndecim igitur modis aliquid in alio esse dicimus. Primo vt pars in toto: dicimus enim, manus est in corpore. Secundo vt totum in partibus: dicitur namque, perfectio totius est in partibus: & ego in carne mea uidebo Saluatorem meum. Tertio vt Genus est in speciebus, vt animal in homine, & leone. Quarto vt species in suo genere. Quinto vt forma in materia, anima in corpore. Sexto in res in suo fine, vt auarus est in diuitijs totus. Septimo in mouente, & efficiente, subditi sunt in manu regis. Octauo in loco, sum in Lyceo. Nono vt in vase, vinum in dolio. Decimo in tempore, vt Noe fuit tẽpore diluuij. Vndecimo vt accidens in subiecto sicut calor inest corpori.

Et hoc definitur in præsenti per illas tres conditiones supra positas, I. est in aliquo, non ut pars, & ab eo, in quo est, separari, nequit. Quam descriptionem sic aliqui interpretantur: inter quos sunt Doctores Louanienses & Caie. & alij, ut prima pars sit cõmunis omnibus modis, quibus aliquid est in aliquo: secũda sit differentia ad excludendas partes tam integrantes, vt manus, pedes, quam essentiales, ut species, & genera, differentia tertia ad excludenda illa, quæ sunt in loco & causa mouente, & fine.

Dubium primum. Dubitatur autem contra hanc expositionem. Ac primo obijcitur, nam hoc pacto non excluditur modus, quo totum est in partibus, cum sit in aliquo, & non ut pars, & non possit à partibus separarj. Præterea secundo, non excluditur forma, anima enim est in corpore, & non est eius pars, & ab eo non potest separari existens, loquendo de brutis, quorum animæ non possunt existere citra corpus. Tertio præterea videtur definitio competere loco, & tempori, & cœlo, quia nullum corpus a loco separari potest, nec a tempore, & non est pars loci, aut temporis: sed est in eis, ergo dicetur accidens. Tandem. Quarto quia aliquod accidens videtur posse separari ab eo, in quo est nam odor pomi manet in manu ei admota.

Solutio. Propter hæc existimo illam descriptionẽ sic esse intelligendam, quod est in aliquo, non sumatur ita communiter, sed pro eo quod est esse in aliqua re vna, nõ omnino extra esse eius; quo pacto albedo est in lacte, & vinũ etiam est in dolio, quod quamuis in eo intrinsece non sit, cum eo tamen coniunctum est, & similiter alia, quo supposito facile est ad argumenta respondere.

Ad primum. Ad primũ enim dicitur cũ Simpl. & Ammon. Totũ non dicitur esse in aliquo, quia nõ est in vna re, sed in multis: totũ enim est in pluribus partibus, potius ergo dicitur esse in aliquibus. Excluditur etiã modus existendi in fine, & causa mouente: quia quæ sic in eis existunt, sunt prorsus eis extrinseca: pari rõne excluditur modus existendi in tempore, uel excluditur cum loco, ut dicemus.

Ad secũdum. Ad secundum dico: per illam particulam secundum excluditur quæcunque pars integralis, seu essentialis, qualiter genera Speciebus, & Species indiuiduis in sunt: & ita interpretatur Alb. tract. 1. cap. 5. mihi etiam uidetur per hanc eandem particulam excludi modum, quo forma inest materiæ, quia licet nõ sit materiæ forma pars, est tñ ipsius cõpositi, quod cũ ea per se cõstituit: hoc est. n. discrimen inter formã respectu materiæ, & accidens respectu subiecti, quod forma cum materia unum ens facit per se, cuius est pars: at accidens non cũ subiecto facit unũ per se.

Ex quo non caret reprehensione Boet. qui modum existendi formę in materia coniunxit, & miscuit, cum modo accidentis in subiecto, quod idẽ credidit Iamblicus, cuius sñia à Simpl. reprehenditur: nec oĩno mihi placet Simplic. qui per primam partẽ excludit formã: nã inquit, per aliquid, non intelligit Arist. nisi compositum ex materia, & forma: sed hoc uidetur esse clarè cõtra eundẽ Arist: qui exempla non de compositis ponit: dicit enim hęc grãmatica est in anima, & color in corpore: propterea melius est dicere, quod forma est in materia ut pars, nõ ipsius materiæ, sed compositi per se; at accidens nõ existit alicuius per se pars. Per tertiam particulam excluditur modus existendi, in loco, & tempore, & uase, nam separabilia sunt.

Ad tertium. Nec argumentũ tertiũ quicquã ualet, quia licet res à loco, & tempore in cõmuni separari non possit, põt tñ existere sine hoc loco, & sine hoc tempore, in quo erat, ut notat Boet.

Ad

ad 4. Ad quartum respondent aliqui, quod odor non separatur à pomo, sed nouus odor in manu producitur, sed hæc philosophia non habet fundamentum. Boet. respondet ad hoc, ꝙ Arist. non dixit, odor non potest separari ab eo, in quo erat, sed ab eo in quo est; ac si dicat, non potest istud accidens esse sine isto subiecto in quo est, vt intelligatur nunquam accidens posse esse sine subiecto aliquo, quãuis modo sit in hoc, modo in illo, at quãuis idẽ dicat Ammon. nõ mihi talis philosophia placet; non .n. unum, & idem accidens permeat de subiecto in subiectum: propterea optimè dixit Simplic. ꝙ nunquam odor à suo subiecto separatur, sed cum partibus subtilibus substantiæ exhalatur, & defertur, quod signũ est pomum marcescere, & rugas contrahere ex contractatione: sed de hoc aliàs.

Nota. 1. Ex quib. sequitur accidens esse in aliquo, i. alicui substantiæ inexistere, nõ sicut partẽ illius, nec integrãtem, nec essentialẽ, nec posse à subiecto separatũ p se esse. Hoc intellige naturaliter, nã supernaturaliter manet accidens sine subiecto in uenerãdo altaris Sacramento

Not. 2. Sequitur & aliud esse subiectũ in quo; aliud subiectũ de quo: subiectum de quo, est quodcunque inferius respectu sui superioris, s. indiuiduũ speciei, & species generis tã in substãtijs, quã accidẽtibus; at subiectum in quo, est sola substantia respectu accidentium: vnde accidentia habent substantiam pro subiecto in quo, sua inferiora pro subiecto de quo: uocat aũt subiectũ de quo, subiectũ prædicationis, subiectum uero in quo, subiectum inhæsionis. Ammon. uocat subiectum ad subsistentiam, & subiectum ad prædicationem.

Not. 3. Hic vnũ aduerte, ꝙ nõ dicitur, accidẽs nõ posse esse sine subiecto, qa nõ possit à substãtia separari. Potest .n. separari: sunt .n. multa accidentia separabilia: ut diximus, sed dũ separantur, corrumpuntur, hic autẽ dicimus, ꝙ sine subiecto nõ potest accidens per se separatum existere, sicut uinum à dolio, & corpus à loco isto, & tempore, separatum existit.

47 REGVLÆ IN PRÆDICAtis essentialibus. Cap. III.

QVando alterum de altero prædicatur, ut de subiecto, quæcunque de quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicentur: vt homo, de homine quodam prædicatur; animal vero de homine: ergo & de quodam homine animal prædicabitur, quidam enim homo, & homo est, & animal.

Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt specie differentiæ; vt animalis, & scientiæ: animalis .n. differentiæ sunt gressibile, bipes, & volatile, & aquatile; scientiæ uero nulla earum est: neque .n. scientia à scientia differt, in eo ꝙ bipes est. Subalternorum uero generum nihil probibet easdem esse differentias: superiora .n. de ijs, quæ sub ipsis sunt generibus, prædicãtur; quare quotcunq; differentiæ prædicati fuerint, totidẽ, & subiecti erunt.

In hoc capite continentur duæ regulæ maximè utiles ad singula prædicamenta ordinanda in se: in quolibet enim prædicamento duo præcipuè sunt. Alterum est series quædã prædicatorum substantialium, à summo genere, per genera inter media descendendo, vsque ad indiuidua, quæ communiter dicitur recta linea prædicamentalis, & Ammon. profunditatem prædicamenti uocat, per proportionem ad profunditatem corporum, qualis est ista series; substantia, corpus, uiuens, animal, homo, quidam homo. Alterum sunt differentiæ oppositæ, per quas & genera superiora diuiditur, & species constituuntur, & hęc dicuntur latera prędicamenti, quam Ammon. uocat latitudinem, eadem proportione ad corpus, sicut corporeum, incorporeũ, animatum, inanimatum, & reliquæ, quarum quædam faciunt unum ordinem, quædam alium oppositum. Hæc igitur, quæ isto capite continentur, his duobus deseruiunt. Primũ fund.

Est prior regula maximè pro recta linea, Quando aliquod prædicatum; de aliquo subiecto dicitur, tãquam de subiecto, quicquid de prædicato dicitur, etiam de subiecto dicetur, ut si homo de quodam homine dicitur, ut subiecto; & animal de homine, & animal de quodam homine dicetur.

Hæc regula ita est uera, ut uarijs expositionibus, & singulis quidem in se ueris locũ dede-

dederit. 1. Alber. tract. 1. huius c. 6. extendit regulam hanc in hunc sensum; Quando aliquid prædicatur de aliquo, prædicatione alicuius quinque prædicabilium, quicquid de prædicato in quid prædicatur, prædicabitur, & de subiecto: uocat. n. prædicari de aliquo, ut de subiecto; prędicari prædicatione alicuius prædicabilis, vnde ualet, homo est animal, & animal est corpus, ergo homo est corpus: similiter, Petrus est homo, homo est animal, etiam Petrus est animal: homo est rationalis, rationale est particeps intellectus, homo etiam est particeps intellectus: nix est alba album est coloratum, ergo nix est colorata: denique, quicquid in quid de tali prædicato dicitur, etiam de subiecto dicetur, sed dicit Ammon. non esse in vniuersum hoc verum: homo enim est albus, & album est color, nō tamen homo est color. Hæc sententia non fuit solius Alber. est enim Andronici, & aliorum, ut refert Simpli.

Auic. & Algaze. magis extendunt regulā, dum asserunt etiam ualere in negatione alicuius à prædicato, quando illud est contrariū prædicato, ut homo est animal, & animal nō est insensibile, ergo homo non est insensibilis; homo est albus, album non est nigrum, ergo homo non est niger.

Burlæ. adhuc latius extendit etiam ad prædicata accidentalia, ut si homo est albus, & albus est musicus, homo est musicus, seruata tamen quantitate distributionis; & ne varietur suppositio dicendo, homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus.

Alij tandem restringunt maximè ad solam lineam rectam prædicamentalem, s. de prædicatis in quid, & hoc habet Ammon. & Simpl. & Boet.

Ad hoc tamen dicendum est cum Paulo Vene. Pont. quidem extendi veritas regulę ad ea, quæ dicta sunt, tamen secundum mentem Aristot. in præsenti hic est sensus, vt doceat dici de subiecto, essentialiter prædicari, siue vt differentia, siue vt genus: ita vt, si aliquid prædicatur de subiecto tanquam de eius substantia, quidquid de illo prædicato secū sunt substantiam prædicatur, etiam de subiecti substātia sit; vt homo est animal, animal est corpus, erit etiam homo corpus, similiter animal est sensibile, homo etiam sensibilis erit: ista est sententia Auerro. imino iudicio meo Grat. qui cap. de substantia probat differentiam de indiuiduis prædicari, quia prædicatur de specie, & allegat hanc regulam, ergo est astringendā ad sola prædicatā quidditatiua. Nec existimes q̃ hic doceat aliquem modum arguendi de primo ad ultimum, ut aliqui putant: sed est quædam regula prædicationibus prædicamentorum deseruiens.

Regula secunda, genera non subalterna à subalternis distinguens.

Diuersorum generum, & non subalternatim positorum.

Hæc est secunda regula bimembris, pro cuius declaratione est aduertendū. Tripliciter plura genera dicūtur diuersa. Primo, quia sūt diuersorū prædicamentorū, ut animal, quod est de prædicamento substantię, & numerus, qui est de prædicamento quantitatis. Secundo dr̄ genera diuersa, qn̄ ad idem pertinent prędicamentū tn̄ vnū est sub altero, vt animal, uiuens, corpus, omnia. n. eiusdem prędicamenti sunt, unumq; sub alio est. s. scientia, habitus. Tertio, qn̄ sub eodem sunt prædicamento, & genere, tn̄ vnum non est sub altero, vt animal gressibile, animal volatile, vtrunque. n. sub animali est, non tn̄ vnum sub altero: similiter, potentia, & figura sunt duo genera, utrunque sub qualitate, non tn̄ unum sub altero; Ista duo posteriora vocātur hic ab Aristotele genera subalternatim posita, s. quando unum sub altero, uel utrunque sub tertio, prima genera uocantur non subalternatim posita. Primum fund.

Est secundo aduertendum, quod supra diximus capite de Differentia. Differentiæ alicuius generis sunt in duplici differentia: quędam sunt constitutiuæ illius, ut animatum, sensibile, componunt animal: quædam diuisiuæ, ut rationale, & irrationale sunt diuisiuæ animalis: inter has est unum discrimen, quod differentiæ constitutiuæ generis omnes participantur à singulis speciebus illius generis: diuisiuæ vero non oēs, sed aliquæ ab una specie, aliquæ ab alia: rationale enim ab homine, irrationale verò à bruto participatur, unde fit, qn̄ unum genus sub altero ponitur, inferius participet oēs differentias constitutiuas superioris generis, non tamen omnes diuisiuas, ut animal participat differentias constitutiuas omnes viuentis, scilicet corporeū, animatum: unam autem diuisiuam, scilicet sensibile: viuens enim diuiditur per sensibile, & insensibile: animal autem est, sensibile. Secūdū fund.

Est

Tertiũ. fundamẽtum. Est tertio aduertendum. Quando duo genera sic se habent, quòd vnum sub altero nõ est, tamen utrumq; sub tertio, potest aliquando eadem differentia diuisiua esse utriusque: uerbi gratia, animal uolatile, & animal gressibile sunt duo genera huiusmodi: & tamen bipes est differentia gressibilis, & etiam uolatilis diuisiua: non tamen hoc semper fit, nam Angelus, & corpus, sunt sub substantia non tamen habẽt differẽtiam diuisiuam eandem. Hæc sententia est expresse Arist. 6. Topic. c. 3. loco 41. at quando genera sunt diuersa primo modo, nullam differentiam, nec diuisiuam, nec constitutiuam participant.

Expositio regulæ. Ex his patet regula Aristot. Cuius prior pars est.

Diuersorum generum non subalternatim positorum.

Scilicet quæ diuersorum sunt prædicamentorum.

Diuersæ sunt Specie differentiæ.

Per quam docemur in diuersis prædicamentis diuersas esse omnes differentias, tam diuisiuas, quàm constitutiuas, sicut sunt diuersa genera, & species, ut exemplo manifestat: alijs enim differentijs diuiditur animal, alijs scientia: similiter & constituuntur.

Nota. Hic autem est notandum mendosè legi species, scilicet diuersæ sunt species, & differentiæ: debet legi, diuersę sunt specie differentiæ, nam græce in datiuo legitur, τῷ εἴδει. Vocat autem specie diuersas differentias, scilicet natura, & forma diuersas: nam, ut bene dicunt Simpl. & Ammo. aliquando diuersorum prædicamentorum sunt eædem differentiæ, sed non re, & natura, sed similitudine quadam, & proportione: vt enim dicimus animalium aliud esse habens pedes, ita etiam dicimus instrumentorum domus, alia habere pedes, ut tripes lectum, sed istæ differentiæ natura sunt diuersæ, similitudinem autem, & proportionem quandam habent, aliquando enim nomine sunt eędem, ut corporeum in substantia, corporeum in quantitate, sed natura est diuersa. Alij legerunt τὰ εἴδη. & uertunt species. Sed quamuis sententia sit uera, tamen omnino est extra contextum, & omnes græci interpretantur in datiuo.

Posterior pars regulæ est.

Generum subalternatim positorum, nihil probibet easdem esse differentias.

Hæc potest intelligi de generibus, quorũ unum est sub altero, & debet intelligi de constitutiuis omnibus, & aliqua diuisiua, ut dixi; & iste uidetur sensus Arist. nam hoc probat, quia quæ dicuntur de superiori; dicimur de inferiori, at de superiori constitutiuæ per se dicuntur, & diuisiuæ sub disiunctione, scilicet corpus est animatum, uel inanimatum, ut uult Albert. dixit autem negatiue. Nihil prohibet, iudicio meo, propterea quòd non semper genus superius habet constitutiuas, quando est generalissimum. Simplicius uult, quòd hæc prior pars, scilicet nihil prohibet diuersorum generum, &c. sit generibus, quorum utrumque est sub tertio, quæ aliquando habent eandem diuisiuam, sed non semper, ut dixi in tertio notabili seu fundamento.

Quod sequitur uero.

Superiora enim de ijs, quæ sub ipsis sunt generibus prædicantur.

Hoc asserit Simpl. propter illud uerbum; (nihil prohibet;) quod uidetur non asserere semper differentias esse easdem, de constitutiuis uero semper est. Ista doctrina uera est, sed mihi uidetur textui non posse adaptari, nam quòd sequitur, reddit causam præcedentis; scilicet, propterea unum genus expositis subalternatim, habet differentias alterius; quia quæ dicuntur de superiori, dicuntur de inferiori, quod non ualet, nisi de illis, quorũ unum est sub altero: dixit autem, nihil prohibet, propter causam assignatam superius.

INCOMPLEXORVM IN decem prædicamenta diuisio. Cap. IIII.

Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodq; aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Est autem substãtia quidem, vt in figura dicatur, vt hõ, equus. Quantum autem, vt bicubitum tricubitum. Quale, vt album, grammaticum. Ad aliquid, vt duplũ, dimidium, maius. Vbi vero, in foro, in Lyceo. Quando autẽ, ut heri superiore anno. Situm uero

esse,

esse, ut iacet, sedet. Habere autem, vt calceatum esse, armatum esse. Agere verò, ut secare, urere. Pati vt secari, vri. Singula igitur eorum, quæ dicta sunt, ipsa quidem secundum se in nulla affirmatione dicuntur, uel negatione: horum autem ad se inuicem complexione, affirmatio, vel negatio fit. Omnis enim affirmatio, aut negatio videtur vel uera uel falsa esse; eorum autem, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque uerum, neque falsum est, ut homo albũ, currit, vincit.

Nota. Hic Arist. incomplexa in decem genera suprema distinguit: nec mireris, quòd uoces diuidat, & rerum exempla ponat; hic enim nõ absolutè, & per se de uocibus agitur, de rebus enim præcipuæ, quæ per uoces significantur, secundario de vocibus in ordine ad res, quas primo diuidit, postea rerum exempla ponit.

Diuiditur ergo ens reale simplex, quod uoce incomplexa significatur, in decem genera, quorum primum est substantia, ut homo, animal, & reliqua, quæ manifesta in ipso capite sunt: horum singula probat Aristot. non esse propositiones, quamuis ex eis possint fieri propositiones, quia nullũ per se significat verũ, aut falsũ, quòd est proprium propositionum, qui n. dicit substantiã per se, quantitatẽ per se, qualitatẽ per se, & reliqua, nihil dicit verum, aut falsum quamuis unum alteri cõponendo, uel ea quæ sunt in unoquoque inter se cõiungendo, propositiones quis potest facere.

Multæ possent hic graues, & difficiles quæstiones moueri, scilicet, An ens uniuocũ esset ad ista decem genera, an plura sint prædicamenta quàm decem quali distinctione inter se distinguantur; an res spirituales ad prædicamenta referantur; an concreta potius quam abstracta collocẽtur in prædicamento, & alia huiusmodi, quæ prætermitto, quia harum maiorem partem: in particula prædicamentorum enarratione discutiam: alia post ipsorum traditionem differam: reliqua, quæ materiam transcendunt, in proprium locum reseruabo: interim uero aliqua de ipso ente in communi: breuiter adnotauimus, quantum hoc loco satis est.

QVAESTIO I.

Quod ens non sit genus, nec uniuocum, sed analogum ad decem prædicamenta ex sententia Arist.

PRimum, ens nec est genus, nec uniuocum ad decem ista genera, sed analogum. Vnde diuisio non est generis in species, nec uniuoci in uniuocata, sed analogi in analogata.

In primis ens non est genus: hoc enim docet clarè Aristot. 3. Metaph. c. 3. tex. 10. huius ratio est cõsideranda. Pro qua est notandum, quòd genus habet differentias, per quas diuiditur, & determinatur ad species: hæc autem est natura generis, & differentiæ, quòd de natura generis non est differentia, sicut nec de natura differentiæ est genus, animal enim ut animal non est rationale, nec rationale, ut rationale est animal: aliàs unum non contraheret alterum, semper enim contrahens est diuersum a contracto, sicut forma est alia à materia, & anima à corpore. Ex his est argumentum Arist. si ens esset genus, per aliquam differentiam limitaretur ad inferiora, sed nulla talis potest esse, ergo non est genus: Minor probatur, quia differentia, ut talis, differt à genere: at nihil potest esse differentia, quòd non sit ens, quia ens est tam latum, ut quidquid aliquid est ens sit. Secundo nec est ens uniuocum ad decem genera, hæc est Aristot. 4. Metaph. ca. 2. & probatur. Vniuocum dicit aliquam naturam communem multis, sed decem prædicamenta non conueniunt in aliqua una natura communi, ut expresse dicitur 12. Metaph. cap. 4. & propterea, si conuenirent in tali natura, differentijs differrẽt, at nulla potest esse talis differentia entis, ut diximus, ergo non uniuocæ de illis prædicatur: ex quibus sequitur decem prædicamenta esse decem genera, & naturas supremas, quæ in nulla natura superiori conueniunt, propterea, quod se ipsis differunt, & simplices naturæ, & non compositæ ex genere, & differentia sunt, quod docet expresse Arist. 8. Metaph. cap. 6. tex. 16. & dicuntur primo diuersi, quia in nullo conueniunt, vt dicit 10. Meta. cap. 5. tex. 12. conuenientia enim in ente est communitas nominis, seu conceptus formalis, non rei. Tertio, ens est Analogum ad decem ista genera: hoc est Aristotelis 4. Metaph. c. 2.

In quo autem eius Analogia consistat, non est facile determinare. Est reuocādum in memoriam id quod supra diximus, scilicet Analogum a causa significare vnū intrinsecè, reliqua vero extrinsece in ordine ad illud, ut sanū dicitur aīal habens sanitatem, à qua vrina dicit sana, quia eius est signū: medicina sana, quia ipsius est causa, ita ens ipsum per se substantia dicitur, reliqua catenus sunt entia, quatenus ad substantiā referuntur, & aliquid ipsius sunt, quantitas enim dicitur ens, quia est mensura substantiæ, qualitas, quia modus substantiæ: & reliqua similiter, quod pulchre docuit Aristo. 4. Metaphy ca. 2. in principio, cuius uerba sunt: Ens multipliciter dicitur, sed totū ad unum principium: quędam enim quoniam substantiæ, entia dicuntur: quędam quoniam passiones substantiæ: quædam, quoniam uia ad substantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ. hæc Aristotel. & hoc est, quod dici solet, ens per prius dicitur de substātia, per posterius de accidenti, sed an ista analogia sit causæ efficientis, aut finalis, aut materialis, aut formalis non est Logici discutere, sed Metaphysici, cuius est perfectè naturam entis inuestigare.

SECVNDA PARS
De Prædicamentis. Cap. V.
De substantia.

Svbstantia autem est, quæ propriè & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est; vt quidam homo, & quidam equus.

Secundæ autem substantiæ dicuntur species in quibus eæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, & hę quidē, & harum specierum genera, vt quidā homo in specie quidem est in homine, genus vero speciei animal. Secundæ igitur hæ substantiæ dicuntur: ut est homo, atque animal.

Manifestum est aūt ex ijs, quæ dicta sunt, q̧ eorum quę de subiecto dicuntur necesse est, & nomen, & rationem de subiecto prędicari: vt homo de subiecto quodam homine dicitur, prædicatur etiam & nomen: hominēm enim de quodam homine prædicabis, & ratio quoque hominis de quodā homine prędicabitur: quidam enim homo, & homo est, & animal: quare & nomen, & ratio de subiecto prædicabitur. Eorum vero quę in subiecto sunt, in plurimis quidem neque nomen, neque ratio prædicatur de subiecto: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prędicari aliquando de subiecto, rationem uero impossibile est, vt album cum in subiecto sit corpore, prædicatur de subiecto: dicitur enim corpus album ratio vero albi nūquā de corpore prędicabitur.

Alia vero omnia aut de subiectis dicuntur primis substantijs, aut in subiectis eis sunt. Hoc autem manifestum est ex ijs, quæ per singula proponūtur, vt animal de homine prædicatur: ergo & de quodam homine animal prędicabitur: nam si de nullo quorundam hominum, neque omnino de homine. Rursus, color in corpore est, ergo & in quodam corpore. Nam, si non in aliquo esset singulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de subiectis primis dicuntur substantijs, aut in subiectis eis sunt.

Non ergo existentibus primis substātijs, impossibile est aliqd aliorū esse.

Secundarum vero substantiarū magis substantia est species, quam genus: propinquior enim est primæ substantiæ. Si quis enim assignet primam substantiam quid est, euidentius, & conuenientius assignabit speciem, quam genus assignans, vt hominem quendam aliquis assignans, manifestius assignabit hominem, quam animal assignans:

illud enim proprium magis cuiusdam hominis, hoc autem communius: & cum quandam arborem assignauerit, manifestius assignabit assignando arborem, quàm plantam. Amplius, primæ substantiæ, ideo quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia vel de ipsis prædicantur, vel in ipsis sunt, propter hoc maxime substantiæ primæ dicuntur.

Quemadmodum autem primæ substantiæ ad alia omnia se habent, sic & species ad genus se habet: subijcitur enim species generi, genera enim de speciebus prædicantur: species autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his species genere magis substantia est.

Ipsarum vero specierum, quæcunque non sunt genera, nihil magis alterum altero substantia est: nihil enim familiarius assignabis de quodam homine, hominem assignando, quam de quodam equo, equum. Similiter autem & in primis substantijs nihil magis alterum altero substantia est: nihil enim magis quidam homo substantia est, quam quidam bos. Merito igitur post primas substantias sola aliorum omnium species, & genera secundæ substantiæ dicuntur. Sola enim hæc, eorum quæ prædicantur, primam substantiam indicant: quendam enim hominem si quis assignauerit quid est, speciem quidem, quam genus assignando familiarius demonstrabit: & manifestius faciet hominem assignando, quam animal aliorum vero omnium quidquid assignauerit quis, assignabit extraneè: velut album, aut currit, aut aliud quodcunque talium assignans. Quare merito hæ solæ aliorum secundæ substantiæ dicuntur. Amplius, primæ substantiæ, eo quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipsis sunt, proprijssima substantiæ dicuntur: sicut autem primæ substantiæ ad alia omnia se habent, ita genera, & species primarum substantiarum ad reliqua omnia se habent: de his enim reliqua omnia prædicantur: quendam enim hominem dices grammaticum esse: ergo & hominem, & animal grammaticum dices; similiter autem & in alijs.

Commune autem omni substantiæ est in subiecto non esse. Prima namque substantia nec in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur. Secundarum vero substantiarum constat quidem etiam sic, quod nulla est in subiecto: homo enim de subiecto quidem quodam homine dicitur, in subiecto vero non est: neque enim in quodam homine homo est: similiter autem & animal de subiecto quidem dicitur quodam homine, non est autem animal in quodam homine. Amplius eorum quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem vero impossibile est: secundarum vero substantiarum de subiecto & ratio prædicatur, & nomen: rationem enim hominis de quodam homine prædicabis, & animalis similiter: quare non erit eorum substantia, quæ sunt in subiecto. Non est autem proprium substantiæ hoc: sed & differentia eorum est, quæ non sunt in subiecto: bipes enim, & gressibile de subiecto quidem quodam homine dicitur, in subiecto vero non est, neque enim in homine est bipes, neque gressibile. Ratio quoque differentiæ de il-

lo

lo prædicatur, de quocunque ipsa differentia dicitur: velut si gressibile de homine prædicatur, & ratio gressibilis de homine prædicabitur: est enim homo gressibilis.

8 Non conturbent autem nos substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint: ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri: non enim ita ea, quę sunt in subiecto dicebantur, quasi vt partes inessent alicui.

9 Inest autem substantijs, & differentijs omnia vniuocè prædicari. Omnia enim quæ ab his prædicata sunt, aut de indiuiduis prædicantur, aut de speciebus, à prima namque substantia nulla est prædicatio: de nullo enim subiecto dicitur. Secundarum vero substantiarum species quidem de indiuiduo prædicatur; genus vero & de speciebus, & de indiuiduis; similiter autem & differentiæ & de speciebus, & de indiuiduis prædicantur. Et rationem quoque suscipiunt primæ substantiæ specierum, & generum, & species generis: quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum suscipiunt & species, & indiuidua; vniuoca autem erunt, quorum & nomen commune est, & ratio eadem. Quare omnia quæ à substantijs, & differentijs sunt, vniuocè prædicantur.

10 Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare. In primis igitur substantijs indubitabile, & verum est quòd hoc aliquid significant: indiuiduũ enim, & vnum numero est quod significatur: in secundis vero substantijs videtur quidem similiter appellationis figura hoc aliquid significare, quando quis dixerit hominem, vel animal, non tamen verum est; sed magis quale aliquid significant; neque enim vnum est quod subiectum est, quemadmodum prima substantia; sed de multis homo dicitur, & animal. Non autem simpliciter quale quid significat, quemadmodum (nihil enim aliud significat album, quam qualitatem) & species & genus circa substantiam qualitatem determinant, qualem enim quandam substantiam significant: plus autem in genere determinatio fit, quàm in specie; dicens enim animal, plus complectitur, quam qui hominem. 11

Inest autem substantijs nihil illis esse contrarium. Primæ enim substantiæ quid erit contrarium, vt cuidam homini, vel cuidam animali: at vero nec homini, nec animali aliquid est contrariũ. Non est autem hoc substantiæ proprium: sed etiam multorum aliorum, vt quantitati: bicubito enim, vel tricubito nihil est contrarium, at vero nec decem, nec alicui talium. Nisi forte quis multum pauco dicat esse contrarium, vel magnum paruo: determinatorum vero quãtorum nullum nulli est contrarium. 11

Videtur autem substantia non suscipere magis, & minus. Dico autem, non quòd substantia non est à substãtia magis, & minus substantia (hoc enim dictum est quod est) sed quòd vnaquæque substantia hoc ipsum quod est, non dicitur magis, & minus, & si est eadem substantia homo, non erit magis, & minus homo; neque ipse seipso neque alter altero; non enim est alter altero magis homo: sicut est album alterum altero magis, & minus album, & bonum alterum altero magis, & minus bonũ; sed ipsum seipso magis, & minus dici- 12

tur, vt corpus cum sit album, magis nunc album esse dicetur, quàm prius: & cum calidum sit, magis, & minus calidum dicitur: substantia verò non dicitur magis neque minus: nihil enim homo magis nunc homo, quàm prius dicitur: neque aliorum quicquam, quæcunque substantiæ sunt. Quapropter nō recipiet substantia magis, & minus.

13 Maximè verò proprium substantiæ esse videtur, cum vnum, & idem numero sit, contrariorum susceptiuum esse: quale in alijs quidem non habet quisquam quod proferat tale, quæcunque non sunt substantiæ, quod cum sit vnum numero susceptibile contrariorum sit, velut color, qui est vnus, & idem numero non dicitur albus, & niger, neque eadem actio, & vna numero praua, & studiosa: similiter autem & in alijs, quæcunque non sunt substantiæ.

Substantia vero, cum vnum, & idē numero sit, susceptiua contrariorum est, vt quidam homo cum vnus, & idem sit, aliquando quidem albus aliquando fit niger, & calidus, & frigidus, & prauus, & studiosus, in alijs autem nullis aliquid tale videtur. Nisi quis forsitan instet, dicens orationem, & opinionem contrariorum esse susceptibilia; eadem enim oratio vera, & falsa videtur esse, veluti si vera sit oratio, sedere quempiam, eo surgente ipsa eadem falsa erit; similiter autem & de opinione: si quis enim verum putet aliquem sedere, surgente eo, falso putabit, eandem de ipso opinionem habens. Sed si quis & hoc suscipiat tamen modo differt. Nam ea, quæ in substantijs sunt, ipsa quidem mutata susceptibilia sunt contrariorum, frigidum enim ex calido factum mutatur (alteratur enim) & nigrum ex albo, & studiosum ex prauo: similiter autem & in alijs vnumquodque eorum mutationem suscipiens susceptibile contrariorum est. Oratio autem, & opinio, & ipsa quidem immobilia omnino perseuerant: cum vero res mouetur, contraria circa ipsa fiunt; oratio namque eius quòd sedeat aliquis, permanet eadem; cum vero res mota sit, aliquando quidem vera aliquando autem falsa dicitur, similiter autem est in opinione. Quapropter saltem modo proprium substantiæ est, vt secundum mutationem suijpsius susceptibilis sit contrariorum. Si quis autem recipiat etiam hoc, orationem, & opinionem susceptibilia esse contrariorum; non est hoc verum: Oratio nam que, & opinio, non eo quòd ipsa aliquid recipiant, contrariorum susceptibilia esse, dicuntur: sed eo quòd circa alterum aliqua passio facta sit: nam eo quòd res est, aut non est eo etiam oratio vera, vel falsa esse dicitur, non eo quòd ipsa susceptibilis sit contrariorum, simpliciter enim à nullo, neque oratio neque opinio mouetur; quapropter non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla contrarij sit passio in eis facta. Verum substantia eo quòd ipsa contraria recipiat ex hoc susceptibilis esse contrariorum dicitur, languorem enim, & sanitatem suscipit, & candorem, & nigredinem: & vnumquodque talium ipsa suscipiendo, contrariorum susceptibile esse dicitur. quare proprium erit substantiæ hoc, cum vnum, & idem numero sit secundum suijpsius mutationem, susceptibilem contrariorum esse. De substantia quidem hæc dicta sunt.

Cur

Cur de Substantia prius egerit Arist. & quid per substantiam intelligat, quotque modis sumatur.

Merito Arist. prius de Substantia, quam de alio quouis genere tradidit: est enim Substantia in qua omnia alia insunt, atque sustentantur, tãquam in subiecto, propterea de ea tanquam de communi omnium subiecto oportuit primo loco tractari. Præterea, quia est prior natura alijs, vt docet Aristot. 7. Metaph. c. 1. substãtia enim in sua natura à nullo dependet accidenti, at omnia accidentia ab ea dependẽt, ab ea igitur incepit tanquã a priori: hæc duplex ratio est Ammo. & Boet.

Sed quæ sit ista substantia, de qua modo est sermo, nõ est facile explicare: prætermissis igitur diuersis multorum diuisionibus substantiæ, quæ non mihi plene videntur rem attingere, sic mihi apparet esse distinguẽdũ.

Substantia primo modo sumitur, pro essentia cuiusque rei, quæcunque sit, siue eius, quæ substantia dicitur, siue accidentis, quo pacto in definitionibus superioribus vsurpabatur de vniuocis, & æquiuocis.

Secundo modo pro eo omni, quod non est in subiecto, & hoc modo est quoddã ens distinctũ contra accidens, & sic tripliciter sumitur. Vno mõ pro simplici quadã substãtia separata materia, quales sũt Angeli, quę intelligentiæ dicũtur, & Deus gloriosus, & hanc substãtiã ponit 12. Metaph. c. 2. Secũdo dicitur substãtia ens sensibile, ita vt omnia entia sensibilia, & partes eorũ dicãtur substantiæ, & sic manus est substãtia, & pes, & corpus, anima, forma, materia, compositum, hoc mõ sumitur 5. Metaph. c. 8. in principio.

Tertio modo strictius sumitur substantia, pro composito sensibili singulari, & ipsius prædicatis in quid, quo pacto 5. Meta. cap. 8. in fine sumitur, & sic nec pes, nec manus, nec anima, nec corpus substantia dicuntur, sed indiuidua ipsa cõposita, & eorum prædicata, in quid. Hoc igit᷑ modo sumit᷑ in præsenti: & notum est Aristotel. in præsenti per primam substantiam intelligere compositũ singulare, per secundas uero substantias ipsa prædicata in quid, compositorum.

Sunt ergo quatuor gradus substantiæ, Primus essentia cuiusque rei. Secundus substantia immaterialis. Tertius substantia sensibilis in communi, vt ad composita, & omnes partes, & prædicata, se extendit. Quartus pro composito, & prædicatis in quid ipsius sumpta substantia: & sic secundum mentem Aristot. in primam, & secundam diuiditur.

Est præterea aduertendum, quòd substantia dicitur à duplici Proprietate. Prior est substare accidentibus & esse subiectum in quo: altera est, substare superioribus, & esse subiectum de quo. Prior est communis omni substantiæ, s. singulari, & speciei, & generi supremo, omnia enim hæc substant accidentibus: at posterior omnibus inest, præter generalissime, quod nullius est subiectum de quo, cum nõ habeat superius vniuocum essentiale. His breuiter adnotatis, ad ipsius textus interpretationem accidamus. Nota

Sustantia autem, quæ proprie, & principaliter, & maxime dicitur.

Arist. diuisione quadam, in primam, & secundam, substantiæ, subintellecta: ipsam primam describit, s. quæ nec de subiecto aliquo dicitur, nec in subiecto aliquo est. Prior pars denotat eius singularitatem: secunda pars eius esse, s. non esse accidens, sed substantia, est enim idem ac si dicat, est substantia singularis, vltima subiectum de quo alia dicuntur, & in quo alia sunt.

Hic noscere oportet, quare Arist. primam hanc substantiam propriè, principaliter, & maximè substantiam uocauerit, Propriè potest uno modo dici, contra id, quod impropriè est, & sic vsurpant multi, inter quos Alber. tract. 2. c. 2. ad differentiã substantię, quę sumitur pro essentia cuiusque, s. accidẽtis, & substantiæ, sic. n. impropriè accidẽs dicit᷑ substantia. at Sanct. Tom. opusc 38. c 3. sumit, & bene propriè quasi p se, & non per aliud, nec ab alio. prima. n. substantia per se substat accidentibus, reliqua vero per primã, eo. n. homo est albus, quia quidã homo est albus: dicitur principaliter substantia, q͂a omnia accidẽtia per prius insunt ei, & ipsa est, quæ subsistit, secũdæ verò in ea subsistunt. Dicitur maximè substantia, quia substat omnibus, est. n. subiectum non solum accidentium, sed de quo omnia alia superiora prædicantur. Nota primo.

Oportet secundo noscere ex Ammon. quòd duplici ex causa negatiuè definimus. Prior est propter maxima rei perfectionem, Nota secundo

nem, quæ excedit alia omnia illius generis, nec tñ ipsa in se manifesta est: quo pacto Deū describimus dicentes, nec esse leonē, nec animal, nec corpus, nec Angelū, sed his aliquid præstātius. Posterior est propter imperfectionem tantā rei, quæ a cūctis in illo genere superatur: quo pacto dicitur materia prima, nō est ignis, nō est aqua, non est leo, non est planta, non est aliquod compositum, est enim his omnibus imperfectio: Definitio ergo substantiæ est negatiua propter perfectionem in suo genere, ipsa enim est quæ in substandi ratione cuncta excedit.

Nota tertio. Quamuis autem istæ definitiones per negationem dentur, non tamen est intelligendum esse puras negationes, sed habēt aliquid secum positionis: prima enim substantia est quædam sensibus natura, quæ nec de subiecto dicitur, nec in subiecto aliquo est.

2 *Secundæ autem substantiæ dicuntur species.*

Describit, quæ secundæ substantiæ dicantur, eásque dicit species, & genera esse harum primarum, scilicet in quibus hæ primæ substantiæ insunt. Dicit aūt, in quibus primæ insunt, ne decipiamur, existimantes omnes species & genera, substantias secundas esse, non enim sunt, nisi solum illæ species, & genera, quæ de primis, tanquā de subiecto prædicantur. Hic posset statim dubium suboriri, qūo si prima substantia in nullo subiecto est, dicitur inesse in speciebus? Ad quod facilè respōdeo, quando primæ substantiæ in superioribus insunt, non insunt in subiecto: hic enim est modus existendi accidentis, qui nulli substantiæ competit, at dicuntur inesse in superioribus tanquam in quadam vniuersali forma comprehendente, & concludente multa.

3 *Manifestum autem ex his.*

Hic Arist. ostendit qualiter secundæ substantiæ se habēt ad primas: & similiter, qualiter reliqua accidētia, quorū sunt subiectū: dicit q;, ex his, quę capite secundo precedenti, dicta sunt, esse manifestum, has secundas prædicari secundum nomen, & rationem de primis, cum dicantur de eis tanquam de subiecto; at dici de subiecto est essentialiter prędicari, qñ non solum nomen rei, sed ēt definitio competit subiecto: quidam enim homo est homo, & ēt animal rationale: at accidentia non sic ad primam substantiam se habēt, sed multa nec secundum nomen, nec secundum rationem, idest definitionem prædicantur: alia vero secundum nomen prædicantur quidem, nulla tamen secundum rationē. Illa, quæ nec secundum nomen, nec secundū rationem prædicantur, sunt, vt omnes ferè dicunt, abstracta accidentium, quorum nomina, & definitiones de substantia non prædicantur: nec enim dices, homo est albedo, nec homo est color disgregatiuus visus.

Sed licet hoc verum sit, melius videtur cum Ammonio dicendum, ista quæ nec secundum nomen prædicantur, esse aliqua accidentia, quorum nullum est nomen impositum ad substantiam denominandam, vt virtus est in anima, à qua dicitur virtuosa, & huiusmodi sunt alia multa. Ea uero, quæ secundum nomen prædicantur, sunt concreta, quæ de substantia prædicari ualent.

Contra hoc, dubium posset occurrere: non enim uidetur solum nomen in accidentibus prædicari, cum etiam definitio secundum illud nomen prædicetur, dicitur enim, homo est albus, & homo est coloratum disgregatiuum visus, quæ est definitio albi. Ad hoc Respond. Albert. tract. 2. huius cap. tertio. Definitio quidem concreti accidentis prædicatur de subiecto, sed non vt definitio, idest quæ explicet naturam subiecti: hoc est autem prædicari secundum rationem de aliquo, quòd definitio sit essentialis ei, de quo dicitur, at definitio albi æque extrinsecè prædicatur de homine, sicut ipsum nomen albi. Hic autem debes aduertere, accidentia, & secundas substantias comparari ad primam, de qua accidentia nulla secundum rationem prædicantur: nam si accidentia ad sua inferiora conferantur, absque dubio de eis secundum nomen, & rationem, tam concreta, quàm abstracta prædicantur: vt enim ista est essentialis, homo est animal, ita & ista, album est coloratum & albedo est color, ut dicitur 1. Topic. cap. 7. Dubiū primū.

Alia vero omnia aut de subiectis dicuntur.

Facta collatione secundarum substantiarum, & accidentium ad primam substantiam,

clara, quantum ad prædicationem, modo ea, quantũ ad depẽdentiã a prima substantia cõparat, eorũque dependentiã quasi æqualẽ ponit, i. q̃ tã secũdę substantiæ omnes, quã accidentia a prima substantia dependent, licèt cũ differentia; et substantiæ n. secũdæ dependent, quia de ea, vt de subiecto, dicũtur: accidẽtia, quia in ea, vt in subiecto sunt, quod manifestat, nã homo de quodã homine dicitur, & animal de homine, ergo, & de quodã homine, aliter n. de quodam nõ diceretur, cum nõ sit homo separatus: similiter accidens, color enim est in corpore, ergo, & in quodam corpore: ex quibus infert, Cũ ista omnia à prima dependeant, sublatis primis nihil aliorũ, siue secundarum substantiarum, siue accidentium remanebit.

Dubiũ. Dubitatur primo. Hoc enim videtur expresse contra dicere Porphyrio c. vltimo, ubi dicit: omnibus indiuiduis sublatis, non aufertur species, nec ablatis speciebus omnibus, aufertur genus. Et præterea, quia videtur argumentũ fieri a negatione inferioris ad negationem superiorũ, qui est ineptus modus argumentandi, cum superius sit prius.

Respon. cum Alberto. tract. 2. c. 4. naturæ istæ genericæ, & specificæ, quæ sunt secundæ substantiæ, dupliciter possunt considerari: vno modo secundum talem naturæ gradum, quem habẽt, vt animal, secundum naturam sensitiuam: homo secundum naturã humanam, & reliqua. Secundo possunt considerari secundum vltimam perfectionem suam, quæ est existere, & habere esse extra intellectum; hæc autem existentia est singularium, vnde tales naturæ non existunt perfectè, nisi in singularibus, secundum se enim non sunt existentes nisi per intellectum. Hinc patet responsio, corruptis singularibus istis substantijs, quæ dicuntur primæ substantiæ, manẽt quidem genera, & species, secundum suam peculiarem naturam, sed imperfectè, quia nõ sunt nisi per intellectum, & hoc dicebat Porphyrius, tamen quoad suam perfectionem vltimam, scilicet existentiam, non manent, nulla enim illarum existet citra primam substantiam singularem.

Ad argumen. ũ. Respondet Albertus bene, nõ esse argumẽtũ a negatione inferioris, sed talis modus argumentãdi a destructione omnium primarum substantiarũ tenet, per locum a sufficienti partium enumeratione.

Secundarum vero substantiarum magis est substantia species.

Tres substantiarum, comparationes Arist. facit: primã, inter secundas substantias, s. specierũ cũ generibus secundã inter ipsas species æquales; quarum una non est genus; tertiam, inter primas substantias. Dicit ergo, primo inter secundas, magis est substãtia species, quam genus. Hanc duplici ratione patefacit, & probat, prior sumitur ex priori significatione substantiæ, scilicet pro prędicato in quid, ipsarum primarum substantiarum, argumentum huiusmodi potest proponi: substantia dicitur prædicatum in quid primæ, ergo quod magis in quid prædicatur magis erit substantia: sed species est magis quid indiuidui, quam genus, ergo illa est magis substantia; Probat minorem si quis enim quærat de quodam homine, quid est, distinctius respondetur per speciem, scilicet est homo, quã animal, & ratio est clara, quia homo dicit rationale, quod non dicit animal: & semper inferiora plura habent, quam superiora, quia superaddũt differentias. Sed nota vnum, quod dixit, distinctius responderi per speciem, confusius per genus, vt intelligas, genus, & superiora includere etiam omnia quæ sunt in inferioribus, sed in potentia, & confusè, inferiora uero distinctè, & in actu: perfectius autẽ est actu continere, quàm potentia, & distinctè continere quàm confuse.

Obijcies, Species non continet distinctè naturam, cum id sit munus definitionis. Dico, quod species si ad definitionem comparetur, confusum dicitur, at ad genus quid distinctum est: propterea Aristoteles dicit distinctius responderi per speciem, quam per genus. Posterior ratio est, Eo prima substantia maximè substãtia dicitur, quia omnibus substat, & substant ijs secũ iis, & accidẽtibus, sed post primã pluribus substat species, quam genus, quia, & substat omnibus quib. genus, & ipsi generi: ergo erit magis substantia. Dub. ũ primũ.

Hic forte dubitatis, quare cum species magis sit substantia quam genus, & genus inferius quam superius, non multiplicantur substantiæ, ut species sit secunda, genus tertia, & superius quarta usque ad generalissimum? Pro hoc aduerte, quod ratio primę substantiæ hæc est, quod sit ultimum subiectum, de quo omnia alia prædicantur, & in Dubiũ secũdũ.

quo omnia alia sunt; ratio vero secundæ substantiæ est, esse prædicatum in quid primæ: & omnium aliorum esse subiectum in quo: scilicet accidentium. Cum igitur hæc sit ratio substantiæ secundæ, quod postea magis, vel minus sit in quid, pluribus, vel paucioribus substet, cum hanc rationem non mutet, non multiplicabit substantias secundas, vt albedo, vt quatuor, albedo vt octo eiusdem speciei sunt, quia iste excessus non mutat rationem albedinis; magis enim, & minus sub eadem rationem non variant speciem.

6 *Ipsarum vero specierum quæcunque non sunt genera, &c.*

Hic fit comparatio inter ipsas species inter se, & non sumit inæquales species: nam si vna genus est, altera non; quæ genus est, minus est substantia, quam altera. Sed conferuntur species æquales sub eodē genere, & sic dicitur, vna non est magis substantia quam altera: quod probat: non enim magis in quid vna species de suo indiuiduo prædicatur, quam altera de suo: ita.n. benè respondetur per hominem, si quæretur; quid est quidam homo: quam per equum si quæratur de quodam equo. Vltimo comparantur primæ substantię inter se, & eadem ratione, vna non est magis substantia, quam altera. Ex his colligit rationem, quare secundæ substantiæ dicātur substantiæ, non autem accidētia. Ad quod dicit illas vocari substantias propter duo. Primo quia sunt prædicata in quid de prima. Secundo quia substant omnibus accidētibus alia vero prædicata non sunt de natura primarum, nec substant alijs.

Dubiū. primū. Dubitatur primo Substantia secunda nempe species, & genera sunt priora indiuiduis: ergo dicenda erant potius substantiæ primæ, & indiuidua secundæ. Respon. dupliciter. Primo, secundum Boet.

Quamuis, illæ naturæ generū, & specierū sint, priores, tamen indiuidua sunt primo cognita, quia sensibus substāt propterea primo est nomen eis substantiæ impositum: ac ideo primæ substantiæ dicuntur. Secundo resp. ex Alber. trac. 2. c. 3 ꝙ istę naturę dupliciter possunt cōsiderari: vno modo secūdū se, & vt ipsorū indiuiduorum principia sunt, & sic priores sunt: altero modo, vt prædicata quædam substātialia sunt. s. genera, & species, & sic posteriora sunt, vniuersale enim posterius est: & cum sic in præsenti considerentur, merito secundæ substantiæ dicuntur, quia posteriores sunt scilicet ab ipsis primis abstractæ.

Cōmune autē omni substantiæ, &c.

Hæc est posterior pars huius capitis, in qua Aristoteles, postquā quid prima, & secunda substātia, & quo modo inter se, & ad inuicē se habeant, explicauit quasdā ipsius substātiæ, proprietates assignat, quæ locū descriptionis cuiusdā habēt: nō enim ista generalissima aliter definiri queunt. Et igitur prima proprietas. Omni substantiæ conuenit, non esse in subiecto: hanc dupliciter manifestat, primo in ipsis primis, & secundis inductione quadam, ex earum descriptionibus. Nā prima est, quæ neque est in subiecto, nec de subiecto aliquo dicitur. Secunda, quæ dicitur de subiecto, sed non est in subiecto. Secundo probat de ipsis secundis, quia maior est in his, difficultas, cū per se non existant. Ea, quæ in subiecto sunt, non prædicātur secundū rationē: at omnes secundæ, substātiæ secundū nomē, & rationem prędicantur, ergo in subiecto nō sunt. Subdit, hoc non solū substantiæ, sed etiā differentijs cōmune esse, cum enim hęc secundū nomen, & rationē prędicentur, in subiecto non sunt.

Posset quis dubitare. Cum hoc sit propriū substantijs, quare uocatur cōmune? Respon. cum Ammonio. Propriū duo habet: & conuenit soli, & conuenit omni: igitur respectu eorū, quibus omnibus competit, commune est, ut cōmune est omni homini esse risibilē, licet aliorū collatione sit proprium. Ita in pręsenti, omni substantię commune hoc est; sed illi proprium, quia non inest, accidentibus. Dubiū. primū.

Dubitatur secundo. Nam uidetur asserere differentias non esse substantias: dicit enim non solum hoc substantiæ proprium est, sed etiam differentijs; ubi differentiam à ratione substantiæ separare uidetur: Dico breuiter ad hoc (postea enim in quæstione quadam circa hoc caput, latius hoc disputabitur) quod differentia quoad rem ipsam substantia est, quo ad modum uero est ueluti accidens, quia se habet ad modum qualitatis, vt superius diximus; genus uero, & Species, & prima substantia, & quo ad rem, & quo ad modum, substantiæ sunt: nam genus, & species in quid prædicantur. Cum autem hic de substantia non solum quo ad rem, sed quo ad modum Dubiū secundum.

etiam

etiam tractetur, quia modus prædicandi simul attenditur, differentia non reputatur simpliciter substantia.

8 *Neque vero nos substantiarum partes.*

Hæc secundum Ammon. & Simplicium, continuantur cum præcedentibus, vt sit sermo de differentijs, quæ cum partes sint, possent alicui videri non esse substantiæ, quod remouet Aristot. dicens esse substantias, quia in subiecto esse, nō est esse in aliquo, vt illius partem, sed esse in aliquo tanquam accidens: at differentia est pars Specierum, propterea accidēs nō est. Boet. vero, & Alber. hoc intelligunt de partib. integrātibus, & de materia, & forma, quas aliquis posset existimare nō esse substātias: cū nulla earum fuerit habita ratio. Hoc remouet Arist. dicens esse substantiam, non aūt accidens, quia accidens nō inest tanquam pars, & vtraque est congrua expositio.

Nota. Est tamen notandum duplex discrimē inter partes has, & accidentia. Primò hæ partes cōponunt vnicam naturam, aut vnum totum per se, vt materia cum forma vnam facit naturam, & manus, caput, ac reliqua, vnicum faciunt totum, at accidentia nec inter se, nec cum subiecto vnicam rem, aut totum per se faciunt. Secundo partes istæ integrantes, & nomen, & rationem, à toto, in quo sunt, accipiunt: manus enim à toto abscissa nō est simpliciter manus, nec caput similiter; ratio partis est, secūdum quam suum exercet munus, & officium: at partes extra totum suum munus non habent: ergo non habent suam rationem, & formam extra totum: Accidens vero separatum, & suum nomen, & suam retinet rationem, & formā: albedo enim separata, ita est albedo, sicut ea quę in subiecto est.

9 *Inest autem substantijs & differentijs.*

Hæc est secunda proprietas substātiarum, quę etiam differentijs competit, vt omnes de primis uniuocè prædicentur. Probatur. Quæcunque secundum nomen, & rationē, prædicantur, uniuocè prędicantur, sed secundę substantiæ secundum nomen, & rationem, similiter & differentiæ prædicantur, ergo uniuocè. Huius rationis primo loco secundū morē suum ponit minorem, posteriori uero maiorem. Hic breuiter nota, differentias non habere propriam definitionem quidditatiuam, cum ex genere, & differentia non componantur, ac propterea simplices conceptus dicuntur: habent tamen quandam descriptionem, per quam illarum natura explicatur, & secūdum hanc de prima substantia prædicantur.

Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare. 10

Hæc est tertia proprietas. Oīs substātia vr̄ hoc aliqd significare: sed nō significat. nā secūda quale qd potius signāt. Est aduertendū, ꝙ hoc aliqd dicitur natura ꝑ se subsistēs, & nullo mō in alio, qualia sola esse singularia substantiæ credidit Arist. Plato uerò, ut diximus, existimabat naturas uniuersales per se subsistere extra singularia, ꝓpterea eas hoc aliqd opinabatur. Aristoteles uero, nō nisi in ipsis singularib. existere, ita tn̄, ut sint totum essentia: ac ob id, ut intelligamus has naturas uniuersales nō per se existere, sed in singularibus uocat qualitates: at ne decipiamur existimātes sic esse in singularibus, ut eorū sint accidētia, cū sint ipsorū substātia, uocat qualitates substātiales. Inde est, ꝙ noīa primarū substantiarū, hoc aliquid significant, at noīa secundarū quale quid: dicit tn̄, quod uidentur significare hoc aliquid figura appellationis, id est modo significandi nominis, quòd cum absolutum sit, significat rem illam per modum subsistentis, cum tamen uere per se non subsistat, nisi in singularibus.

Inest autem substantijs, nihil illis esse contrarium. 11

Hæc est quarta proprietas substātię, scilicet Substātiæ, nec primæ, nec secūdę quicquā est contrarium: hoc autem nō solis substantijs, sed etiam quantitatibus inest, quibus nihil est contrarium: ut enim homini, animali, Petro, nihil est contrarium, ita ternario, & bicubito, nihil est contrarium. Et quia posset quis obijcere, magnum, & paruū sunt quantitates, tamen unum alteri cōtrarium est. Respon. quamuis admittatur id, scilicet illa esse quantitates, quod reliquit tractandum in prędicamento quantitatis, tamen hoc saltem est certum, quantitatibus determinatis nihil esse contrarium: uocat autem quātitates determinatas, ipsas species quātitatis, ut est ternarius, quaternarius, linea, corpus, quę cōtraria nō habent; magnum, & paruū sunt indeterminata,

minata,

minata, cum modo vni speciei, modo alteri insint. similiter, quia quod magnum est, alterius collatione paruũ fit: nec est certa ratio, in qua magnitudo, vel paruitas consistat.

Dubiũ primũ. Dubitatur primo: Quomodo substantia non habeat contrarium: ignis enim & aqua contraria sunt, & tamen sunt substantiæ. Præterea omne, quod corrumpitur, à contrario corrumpitur, at substantiæ corrumpuntur: ergo à contrarijs suis. Præterea, quia ita distant inter se homo, & leo, sicut calidum & frigidum, sed hæc sunt contraria: ergo & illa.

Fundamentũ. Pro huius difficultatis dissolutione oportebit considerare, quæ dicantur contraria. Tria autem necessaria sunt, ut aliqua dicantur contraria. Primum, quod sub eodem sunt genera, quæ enim sub diuersis generibus, vel prædicamẽtis sunt, non contraria, sed diuersa dicuntur. Secundo, quod sint formæ positiuæ, quando enim alterum priuatiuũ quid est, non dicuntur contraria, propter quod cæcitas, & visus contraria non sunt hæc tamen duo non sufficiunt: nam homo, & equus hęc duo habẽt, & sunt positiua; idẽ genus, nempe non tñ cõtraria sunt. Est tertiũ necessariũ, ꝙ mutuo inter se pugnẽt, & agãt circa idẽ subiectum, à quo vnum mutuo alterum expellat, vt calor à manu expellit frigiditatem. Ista autem actio fit secundum ipsas formas, uel ea, ex quibus fiũt, ut calor sc͠dm se pugnat contra frigiditatem: & albedo, & nigredo agunt per qualitates ex quibus intrinsecè sunt.

Rñsio ad dubium. Ex his facile erit respondere: Ignis enim & aqua secundum se, & substantiam suam nõ sunt contraria, sed secũdũ qualitates, quas habent, s. calorẽ, & frigiditatẽ, quibus mutuo pugnant inter se. Similiter ad secundũ, quod corrumpitur nõ corrumpitur nisi per qualitates cõtrarias, ex quibus cõstat. Ad tertiũ dicitur, nõ quæcunque, & si diuersa inter se sint, cõtraria dici, sed ea, qbus illa tria insunt: hęc autẽ reperiuntur in calido, & frigido, nõ aũt in homine, & equo: propterea illa sunt cõtraria, non autem hęc. Hęc sufficiant, reliqua enim sunt Physica, & Metaphysica.

22 *Videtur autem substantia non suscipere magis.*

Proponit quintam proprietatem substantiarum omnium, scilicet non suscipere magis, aut minus: non enim unus homo est magis homo, quàm alius, nec quàm ipsemet, sicut unum est magis albũ, aut calidum, quàm aliud, aut quam ipsummet erat in alio tempore. Hanc proprietatem cum præcedenti Arist. non probat, quia sunt alterius scientiæ, hic autem supponuntur, ut Logicus habeat aliquem effectum, per quem utcunque attendat ad cognitionem substantiæ. Hæc autem proprietas etiam inest quantitati, non enim quantitas suscipit magis, uel minus: semper enim ista coniuncta, sunt suscipere magis, vel minus, & habere contrarium.

Dubiũ primũ. Posset quis obijcere. Superius dictum est, unam alia magis substantiam esse: quo modo ergo dicitur, non suscipere magis, aut minus? Respondet Aristoteles substantiam dupliciter posse considerari. Vno modo, vt substat, & aliorum est subiectum, & sic superius dictum fuit, suscipere magis, una enim pluribus subijcitur quàm alia. Altero modo consideratur secundum se ipsam, & naturam, & essentiam, & sic in præsenti asseritur, non suscipere magis: non enim homo in se, animal in se magis, aut minus patitur.

Maximè vero proprium substantiæ esse videtur. 23

Vltima proprietas est. Substantia una numero, s. indiuidua, & singularis est susceptiua contrariorũ, idest recipit in se contraria, non simul, sed modo unũ, modo alterum: ut unus, & idem homo, modo calidus, modo frigidus, modo albus, modo niger est. Dicit autem, qđ una numero, & singularis substantia recipit contraria; nam accidens unum genere contraria habet, ut color in communi albũ continet, & nigrum, sed nõ unus, & idem color singularis albus est, & niger. Hæc proprietas est maximè substantiæ propria, non enim ulli accidenti cõpetit, sed soli substantiæ. Obijcit aũt contra hoc Arist. nam uidetur, hoc & posse accidenti cõpetere, nam ista eadẽ propositio, Petrus sedet, Petro sedente, est uera, eadem, Petro surgente, est falsa: uerum autem, & falsum contraria sunt: similiter & opinio qua cogito Petrum sedere, modo est uera, modo falsa. Respon Arist. hoc discrimen esse, nã substãtia recipit contraria in se ipsa, & ipsamet mutatur ex uno in aliud in se ipsa, at propositio, & opinio quando modo uera, modo falsa dicitur, non recipit aliquam mutationem in se, sed ab extrinseco ab eo, quod res mutatur, uel sic est, aut nõ est dicitur uera, aut

te, aut falsa. Si quis enim existimet propositionem in se mutari, falsum putat: vnde saltem hoc modo, s. per mutationem in se contraria suscipere soli inest substantię, & ipsius est maxime proprium.

QVAESTIO I.

De diuisione substantiæ, at primo qualis ea sit diuisio substantiæ in primam, & secundam.

AEquum est, vt ea, quæ caput exponentes adnotauimus, maiori examine, & diligentia perpendamus. Et primum disserendum occurrit de diuisione substantiæ, in primam, & secundam. Deinde, quòd sit genus generalissimum in prędicamento substãtiæ. Tertio de tota ipsius prædicamenti diuisione, seu coordinatione.

Argumẽta in contrarium. Igitur primo videamus, qualis sit illa diuisio substantiæ, in primam, & secundam Obijcitur ergo primo contra eam. Vel est diuisio generis in species, vel totius in partes, vel ęqui uoci in æquiuocata: non enim apparet, an sit aliqua ex alijs diuisionum modis, sed quòd nulla ex supra dictis sit probatur. Primo, non est generis in species, quia species inter se non sic se habent, quod vna sit in alia, nec quòd vna corrupta, corrumpatur alia, at secundæ substantiæ sunt in primis, & destructis primis, destruuntur.

Secundo, nec est totius in partes; nã partes totius, vt docet Aristot. 2. lib. de partibus Animal. c. 1. sunt in duplici differentia, quædam similares, quæ dicuntur omogeneæ, quia inter se, & cum toto, sunt eiusdem rationis, & nominis, ut partes unius ossis, quarum singulæ os sunt, & rationem ossis, habent, & partes carnis, & partes aquæ. Aliæ sunt partes dissimilares, quæ eterogeneę dicuntur, quæ tandem cum toto rationem, & nomen non habent; vt manus, caput, pes, quæ neque inter se, nec cum toto idem habent nomen, & rationem. Hæc igitur diuisio non est totius in partes similares, quia partes similares, vt dictum est, idem prorsus nomẽ, & rationem inter se cum toto habent; at prima substantia, & secunda diuersum nomen, & diuersam habent definitionem. Nec est in partes dissimilares, nam cum totum in partes has diuiditur, vna non continet aliam, at prima continet secundam. Præterea totum partibus dissimilibus nomen non impartitur, at prima substantia, & secunda, dicuntur, substantiæ: caput vero, aut manus, non dicitur animal.

Prętерea, nec est æquiuoci diuisio in æquiuocata, q̃ Simplicius, & Porphyrius, & Boet. non diuisionem, sed enumerationem censent esse dicendam. Probatur quod non sit talis. Aequiuocis nihil præter nomen est commune; at hic non solum est commune nomen, cũ omnibus sit commune substantijs, nõ esse in subiecto; ergo non est diuisio æquiuoci.

Propter hoc multiplex argumentum, Ammo. existimat non esse aliquam diuisionem ex prædictis, immo nullam esse diuisionem, sed quendam ordinem enumeratorum: sicut qui numerat principia orationis, dicit; primæ sunt litteræ, secundæ syllabæ, tertiæ dictiones; & sicut qui numerat discumbentes, iste est primus, ille est secundus; ita hæc est quæ iam enumeratio constitutorum in prædicamento substantiæ. Prima opin.

Fuit secunda sententia Alber. tract. 1. huius ca. 3. quem sequitur Caietanus, qui sustinet diuisionem hanc esse analogi, in analogata. Illud enim est analogum quod per prius vni, quam alteri inest; at esse substantiæ prius primæ, quæ maximæ substantia est, quam secundæ inest. Secunda opin.

Tertia sententia fuit doctorum Louaniensium. Dicunt enim diuisionem esse accidentis in accidentia, sicut qui diceret; alborum, aliud dulce, aliud frigidum, aliud amarum; ita substantiarum, idest eorum, quæ substant, & sunt subiecta, quoddam est vniuersale, scilicet secunda substantia; quoddam particulare, sicut prima substantia. Tertia opin.

Quarta sententia fuit Burlei, in præsenti, hanc esse diuisionem subiecti in accidentia; sicut animalium, aliud album, aliud nigrum, aliud medio colore se habens, ita natura per se, & non in alio stans, alia est vniuersalis, alia particularis; accidit enim naturæ, quod sit vniuersale, vel particulare. Quarta opin.

Vltima sententia est quorum Neotericorũ, hanc esse diuisionem generis in species. Quinta opin.

Circa huius determinationem proponam aliquot fundamenta, quæ nece etiam conclusionem esse poterunt, quibus propositæ quæstioni satisfaciemus.

Sit primum fundamentum. Triplex est substantia sensibilis, vt docetur 2. de Anima c. 1. & 7. Met. c. 3. quædam materia, quædam forma, primũ fund.

forma, quædam compositum, vt in animali, corpus est materia, anima forma, totum ipsum est compositum, similiter in alijs.

Ex hac triplici substantia, dubiũ est, quæ hic ab Arist. consideretur. Boethus Græcus, quem refert Simplicius hoc capite supra prima, verba existimauit hic Aristotelem considerare compositum, & materiam. Ratio eius erat, quia illa descriptio primæ substantiæ non soli indiuiduo, sed etiam materiæ cõpetit, hæc enim nec est in subiecto, nec dicit de subiecto; formam vero, quia erat in materia, credidit connumerandam inter illa, quæ sunt in subiecto, velut accidentia.

At Simpli. Porphy. Ammon. Boet. & Arabes solã compositam substantiã hic inter primas, & secundas collocant: substãtia.n. vtraque cõposita est. Quorũ ratio est, q̃a hic agit de substantia sensibili, nota, & manifesta. at materia est obscurissima, nec satis de ea constabat. Posset etiã secũdo dici, quod hic tractat de substantia, ut subijcitur in prædicationibus, tã accidentalibus, quã substantialibus: at talis est composita, non.n. subijcitur, nec prędicatur, secundum prædicationem prædicamenti, nisi compositum.

Nec argumẽtum Boethi quicquam valet: in illa enim definitione est assumendum id, quod notum est, & proprie substat: sed id est compositũ, & natura perfecta sensibilis, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto. Hoc igitur compositum dupliciter sumitur, vno modo in particulari: scilicet hic homo, hæc planta, hoc animal, & alia, quę sũt primę substantiæ: altero modo in uniuersali, homo, planta, animal, & hæc dicuntur secundæ substantiæ.

Secũdũ fũdam.

Secundum fundamẽtum est. Vnicũ compositum non habet, nisi vnicam formam, & materiã, habet tamen plurimas operationes, & proprietates communicatas, & procedentes ab illa forma: verbi gratia, homo est per se, est quãtus, viuit, mouetur augetur; nutritus, sentit, discurrit: similiter reliqua: inter has quædam reperiuntur cõmunissimæ, quæ nõ solum illi rei, sed multis insunt: quædam minus communes: quædam adhuc minus, & tandem quædam illi soli conuenientes: verbi gratia, esse per se non soli homini, sed omnibus inest substantijs. viuere, augeri, non omnibus, sed plantis: sentire non plantis, sed animalibus: at discurrere, soli homini: sed hæc adhuc omnibus indiuiduis humanis conueniunt: at quædam aliæ sunt, quę huic vni soli, non alteri insunt; vt illæ conditiones indiuiduantes, de quibus superius diximus.

Ex hoc patet quasdã esse rei operationes, seu proprietates, quibus alijs rebus cõmunicat, quasdã quibus ab eis differt: verbi gratia, in hoc, quod est per se esse, cõmunicant substantiæ istæ inferiores cũ intelligentijs: sed differunt in quãtitate: in hac aũt cõmunicat hõ cum lapidibus inanimatis, sed differt in nutritione, & vita, in qua cum plantis conuenit: a quibus per sensum differt: in sensu cũ brutis participat, sed differt per rationem.

Hoc supposito, philosopho considerantes vnicam rem tot habere operationes, varijs nominibus eam significant: quorum singula talem rem significant, vt in ea peculiaris quædam operatio inuenitur: verbi gratia, quia homo, per se stat, dictus est substantia: quia quantitatem habet, corpus, quia nutritur, viuens: quia sentit, animal: quia ratiocinatur, homo. Omnia autẽ hæc nomina in vno vnicam tantum naturam in eo significant, sed non eadem ratione, sed secundum diuersas operationes in eo inuentas; non quòd talia nomina operationes ipsas significent. (significant enim rem ipsam, & eius substantiam) sed sunt imposita ad significandum substantiam ex diuersis operationibus, & proprietatibus, quæ in ea sunt, ut inferius dicemus.

Sed hic est summopere aduertẽdum, cum quædam operationes sint, quibus multa conueniunt, quædam, quibus differant, alijs tamen conueniant, nomina, quæ ã talibus operationibus hominum, etiam aliquibus conueniunt, & erunt communia; alia etiam differentia, & quibusdam peculiaria; verbi gratia, animal dicitur omne quod sentit; rationale, quod solum discurrit, viuens, quod nutritur. Vnde omnia huiusmodi communia sunt, quia substantiam non unius rei solius, sed multarum significant; & istæ sunt secundæ substantiæ, inter quas, quędam sunt genera, quædam species, quædam differentiæ? genera sunt illa, quæ sumuntur ab operationibus pluribus rebus specie distinctis, cõuenientibus; secundum quod eius conueniunt. Differentiæ quę sumuntur ab operationibus, quibus quædam ab alijs differunt. Species, quæ sumuntur ab vtrisque, & his, quibus differũt,

& his, quibus conueniunt: species enim genus, & differentiam continet.

Tertiũ fund. Sit tertium fundamentum ex S.Th.1.par. q.13.ar.8.& q.18.art.1. Sæpe nomina significant aliquam rem, & imponuntur ad significandũ ab aliqua rei proprietate, quam non significant. Vnde aliud est, quod significant, aliud, à quo imponuntur ad significandum, verbi gratia, lapis significat rem talẽ, ad quã significandam fuit impositum, ab hac proprietate, quod lædat pedem, non tamen tale nomen hanc significat proprietatem, sed rẽ illam, quæ substantia est; ita fit in hoc nomine substantia: significat enim quandã essentiam, & naturam, quæ per se est, idest non in subiecto: non quod nomen hoc talẽ significet proprietatem, sed illam naturã absolutè significat, licet ab hac proprietate fuerit impositum: at quia de ista natura secundum se loqui non possumus, quia occulta est, per hãc proprietatem manifestamus, per se esse, siue substare: & dicimus substantiam esse naturam, cui hoc inest, quòd per se sit, idest non in subiecto.

Hoc autem potest dupliciter considerari. Vno modo primo intentionaliter, s. per se esse, vt substantia sit natura, quæ per se est: & tunc dicitur sumi primo intentionaliter. Altero modo secundo intentionaliter, vt per se esse, seu subsistere, idem sit quod esse subiectum, & tunc substantia dicitur secundo intentionaliter, & vtroque modo adhuc dupliciter; primo, pro natura quacunque, quæ substat, tam simplici, quàm composita; altero modo, pro natura composita, quæ substat, vt hic sumitur apud Arist.

His suppositis vnica conclusione respondemus. Quamuis omnes illæ sententiæ veræ sint, varia consideratione, tum diuisi, tum membrorum diuidẽtium, sicut eas supra explicuimus: tamen ad mẽtem Aristotelis placet sententia Alberti: hic enim consideratur substantia, idest natura composita sub his proprietatibus, per se esse, quæ est primo intentionalis, & subijci, quæ est secundo intentionalis: hæc autẽ talis substantiæ proprietas per prius inest primæ, quæ per se maximè est, & maximè substat: per posterius autem secundæ substantiæ competit, & ita erit diuisio analogi in analogata.

QVÆSTIO II.

Quod sit genus generalissimum in prædicamento substantiæ, & an complectatur Angelos, & Deum.

Prima opin. Dvbitabis, quod sit genus generalissimũ in hoc prædicamento? Qui existimant Angelos esse in hoc prædicamento, ponunt substantiam pro generalissimo complectentem corpoream naturam, & spiritualem.

Secũda opin. Qui verò eos à prædicamento reijciunt, ponunt corpus, siue substantiam cõpositam: igitur aliqui putant saltem secundũ sententiã Arist. intelligentias in prædicamento nõ ponit hic enim ex sententia Ammonij, Simplicij, Boet. Porphyrij, & aliquorum aliorũ, solũ tractat de substantia composita sensibili.

Secundo præterea, si essent in prędicamento, essent ex genere, & differentia, cũ vel tanquam prima substantia, vel tanquam secunda essent collocandæ: at secundũ sñiam Aris. vt videtur, intelligẽtię simplices sunt, & actus puri. 8. Met. tex. 16. vnde docet Auer. 2. Cęli. Cõmen. 49. quæ habent genus, & differentiã esse cõposita ex materia, & forma. Præterea.

Tertio si essent in prædicamento, substarent accidentibus, at secundum Aristot. nulli substant accidenti, vt ait in Metaphysicis, ergo non sunt substantia prædicamentalis, & sic Auer. 12. Metaph. cõm. 25. distinguit substantiã quædam enim habet accidens, vt sensibilis, quędã caret accidẽti, vt intellectualis.

Quarto. Pręterea 12. Metaph. c. 5. assignãs principia prædicamenti substantiæ, tanquam principia omnium aliorum prædicamẽtorum, ea ponit, materiam, formam, & priuationem, a quibus intelligentiæ remotæ sunt.

Quinto Arist. 10. Meta. tex. 26. ait. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere. Cũ ergo intelligentiæ sint incorruptibiles, videtur nullum genus eis posse esse cõmune cum corruptibilibus rebus.

Sexto eodem lib. 10. Tex. 12. Diuersa, ait genera sunt, quæ differunt materia, nec habent mutuam transmutationẽ, vel quorum alia prædicamenti figura.

Septimo, Arist. 9. Metaph. tex. 17. Aeterna, ait, carent, potẽtia: sed genus est quid potentiale, ergo genus non est in æternis.

At hæc sententia falsa est, & contraria vero, nẽpe Angelos, seu intelligẽtias in prædicamẽto substantiæ nõ collocari, & eos ex gñe, & dif-

& differentia compositum non esse, & accidentibus substantes, in prædicamento non poni, præter gloriosum Deum, qui nulli accidenti subiectus, totius compositionis est expers: vnde genus generalissimum erit Substantia, cõplectens corporea, & incorporea.

Primũ fund. Hæc autem substantia, ne decipiatis, non est illa, quæ in primam, & secundam diuiditur, sed est vnum genus inter secundas substantias. Vnde substantia dupliciter capitur. Vno modo, pro perfecta natura, quæ subsistit per se, & subiectum est: & hæc diuiditur in primam, & secundam, inter secundas est vna, quæ est genus generalissimum, quæ etiã vocatur substantia. Sed altero modo, scilicet natura perfecta per se, quæ est primum prædicabile, & principium eorum omnium, quæ tali linea continentur. Non dixi naturã compositam, sed perfectam, vt includerem intelligentias, quæ non sunt compositæ, saltem compositione physica.

Probatio conclusionis. Quod autem intelligentiæ, seu Angeli in prædicamento ponantur, asserunt primo D. Tho. prima par. q. 50. arg. 2. ad primũ, ponẽs eos compositos ex genere, & differentia. Itẽ Simplicius ad calcem ante prædicamentorũ. Idem Simpl. ad initium prædicamenti substantiæ, soluens argumentum Plotini aduersus Aristot. quod fecerat in primo tractatu de Generib. entis, ca. 1. & 2. & idem Plotinus eandem tribuit sententiam Arist. eisdem capitibus. Item Alexander, vt refert idem Simpl. in expensione prædicamenti substantiæ. Itẽ Themistius in initio 3. Physic.

Et probatur his Arist. testimonijs, & rationibus. primo Arist. in 1. Physic. text. 13. argumentatur contra Parmenidem, qui dicebat, dari vnum tantum ens immobile, & incorruptibile, & argumentatur hoc pacto. Si est vnum, ergo est in aliquo prædicamentorum; quoniam omne ens est in aliquo prædicamentorum: loquitur autem de ente incorruptibili, vbi vide Simplicium, Themistium, & Philopponum.

Idem Arist. 1. de Anima, ait, Quærentem quid sit anima, debere prius inquirere, in quo sit genere, includit autem rationalem, vt videre est in tex. 7. & ita in 2. de Anima tex. 3. concludit, animam esse in prædicaméto substantiæ, & tamen est incorruptibilis, & spiritualis. Item si excluderentur intelligentiæ, maxime fieret, quia incorruptibiles, propter illũ tex. Arist. corruptibile, & incorruptibile differunt genere. Sed hæc ratio nulla est, nam etiã quantitas secundum ipsos contrarium opinãtes, Auerroem, & alios, est incorruptibilis, & tamen ponitur in prædicamento. Item cœlũ, astra, Sol, Luna, & Dæmonia sunt in prædicamento substantiæ, vt ait Arist. in 5. Metaph. tex. 15. & 7. Metaph. tex. 5. & 8. Metaph. tex. 1. & in his omnibus locis, vide Alexandrum. Item materia prima, vt videre est in 2. de Anima tex. 2. & octano Metaph. tex. 3. Item idem Arist. aliquoties diuidit substantiam in sensibilem, & insensibilẽ, vt in 12. Metaph. tex. 5. agit autem de substantia prædicamentali, vt videre est in tex. 2. de qua etiam dixerat in 8. Metaphys. text 21. esse in hoc prædicamento substantiæ, quod paulo antea distinxerat ab alijs: esse, inquam quasdam substantias concessas ab omnibus & manifestas: quasdam non concessas: has autem non concessas, intelligit spirituales, immobiles, & incorruptibiles, vt videre est in 6. Metaphysic. tex. 2. & in 7. Metaph. tex. 5. & 6. Et in octauo Metaphysic. & alijs etiam locis. Tandem in 12. Metaph. tex. 5. ait, substantias esse tres, vnam sensibilem corruptibilem: aliam sensibilem sempiternam, aliam immobilem, de qua disputat in toto postea libro, quærens quid sit, num Mathematica entia, nũ formæ seu Ideæ, num intelligentiæ, quas vltimas, reiectis alijs, concludit dari, in text. 41. quærens deinde earum numerum, vsque ad tex. 49.

Rationibus etiam sic probatur. Primo, quia hæc est essentialis prædicatio, orbis Lunæ est intelligentia & intelligentia Martis, &c. ergo est prædicatio generis de specie, vel speciei de indiuiduis: non est aũt analogũ nomẽ intelligentia, sicut ens, quia non cõuenit ratio intelligentiæ, vt intelligẽtia vni prius intelligẽtiæ, & per illã primam, alijs; sicut ens, quod conuenit primo, & simpliciter substantiæ, & alijs in ordine ad substantiã; ergo si est essentialis illa prædicatio; & superioris de inferiori, & nõ analogi, erit generis de specie, vel speciei de indiuiduo; si ergo sunt sub gñe, & speciẽ, ergo sunt in prædicamento. Cõfirmatur, quia quotiescunq; aliqua multa participant aliquo vno sine dependentia vnius ab alio, nõ tollitur vniuocatio, sic est in Angelis: licet enim habeant ordinẽ nobilitatis, non tamen causalitatis, qui, non sunt inuicem causæ.

Secundo intelligẽtiæ possunt definiri definitione

finitione essentiali, ergo cõstãt gñere, & differentia, atque ita erunt in prædicamento, vt diffinitio, uerbi gratia, erit unius intelligẽtię, hæc est intelligentia talis puta motrix infimi cœli, vel secundi uel tertij; nam conueniunt in hoc, quod sunt intelligentiæ: & præterea differunt essentialiter inter se, quia una non est altera, neque una æque perfecta essentialiter atque altera, ubi autem est conuenientia essentialis, & differentia essentialis, ibi est genus, & differentia.

Tertio. Ex operationibus colligimus rerũ essentias, ut antea dictũ est ex Aristotele, sed vbi uidemus operationes naturales communes rebus, ibi colligimus substantiã cõmunẽ, quæ est principium taliũ operationũ, vt uerbi gratia, ex vegetatione colligimus in omnibus, quæ uegetãtur, substantię quoddã genus commune, s. uiuens: ratione cuius, primo, & per se illa operatio conueniat. Et rursus, cum naturales operationes rerũ ꝓprias uidemus, in quibus differunt; colligimus essentialem inter eas differentiã, quę talis sit operationis causa, principiũ, & origo. Iam uero in intelligentijs deprehẽdimus naturales operationes cõmunes, uidelicet intelligere, & mouere, & præterea differẽtes, uidelicet tale intelligere, singularũ proprium; nam haud dubie etiam secũdum Aristotelem una melius altera intelligit, & mouet hũc, uel illum orbem; ergo necessario conuincitur istis respondere substantiam genericam essentialem, & differentias essentiales, unde istę operationes primo, & per sę nascantur. Confirmatius idem fit, quia accidẽtia Angelorum sunt uniuoca formaliter accidentibus intellectus nostri: sunt enim intellectiones, uolitiones, qualitates, ergo & substantia ipsorum erit uniuoca cum substantia istorum inferiorum.

Quarto. Intelligentiæ habent aliquam potentiam, quia acceperunt esse a Deo, & inæquale esse, quia, vt ait Arist. lib. 3. Cœli communicatũ est esse his clarius, illis obscurius.

Quinto. Item non sunt omne ens, nec perfectissimum ens, ergo habent in sua essentia entis negationem, & maiorem, & minorem, per quæ differunt etiam intrinsecè, & mouent motæ; immo hodie uno motu, cras alio, atque alio, sed quæ habent potentiam, & actum, non sunt omnino simplicissima: ergo sunt composita, saltem ex actu, & potentia essentiali; sed quæ talia sunt, collocantur sub genere, ergo, &c. sed quia hæc Logici captum transcendunt, ista sunt satis. Nunc ad argumenta contrariæ opinionis respõdeamus.

Ad primum, negamus Arist. solum tractare de substantia sensibili; immo definitiones tam primæ, quam secundæ substãtiæ, & communia, & propria substantię, conueniunt suo gradu etiam intelligentijs. Ad primum.

Ad secundum cum Arist. ait, esse actus puros, & simplices, intelligit respectu cõpositionis Physicæ, quia sunt separatæ à materia, & sine cõpositione ex materia, & corporis denique omnis expertes; non autẽ excludit cõpositionẽ Metaphy. ex genere, & differẽtia; nec sequitur, sunt simplices, & puri actus, ergo carent omni genere, & differẽtia; quia quamuis sint puri, tñ non sunt purissimi, nec simplicissimi: sed alij sunt puriores alijs, & simpliciores, quod manifeste asseruit Aristoteles loco illo citato lib. 3. Cęli cũ aiebat, alijs communicatum esse, his clarius, illis obscurius. Ad 2.

Ad Auerr. dictum, dicimus esse falsum, si vt iacet, intelligatur, nisi velit dicere, quę habent genus, & differẽtiam, esse composita ex aliquo, tanquam materia, & aliquo, tanquam forma, uel illã esse composita ex materia, & forma Metaphysica.

Ad tertium respondemus secundũ Arist. non suscipere accidentia corruptiua, sed bene perfectiua, ut cęlum, lumen. Item manifestum est, non posse Aristot. intelligere de omni accidenti, nam suscipiunt haud dubie respectus varios ad se inuicem, & ad orbem, & ad motum, ac ad effectus suos, quos faciunt, uel in se, ut subordinatæ sunt causæ; uel in alijs; & secundum nos etiam mutantur, sed intelligit de accidẽtibus solum absolutis, uel de corruptiuis. Ad 3.

Ad quartum respondemus. Arist. non ibi tradere principia intelligentiarum, nec locũ ibi fuisse, ut de eis ageret, sed postea in li. 12. Egisse autem primo de substantiæ sensibilis principijs, quia hæc apparet maxime substantia nobis, ut ipse ait 2. de anima. cap. 1. ut per sensibilem posset substantiam, ex motu insensibilem inuestigare, ubi corporea, magis substantiam uocat, quam incorporea; & 7. Metaphy. c. 2. dum ait, corporea esse manifestissime substantias; ac merito de his primo egit, ut per sensibilem & c. uide sensum Arist. ac de his hactenus. Ad 4.

Ad quintũ uariæ illius loci Aristotelis ex- Ad 5.

tant expositiones, quarum singulæ satisfaciunt argumento. Igitur primo respondeo cũ Diui Thoma ibidem; intelligere Aristotelẽ, genus Physicum, idest materiam, cum ait. Incorruptibile, & corruptibile differũt genere, atque ita differunt genere, idest materia. Secundo Caietanus respondet primo capite, de analogia nominum, ac dicit differre genere Physico, idest secundum esse perfectius, non absolute secundum rationem importatam à genere, id est, perfectius ibi esse genus, quam hic, non tamen nullum ibi esse genus. Tertio illa verba corruptibile, & incorruptibile differunt genere, vt videtur, hoc solũ vult Arist. ac si quis diceret alterabile, & inalterabile differunt genere, Generabile, & ingenerabile differunt genere, idest continent sub se diuersorum prædicamentorum, & generum diuersorum res: quia aliquæ res sunt incorruptibiles in substantia, in quantitate, in qualitate, ac similiter aliquæ corruptibiles in substantia, qualitate, &c. Quarto, tandem si quis recte consideret, probabile admodum est, ibi Arist. per genus intelligere speciem. Hic enim erat eius scopus. Nam tex. 24. & 25. proxime præcedentibus, dixerat differentiam specificam fieri per contrarietatem. Deinde in hoc textu 26. quærit. An corruptibile, & incorruptibile faciant differentiam specificam, & dicit facere specificam, quod sint, vel essentiæ, vel fluant ex essentia. Quare ait, Plato errabat, quia hominem corruptibilem eiusdem speciei ponebat cum Idæa, cum differant nõ solum specie, sed etiam genere: homo enim est sub animali, ideæ vero sub incorruptibili: atque ita solum hoc haberetur ex eo, loco specie differre, ex fine, & scopo, ac progressu disputationis Aristotelis.

Ad sextũ respondeo non solum uelle Aristotelem illa esse diuersa genera, quæ non habent materiã cõem, vel quæ non habent trãsmutationem: alias homo, & equus differrent genere, quia non transmutantur, & alia quæ habent materiam communem non differrent genere, vt quantitas; & qualitas, quod est falsum, & exẽplum Aristotelis de ijs, quæ differunt prædicamenti figura, non ideo allatum ab eo fuit, quasi nullo alio genere differrent, sed quia id erat manifestissimum: & ita id, exempli Vnius solius causa, allatũ fuit.

Ad septimum respondeo. Carent potentia Physica, & de ea ibi intelligit Arist. non autem de potentia Metaphysica qualis est generis: nam hanc habent, vt ostendimus. Erit ergo genus generalissimum prædicamenti substantię, Substantia finita complectens: corporeã, & incorpoream, ita vt solus Deus, benedictus simplicissimus excludatur, nec cõtineatur in prædicamento. De quo tamen nunc pauca quoque breuiter dicamus.

QVAESTIO III.

An Deus sit in prædicamento.

De intelligentijs seu Angelis vidimus esse in prædicamento; de Deo vero, quamuis aliqui eum in prædicamento collocent, ut Gregorius de Arimino, & alij, tamen dicendum est, non esse in prædicamento, tam secundum ueritatem, quam secundum Aristotel. & ita opinatur D. Thomas 1. part. q. 3. arg. 5. & 1. Sententiarum distin. 8. q. 4. arg. 3. & de potentia q. 9. artic. 3. Item Albertus tractatu primo prædicamentorum c. 7. & plerique alij.

Idque his testimonijs, & rationib. breuiter probari potest 1. Arist. 5. Metaphy. text. 15. numerãs acceptiones substantię non ponit Deum: & 3. Physicorum text 3. cum distinxisset secundum Alexandrum, & Themistiũ, duplex ens vnum actu, vt est Deus, aliud actu & potentia, hoc diuisit in decem pṛdicamenta: & ratione ostenditur, quia Deus est quid illimitatum, at omnis species est limitata per differentiam: ergo &c. Secundo. Item, esse, est quidditatiuum Deo: ergo vel ipsum eius est genus Dei contra philosophũ 4. Metaph. text. 10. vel nullum aliud, quia ens supereminet omnibus. Tertio, Deus est purus actus, at quidquid est sub genere habet actum admistum potentię: ergo Deus non est sub genere. Quarto. Item quicquid est sub genere, & specie, est compositum ex genere, & differentia, & ex perfectibili; & perficiente: at Deus est simplicissimus, & incompositus, nec potest perfici ab aliquo, nec habet aliquid perfectibile in sua essentia, esset enim quę sam imperfectio in Deo, sed omnia quę habet in se, sunt infinitè perfecta, immo verò sunt una sola infinita, & simplicissima perfectio: ergo non est compositus ex genere, & differentia: atque de his ista sufficiant, sunt enim altioris speculationis.

QVÆ-

QVAESTIO IIII.

De diuisione, seu coordinatione eorum, quæ in prædicamento substantiæ continentur.

PRo cognitione harum substantiarum, solent aliquot tabulas assignare, quibus ea, quæ in hoc prædicamento ponuntur clarius perspiciantur; id etiam in singulis fit prædicamentis: quod etiamsi Logico non conueniat, cum talis rerum cognitio sciẽtiarum sit aliarum; tamen vt ad alias scientias non prorsus ignarus accedat, & magis suorum cognitio; rerum cognitione innotescat, velut exempla quędam, ea proponemus: non omnia particulariter, exquisiteque indagantes, sed vniuersali quodã modo, reliqua proprio loco concedentes. Præmittamus ergo rerum distinctionem; postea tabellam ordinare non erit difficile.

Erit igitur prima diuisio, Substantiæ finitæ, quædam est corporea, quædam incorporea: hic diuiditur substantia perfecta, ad excludendas partes; & finita, ad excludendum gloriosum Deum, qui cum infinitus sit, nullo continetur prędicamẽto: sed est supra omne ens, & totius entis principium. Substantia incorporea facit quoddam genus, quod dicitur spiritus: sub quo sunt innumeræ species Angelorum excedẽtium numerum specierũ sensibilium, quorum natura in particulari occulta nobis est. Substãtia corporea facit aliud genus, quod dicitur corpus, scilicet compositũ ex materia, & forma, sub quo omnia ista inferiora sensibilia continentur. Secunda diuisio, Corporum, quædã sunt animata, quædam inanimata: Corpus inanimatum facit vnum genus, sub quo omnia vitæ expertia continentur, vt elementa, lapides, liquores, & alia, quæ dicemus. Corpus animatum constituit genus, quod dicitur viuens, sub quo sunt omnia, quæ habẽt animã, vt plantæ, animalia. Tertia diuisio, Viuentium, quædam sensibilia, quędã insensibilia: viuens sensibile facit animal; viuens insensibile plantã constituit. Quarta diuisio, Plantarũ, quędam est arbor, quædam frutex, quædam herba, quædã radix: arbor, vt populus, auellana, pyrus, frutex, vt genista, myrthus, arundo, arbustum herba, vt borrago, menta, thymus, radix, vt allium, cæpe, rapa. Quinta diuisio, Animaliũ, quoddã rationale, vt homo: quoddã irrationale, vt brutum. Sexta, Brutorum quoddam aquatile, sub quo sunt varia piscium genera; quoddã volatile, sub quo varia auiũ genera; quoddã terrenũ. Septima. Terrenorũ, quoddã gressibile, vt equus, leo; quoddã reptibile, sub quo uariæ serpentũ species. Octaua. Corporis inanimati, quoddã simplex, quoddam mistum; simplex, quod ex pluribus corporib. nõ fit, mistum, quod ex corporibus. s. elementis fit. Nona. Simplicium, quędam incorruptibilia, vt oẽs cęli, & planetæ, quędã corruptibilia, ut elementa, ignis, aqua, terra, aer. Decima mistorũ, quoddam imperfectum, quod non ex omnibus elementis fit, nec durabile est, ut nix, glacies, uenti, fulgur, iris, nubes; quoddã perfectũ, ꝙ constans est. Vndecima. Perfecti misti, quoddã lapis, vt gemma, piropus, smaragdus: quoddam metallum, vt argẽtum, aurũ, plumbum: quoddam est genus liquorum, ut aquæ stillatæ, gummi, sulphur.

Multæ sunt aliæ species, & genera sub his cõtẽta, quę persequi esset extra modũ Logicę limites excedere, propterea relinquũtur. Nec me præterit, aliquos credidisse, cęlos esse animatos: aliquos metalla inter uiuẽtia ascripsisse: aliquos animaliũ, & plantarum medium assignasse, quæ grææ Zoophyti, latine ancipitis generis dicuntur, qualiũ meminit Simplicius, in præsenti tamen illæ sint cõmuniter dicta, reliqua examinare, nõ est loci pręsentis.

QVAESTIO V.

De quibusdam alijs, quæ priori parte capitis continentur, num recte ab Aristotele dicta sint.

POstquam ea, quę generaliter ad prædicamentũ hoc spectãt, examinauimus: nempe de substãtię diuisione, genere eius generalissimo, & eiusdẽ prędicamẽti coordinatione, superest, ut quædã, quæ in ipso capite continẽtur, particularius examinemus. Est autẽ primũ argumentũ, Quidã homo, quidã equus, prædicãtur de multis, ergo non debuit Aristoteles hæc numerare inter primas substantias: antecedẽs est notum. Petrus. n. est quidã homo: Paulus est quidam homo, & reliqui. Argumẽtũ in contrarium.

Circa hoc argumentum est primo notandum, ista quinque partim esse idem, partim uero non, scilicet singulare, indiuiduum, prima substantia; suppositum, persona, sunt Primũ argum. Primum fund.

quidem aliquo modo idem, quia omnia nomina sunt rei vnius non habentis sub se aliqua inferiora, differunt tamen, nã duo priora sunt communia, accidentibus, & substantijs; accidentia enim dicuntur indiuidua, & singularia: & pariter substantiæ; dicuntur tamẽ indiuidua quatenus sub se inferiora nõ habent in quæ diuidantur, vt hæc albedo, hic homo; singularia autem respectu vniuersalis sub quo continentur. Illa tria posteriora in substantijs solis inueniuntur, quamuis persona nõ nisi in rationali natura. Prima substantia dicitur substantia singularis, vt accidentibus substat primo: dicitur suppositum, vt per se subsistit: dicitur persona, vt subsistit in natura aliqua intellectuali: non enim brutũ dicitur persona, sed Petrus, Ioannes: quod enim in alijs substantijs dicitur suppositum, hoc in rationalibus, & intellectualibus dicitur persona.

Secũdũ fund. Et secundũ notãdũ, sicut species ad genus addit differentiã, ita prima substãtia addit ad speciem existentiã; verbi gratia, homo supra animal habet actu rationale, quidã vero homo super hominẽ habet existẽtiam: nõ enim existunt nisi singularia: hoc autem, vel illud singulare, s. Petrus, Ioannes super existentiam addunt talia accidentia, & tales proprietates.

Rñsio ad arg. Ex his Responsio ad argumentum, quod quidam homo prædicatur de multis, sed non tãquam de subiecto: ut enim de subiecto prędicetur, debet prædicare aliquam naturam quę sit de essentia inferiorum; at quidam homo non prædicat naturam de indiuiduis, sed ipsa eadem indeterminate, sicut qui diceret, Petrus est Petrus, Paulus est Paulus, constat hoc complexum prædicatum non prædicare aliquam naturã superiorem, sed idem indeterminate: ita se habet quidam homo ad ea, de quibus prædicatur, est tamen prima substantia, quia de nullo subiecto dicitur. De indiuiduo uago vide Caietanum cap. de specie, & Albertum, tract. 3. prædic. b. ca. 4. tu tamen obserua hæc, quæ dicta sunt.

Sc̃dm argum. Et secundum argumentum. Differentia est de essentia speciei, sicut genus, similiter de essentia indiuidui, ergo debuit computari inter secundas substantias.

Tertiũ fund. Circa hoc diligẽter aduerte, quod aliquid in aliquo, prædicamento quadrupliciter continetur. Primo directe, scilicet illud quod in recta linea est, vel vt prima substantia, vel vt genus, uel vt species. Secundo indirecte, quod etiam si secundum se in linea non constituatur, tamen assumitur cum aliquo, quod in linea ponitur, quomodo differentiæ directæ ad prædicamentum spectant, quia ad constitutionem specierũ, quæ in recta linea sunt assumuntur. Tertio aliquid pertinet ad prædicamentũ reductiue, quod licet in linea non sit, nec cum his, quæ in linea sunt assumatur; tamen est principium eorum, quæ in linea sunt, ut materia, & forma, quę sunt principia speciei: partes integrantes, quę sunt principia indiuiduorũ; similiter punctus principium linearum, quæ est pertinent ad quãtitatem, & unitas, quæ est principium numerorum: ista reductiue sunt in prædicamento eius, cuius principia sunt. Quarto. Aliquid pertinet ad prædicamentũ per accidẽs: quod cũ nõ sit aliquid ex prædictis, est tamen aliqua via ad ipsa: quomodo generatio, & corruptio ad substãtiã pertinent, quia uiæ ad substantiam sunt, & alteratio ad qualitatẽ, & deniq; motus refertur ad prędicamẽtum eius, ad quod est motus, seu mutatio ex quibus patet, quo modo ad prædicamentum differentię pertineant, scilicet indirecte, seu ad latus lineæ directæ prædicamentalis.

Sed adhuc manet dubium, quare in linea non sint. Simplicius proponit hanc difficultatem: fuit enim difficile intellectu apud antiquos, quæ esset natura differentiæ substantialis; quidam enim existimabant esse accidens inseparabile, quidam esse substantiam: ipse Simplicius credit esse medium quoddã inter accidens, & substantiam: sicut quædam naturæ sunt mediæ inter uiuentia, s. plantas, & animalia, quæ dicuntur Zoophyta. 1. Dubiũ 1. opin.

At Boetius, & bñ, distinguit triplicẽ substãtiã. Quædã, ait est secũdũ rẽ, sed non secũdũ modũ, & hæ sunt differẽtiæ, quæ re uera substãtiæ sunt; tamẽ modũ prędicandi hñt accidentalẽ: & aliqua ex parte officiũ habent accidentis, s. genus determinare, & modificare. Alia est substantia secundũ modũ, sed non secundũ rem: ut accidentia in abstracto sumpta, quæ cũ re accidentia sint, per se significant, & separata considerantur. Quædam est substantia secũdũ rem, & modũ: & ista est in recta linea: ista doctrina est bona: sed adhuc est dubiũ, quare nõ sint in recta linea. Propterea existimo esse dicendum, quod differentia, vt differentia, duo habet scilicet diuidere 2. opin.

genus, & species constituere: vt speciei constitutiua est, cum ipsa specie iam assumitur: at vt diuisiua est, in recta linea esse non potest, quia cum ea, quæ in prædicamento sint sub genere per se contineantur: differentia per se non habet genus: quia vt diximus, genus in sua natura non includit differẽtias, per quas diuiditur: nec differentiæ claudũt essentialiter genus: vnũ n. est extra essẽtiã alterius, propterea super se genus nõ habẽtes ad latera generis collocantur, tãquã illius diuisiuæ, per quas genus in varias species descendit. Vide Alber. tracta. 2. huius ca. 6. qui de hoc tractat.

Dubiũ secũdũ. Dubitabis qualiter una differentia de altera prædicetur, scilicet cum dicitur, rationale est sensibile. Breuiter ad hoc Respon. esse quidem prædicationem ueram, non tamen essentialem, sed velut accidentalem, nõ enim rationale, ut rationale in sua natura habet sensibile, cum nec habeat animal: sed conceditur propter identitatem subiecti, & rei, scilicet qđ est rationale est sensibile, idem in alijs huius modi. Scio Albertũ existimasse, illas esse prædicationes quid ditatiuas: alias essentiales mediates: sed hoc mihi magis placet: quamuis illud non careat magna probabilitate.

Tertiũ argum. Est tertium argumentum. Videtur enim expresse contradicere sibi Aristot. hic enim fatetur indiuiduum, esse maxime substantiã, & speciem magis substantiã, quam genus, at 8. Meta. ca. 1. tex. 2. magis, ait, substantia genus, quã species est, & uniuersale, quã singulare.

Fundamẽtum & Resp. ad arg. Circa hoc aduerte, quod quadrupliciter apud Arist. inuenitur aliquid magis substantiam dici. Primo, perfectior, & nobilior substantia dicitur magis substantia, quo pacto 2. Metaph. c. 1 intelligentiæ censentur maxime entia, cum sint aliorum omnium principia. Secundo magis substantia dicitur notior nobis substantia; quo pacto 2. de Anima cap. 1. corporea magis substantiam vocat, quam incorporea, & 3. Metaph. c. 5. elementa uocat maxime substantiã, quod explicat in 7. Met. cap. 2. dum dicit corporea esse manifestissime substantias. Tertio dicitur magis substantia ab hac proprietate, quæ est subitare, ut illa sit magis substantia, quæ pluribus subijcitur; & sic loquitur in præsenti, & 7. Metaphy. cap. 3. Quarto magis substantia dicitur illa, quæ in sua natura habet intensionem, secundũ quã inuenitur maior, quam erat. Pro declaratione aduerte, calorem, qui est in manu, dupliciter posse crescere, uno modo, si se extendat, & dilatet per brachium, & totum corpus; & tunc dicitur extensiue maior, quam erat: altero modo, si in eadem manu, fortior fiat, & augmẽtum sumat, & tunc dicitur maior intensiue, & hoc proprie dicitur suscipere magis, & minus, ita possumus intelligere de substantia, l. homine: potest. n. augeri, secundum quantitatem, & sic crescit, & dilatatur, & fit homo maior, altero modo, ꝙ natura humana in se ipsa sumat argumentum: ut modo dicatur magis homo, quam erat, & hoc est suscipere magis intensiue, quod impossibile est substãtiæ: & sic sumitur in posteriori parte capitis, quando dicitur, qđ substantia non suscipit magis, & minus. Per hæc possunt solui aliqua, quæ uidebantur in locis Arist. contradictionem, & obscuritatem adducere.

Posset quis dubitare, Vtra est magis substantia, idest perfectior, species, an genus? Respon. Natura specifica perfectior est quã natura generica: ratio huius est, id enim est perfectius, quod plus habet actus, & entitatis: at natura specifica est magis in actu, cum includat differentiam, quæ est extra naturam generis. Sed utra natura pfectior, species, an indiuiduũ? dico pfectior est natura specifica, est n. tota natura indiuiduorũ: nec addũt substantiã, uel essentiã indiuidua supra speciẽ, sed existentiã, uel subsistentiã, vt diximus, & accidentia. Præterea, quia perfectius est, quod secũdũ se est, quã qđ per participationẽ est, at indiuidua participãt naturã specificã, ergo ipsa secũdũ se est perfectior. Præterea, quia hæc est incorruptibilis. Sed utra perfectior substãtia, cõpositũ, an sua forma? Alex. 7. Meta. cõ. 15. & Simpl. 2. Phy. com. 70. merito credũ compositum, cum totũ sit, esse perfectius forma, quæ pars est. Et sufficiat hæc responsio modo, nam omnes hæ tres quæstiones sunt Metaphysicę. Dubiũ

QVÆSTIO VI.

De quibusdam alijs, circa posteriorem partem capitis, scilicet de proprietatibus, & communitatibus substantiæ.

Circa has sex substantiæ proprietates, est aduertendum, primo non oẽs æqualiter se habere ad substantiam ipsam: tres enim illarum, scilicet, prima, uõ esse in subie- Primũ fund.

cto quarta non habere contrarium ; & quinta non suscipere magis, uel minus, conueniunt omni substantiæ, sed non soli: nam prima differentijs; quarta vero, & quinta, etiā quantitati insunt: illarū autem tertia, scilicet hoc aliquid significare, & sexta, susceptiuam esse contrariorum, solis insunt, sed non omnibus substantijs, sed tantum primis: quamuis, illa tertia, videri significare hoc aliquid, omnibus etiam insit: at secunda, scilicet uniuoce de primis prædicari, nec omnibus, nec solis conuenit, cum primis non insit, competatque differentijs.

Secūdū fund. Est secundo aduertendum, quod secunda, & tertia, non rebus absolute, sed vocibus, vel cōceptibus, vt rerum sunt significatæ, conueniunt: non enim res in se prædicantur, nisi per intellectum conceptæ, & uerbo expressæ: nec significare hoc aliquid, uel quale, rerum est, sed uocum illarum significatiuarū, & conceptuum: aliæ uero quatuor rebus ipsis absolutè insunt, quarum tres primæ sunt negatiuæ, scilicet non esse in subiecto, non habere contrarium, non suscipere magis: ultima uero est affirmatiua, s. suscipere contraria.

Argu. in contrarium. Ex his suppositis se offert primum argumentum, Nulla ferè ex his proprietatibus est absolute propria, ergo frustra ab Aristot. traduntur. Secundo contra tertiam, Si secundæ substantiæ quale quid significant, ergo in quale prædicantur; non ergo erunt genera, aut species, quæ prædicantur in quid. Tertio differentiæ diuidentes generica, re ipsa substātiæ sunt, quando genera sunt substantiæ; sed differētiæ omnes sunt contrariæ, ergo substātiæ aliquid est contrariū. Quarto multæ sunt substantiæ, quæ nō suscipiunt contraria, ergo id non est maxime propriū substantiæ. Probatur antecedens, ignis enim est calidus, & nullo modo potest suscipere contrariam frigiditatem; similiter cygnus albus non mutatur secundum nigredinem, & cœli denique nō suscipiunt contraria, quia sunt impassibiles.

Ad primum. Ad primum breuiter Respon. descriptiones non solum ex proprijs simplicibus colligi, sed ex pluribus communibus appropriatis quorum singula quamuis per se alijs insint, simul tamen iuncta soli rei conueniunt; Dicitur & secundo multa ex his esse propria quarto modo, si in genere fiat sermo ad hunc modū, substātiæ cōuenit, ut & ipsa, & ipsius, differentiæ in subiecto non sint, substantiæ conuenit, ut ipsius generis, species, & differentiæ de prima uniuoce prædicentur, similiter substantiæ inest, videri significare hoc aliquid, & ut ipsius indiuidua contrariorum sint susceptiua.

Ad secundum Respon. aliud esse significare quale quid, aliud prædicari in quale quid. Alber. tract. 2. c. 8 existimat, significare quale quid esse significare quandā naturam, quæ componitur ex eo, qđ se habet, ut quid, & ex eo, quod se habet, vt quale. s. ex genere, & differentia; sed mihi hoc nō placet, nā hoc pacto generalissimum non posset significare quale quid, cum naturam quandam simplicem, non cōpositam ex genere, & differentia significet, propterea dicendum, quod significare quale quid, est significare quandam substantiā, quæ in se nō est, sed in alijs, ita tamen est in alijs, ut sit de eorum substātia; sed quia naturā, quę in alijs existit, significat, degenerat a perfecta ratione substantiæ, quę per se existit, at quia in alijs est, non ut in subiecto, distat a natura accidentis, propterea talis natura dicitur quale quid, & nomen eius dicitur significare quale quid, at prædicari in quale quid, est tale esse prædicatum, per quod respondeamus ad quæstionem factam per quale illius, de quo prædicatur, & talis est differentia, non autem genus, aut species. Dices, quare differentia est huiusmodi? Dico, quia differentia habet munus accidentis, scilicet determinare aliquod extrinsecum; nam differētia extrinsece quodammodo genus contrahit, quia est extra naturam generis ei aduenniens.

Dubitatur, quid est, ut ait, quod nomina secundarum substantiarum uideantur hoc aliquid significare? Respō. aliqui, quia per ea aliquando de suppositis loquimur, dicentes, homo uenit, animal currit. Sed non placet hoc, quia ex Arist. 1. Topic. ca. 6. habemus, qđ non solum per substantiam id fit, sed per accidentia, dicimus enim uoca sedentem, musicus uenit; dicendum ergo est ut supra, uidētur enim significare hoc aliquid figura appellationis, idest modo significādi ipsarum uocum, quæ absolutæ sunt; ut enim absoluta nomina primarum substantiarum significant, etiam & nomina secundarum. Dubiū.

Ad 3. Ad tertium facile Respō. quod aliquando cōtrarietas sumitur large, ut patet ex 10. Metap. ca. 6. & 7. pro quacunque oppositione, & diuersitate sub eodem genere, & sic differen-

tiæ sunt contrariæ, & formæ, & priuationes altero modo proprie contrarietas, sumitur pro ea, de qua superius locuti sumus, & sic in præsenti differentiæ, sicut nec substantia, habent contrarium.

Ad 4. Ad quartum Respon. Aristotelem non dixisse unam numero substantiam esse susceptiuam omnium contrariorum, sed tantum contrariorum. Unde dico, licet cignus nō recipiat nigredinem, recipit tamen alia contraria frigiditatem, s. & calorem: similiter ignis licet non recipiat frigiditatem, recipit motus contrarios, sursum naturaliter, & violenter deorsum: idem dicendum de cęlis, non recipiunt ista contraria corruptibilia, tamen recipiunt, motus contrarios, secundū partes quibus modo ad ortum, modo ad occasum mouentur, modo declinationes, mō accessiones habent, & alias passiones huiusmodi.

Dubiū. Sed posset esse dubium de sacratissimo altaris sacramento, vbi non est panis, sed corpus Christi, & hostia potest calefieri, & frigefieri, ubi calor, & frigiditas non in corpore Christi, sed in quantitate, quæ erat panis, recipiuntur: ecce ergo quomodo quantitas, quæ est accidens, susceptibilis est contrariorū. Dico id non esse, nisi substantiæ propriū, quod si illa quantitas hoc habet, idest vt locū substantiæ tenet, quod fit maximo miraculo, & potentia Dei infinita: nos modo id, quod naturaliter est, consideramus, præsertim secundum Aristot. qui nec id cognouit.

DE QVANTITATE.
Cap. VI.

1 *QVanti autem aliud quidem est discretum, aliud autem continuū: & aliud quidem ex habētibus positionem ad se inuicem in ipsis partibus constāt: aliud autem ex non habentibus positionem. Est autem discretum quidem vt numerus, & oratio: continuum vero, vt linea, superficies, corpus: amplius autem præter hæc locus, & tempus.*

2 *Partium etenim numeri nullus est cōis terminus ad quem copulantur partes eius; vt quinque, si sunt denarij partes, ad nullum terminum communē copulantur quinq; & quinq;, sed semper discreta sunt: & tria, & septē ad nullum communem terminum copulātur, neque omnino habeas in numero communem terminum partiū accipere, sed semper discretæ sunt: quapropter numerus quidem discretorum est. Similiter autē & oratio: quod etenim quantum est oratio, manifestum est: mensuratur enim syllaba breui, & lōga: dico autem cum voce orationem factam: ad nullum enim communem terminum particulæ eius copulantur: non enim est communis terminus, ad quem syllabæ copulentur sed vnaquæque diuisa est, ipsa secundū seipsam.*

Linea vero continua est: est enim sumere communem terminum punctum, ad quem partes eius copulentur: & superficiei, lineam: plani namque partes ad aliquem communem terminum copulantur, similiter autem & in corpore habeas sumere communem terminū, lineam, vel superficiem, ad quam corporis partes copulantur. Est autem talium & tempus, & locus: præsens enim tempus copulatur ad preteritum, & ad futurum: rursus locus continuorum est; locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur: ergo & loci partes, quæ obtinent singulas corporis partes, ad eundem communem terminum copulantur: ad quem & corporis partes. Quapropter continuus erit & locus: ad vnum enim communem terminum eius partes copulantur. 3

Amplius autem alia quidem constant ex partibus quæ in eis sunt positionem habentibus ad seinuicem: alia autem ex non habentibus positionem, vt lineæ quidem partes positionem ha- 4

bent ad se inuicem, singulæ namque earum sitæ sunt alicubi: & habeas vnde distinctè sumas, & assignes vbi singulæ sitæ sint in plano, & ad quam partem reliquarum copulantur. Similiter autem & partes plani positionem habent aliquam; similiter namque assignaretur vnaquæque vbi iacet, & quæ copulantur ad se inuicem, sed & solidi partes similiter & loci. In numero autem non poterit quisquam ostendere, quemadmodum partes eius positionem aliquam habent ad seinuicem, aut vbi iacent, aut quæ partes ad se inuicem connectantur. Neque eæ, quæ in temporibus sunt, nihil enim permanent partes temporis; quod autem non est permanens; quomodo positionem aliquam habebit? Sed magis ordinem quendam dices habere; eo quòd aliud quidem prius sit temporis aliud vero posterius. Sed & in numero similiter, eo quod prius numeratur vnus quam duo, & duo quam tria, & sic habebunt aliquem ordinem; positionem vero non omnino accipies. Sed & oratio similiter, nulla enim remanet partium, sed dictum est simul, & non est hoc amplius assumere, quapropter non erit vlla positio partium eius; siquidem non permanet. Igitur alia ex habentibus positionem partibus constant, alia ex non habentibus positionem.

5 Proprie autem quanta hæc dicuntur sola, quæ dicta sunt; alia vero omnia secundum accidens, ad hæc enim aspicientes & alia dicimus quanta vt multum dicitur album, eo quòd superficies multa sit, & actio longa, eo quòd tempus multum sit, & motus multus; Neque enim horum singulum per se quantum dicitur; vt si quis assignet quanta actio est, tempore definiet annuam, vel sic aliquo modo assignans, & album quantum quid sit assignans, superficie definiet: quanta enim fuerit superficies tantum album esse diceret, quare sola proprie secundum seipsa dicuntur quanta, quæ dicta sunt: aliorum vero nihil per se, sed si forte per accidens.

6 Amplius, quanto nihil est contrarium. In definitis enim manifestum est quòd nihil est contrarium: vt bicubito vel tricubito, vel superficiei, vel alicui talium, nihil enim iis est contrarium, Nisi quis forte dicat multum pauco esse contrarium, vel magnum paruo. Horum autem nihil est quantum, sed magis eorum quæ sunt ad aliquid, nihil enim ipsum per seipsum magnum, vel paruum dicitur; sed eo quòd ad alterum refertur: vt mons quidem paruus dicitur, milium vero magnum: quòd hoc iis quæ sunt sui generis maius sit, illud vero iis quæ sui sunt generis minus, ergo ad alterum est eorum relatio. Nam si per seipsum magnum vel paruum diceretur, nunquam mons quidem aliquando paruus, milium vero magnum diceretur. Rursus in vico quidem plures homines [illegible] dicemus, Athenis vero paucos, cum sint illis multo plures; & in domo quidem multos, in theatro vero paucos, cum sint plures. Amplius, bicubitum quidem, & tricubitum, & vnumquodque talium quantum significat: magnum vero, vel paruum non significat quantum, sed magis ad aliquid, quoniam ad alterũ considerantur & magnum, & paruum: quare

quare manifestum est, quòd ipsa sunt eorum quæ ad aliquid:

7 Amplius siue aliquis ponat quanta esse hæc, siue non ponat, nihil est in illis contrarium: quod enim non potest sumi per seipsum, sed ad alterum refertur quomodo huic aliquid erit contrarium? Amplius autem si sunt magnum, & paruum contraria, continget idem simul contraria suscipere, & ea ipsa sibimet esse contraria: contingit enim simul idem paruum esse, & magnum, est enim ad hoc quidem paruum, ad aliud vero id ipsum magnum, quare idem & paruum, & magnum eodem tempore esse contingit: quare simul contraria suscipere. Sed nihil est, quod videatur simul contraria suscipere posse vt in substantia quidem: susceptibilis enim contrariorum esse videtur: sed nullus simul sanus est, & æger, neque album, & nigrum est simul: nihilque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem sibi ipsis contingit esse contraria, nam si est magnum paruo contrarium: ipsum autem idem simul est magnum, & paruum: ipsum sibi erit contrarium, sed impossibile est aliquid sibi ipsi esse contrarium: non est igitur magnum paruo contrarium, neque multum pauco. Quare nisi & eorum quę ad aliquid hæc quid dicat, sed quanti, nihil contrarium habebunt.

8 Maximè autem circa locum esse videtur contrarietas quanti, sursum enim ei quod est deorsum contrarium ponunt: locum qui in medio est deorsum dicentes, eo quòd plurima distantia est medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre definitionem: quæ enim plurimum à se inuicem distant eorum quæ sunt sub eodem genere, contraria esse definiunt.

9 Non videtur autem quantum suscipere magis, & minus: vt bicubitum; neque enim alterum altero magis bicubitum, neque in numero, vt tria quam quinque nihil magis quinque, aut tria, dicuntur, neque quinque quam tria, nec tempus alterum altero magis tempus dicitur, nec in nullo eorum, quę dicta sunt omnino, magis & minus dicitur. Quare quantum non suscipit magis & minus. Proprium autem maximè quanti est, quòd æquale, & inæquale dicitur vnumquodque enim eorũ quæ dicta sunt quantorum, æquale, & inæquale dicitur, vt corpus, æquale, & inæquale dicitur, & numerus, & tempus, æquale, & inæquale dicitur similiter autem & in alijs, quæ dicta sunt, vnumquodque æquale, & inæquale dicitur. In cæteris vero quæcunque quanta non sunt, non prorsus videbitur æquale, & inæquale dici, vt dispositio ęqualis, et inæqualis non omnino dicitur, sed magis similis, & dissimilis, & album æquale, & inæquale nõ omnino dicitur sed simile, vel dissimile. Quare quanti maximè sit proprium, æquale, & inæquale dici.

Cur post substantiam de quantitate prius egerit, quàm de qualitate.

POsset quis non immerito dubitare, cur post substantiam statim de quantitate, postposita qualitate, disseruit: cum Architas, qui primus fertur prædicamentorum author, statim post substantiam qualitatem fuerit aggressus, vt refert Simplicius. Immo videtur ratio illi fauere; primò, quia substantiæ incorporeæ, quæ præcipuè sub-

stantiæ sunt, per qualitates potius, quam per quantitatem innotescant. Secundo, quia cum duplex sit in composito substantia, materia nempe, & forma, nobilior multo est forma, vt docet Aristot. 2. Physic. ca. 1. at forma est causa qualitatis, sicut quantitas à materia habet ortum, ergo vt dignior præponenda erat qualitas. Tertio, quia qualitas magis videtur cõuenire cum spiritualibus quàm quantitas, cum qualitas secundũ se sit indiuisibilis, non enim diuiditur per se qualitas, nisi per accidens ad subiecti diuisionem.

Aristoteles uero his non obstantibus, optimis rationibus quantitatem reliquis omnibus antepostuit; cuius multiplex potest assignari causa. Primo cum Ammonio, quia in prædicamento substantiæ in duabus proprietatibus parem fecerat quantitatẽ substantiæ, fuit ergo æquũ, vt ipsius cognitionẽ nõ differret. Secũdo, quia, inquit, diuiserat substantiam in primã, & secundã: ad primũ, & secũdũ ad numerũ spectãt, qui quantitas est: sed hæc nõ est ad modum valida ratio. Tertia ipsius est, quia prior est materia, quã forma: at quantitas sequitur materiam, qualitas vero formam, ergo prior est quantitas. Boet. huius adducit & alias tres causas. Primo nam rem immediatius sequitur quantitas: statim enim quòd res est, vna est: at vnum ad quantitatem refertur. Præterea secundo. Supposito Aristo. solam substantiam compositã in prædicamento collocasse, ita vt secundum ipsum (vt quidam volunt) corpus esset generalissimum genus, tunc sic ait Boetius. Prima passio, & proprietas, quæ a substantia composita, scilicet corpore fluit, vt corpus est, est quantitas, hæc ergo anteponenda fuit: Architas autem supponebat res incorporeas esse in prædicamento, & sic superiores rationes procedebãt: id vero Arist. non recipit: tamen hæc ratio nõ conuincit simpliciter, nisi secundum illorum opinionem: nam vt antea diximus, etiam secundum Aristo. sententiam, incorporeę substantiæ sunt in prædicamento. Tertio, inquit Boet. quia magnam habet quantitas cũ substantia similitudinem, cum nec habeat contrarium, nec recipiat magis, immo addere, quòd est aliquo modo receptiua contrariorum, cum per ipsam, vt per medium quoddam reliqua accidentia substantiæ inhæreant: non enim esset corpus album, nigrum, calidum nec mobile, & reliqua, nisi haberet quantitatem. Simplicius addit aliam rationem, scilicet, quia est adeo quantitas substantiæ coniũcta, vt mutatione facta in quantitate fiat etiam mutatio in substantia, non enim augmentatio sit, nisi addita aliqua de nouo substantia.

Quanti autem aliud est discretũ &c.

Caput hoc duas partes continet: in priori sunt tres diuisiones quantitatis; in posteriori, tres ipsius proprietates; prima diuisio virtualiter continetur in principio, formaliter uerò in medio capitis. Duplex est quantum, per se, & per accidẽs: quantum per accidens uocatur id, quod quantitatem participat, quãtũ per se est ipsamet quantitas. Secũda diuisio. Quanti per se, alterũ est continuum, alterum discretum: quanti continui quinque sunt species, linea, superficies, corpus, tempus, locus: linea uocatur longitudo sola corporis, prætermissa latitudine, & profunditate, cuius lineæ extrema dicuntur puncta: superficies est latitudo extrema alicuius corporis, corpus uerò dicitur profunditas ipsius substantiæ, horum cognitio patet ex Geometria, discreta uero quantitas numerus, & oratio sunt.

Partium etenim numeri nullus est communis terminus &c.

Hic Aristot. probat numerum, & orationem, ad discreti genus pertinere, probatque de numero, quòd sit discreta quantitas possumus autem ex istis probationibus sumere horum definitiones. Continua quantitas est, cuius partes quæque communi termino copulantur, uocat autem terminum partium communem, id, quod sic unam partem terminat, quod illud unum, & idem alteram partem terminet, unde neutrius partis est proprius terminus, uerbi gratia duæ medietates lineæ cõnnectũtur unico puncto medio, quod punctum, & unius, & alterius partis extremum est: per hoc patet, quid sit, non habere partes copulatas termino communi.

Hoc supposito, pbat de numero esse quantitatem discretam Partes numeri non coniunguntur aliquo communi termino, ergo numerus est de genere discretorum. Patet antecedens, nam quinque, & quinque, quæ sunt partes denarij, nullo communi termino continuantur, cum omnes unitates separatæ sint inter se.

Probat

Probat secundo de oratione, & explicat se non loqui de quacumque oratione; nã ea, quæ in mente est, non est quantitas: sed de ea solũ, quæ est in voce loquitur: probatque duo, & q; sit quantitas, & q; sit discreta: primo, qđ sit quantitas, quod non probauit de numero, quia id erat per se notũ, in oratione autem id obscurũ est: probat autẽ sic: Orationi insunt passiones quãtitatis, s. quod sit longa, & q; sit breuis, ergo etiã inest ratio quantitatis. Probat secundo, q; sit discreta: partes.n. eius scilicet syllabæ, sicut vnitates in numero, nullo communi termino copulantur.

3 *Linea vero continuorum est, est enim sumere, &c.*

Probat modo de quantitatibus continuis, non autem probat, quod quantitates sint, quia id patet, sed quod continuæ sint. Primo de linea, partes enim lineæ communi termino copulantur, scilicet puncto: partes etiã superficiei linea, sicut partes corporis superficie iunguntur. Similiter de tempore, præteritum enim, & futurum, quæ partes sunt temporis, præsenti tempore copulantur. De loco probat sic, locati partes copulantur aliquo termino, ergo etiam ipsius loci partes: singulæ enim loci partes correspõdẽt locati partibus, vt ergo est pars in locato, seu terminus continuans eius partes: ita correspondet terminus in loco coniungens partes loci, vocat autẽ Aristoteles terminum loci, & locati eundem, non quòd idem sit numero, sed proportione, idest per correspondentiam: vt sicut pars loci correspondet parti locati, ita similiter terminus cõmunis partium loci correspondet, & opponitur termino communi partium locati.

4 *Amolius autẽ alia quidem constant ex partibus, &c.*

Hic ponitur alia diuisio quantitatis; quædam constat ex partibus habentibus positionem; quædam ex partibus non habentibus positionem. Pro cuius declaratione aduerte, quòd positio est habitudo corporis ad locũ, in quo est: secundum quam dicitur esse in loco, quod est habere positionem: non enim aliud est habere positionem, quàm in loco esse: habere autem partes positionem habentes, est habere partes in loco: non autem sic sumitur in præsenti, ut existimauit Ammonius, affirmans numerũ habere partes positionẽ habentes, quia partes numeri, quæ corporũ vnitates sunt, in loco sint: at sine dubio nõ bene considerauit, cũ Aristoteles expresse asserat numerum carere partibus positionem habentibus.

Propterea notandum est, aliud esse habere partes positionem habentes, aliud habere partes positionẽ habẽtes inter se: illud.n. est, ut dixi, habere partes loco inexistentes, & de hoc nihil mõ curat Aristoteles: at habere partes positionẽ inter se habentes, est tales habere partes, ut una sit uelut alterius locus, & una sit in altera, quomõ dicimus digitus est in manu, & manus in brachio: & nõ solũ hoc, sed q; possumus designare hãc in istã; & istã in illa, & q; hæc est ante, illa retro, ista sursum, & hæc deorsum, huius positionis hic meminit Arist. a qua longe distant partes numeri, ut dicemus. Nota.

Vt autem partes quantitatis alicuius, hanc habeant positionem, tria sunt necessaria. Primo, quod sint in aliquo continuo, idest in subiecto: & hoc uocat alicubi esse; non quod sit in loco, ut credidit Porphyrius in suis interrogationibus: nam eo modo locus non haberet positionẽ, cũ locus non sit in loco: sed quod illæ partes sint in subiecto aliquo, ut dicit Alber. tract. 8. c. 6. Et secundo, quod sit cõtinuum tale subiectum. Tertio, quod partes sint permanentes. Tria ergo partes hę debẽt habere, existentiam in subiecto, continuationem, & permanentiam. Nota.

Defectu continuationis, numerus caret partibus habentibus positionem, non.n. dices, hæc pars numeri est ante, ista retro, hæc unitas est in illa, defectu permanentiæ tempus non habet partes huiusmodi, defectu utriusque oratio, quæ est discreta, & successiua. Nota.

Sunt ergo quatuor quantitates positionem habentes, linea, superficies, corpus, locus tres, non habentes, tempus, numerus, & oratio; dicit tamen Aristoteles in his tribus inueniri quidem ordinem, secundum quem una pars præcedit alteram; præcedit enim tẽpus tempus, & numerus numerum, & syllaba syllabam, sed nulla est partium positio.

Proprie autem quanta dicitur, quæ dicta sunt, &c. 5

Hæc est illa diuisio, quam Aristoteles superius insinuauit, quantum quoddam per se quoddam

quoddam per accidens, per se quantum sunt ipsæ species, quantitatis annumeratæ: quantum per accidens est id, quod non quantum a se est, sed quia quantitatem participat, vt actio, quæ dicitur longa, à tempore, quo fit, & motus longus, a loco. Hæc sunt quanta per accidens. Sed dubitare posset aliquis, quare hæc sit diuisio quanti, cum in nullo prædicamento alio similis fiat diuisio: hoc posterius in disputatione elucidabimus.

6 *Quanto nihil est contrarium, &c.*

Posterior capitis pars est ista, in qua tria accidentia quantitatis explicantur: primum est, Quantitas non habet contrarium, cuius meminerat etiam in prædicamento substantiæ: sed modo obijcit idem, quod illic obiecit: magnum enim, & paruum, multa, & pauca ad quantitatem spectant; tamen vnum alteri contrarium videtur.

Ad hoc respondet Aristot. dupliciter. Primo, illa non esse de genere quantitatis, sed alterius prædicamenti, quod dicitur ad aliud: probat hoc dupliciter. Primo. Omne quantum, in se ipso, quãtũ est: at magnũ, & paruũ, multa, & pauca nõ in se, sed ad aliud dicũtur, ergo nõ sũt quãtitates; maiorẽ nõ exprimit, sed minorẽ cũ conclusione: minorẽ explicat exemplo, ꝙ probat. Primo, nã miliũ nõ dic. magnũ, nisi comparatum ad alia grana eiusdem speciei, & mõs dicitur paruus relatus ad alios montes maiores: idem de multis, & paucis dicit: probat autem minorẽ: si enim magnum, & paruũ absolutè dicerentur, & non relatione ad aliud; nũquam montem paruũ, nec milium magnum dicere contingeret.

Secunda ratio est sumpta à significatione vocabuli, vt dicit Simplicius, magnũ enim, paruum, & reliqua similia, non quãtitatem, sed excessum potius quantitatis ad aliud significant, ergo ea non sunt quantitates: loquitur autem de magno, & paruo, quæ ad quantitatem cõtinuam spectare videntur: de multis verò, & paucis, quæ ad discretam.

7 *Siue aliquis ponat quantitatem esse hæc &c.*

Posterior responsio est. Quamuis admitteretur illas esse quantitates nullo tamen modo admittendum est, contraria esse: hoc probat triplici ratione: Prima, nã contraria sunt naturæ absolutæ, & per se, at magnum, & paruum, & reliqua huiusmodi non sunt ad se, sed ad aliud: ergo non sunt contraria. Secunda: contraria non sunt simul: hoc enim repugnat, substantia enim est quidem contrariorũ susceptiua, sed non simul: non enim quis simul est sanus, & æger, at ista simul sũt; idem enim est magnum, & paruum: ergo non sunt contraria. Loquitur autem hic de contrarietate propriè dicta, vt superius diximus. Tertia si magnum, & paruum contraria dicerentur, vnum, & idem sibi ipsi cõtrarium esset, cum sit idem magnum, & paruum, at id omnino impossibile est, ergo contraria propriè non sunt.

Maxime autem circa locum videtur esse contrarietas &c. 8

Obijcit secundo Arist. adhuc circa idem. Locus est una ex speciebus quantitatis, & cõtrarium habet, omnes enim locum loco contrarium ponunt, scilicet locum deorsum, qui est in medio, idest centro mundi, contrariari loco sursum, qui est in cœli concauo. ista enim loca maximè distant, immo in definitione contrariorum dicitur cõtraria maximè distare, & talis distantia est per proportionem dicta, a distantia locorum, ergo loca sunt contraria. Ad hoc nihil respondet, non ꝙ approbet, loco esse contrarium, non enim dicit, locus habet, sed uidetur habere, ut notat Simplicius, sed forsan quia non erat locus iste istud elucidandi, cum quid locus sit, non esset compertum.

Possumus tñ respõdere. Dupliciter aliqua quãtitas consideratur, ut dicit Simpl. Primo, ut quædã quãtitas est, & in ratione quantitatis. Altero modo, ut admixta, & coniuncta est cum qualitate, vel alia ratione alterius generis: verbi gratia, linea ut linea est, aut curua, aut recta est, hæ.n. sunt qualitates, s. rectitudo, & curuitas. Similiter superficies, vt superficies est, uel aspera, uel lenis est, quæ qualitates sũt. Similiter tẽpus, ut tẽpus est, uel importat lumẽ, aut tenebras: secũdũ quæ dicuntur dies, & nox, tunc respondetur, quantitati in ratione quantitatis nihil est contrarium: at ratione qualitatis adiunctæ contrarium habet, ut in exemplis patet.

Per hoc similiter respondetur de loco: locus enim potest considerari in ratione quantitatis, & tunc non est aliud, quam superficies cõtinens, aliquod corpus, cui nullum est contra-

contrarium, altero modo, vt dicit certum situ, & certam distantiam a centro, & partibus mundi, & sic dicitur vbi, quod est aliud prædicamentū, & tunc patitur contrarium, vt probat argumentum, non tamen vt ad quantitatē spectat.

Non videtur autem quantitas suscipere magis &c.

Constituitur secunda proprietas quantitatis, quæ est, non suscipere magis, vel minus: hæc enim maximè coniuncta sunt, habere contrarium, & suscipere magis, vel minus, ita ut quæ contraria non habeant, magis, vel minus non suscipiant, cum intensio, vel remissio ex contrariorum mistione proueniat. Tertia proprietas est, quantitas dicitur æqualis, vel inæqualis: hæc est autem omnino propria quantitatis, vt quoties aliquid æquale, vel inæquale sentimus, illic quantitatem esse iudicemus, dummodo hæc sumantur propriè: nam aliquando vna albedo alteri æqualis dicitur, vel inæqualis: & vnus color alteri, sed abusiuè & impropriè: albedines enim, colores, vel qualitates, non æquales, vel inæquales; sed similes, vel dissimiles dicendæ sunt, illud enim maximè quantitati est proprium. Hæc de quantitate circa Aristotelis verborum interpretationē.

QVAESTIO I.

An quantitas sit genus ad continuam, & discretam, & qua ratione.

QVamuis omnia fere, quæ in hoc capite peti possunt, & petuntur, præter eā cognitionem, quā facilem, & communē Arist. in præsenti tradidit, Physica, & Metaphysi. sunt, nec intellectu facilia: eorum tamen cognitio maxime est vtilis, cum plurimū Logicę intentiones, rerum ipsarum cognitione innotescant: propterea n. nō mirum videri debet, si pro veritate Logicæ explicanda, aliquid misceamus de rerum speculatione.

Est igitur prima difficultas circa diuisionem primam capitis, An diuisum. I. quantitas, sit genus, vel potius analogum quoddā. Simplicius existimat, quantitatē esse quoddam genus, quod potest diuidi, & per continuum, & per discretum, tanquam per differentias adæquatè diuidentes, & similiter potest iterū diuidi per habere partes positionem habentes, & non positionem habentes, tanquam per alias duas differentias etiam adæquatas, sed sub alia ratione est vna diuisio, sub alia verò altera: sicut qui animal primo per rationale, & irrationale diuideret, & iterum inquit idem animam per mortale, & immortale secaret. Ista opinio Simpl. quantum ad priorem partem, s. priorem diuisionē, esse generis per differentias, est Alb. tract. de quātitate, c. 1. & est communis sententia: quātum vero ad posteriorem, est contra communem, communiter enim tenetur, illam diuisionem quantitatis in habentem positionem, & non habentem, esse subiecti in accidentia: sicut animalium, aliud album, aliud nigrum, aliud medio modo se habens.

At circa priorē diuisionē non modica difficultas est, quo modo quantitas sit genus ad continuam, & discretam, sunt. n. valida argumenta in contrarium. Primū, Nullum genus denominatiue prædicatur de sua specie, vt docet Arist. 4. Topi. ca. 1. & ratio est manifesta, cum genus secundū nomen, & rationē prædicetur: quod nō faciunt ea, quæ denominatiuè prædicantur: at quantitas de suis speciebus prędicatur denominatiuè, cum in concreto etiam prædicetur: dicitur enim linea est quātitas & quanta: longitudo est longa: numerus est quātitas, & quantus, ergo nō est genus, vel si est, restat dubium, quare tales prædicationes non fiunt in alijs generibus: non. n. dicimus, albedo est alba, calor est qualitas, & qualis. *Argumēta in contrarium. Primū argum.*

Secundo. Vnius generis vna species non fit ex altera: at numerus fit ex continuo, cum ex diuisione continui fiat, & resultet numerus, vt docet Aristot. 3. Physi. Tertio Species vna non prædicatur denominatiue de alia specie eiusdem generis, at numerus de linea prædicatur denominatiue, ergo non sunt species, & per consequens, quantitas non est genus: minor probatur, dicimus. n. linea est numerata. Quarto, continua & discreta quantitas non conueniunt in vnica rōne cōi, ergo non habent aliquod idem genus. Probatur antecedens, quia talis ratio, vel est, qꝛ vtraque sit diuisibilis, vel quod vtraque sit mensura: non prior, quia diuisibilitas prius inest continuo, vt diximus: non posterior, quia ratio mensuræ prius inest discreto, cum non mensuremus nisi per vnitatem, eam multiplicando, & faciendo numerum, ergo non est vna ratio vtrique communis, & generica. *Secūdū argum. Tertiū argum. Quartū argum.*

Pro-

Prima opin. Propter hæc inter asserentes quantitatem esse genus non conuenit. Alber. enim tract. de quantitate.ca.1. existimat hic considerari quantitatem, vt est mensura quædam substantiæ, non autem vt est ratio diuisibilitatis, quod etiam sequitur Caiet. & S. Thom. opusc.48.ca.2. & fere est communis sententia: quorum ratio, est quia Aristot. distinguit species quantitatis, vt sunt mensuræ substantiæ, nam quantum ad diuisibilitatem non differunt locus, & superficies, cum locus sit superficies vltima corporis continentis. Patet autem eandem esse diuisionem loci, & superficiei, tamen in ratione mensuræ differũt: nam locus est mensura extrinseca locati; cum ipsi non inhæreat: superficies autem est mensura intrinseca, scilicet inhærẽs corpori, cuius est mensura.

Secunda opin. At vero Burlæ. & alij asserunt, hic considerari quantitatem, vt est diuisibilitatis ratio, & sub hac ratione est genus quoddam ad continuam, & discretam: cuius ratio est, nam in ratione mensuræ est pure analogum, cum mensura primo competat vnitati, & numero, & non continuo nisi in ratione vnitatis, scilicet quatenus assumimus aliquam quantitatem continuam in ratione vnitatis, vt ea metiamur alia omnia; vt docet Arist. 10. Metaph. c.2. Hoc autem argumentum maximè molestum est au[c]toribus oppositæ factionis, à quo subducere se nequeunt; non minus tamen illorum argumentum est his difficile, ita vt rei veritas non satis apud hos vel illos innotescat. Dabimus operã Deo fauente, vt breuiter, & clare rem istam aperiamus, & dilucidamus id, quod deceptionis causa potest esse, sequentibus fundamentis.

Primũ fund. Primum fundamentum. Quantitas dupliciter accipitur. Vno modo pro quantitate corporum, secundum quam ipsa corpora extensa sunt, vel numerari possunt; & hæc dicitur quantitas molis, quæ in rebus spiritualibus non inuenitur, & de hac sermo est in præsenti loco. Altero modo accipitur quantitas pro certo gradu virtutis, & essentiæ, quem vnumquodque participat, secundum quam dicimus, magnus est Dominus, & infinitus non quidem corporis quantitate, sed in essentia, & virtute; dicimus etiam creatura est finita, & talis quantitas reperitur etiam in spiritualibus de qua non loquimur modo, & hæc dicitur quantitas uirtutis.

Hinc fit, quod etiam æquale, & inæquale dupliciter accipiuntur, & ut a quantitate primo modo sumuntur, & sic res spiritales non dicuntur æquales, uel inęquales; & ut à quantitate secundo modo sumuntur; & sic omnia, quæ sunt, adinuicem æqualia, uel inæqualia dici possunt, dicimus enim filius coæqualis Patri secundum diuinitatem; nullus Angelus æqualis est Deo, & hæc dixit Arist. in fine capitis, dum docuit non multum ęqualitatis, uel inæqualitatis reperiri in alijs.

Quod dicimus de quantitate cõtinua dicẽdum etiam est de discreta; numerus enim duplex est, & qui reperitur in spiritualibus etiã, secundum quem dicimus, tres sunt Personæ, & unus Deus; Millia millium Angelorũ ministrat ei. Dicimus etiam tria puncta, tres albedines, & talis numerus uocatur transcendentalis, de quo in præsenti non fit sermo. Alter est numerus, qui solum in rebus corporeis inuenitur, & iste prædicamentalis est, de quo hic agimus. Patet igitur sermonem in præsenti fieri de quantitate continua, & discreta ut in rebus, & substantijs corporeis est.

Hæc autem quantitas ab Aristot.5. Meta. c.13. sic definitur in concreto. Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, aut unumquodque unum quid aptum est esse, id est, quantum est subiectum ad quod habens partes quarum singulæ per se esse possunt, & rationem quanti sortiri; uerbi gratia, lignum diuidi potest in partes, quæ singulæ continuę sunt, & per se esse possunt, similiter numerus in unitatis, quæ singulæ per se esse possunt, diuiditur: unde patet longè alias esse partes a quantitate prouenientes, ab alijs omnibus; partes enim potentiales non sunt alicuius subiecti, sed alicuius superioris prædicati partes, similiter differentiæ. Accidentia uero, & potentiæ sunt quidem subiecti unius, aliquando partes, sed singula per se esse non possunt, nec sunt unum subiectum nec similiter materia, & forma; at partes quantitatis sic alicuius subiecti, & unius rei sunt, ut singulæ per se unum quid faciant: & hoc ualde nota.

Secũdũ fũdam. Sit secundum, fundamentum. Quantitas multa tribuit subiecto suo. Primo enim ante omnia, dat partes tales, quales dixi in primo fundamento, quod est dicere, ratio qua subiectum tales partes habet, est quantitas, si partes fuerint extensionis, est quanti-

tas continua : si numerationis, discreta ; & hæc est prima ratio quantitatis, esse formalem rationem partium illarum.

Ab hac quantitatis natura fluunt quædam passiones propriæ : Prima, esse diuisibile : ex eo enim q aliquid partes habet, diuisibile esse consequitur. Similiter, sequitur secunda, esse finitum, vel infinitũ. Tertia, esse æquale, vel inæquale alteri. Quarta esse mensurabile. Omnes hæ quattuor rationes sunt propriæ passiones fluentes ex illa natura prima quantitatis ; & subiecta recipiunt omnia ista quinque à quantitate ; quarum passionũ natura, numerus, & ordo sufficienter in Metaphysica tradentur, Deo adiuuante.

Interim tamen aduerte vnum diligenter, Quod quantitas omnia ista quinque tribuit suo subiecto formaliter, idest, est forma quædam, qua subiectum habet partes & est diuisibile, est finitum, æquale, & mensurabile ; vt enim ab albedine corpus formaliter est album, & visibile disgregatiuum visus, ita corpus a quantitate est quantum, idest partes habet, finitum, & mensurabile est ; & hoc significant illa verba, quantitas est ratio partiũ, est ratio diuisibilitatis, est ratio mensuræ.

Ex his fit tertium fundamentum a quo fere natura, & intelligentia nõ solum quantitatis, sed aliorum multorum pendet. Aliud est id, quo mensuramus, aliud quod mensuramus: aliud id, ratione cuius aliquid mensuratur, vel mensurari potest. In primis vt a noto incipiamus, id, quod mensuramus est corpus, vel res corporea, tam continua, quã discreta : id vero ratione cuius illa mensurantur, vel mensurabilia sunt, est quantitas, volo dicere, forma, a qua corpus habet, quod mensuretur, est quantitas, nisi n. quantitatem haberet, mẽsurari nõ posset, quod, vt superius dicebamus, est ratio mensuræ formalis : id autẽ, quo mensuramus, est quoddã quantũ, quo vtimur, vt indiuisibili quodam ad mensurandas alias quantitates, vt vtimur vlna, vtimur modio ; tanquam vno quodam, per cuius multiplicationem alia quanta mensuramus : vnde ista propriè dicenda est mensura : illa vero, qua subiectum est mensurabile, non mensura, sed mensurabilitas est quædam : seu dicatur mensura passiua, & formalis, & altera mensura actiua, & instrumentalis.

Tertiũ fund.

Vtrumque quidem quantitas subiecto cõmunicat formaliter : est enim ratio, qua corpus, vel subiectũ est mensura mensurans, & qua mensurabile est, sed magno discrimine : nã non omnis quantitas est mensura mensurans, non. n. mensuramus nisi quadã parte quãtitatis determinate eã multiplicantes : at omnis quantitas est ratio mensurabilitatis. Præterea esse mensurã mensurantẽ magis cõpetit vnitati, quæ est principiũ numeri, vt argumẽtũ superius probabat : at mẽsurabilitatis ratio omnibus quantitatibus ex æquo inest.

Sit quartum fundamentum. Ista omnia, quæ diximus per prius ipsi quantitati insunt, ipsa enim partes habet per se, ut patet in lineis, & superficiebus per se consideratis ; & in tempore, cuius partes sunt aliæ a partibus subiecti. Similiter ipsa quantitas est diuisibilis, & mensurabilis secũdũ se, ut patet in sanctissimo sacramento altaris. Secundario uero hoc tribuit subiecto, & substantiæ ; nam diuisibilitatem, & mensurabilitatem, & reliqua, substantia a quantitate habet. Tertio qđ maxime notorium est, quantitas hæc tribuit alijs accidentibus, nam accidentia habent partes, diuisibilitatem & cætera a quantitate, ut patet in albedine, quæ tanta est, quãta superficies, cui inest, quod nullum accidens habet. Quantitas igitur primo illa habet in se. Secundo substantiæ communicat. Tertio alijs accidentibus.

Quartũ fund.

Hinc est, quod de se ipsa suscipit prędicationem abstracti, & concreti, dicendo linea est quanta, & quantitas ; quod non fit in alijs accidentibus. Similiter distinguitur duplex quãtum, per se, & per accidens, per se est ipsa quantitas, per accidens sunt accidentia illa, quæ quantitatem participant, quæ distinctio in alijs accidentibus non fit. Sequitur etiam optime Aristot. tractasse quantum in concreto, ut legitur græce, quanti aliud continuum &c. ut intelligamus eandem esse in hoc peculiari prædicamento prędicationem abstracti, & concreti. Hæc sunt ex quib. non mediocris quãtitatis cognitio haberi potest, & quæ non passim inueniuntur ; cætera Metaphysico relinquantur. Resp. ergo ad quæstionem sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Quantitas, ut est ratio partium, est quoddam genus, cuius differentiæ sunt, & continuum, & discretum ; quantitas enim continua est magnitudo, discreta uero multitudo, quæ sunt duo genera eius subalterna, uarias sub se species includentia.

1. Cõcl.

dentia. Hæc conclusio hoc unico argumento patet. Quantitas secundum talem rationem prædicatur in quid, de pluribus suis speciebus ergo est genus consequentia est certa, & antecedens manifestum.

2. Cõcl. Secunda conclusio. Habere positionem, vel non habere, quantitatis differentiæ non sunt, ut existimat Simpl. sed passiones. Probatur vnico argumento. Si essent differentiæ, non posset quantitas continua abstrahi a positione, at per intellectum superficies sine ulla positione consideratur cum intelligatur abstracta a loco, & subiecto ergo illa positio non est quantitatis differentia; cum species absque sua componente differentia intelligi nequeat. Hic autem aduerte, quod non est idem, quantitatem continuam esse, & positionem habere, cum quantitas aliqua continua non eam habeat. f. tempus: nec similiter esse discretum, & non habere positionem, cum etiam continua aliqua nõ habeant. Vnde sic ista se habẽt. scilicet continuum, & habens positionẽ, q͛d omne habens positionem est continuum, non tamen omne continuum habeat positionem: at discretum, & non habens positionem sic se habent, quod omne discretum est non habens positionem: at non omne non habens positionem est discretum.

3. Cõcl. Tertia conclusio. Quantitas istæ quæ ratio partium est, consideratur in præsenti, ut sub tali ratione est genus generalissimum omnes has species continens. Ista conclusio iudicio meo est manifesta ex ipso contextu Aristotelis, in quo continuum, & discretum, sub quibus sunt omnes species quantitatis, non aliter definiuntur, quàm per ipsas partes, quæ copulantur, uel non copulantur termino communi. Præterea quia logicus considerat intentiones secundas, quæ in primis fundantur: at ratio generis quantitatis non fundatur in mensuræ ratione, quia hæc est passio, non natura generica: ratio autem, qua genus est, est quantitas; vt ratio partiũ est. Præterea, quia tota ratio, & argumentum illorum inualidum est: dicunt enim aliter non posse distingui species quantitatis, quam in ratione mensuræ: hoc autem inualidũ est, sic enim optime distingui possunt, & distinguuntur. Linea est ratio partium secundum longitudinem in continuo: superficies ratio partium secundum latitudinem: corpus ratio partium secundum profunditatẽ, tempus ratio partium successiuarum in continuo: locus est ratio partium continentium aliquid: numerus ratio partiũ discretarum: oratio ratio partium discretarum cum successione: & hæc ualde obscura.

Respondetur igitur per hæc ad argumenta quatuor supra posita, quibus probabatur, quantitatem non esse genus. Ad primũ respõdent Burleus, & Scotus, quæst. 17. Linea superficies, & qualibet aliæ quantitatis species, dupliciter possunt considerari. Vno modo, vt est in subiecto, & simul cũ subiecto sumitur, & tunc prędicatur genus de illis denominatiuè, quia cum subiecto sumuntur: Altero modo considerantur in abstracto absque subiecto, & sic species quantitatis sunt: & tunc falsum esset dicere, linea, est quãta, ista responsio nõ placet, quia linea non dicit subiectum magis, quã albedo: ut ergo de albedine nunquam dicitur, quod est qualis, ita nec de linea dicetur illa ratione. Præterea, quia subiectum non per lineam, sed per lineatum explicatur, propterea aliter dicendum est, nempe illam prædicationem concreti de abstracto non esse denominatiuam, sed essentialem in re, licet modus quidam denominatiuus sit, id quod fit propter peculiarem rationem, quæ in quantitate reperitur, ut explicui in quarto fundamento. Ad primum.

Ad secundum respon. quod ex una specie in communi altera non fit; nulla enim species in sua ratione, & natura admittit aliam speciem sibi coæqualem; tamen ex indiuiduo vnius speciei non pugnat, ut materialiter fiat indiuiduum alterius speciei; vt enim ex aqua fit ignis, aqua tñ non manente, ita ex continuo fit discretum, cõtinuo tamẽ non manente; nec hoc est inconueniens ullum. Ad secũdum.

Ad tertium respon. quod linea non dicitur numerata a numero denominatiue, quia numerus in ea sit? sed dicitur numerata ab actu intellectus, per quem numeramus; numerare enim opus est rationis, & intellectus.

Ad quartum est maxime notanda solutio; negatur enim maior; ratio enim generica, in qua omnis quantitas conuenit, est habere partes eiusdem rationis, ut supra diximus; negatur etiam minor; immo ratio diuisibilitatis uniuoce competit continuo, & discreto: non autem uni per prius, alteri per posterius; Verum est, quod ex diuisione continui aliquando resultat, & fit numerus,

tamen

tamen non semper, nec ex hausta numeri est fieri ex continuo, constituto autem numero, & continuo, vnumquodque per se diuisibile est, & non vnum per alterum. Ad illud de mensura, fuit magna sine dubio in hoc apud scriptores ambiguitas: nam ratio mensuræ, s. mensurantis, per prius discreto conuenit, vti diximus, & sic est ratio analoga, at ratio mensuræ passiuæ, idest qua subiectum mensurabile est, vniuoca est omni quantitati, & hæc sufficiant. Sat scio me aliqua ex parte breuem in verbis, & obscurum in his fuisse, tamē mediocriter auditori versato, & diligenti, manifesta ista erunt; cuius rationem semper in his habeo, præsertim quia viua uoce ista exponenda à magistro sunt.

QVAESTIO II.

Circa reliqua, quæ in hoc capite continē-tur, an recte dicta sint ab Aristotele.

QVia multa sunt in hoc capite, quæ intelligentia, & examine aliquo indigent, particularius à nobis tractanda sunt, & disputatione elucidanda.

Argumēta in contrarium. Primū argum. Est igitur primum argumentum contra ordinem procedendi Aristotelis, & ipsius modum. Vnumquodque vniuocum prius per definitionem, quàm per diuisionem notificandum est, sed quantitas est genus vniuocum, ergo à definitione oportebat exordiri, non à diuisione, vt facit Aristoteles.

Secūdū argum. Secundo Aristoles in diuisione præposuit continuum discreto, ergo male postea in tractatu discretum præposuit continuo.

Tertiū argum. Tertio. Nihil in vno prædicamento collocatum constitui debet in altero, sed corpus est in prædicamento substantiæ: ergo nullo modo corpus potest esse species substantiæ, & quantitatis.

Quartū argum. Quarto. Videtur doctrina ista non consonare doctrinæ eiusdem Aristot. 5. Metaph. cap. 13. ibi enim inter quantitates non numerat locum, nec orationem, & inter quantitates per accidens, ponit tempus, & motum: at hic & locum, & orationem, & tempus inter quantitates per se constituit, motus autem non meminit.

Quintū argum. Quinto. Videtur, quod nullo modo oratio quātitas sit, nā uel accipitur p oratione vocali, uel mentali, vel scripta: sed oratio scripta est potius substantia materialiter, formaliter vero, s. ut significatiua est, est relatio, vel qualitas; mentalis autem, quæ in intellectu est, est qualitas, cum in intellectu non sit quantitas: vocalis autem si materialiter sumatur, est aer verberatus, qui substantia est: si formaliter, est ipsum significare, quod non est quantitas: ergo nullo modo oratio est quantitas, & hoc admisso quod esset quantitas nō esset ponenda inter discretas, sed inter continuas: vnica enim syllaba continua est, & motu continuo profertur.

Sextum argum. Sexto. Magnitudo, & multitudo, sunt quātitatis species subalternæ, & longitudo etiam est quædam species ipsius: ergo magnū, multum, longum, species sunt quantitatis, & non pertinent ad prædicamentum ad aliquid.

Septimū argum. Septimo. Vnitas, & punctum ad quantitatem spectant, vt patet, tamē non sunt sub aliqua specie ex assignatis: ergo diminuta doctrina hæc videtur.

Octauo. Multa etiam alia videntur prætermissa, quæ tamen quantitates sunt, vt graue, leue, omnia etiam pondera, omnes mensuræ, vnica, libra, modius, gomor, & reliqua huiusmodi, quæ non apparet in alio prædicamento esse constituenda, quam in isto, quorum tamen Aristoteles nullatenus meminit. Ista argumenta à nobis soluenda ordine sunt, ex quorum solutionibus perfecta prædicamēti huius cognitio dependet.

Prima Solutio. Ad primum. Ad primum argumentum respondet Alber. tract. de quantitate, cap. 1. hic considerari quantitatem, vt mensura est, cum autem alia sit ratio mensuræ in continuis, alia in discretis: nec eiusdē rationis sit una in omnib. mensuræ ratio: nō definitione, sed diuisione vlus est. Hæc responsio non satisfacit. Primo, quia, vt superius diximus hic quātitas in sua ratione prima consideratur. s. vt est rō partiū. Secundo, quia si non est vna ratio mensuræ in continuo, & discreto, non esset genus; nec hic tanquam genus consideraretur, quod videtur falsum: quod si est ratio una quamuis communissima, hæc potius definienda erat.

Secūda Solutio. Doctores Louanienses dicunt, id factum fuisse, quia generalissima non habent definitionem propriam constantem ex genere, & differētia, cum sint suprema genera. Sed hoc non placet, quia eadem ratione nullū aliud definiret, at definit ad aliquid, & qualitatem. Præterea, quia generalissima habent descriptionem,

ptionem, immo vt superius diximus, & declarauimus, Arist. 5. Metaph. ca. 13. quantum ipsum descripsit ante diuisionem.

Tertia. Solutio. Propterea existimo dicendum esse, Arist. non tradere hic rerum cognitionem distinctam, nisi quantum sufficit Logico pro rerum coordinatione, & pro prædicationibus, & ipsarum partibus perfectè intelligendis: & quia ipsarum quantum, est maximè notũ, vtpote maximè præ oĩbus alijs sensatum, nulla circa id usus est descriptione, sicut in alijs fecit, quæ non substant sensibus in vniuersum.

Possumus tamen facile eius definitionem assignare, sicut & ipsius specierum: hæ enim definitiones specierum ex Aristotelis verbis deducuntur. Potest autem quantitas in communi per suas proprietates describi: quantitas est ratio partium, vel quæ per se partes habet: quantitas est ratio mensuræ substantiæ: quantitas est ratio diuisibilitatis in partes eiusdem rationis: similiter est forma, secundum quam æquale, vel inæquale aliquid dicitur, quantitas verò cõtinua est quantitas, cuius partes termino cõmuni copulantur: discreta vero est, cuius partes termino cõmuni nõ copulãtur: linea est continua quãtitas, cuius partes in pũcto copulãtur primo superficies cuius partes in linea copulantur: corpus cuius partes superficie copulantur: locus est superficies vltima corporis continentis: tempus est continua quãtit.s successiua, cuius partes instanti copulantur: numerus est cõtinuorum permanentium mensura discreta: oratio est successiuorum mensura discreta.

Prima Solutio. ad secũdum. Ad secundum respondent aliqui, continuam quantitatem in ratione diuisibilitatis priorem esse discreta, ex diuisione. n. continui resultat numerus: at in ratione mensuræ priorem esse discretam, non. n. mensuramus, nisi quantitate aliqua continua sumpta tanquam vnitate, cuius multiplicatione mensuramus: vt vtimur vlna, grano, palmo, multiplicatis ad mensurandum: & hoc consilio ductus Aristoteles prius continuum posuit in diuisione, in declaratione vero discretum antepo suit. Hæc ratio non mihi displicet.

Secunda Solutio. Aliter etiam respondet Alber. tract. isto cap. 1. & benè. Quantitas enim continua notior est, quia magis composita; at discreta simplicior est, ideo prior est: nam discreta quantitas nullam habet positionem; at inter continuas inuenitur positio, ac propterea Aristoteles tali ordine vsus est, vt unum, & alterum exprimeret. Hæc doctrina est uera, & Aristotelis ipsius. pri. Post. c. 23. Arithmeticam enim simpliciorẽ Geometria existimat, & 1. Metaph. c. 2. ob id, quod illa sit de discreta quantitate, hæc de continua.

Ad tertium. Ad tertium respondetur. Corpus tripliciter sumitur, est. n. æquiuocũ. Primo pro toto composito substantiali ex materia, & forma constituto, quo pacto dicimus. Angelus nõ est corpus: plantæ uero, animalia, & lapides sunt corpora, & sic corpus est unũ genus substantiæ, de quo supra diximus esse generalissimũ. Secũdo modo sumitur corpus pro altera parte uiuentis, quo pacto dicimus, animal cõstare ex anima, & corpore, & sic non est genus, nec prędicatur de speciebus ullis: sed ponitur reductiuè in prædicamento substantiæ, sicuti pars. Tertio modo sumitur pro quantitate quadam. s. profunditate, quæ est accidens corporum substantiæ, & isto modo est species huius prædicamenti: nec hoc est ullum inconueniens, quod unum secundum diuersas rationes ad uaria pertineat prædicamenta.

Prima Solutio ad quartum. Ad quartum non est facilis solutio. Quidam enim dicunt, has quantitates, scilicet locum, tempus, orationem, dupliciter posse considerari: uno modo, ut sunt rationes diuisibilitatis, seu in ratione diuisionis, & sic ab Aristotele considerantur in 5. Metaph. & tũc locus non est species distincta a superficie, cum eadem sit superficiei, & loci diuisio: similiter nec oratio a numero distinguitur: tẽpus autem & motus sunt diuisibilia ad diuisionem spatij, per quod fit motus, idest quantitates per accidens sunt: hoc igitur fuit in causa, quo minus Aristoteles locum, & orationem posuerit, tempus autem & motum inter quantitates per accidens assignauerit. Possunt tamen secundo considerari in ratione mensuræ, & tunc locus est quantitas per se distincta a superficie, quia locus est mẽsura corporum separabilium a se: similiter & oratio à numero distinguitur, cum oratio sit mensura sonorum discretorum: tempus etiam est per se quantitas, cum sit motus mensura: motus autem semper est quantus per accidens in ratione diuisionis, quia diuiditur per aliud, scilicet spatium: & in ratione mensuræ, quia mensuratur per tempus. Cum igitur hic consideretur quantitas, vt est mensura, optimè ponuntur eius species ali-

est quã in Metaphysica, in qua consideratur quantitas, vt est ratio diuisibilitatis.

Ista solutio non est spernẽda, est enim insignium virorum, tamẽ mihi in hoc nõ placet, nã esse mensuram est passio quãtitatis ipsius, fluens ab eius natura; sed talibus speciebus prædictis non inest per se quantitatis ratio secundum eos, ergo nec inerit passio: ex quo enim per se remouetur natura, remouebitur etiam & passio: & præterea, quia diximus hic etiam naturam ipsam quantitatis cõsiderari.

Secũda Solut. Burl. ad hoc dicit, locum non esse speciem per se quantitatis illo modo, nam locus denotat duo, superficiem de materiali, & continentiam de formali: materialiter ergo non differt a superficie: formaliter vero non est quantitas, quia continentia quantitas non est: ac propterea ab Aristotele non numeratur in 5. Metaph. hic verò locus ponitur inter quantitates, quia Aristoteles loquitur vulgariter, & secũdum opinionem celebriorem. Omnes autem antiqui locum inter quantitates constituebant: & hoc videtur docere Auer. 5. Metaph. com. 18. Hæc sententia fuit Alber. tract. isto. c. 5. vbi locum explicat esse illud spacium totum, longum, latum, profundum, quod est inter latera corporis continẽtis, vt antiqui credebant. 4. Phy. imo vulgus modo ita existimat. Hoc tamen impugnat illic Arist. & secundum veritatem ostendit, locum esse superficiem vltimam corporis cõtinentis: hoc etiã videtur docere Simpl. & Doctores Louan. asserunt locum secundum Arist. non esse quantitatem distinctam a superficie: hic autem fuisse locutũ iuxta receptam sui tẽporis, & communẽ opinionem.

Dicit secundo Burl. motum esse quantitatem per se; sicut tempus etiam in rõne diuisionis: fuisset autem prætermissum ab Arist. non quia non esset, sed quia non curauit omnes species enarrare.

Dicit tertio, in Metaphysica tempus, & motum dici quanta per accidens, non quòd non sint per se quantitates, sed quia ab alio, scilicet a spatio, & mobili recipiunt esse quãtitatis, sed recipiunt ab eis effectiuè solũ, in se tamen quantitates formaliter sunt.

De oratione autem dicit quarto, esse etiã per se quantitatem a numero distinctam.

Ista sententia Burlæi in hoc, ꝙ concedit motum esse quantitatem per se, est Albert. magni tract. isto cap. 18. & Iambli, ut refert in præsenti Simpl. Dicunt enim motũ duo dicere, & fluxũ, & formã aliquã, cuius est fluxus: & quòd successio quantũ ad fluxum est quantitas, quantum ad formã nõ, sed aliquãdo est qualitas, aliquãdo vbi, aliquando quãtitas, secundũ quod fluxus potest esse in qualitate, vel vbi, vel quantitate: ac propterea hic non numeratur inter quãtitates, quia totum eius esse nõ est quãtitas, nec vnius est generis.

At Porphyrius l. br. 2. interro. & Ammon. credunt motum secundum suam naturam non esse quantitatem; sed esse quantum per accidens, sicut substantia est quanta per accidens. Ad locum Metaph. respon. Alexan. illic Aristotelem solũ tractare de quantitate permanente, propterea ista prætermisit.

Sed in hac difficultate ne confusio insit audienti, quãtum pro captu logico exigitur, existimo ita dicendum: Primo omnes has species hic enumeratas esse quãtitates per se: & hæc est communis opinio, non solum in ratione mensuræ, sed etiam in ratione partium, & diuisibilitatis, vt superius diximus.

Dico secundo, tempus dupliciter posse diuidi. Vno modo secundum partes successiõnis, scilicet præsens, præteritum, futurum, & secundum hanc diuisibilitatis rationem est quantitas per se, & ita hic consideratur. Altero modo diuiditur secundum spatium, per quod mobile tempus efficiens mouetur: & secundum hanc diuisibilitatem est quantitas per accidens, vt dicitur in Metaphysica; considerare autem tempus secundum suas partes ad Physicum spectat, & id notius est: propterea in Metaphysica non inter quantitates per se constituitur, sicut in Logica. Tertia Solut.

Dico tertio orationem sub numero comprehensam fuisse illic: non enim ibi loquitur de numero particulariter, vt distinguitur ab oratione, sed vt numerus est idem quod multitudo, vt idem interpretatur Auerroes.

Dico quarto, locum etiam sub superficie contineri: ibi enim considerat superficiem in communi, vt includit superficiem ambientem, & terminantem: hic autem loquitur particulariter de superficie terminante.

Dico vltimo, motum non esse quantitatem per se, vt bene dicunt Ammo. & Porph. quia motus, vt motus, est solum actus quidam imperfectus, vt suo loco tractabitur. Hæc omnia obserua, quia existimo Arist. & veritati maximè esse conformia.

Ad 5. Ad quintũ est insignis difficultas de intellectu orationis, quid sit. Omissis aliorũ sententijs dicam, quæ in hoc diligẽter excogitaui, idque declarabo sequentibus fundamẽtis.

Primũ fund. Aduerte igitur primo, ꝙ sonus est quoddam accidens, & qualitas effecta in aere ex collisione duorum corporum. Vox autẽ est, non omnis sonus, sed ille tãtum qui efficitur in aere ex collisione quarundam corporis partium, s. linguæ, palati, dentium &c. est autem vna vox, quæ vnica fit percussione, plures autem voces, quæ pluribus fiunt percussionib. sicut sunt syllabæ, quælibet n. syllaba vnica fit percussione, plures autem pluribus. Oratio autem est aggregatio ex multis vocibus syllabarum, vt dominus: vnde omnis oratio est continua, & discreta.

Scdm fund. Aduerte secundo, discretio duplex est: quædam subiecti, vt albedo lactis, & albedo niuis discreta sunt, quia duob. insunt discretis subiectis, altera est discretio formæ, sicut quando duo insunt vni subiecto, tamẽ vnum alteri idem non est: sicut albedo, & dulcedo lactis. Oratio igitur discreta est, non quidem subiecto, quia in eodem aere omnes syllabarum percussiones recipiuntur, sed discretę formæ, nec similiter est discreta in tẽpore, cœli, quia vnico tempore simul duo possunt loqui quorum sermones simul tempore, & subiecto sunt, formæ tamen discretæ sunt.

Tertiũ fund. Aduerte tertio, In ista voce possumus tria considerare. Id quod est eius essentia, scilicet id ratione cuius est sonus. Secundo aliquid quod se habet, vt qualitas eius, scilicet quo I fit acuta, grauis, sonora, rauca. Tertio est quædam extensio, & velut corpulentia ipsius vocis, secundum quam vox magna breuis, æqualis, inæqualis dicitur, & hæc est vocis quantitas, quæ dicitur tempus vocis, vnde qñ audis syllabas habere tẽpus, non intelligas de tempore, quod dicitur dies, annus &c. sed de ista intrinseca extensione, & vocis dilatione, quæ maior est, in vna, quàm in altera, secundum quod breuis vna, altera longa dicitur.

Quartũ fund. Aduerte quarto. Oratio dicitur iste numerus horum temporum syllabarum successiuarum, & discretarum: sed maximè considera, quod non solum oratio est multitudo temporum horum, sed superaddit temporum diuersitatem, & ordinem; vnde alia oratio est populus pro arbore, alia pro ciuitate, nam illa est ex prima longa, hęc ex prima breui; similiter alia est species orationis dominus, alia domini. In summa, hæc oratio continet omnia carmina, & carminum genera, & omnes pedes carminum, quæ non solũ diuersa sunt in multitudine syllabarum, sed præcipuæ ordine, & quantitate; vnde musæ, in recto spondæus est, cum ex vtraque longa cõstet, at in recto singulari trochæus est, quia posterior est breuis, & sic de reliquis. Hæc oratio est iudicio meo numerus musicus, & harmonicus, de quo Musica speculatur.

Ex his sequitur, hic multo aliter orationẽ quam in libro Perther. sumi, hic enim pro vna etiam dictione vocali, illic pro pluribus. Præterea in præsenti impertinens est, quod significet, nam etiam si non significet, oratio dicitur; illic autem est necessaria vocum significatio. Præterea in præsenti oratio non est ipsa vox, sed quantitas ipsarum vocum, & dictionum: in libr. vero Perther. oratio est ipsa vox significatiua, ac propterea hic Arist. dixit, oratio, quæ in voce fit, quasi non sit uox, sed uocis quantitas.

Per hæc patet solutio ad argumentum. Ad replicam dico. Quamuis syllaba sit per se continua, tñ quia syllaba non per se, sed cum dictione ordinatur, non facit quantitatis per se specię, sed cum oratione, quæ discreta est, sed dictum est, syllabam esse vnitatem in oratione, sicut est unitas in numero arithmetico. Solutio.

Ad sextum. Respon. magnitudinem, lõgitudinem, & multitudinem, aliquando sumi absoluté pro ipsis quantitatibus, ut magnitudo, idem sit, quod quantitas, continua, præsertim permanens, quo pacto sumitur. 1. Cœli longitudo idem, quod linea; multitudo discreta quantitas: & tunc magnitudo non opponitur paruitati, nec multitudo paucitati, nec breuitati longitudo, unumquodque enim continuum magnum est, longum est, & numerus quiuis est multa. Altero modo sumuntur ista respectiuè, & unum respectum alterius dicitur, & sic opponuntur; tunc enim sunt ad aliquid, nec est inconueniens, quod res in uno prædicamento collocetur, passio vero in alio; ut enim homo est in prædicamento substantiæ, risibilitas autem in qualitate, ita quantitas est in uno prædicamento; istæ autem passiones eius, magnum, paruum, æquale, & reliqua in prædicamento ad aliquid sunt.

Ad septimum est facilis solutio ex his,

quę

quæ diximus in prædicamento substantiæ, vnitas enim, & punctum ad quantitatem pertinet, reductiuè tamen, tanquam principia quantitatis; vnitas enim est principium discretæ, punctus continuæ permanentis.

Ad octauũ dico oẽs mensuras ad hoc prędicamentũ pertinere; nõ secũdum relationẽ,
1 per quam ad mensurata referuntur, vt dicit Simpl. sed secundũ id, qđ mensurant, quod quantitas est; & sic sub his speciebus continentur; quædã enim sub loco, qui per modũ vasis contentiui mensurat, quędã sub linea, quę per modũ longitudinis: quædã sub numero, qui per modum multiplicationis solũ continentur. Ex his oĩbus cuilibet facillimum erit istas species ordinare in tabula aliqua: aduertatq; singula dictorũ esse genera cõtinentia multa sub se, numerus enim multas numerorũ species: oratio similiter varias spẽs, & gña cõtinet; idẽ de linea, quę multas mẽsuras cõtinet, similiter, & de alijs. Hæc de quãtitate.

Possent quidem multa alia dici, sed hæc sufficiant, ne extra modum limites Logicos transgrediamur; Logicum agentes. Vide Simplicium de grauitate, an sit quantitas, ut vult Architas.

DE HIS QVAE AD aliquid dicuntur. Cap. VII.

1 *AD aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius hoc ipsum, quod est ad alterum dicitur, aliquo enim maius dicitur, & duplũ alterius dicitur hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur, similiter autem, & alia quæcunque huiusmodi sunt.*

2 *At vero sunt etiam, & hæc ad aliquid: habitus, dispositio, sensus, scientia, positio hæc enim omnia, quæ dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, et nõ aliud quiddã: habitus enim alicuius habitus esse dicitur; & scientia alicuius scientia; & positio, alicuius positio: & alia quoque similiter.*

Ad aliquid igitur sunt, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterũ, vt mons magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & simile alicui simile, & cætera talia similiter ad aliquid dicuntur. Sunt autem & accubitus, et statio, & sessio positiones quædam, positiones verò ad aliquid sunt: iacere autem, & stare, vel sedere, ipsa quidem non sunt positiones: denominatiuè vero dicuntur ab ijs, quæ dictæ sunt, positionibus. 3

Inest autẽ & contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid, vt virtus vitio contrarium cum sit vtrumq; eorũ ad aliquid; et scientia ignorantiæ. Non autẽ omnibus ijs, quæ sunt ad aliquid, insunt contraria. Duplo enim nihil est contrariũ, neque triplo, neque vlli talium. 4

Videtur aũt & magis, & minus ea quæ ad aliquid sunt suscipere, simile. n. & dissimile magis, & minus dicitur: et æquale, & inæquale magis, & minus dicitur, cum vtrumq; sit ad aliquid simile. n. alicui simile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autẽ omnia quæ sunt ad aliquid suscipiũt magis, & minus, duplum enim non dicitur magis, & minus duplum, nec aliquid talium. 5

Omnia autem, quæ sunt ad aliquid, ad conuertentiam dicuntur, vt seruus domini seruus: & dominus serui dominus esse dicitur: & duplum dimidij duplum; & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius, et minus maiore minus: similiter autem & in alijs; Sed casu aliquoties differunt secundum locutionem, vt scientia scibilis scientia dicitur, & scibile scientia 6

Ad 5. Ad quintũ est insignis difficultas de intellectu orationis, quid sit. Omissis aliorũ sententijs dicam, quæ in hoc diligẽter excogitaui, idque declarabo sequentibus fundamẽtis.

Primũ fund. Aduerte igitur primo, ꝙ sonus est quoddam accidens, & qualitas effecta in aere ex collisione duorum corporum. Vox autẽ est, non omnis sonus, sed ille tãtum qui efficitur in aere ex collisione quarundam corporis partium, s. linguæ, palati, dentium &c. est autem vna vox, quæ vnica fit percussione, plures autem voces, quæ pluribus fiunt percussionib. sicut sunt syllabæ, quælibet n. syllaba vnica fit percussione, plures autem pluribus. Oratio autem est aggregatio ex multis vocibus syllabarum, vt dominus: vnde omnis oratio est continua, & discreta.

Scd̃m fund. Aduerte secundo, discretio duplex est: quædam subiecti, vt albedo lactis, & albedo niuis discreta sunt, quia duob. insunt discretis subiectis, altera est discretio formæ, sicut quando duo insunt vni subiecto, tamẽ vnum alteri idem non est: sicut albedo, & dulcedo lactis. Oratio igitur discreta est, non quidem subiecto, quia in eodem aere omnes syllabarum percussiones recipiuntur, sed discreta forma: nec similiter est discreta in tẽpore cœli, quia vnico tempore simul duo possunt loqui quorum sermones simul tempore, & subiecto sunt, formæ tamen discretæ sunt.

Tertiũ fund. Aduerte tertio, In ista voce possumus tria considerare. Id quod est eius essentia, scilicet id ratione cuius est sonus. Secundo aliquid quod se habet, vt qualitas eius, scilicet quod sit acuta, grauis, sonora, rauca. Tertio est quædam extensio, & velut corpulentia ipsius vocis, secundum quam vox magna breuis, æqualis, inæqualis dicitur, & hæc est vocis quantitas, quæ dicitur tempus vocis, vnde qñ audis syllabas habere tẽpus, non intelligas de tempore, quod dicitur dies, annus &c. sed de ista intrinseca extensione, & vocis dilatione, quæ maior est, in vna, quàm in altera, secundum quod breuis vna, altera longa dicitur.

Quartũ fund. Aduerte quarto. Oratio dicitur iste numerus horum temporum syllabarum successiuarum, & discretarum: sed maximè considera, quod non solum oratio est multitudo temporum horum, sed superaddit temporum diuersitatem, & ordinem; vnde alia oratio est populus pro arbore, alia pro ciuitate; nam illa est ex prima longa, hæc ex prima breui; similiter alia est species orationis dominus, alia domini. In summa, hæc oratio continet omnia carmina, & carminum genera, & omnes pedes carminum, quæ non solũ diuersa sunt in multitudine syllabarum, sed præcipuæ ordine, & quantitate; vnde musæ, in recto spondæus est, cum ex vtraque longa cõstet; at in recto singulari trochæus est, quia posterior est breuis, & sic de reliquis. Hæc oratio est iudicio meo numerus musicus, & harmonicus, de quo Musica speculatur.

Ex his sequitur, hic multo aliter orationẽ quam in libro Periher. sumi, hic enim pro vna etiam dictione vocali, illic pro pluribus. Præterea in præsenti impertinens est; quod significet, nam etiam si non significet, oratio dicitur; illic autem est necessaria vocum significatio. Præterea in præsenti oratio non est ipsa vox, sed quantitas ipsarum vocum, & dictionum: in libr. vero Periher. oratio est ipsa vox significatiua, ac propterea hic Arist. dixit, oratio, quæ in voce fit, quasi non sit uox, sed uocis quantitas.

Per hæc patet solutio ad argumentum. Ad replicam dico, Quamuis syllaba sit per se continua, tñ quia syllaba non per se, sed cum dictione ordinatur, non facit quantitatis per se speciẽ, sed cum oratione, quæ discreta est, sed dictum est, syllabam esse vnitatem in oratione, sicut est unitas in numero arithmetico. Solutio.

Ad sextum. Respon. magnitudinem, lõgitudinem, & multitudinem, aliquando sumi absolutè pro ipsis quantitatibus, ut magnitudo, idem sit, quod quantitas, continua, præsertim permanens, quo pacto sumitur. I. Cæli longitudo idem, quod linea; multitudo discreta quantitas: & tunc magnitudo non opponitur paruitati, nec multitudo paucitati, nec breuitati longitudo. unumquodque enim continuum magnum est, longum est, & numerus quiuis est multa. Altero modo sumuntur ista respectiuè, & unum respectum alterius dicitur, & sic opponuntur; tunc enim sunt ad aliquid; nec est inconueniens, quod res in uno prædicamento collocetur, passio vero in alio; ut enim homo est in prædicamento substantiæ, risibilitas autem in qualitate, ita quantitas est in uno prædicamento; istæ autem passiones eius, magnum, paruum, æquale, & reliqua in prædicamento ad aliquid sunt.

Ad septimum est facilis solutio ex his, quæ

quæ diximus in prædicamento substantiæ, vnitas enim, & punctum ad quantitatem pertinet, reductiuè tamen, tanquam principia quantitatis; vnitas enim est principium discretæ, punctus continuæ permanentis.

Ad octauũ dico oẽs mensuras ad hoc prędicamentũ pertinere, nõ secũdum relationẽ, per quam ad mensurata referuntur, vt dicit Simpl. sed secundũ id, qđ mensurant, quod quantitas est; & sic sub his specieb. continentur; quædã enim sub loco, qui per modũ vasis contentiui mensurat, quędã sub linea, quę per modũ longitudinis: quædã sub numero, qui per modum multiplicationis solũ continentur. Ex his oĩbus cuilibet facilimum erit istas species ordinare in tabula aliqua: aduertatq; singula dictorũ esse genera cõtinentia multa sub se, numerus enim multas numerorũ species: oratio similiter varias spẽs, & gña cõtinet, idẽ de linea, quę multas mẽsuras cõtinet, similiter, & de alijs. Hæc de quãtitate.

Possent quidem multa alia dici, sed hæc sufficiant, ne extra modum limites Logicos transgrediamur; Logicum agemesui Vide Simplicium de grauitate, an sit quantitas, ut uult Architas.

DE HIS QVAE AD aliquid dicuntur. Cap. VII.

1 *AD aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius hoc ipsum, quod est ad alterum dicitur, aliquo enim maius dicitur, & duplũ alterius dicitur hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur, similiter autem, & alia quæcunque huiusmodi sunt.*

2 *At vero sunt etiam, & hæc ad aliquid: habitus, dispositio, sensus, scientia, positio hæc enim omnia, quæ dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, et nõ aliud quiddã: habitus enim alicuius habitus esse dicitur; & scientia alicuius scientia; & positio, alicuius positio: & alia quoque similiter.*

Ad aliquid igitur sunt, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterũ, vt mons magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & simile alicui simile, & cætera talia similiter ad aliquid dicuntur. Sunt autem & accubitus, et statio, & sessio positiones quædam, positiones verò ad aliquid sunt: iacere autem, & stare, vel sedere, ipsa quidem non sunt positiones: denominatiuè vero dicuntur ab ijs, quæ dictæ sunt, positionibus. 3

Inest autẽ & contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid, vt virtus vitio contrarium cum sit vtrumq; eorũ ad aliquid; et scientia ignorantiæ. Non autẽ omnibus ijs, quæ sunt ad aliquid, insunt contraria. Duplo enim nihil est contrariũ, neque triplo, neque vlli talium. 4

Videtur aũt & magis, & minus ea quæ ad aliquid sunt suscipere, simile & dissimile magis, & minus dicitur: et æquale, & inæquale magis, & minus dicitur, cum vtrumq; sit ad aliquid simile .n. alicui simile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autẽ omnia quæ sunt ad aliquid suscipiũt magis, & minus, duplum enim non dicitur magis, & minus duplum, nec aliquid talium. 5

Omnia autem, quæ sunt ad aliquid, ad conuertentiam dicuntur, vt seruus domini seruus: & dominus serui dominus esse dicitur: & duplum dimidij duplum; & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius, et minus maiore minus: similiter autem & in alijs; Sed casu aliquoties differunt secundum locutionem, vt scientia scibilis scientia dicitur, & scibile scientia 6

scibile, & sensus sensibilis sensus: & sensibile sensu sensibile.

7 *At vero aliquoties non videbitur conuerti, nisi conuenienter ad quod dicitur assignetur, sed peccet is, qui assignat, vt alæ si assignetur auis, non conuertitur, vt sit auis alæ. Non enim prius conuenienter assignatum est ala auis, neque enim quatenus auis est, eatenus ala ipsius dicitur: sed eo quòd alata est, multorum enim & aliorum alæ sunt, quæ non sunt aues. Quare si assignetur conuenienter, & conuertitur: vt ala alati ala est: & alatum ala alatum.*

8 *Aliquoties autem fortè & nomen fingere necesse erit: si non fuerit nomen impositum ad quod conuenienter assignetur: vt temo si assignetur nauigij, non est assignatio conueniens, neque enim eo quòd nauigium est, eo ipsius temo dicitur, sunt enim nauigia, quorum temones non sunt: quare non conuertitur; nauigium enim non dicitur temonis nauigium. Sed forte conuenientior assignatio erit, si sic quodammodo assignetur: temo temonatæ rei temo est, aut quomodocunque aliter: nomen enim non est positum, & conuertitur si conuenienter assignetur: temonatum enim temone temonatum est. Similiter autem & in alijs, vt caput conuenientius assignabitur capitati caput, quàm si animalis assignetur; neque enim eo quòd est animal, caput habet, multa enim animalia sunt capita non habentia.*

9 *Sic autem fortasse facillimè quis sumet, quibus posita non sunt nomina, si ab ijs quæ prima sunt, & ijs ad quæ conuertuntur, nomina ponantur: vt in ijs quæ prædicta sunt, ab ala alatum, a temone temonatum. Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur, si conuenienter assignentur, ad conuertentiam dicuntur, quoniam si ad quodlibet aliud assignantur, & non ad id, ad quod dicuntur, non conuertuntur.*

10 *Dico autem, quoniam neque eorum, quæ in confesso ad conuertentiam dicuntur, & nomina eis posita sunt, nihil conuertitur, si ad aliquid eorum, quæ sunt accidentia assignetur, & non ad id, ad quod dicuntur, vt seruus, si non domini assignetur, sed hominis, vel bipedis, vel cuiuscunque talium, non conuertitur, neque enim dici potest, homo est serui homo: non enim conueniens est assignatio. Amplius, si quidem conuenienter assignetur ad quod dicitur, omnibus alijs sublatis, quæcunque accidentia sunt, relicto autem solo illo ad quod assignatum est conuenienter, semper ad ipsum dicetur, vt si seruus ad dominum dicitur, circumscriptis omnibus, quæ accidentia sunt domino, vt esse bipedem, vel scientiæ susceptibilem, vel hominem, relicto vero solo quòd dominus est, semper seruus ad ipsum dicetur, seruus enim domini seruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur assignetur, circumscriptis omnibus alijs, relicto autem eo solo, ad quod assignatum est, non dicetur ad ipsum: assignetur enim seruus hominis, & ala auis, & circumscribatur ab homine esse dominum, non sane amplius seruus ad hominem dicetur: cum enim dominus non sit, neque seruus est: similiter & de aue, si adimitur eam alatam esse: non n. amplius erit ala ad aliquid, cum enim non sit alatũ, nec ala erit alicuius. Quare opor-*

tet assignare ad id, ad quod conuenientes dicitur. Et si sit nomen positum, facilis erit assignatio: si autem non sit, fortasse necessarium erit nomen fingere: si autem sic assignentur, manifestum est: quoniam omnia quæ ad aliquid sunt, ad conuertentiam dicuntur.

11 Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura: & in plurimis quidem verum est: in aliquibus verò non verum: simul enim duplum, & dimidiũ sunt. & cum sit dimidium, duplum est: & cum sit dominus, seruus est: et cum sit seruus, dominus est: similiter autem his & alia. Simul autem hæc auferunt sese inuicem: si enim non sit duplum, non erit dimidium: & si non sit dimidium, non erit duplum: similiter autem, & in alijs, quæcunque talia sunt.

12 Non autem in omnibus quæ ad aliquid, verum videtur esse simul natura: scibile enim scientiæ prius videbitur esse: namque in pluribus præexistentibus rebus scientiam accipimus: in paucis enim vel nullo quisquam hoc per species simul cum scibili scientiam esse factam. Amplius, scibile sublatum simul aufert scientiam: scientia vero simul non aufert scibile, nam si scibile non sit, non erit scientia, nullius enim erit scientia: scientia vero si non sit, nihil prohibet esse scibile, vt circuli quadratura si est scibilis, scientia quidem eius nondum est, ipsa vero scibilis est. Amplius, animali quidem sublato non erit scientia scibilium verò plurima esse contingit.

13 Similiter autem his sese habent ea, quæ de sensu sunt: sensibile enim prius, quàm sensus esse videtur, sublatum enim sensibile simul aufert sensum; sensus vero sensibile non simul aufert, sensus enim circa corpus, & in corpore sunt: sensibili autem sublato, aufertur & corpus sensibile enim corpus est; Cum autem corpus non sit, aufertur & sensus, quare simul aufert sensibile sensum: sensus vero sensibile non simul aufert: sublato enim animali, sensus quidem aufertur, sensibile autem erit corpus: vt calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunque sunt sensibilia. Amplius, sensus quidem simul cum sensitiuo fit: simul enim fit animal, & sensus. sensibile vero ante animal, aut sensum est. Ignis enim, & aqua, & alia huiusmodi, ex quibus ipsum animal constat, ante sunt quam animal omnino sit, aut sensus: quare prius sensibile, quàm sensus esse videbitur.

Habet autem dubitationem, vtrum nulla substantia ad aliquid dicatur, 14
quemadmodum videtur, si hoc contingat secundum quasdam secundas substantias. Nam in primis substantijs verum est, nam neque tota, neque partes primarum substantiarum dicuntur ad aliquid. Nam quidam homo non dicitur alicuius quidam homo, neque quidam bos alicuius quidam bos. Similiter autem & partes: quædam enim manus non dicitur alicuius quædam manus, sed alicuius manus, & quoddam caput non dicitur alicuius quoddam caput, sed alicuius caput. Similiter autem & in secundis substantijs, atque hoc quidem in pluribus, vt homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignũ, sed alicuius possessio dicitur: in huiusmodi ergo manifestũ est, quoniam nõ sunt ad aliquid. In aliquibus verò secundis substantijs

habet dubitationem, vt caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius dicitur manus, et singula huiusmodi, quare hæc fortasse ad aliquid esse videbuntur.

25 Si igitur sufficienter eorum quę sunt ad aliquid, definitio assignata est, aut omnino difficile, aut impossibile est ostẽdere, quod nulla substantia eorum quæ sunt ad aliquid dicitur.

26 Si autem non sufficienter, sed sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere, fortasse aliquid contra ista dicitur. Prior vero definitio, sequitur quidem omnia ea, quæ sunt ad aliquid, non tamen in ipsis idem est: cum eo quod est esse ad aliquid, ipsa quæ sunt, aliorum dicantur. Ex his autem manifestum est, quòd si quis aliquid eorum, quę sunt ad aliquid, definitè sciet, & illud ad quod dicitur, definitè sciturus est. Manifestum igitur & ex ipsis est: si enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid est (est autem esse ijs, quæ ad aliquid sunt idem, ac ad aliquid aliquo modo se habere) & illud nouit, ad quod hoc aliquo modo se habet. Si enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo se habet, neque si ad aliquid hoc aliquo modo se habet, noscet. Sed & in singulis palam hoc est, vt si quid nouit quis definitè, quod duplum est, & cuius duplum est, mox definitè nouit; si enim nullius definitorum nouit ipsum duplum esse, neque si sit duplum omnino nouit. Similiter autem & hoc aliquid, si nouit quis quod melius est, & quo melius est statim definitè necessarium est nosse. Propter hæc autem non indefinite hoc cognoscet, quòd hoc est peiore melius, suspicio enim hæc est, non scientia, non enim adhuc sciet exactè quòd est peiore melius. si enim sic accidit, nihil est deterius ipso. Quapropter palam est quod necessarium est, si nouerit quis aliquod relatiuorum definite, & id ad quod definitè, necesse est nosse.

Caput verò, & manus, & eorũ singula, quæ substãtię sunt, ea ipsa quę sũt sciri definite possunt: ad qđ vero dicantur, non est necessariũ scire: cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manus sit, non est scire definite: quare non erũt hæc ad aliquid. Si vero nõ sunt hæc eorum quæ sunt ad aliquid, verũ erit dicere quod nulla substantia eorũ est quæ sunt ad aliquid. Fortasse aũt difficile sit de eiusmodi rebus vehemẽter asserere, nisi ea sæpe pertractata sint: dubitasse autem de horum vnoquoque non est inutile. 17

Cur potius de prædicamento Ad aliquid, quam de qualitate egerit.

NOn parua primo se nobis offert difficultas, cur prædicamentum hoc qualitati anteponatur, ratio enim dubitandi est: prius est rem esse in se, quàm ad aliud comparari, sed qualitas conuenit rei secundum se, relatio vero vt alteri comparatur, ergo prior est qualitas secundum naturam: imò Aristoteles ipse 5. Metaph. c. 14. quale præposuit, & in diuisione horum prædicamentorum præcedenti. Architas illa ratione motus, vt refert Simplic. quale anteposuit ipsi prædicamento ad aliquid.

Circa hoc aduerte ex Simplicio in his prædicamentis, q duplex est ordo, quidam naturæ, & essentiæ, secũdum quem vnum in suo esse, & natura alterũ præcedit: alter est ordo doctrinæ, secundũ quem unius cognitio, & doctrina prius traditur cognitione alterius, & unum prius, alterum posterius docemus.

Hoc supposito, Doctores Louanien. dicunt hic non ordinem naturæ, sed doctrinæ solum seruari, secundum quem illa semper præmittenda sunt, quæ magis priorum

cogni-

cognitioni necessaria sunt, siue priora sint, siue posteriora. Constat autem post quantitatem magis necessariam esse relatiuorum cognitionem, cum in prædicamento quantitatis longa facta fuerit mentio eorum, scilicet de magno, & paruo, & reliquis quæ ad aliquid dicuntur. Quam rationem etiam tradit Ammo. huius ordinis causa quæ ad aliquid sunt proponuntur qualitati.

At Simpl. Porphy. & Boet. etiam ordinem naturæ cum ordine doctrinæ seruari insinuãt secundũ Arist. quia substantia corporea prius est quanta, quam qualis, cum quantitas sit eius passio prima, sed ad quantitatem immediate sequitur esse magnum, vel paruum, æquale, inæquale, quæ omnia ad aliquid sunt: prius ergo est ad aliquid ipso quali: nec obstat, aliquas relationes, & habitudines esse posteriores qualitatib. s. illas, quæ ex qualitatibus oriuntur; sat est à toto genere, ꝙ natura ipsius ad aliquid in aliquibus præcedat qualitatẽ, non autẽ qualitas vlla antecedat quãtitatẽ; prior igitur natura est relatio similiter & doctrina propter rationem dictam prius.

2 *Ad aliquid verò talia dicũtur quæcunque hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud &c.*

Caput istud in tres partes diuiditur. Prima continet definitionem quandam eorũ, quæ ad aliquid sunt, & ipsius explicationem; quæ definitio communis erat tempore Aristotelis, immo ipsius Platonis, vt volunt Albe. & Boet. quamuis id neget Simplicius. Secunda continet quatuor proprietates, quæ secũdum talem definitionem consequuntur. Tertia proponit vnum absurdum, quod iuxta talem definitionem sequitur, & ea reiecta aliam ponit, quæ maximã relatiuis conuenit. Similiter quandam ipsorum infert proprietatem.

Nota. Attende autem has definitiones generalissimorum, vt sæpe dixi, non esse proprias definitiones, cum genere, & differentia careant, sed descriptiones quædam sunt, per quas rem magis manifestam facimus per ea, quæ clariora sunt.

Nota. Aduerte igitur, accidentis duplex esse genus. Quoddam inest subiecto absque alterius subiecti dependentia, vt albedo inest niui, calor igni, superficies corpori absque alterius vllius ordine, & habitudine: & hoc accidens absolutum dicitur. Quoddam accidens inest alicui subiecto cum dependentia alterius subiecti accidentis: vt paternitas inest vni homini, dependenter tamen ab alio, cui inest filiatio, simile inest huic albedini, dependẽter tamen ab altera albedine, cui inest etiam illa similitudo: tale igitur accidens dicitur respectiuum, & ad aliquid, cuius natura hæc est, vt non insit vnum alteri, quin etiam alterum ei correspondens, alteri simul insit.

Ex quo collige rationem tituli huius prædicamenti, dicitur enim in plurali, de his, quę sunt ad aliquid, & semper Aristot. in capite pluraliter loquitur, cuius ratio est, vt notat Amm. & Alber. tract. isto c. 3. quia nunquam ista singula cõsistunt, sed semper bina, vnum ad alterum. Nec propter hoc negamus quin singulariter possit proferri, vt notat Simpl. dici. n. potest, pater est ad aliquid, & duplum est ad aliquid: sed ad insinuandam horum naturam, quæ sine multitudine esse non potest, pluraliter loquimur. Nota.

Per hæc itaq; manifestatur Aristotelis descriptio: Illa sunt ad aliquid, quorum hoc ipsum, quod sunt, id est, quorum natura, & substantia est ad aliud dici, & referri: at quia variè vnum ad alterum dicitur, aliquando per habitudinem genitiui, vt pater est filij pater, aliquando per habitudinem datiui, simile est alicui simili simile: vel ablatiui, maius est minore maius: aliquando id fit per accusatiuum, aliquando cum præpositione, aliquãdo sine illa, vt dicit Simplic. Propterea dicit Aristoteles aliorum dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud, s. dicuntur. Hæc ex omnium explicatio communis descriptionis huius.

Ponit Aristoteles exempla per uarios casus. Maius, inquit, aliquo maius est, duplum etiam alterius duplum est, & alia similiter, quæ ad inuicem conferuntur. Hæc græcè genitiui habitudinem explicant: quamuis latinè sint casus uarij.

At verò sunt etiam & hæc ad aliquid &c. 3

Prosequitur Aristoteles exempla proponere eorum, quæ ad aliquid sunt, ponit autẽ ista, quæ sequuntur, scilicet, habitum, dispositionem, scientiam, sensum, positionem: in quibus notabis hoc, quatuor prima ad obie-

ctū referri. Si enim habitus est, alicuius obiecti habitus est, similiter & dispositio, differūt enim hoc solo habitus, & dispositio, quod habitus inhæret subiecto, a quo difficile remoueri potest: dispositio est, quæ facile remouetur: similiter scientia, & sensus, alicuius obiecti scientia, & sensus sunt: positio autē refertur, & ad subiectum, & ad locū: est enim positio habitudo corporis ad locum.

Dubiū primū. Dubitabis, ad quid Aristoteles non continuauit hæc exempla prioribus, sed quadā interruptione vsus est dicens, (sunt etiam, & hæc aliquid?) Respondet Ammo. id factum fuisse propter duo. Alterum est, quia priora exempla erant habitudinis genitiui, quibus explicatur illa definitionis pars, aliorum dicuntur: nunc autem ista sunt habitudinis aliorum casuum, quibus explicatur illa altera pars, vel quomodolibet aliter, ad aliud. Alterum est, quod ēt notat Simpl. ista, quæ ad aliquid dicuntur, oriuntur ex multis prædicamentis: quædam ex quantitate, vt duplum, maius: quædam ex qualitate, vt scientia, habitus: quædam ex situ, vt positio, & cubatio, & quia exempla priora erāt de his, quę quātitatem cōsequuntur, posteriora verò de his, quæ qualitatem, & alia sequuntur, ideo distinxit, & interruptione illa vsus est. Sed potest huius tertia ratio non spernanda adhiberi; quod ista definitio Aristotelis non est ipsius, sed communis, quam ipse est postea reiecturus, suscipit tamen eam modo explicandam, quia tunc passim circumferebatur, ac propterea multa secundum hanc infert, & dicit, quæ non tanquam vera, sed tāquam absurda ex tali definitione promanantia recipiēda sunt, id, quod doctè aduertit Ammon. est autem vnum ex his, quod subiunxit, ac dicit, si ad aliquid sunt, quæ aliorum dicūtur, ista ad aliquid sunt, scilicet habitus, dispositio, & reliqua, quæ tamen vere ad aliquid nō sunt, cum sint aliorum prædicamentorum, ac propterea secundum talem definitionē probat esse ad aliquid, dū dicit ista dici ad aliud, & non aliud quiddam, idest non habēt aliud quicquam, quàm ad aliud dici, sed horum veritas postea examinanda est.

3 *Ad aliquid igitur sunt, quæcunque hoc ipsum, quod sicut, &c.*

Ex manifestatione superiori per exempla infert definitionem eandem, velut aliqua ratione probatam, infert etiā eam, ut alijs exēplis habitudines aliorū casuum exprimentibus declaret: magnum enim ad aliquid dicitur, & simile, & reliqua: subiunxit etiā accubitum, stationem, & sessionem esse ad aliquid, & probat, quia sunt positiones, positio vero ad aliquid est: at ipsorum concreta, scilicet sedere, stare, non sunt ad aliquid.

Dubiū primū. Dubitabis, quare id dicit Aristoteles, de concretis. Respondent Ammonius, & Simplicius, quia concreta sunt alterius prædicamenti, scilicet situs, abstracta vero huius: & posset quis decipi, existimās, etiam ista poni in hoc prædicamento, cum eorum abstracta collocentur. Notantque unum isti Doctores maximè aduertendum, non semper abstractum, & eius concretum ad idem pertinere prædicamentum, nam locus, & tempus sunt in quantitate, tamē esse in loco est aliud prædicamentum, s. ubi: & esse in tempore est aliud, s. quando, quæ duo prædicamenta sunt denominatiua ab illis.

Dubiū secūdū. Dubitabis quare statio, sessio, ad aliquid sunt, non autem sedere, & stare. Respondent ēt isti Doctores, quia abstracta non includūt subiectū ipsum, sed tantum habitudinem ad illud dicunt, quæ ad aliquid est: at ipsa cōcreta non habitudinem, sed subiectum ipsum, & substantiam dicunt. Hęc omnia intellige iuxta definitionē assignatā: an enim ita sit secundum definitionem exactam Aristotelis, quam in fine tradit, postea examinabimus.

Inest autem contrarietas in his: quæ sunt ad aliquid &c. 4

Hæc est secūda pars capitis, in quarta ea, quę huic prædicamento insunt, Aristoteles ponit, & enarrat: incipit autem à cōmunibus, hæc enim est doctrina, quam ipsemet docet 1. Phys. ca. 7. vt primum communia, deinde propria tradantur. Conuenit igitur his, quæ ad aliquid sunt, habere contraria: hoc autem exēplis manifestat, virtus enim vitio, & ignorantiæ scientia contraria est: at hoc, inquit, in omnibus, quæ ad aliquid sunt, inest; duplum enim non habet contrarium, nec dimidium, & tamen ista ad aliquid sunt.

Dubiū primū. Posset quis non immerito obijcere, superius enim in quantitate dixit Aristoteles magnum, & paruum non esse contraria, quia sunt ad aliquid: quo igitur modo hic docet, ea, quæ ad aliquid sunt, esse contraria? nec

potest

potest dici, hic loqui de contrarietate large, ut complectitur quamcunque oppositionē, sic enim non diceret, aliqua non habere contrarium, cum constet, omnia quæ ad aliquid sunt, relatiue opponi: loquitur ergo de cōtrarietate propria, de qua in alijs prædicamentis loquutus est.

Aduerte, istos respectus, qui ad aliquid sūt, semper esse simul cum alijs accidentibus absolutis, a quibus procedunt: ut similitudo est cum qualitate, magnum cū quantitate &c. Vnde dupliciter possunt cōsiderari: uno mō, secundum illos respectus puros, & ut ad aliquid sunt, & tunc non habent contrarium: & hoc est, quod dixit capi. de quantitate: altero modo secundū illud accidens, cui copulātur, quod fundamentum uocatur, & tunc si illud habuerit contrarium, dicetur istud habere cōtrarium: si uero non habuerit, dicetur istud non habere, & quia non omnia accidentia in quib. ad aliquid fundatur, contraria habent, iō dicit aliquā habere, nempe ex illis, quæ in qualitate fundantur: aliqua uero non habere, scilicet illa, quæ in quantitate inuituntur: ita docet Simplic. & Ammon. & bene; cuius signum est, quòd quando contraria assignat, non ponit correlatiua: ut scientia non contrariatur scibili, sed ignorantiæ: uirtus non contrariatur ei, cuius uirtus est, sed uitio, non ergo, ut adinuicem referuntur, contrarietatem habent, sed vt secundum se, & in fundamento sumuntur.

Dubiū secūdū. Dubitabis, quomodo in hoc prædicamento scientiam uirtutem, & alia collocet, cum tamen hæc in quarto prædicamento constituantur. Respondet Ammon. non id ex propria sententia fecisse, sed simulanter ad labefactandam illam definitionē, ex qua sequitur, ista in hoc prædicamēto esse. At uero aliter respondet Simplic. & Boet. in pręsenti, & Alber. tractat. isto capit 4. quod maximè notandum est: asserunt enim, ista & in hoc prędicamento, & in alijs esse, non. n. est inconueniens, quod una res secūdum uarias rationes, & considerationes, ad varia pertineat prędicamenta: sciētia enim ignorantia, virtus & reliqua, vt secūdum se sumuntur, & subiectum ipsum perficiunt, & disponunt, qualitates sunt, & ad quartum prædicamentū pertinēt: ut vt ad obiectū suū referuntur, secūdū tales habitudines, & respectus in prædicamento isto, collocantur: sed harum opinionum iudicium postea in disputatione proferetur.

Videntur autem magis, & minus ea, quæ ad aliquid sunt, suscipere &c. 5

Hæc est secunda ipsius ad aliquid proprietas, s. suscipere magis, & minus, quam exemplari inductione manifestat; simile enim, & dissimile, æquale, & inæquale ad aliquid sunt tamen suscipiunt magis, & minus: unū enim alio magis est simile, & magis dissimile: æquale, uel inæquale, magis, uel minus.

Hic aduerte, quando audis, ista esse ad aliquid, ne intelligas ista esse ad aliquid ad inuicem: aliud enim est, esse ad aliquid, seu quæ alii uocant, relatiua, & esse ad aliquid, ad se inuicem, quod alii uocant correlatiua: relatiua enim, seu ad aliquid dicuntur plura, quorum singula ad aliud dicuntur, non tamen unum ad alterum inter se, ut patet, duplum, simile, relatiua sunt, seu ad aliquid, quia dicuntur unum ad aliud, non quidem inter se, sed singula ad suum proprium terminum: pater enim ad filium, duplum ad subduplum: simile ad simile: correlatiua uero, seu ad aliquid adinuicem dicuntur, quorum unum ad alterum dicitur, sicut pater, & filius sunt correlatiua: per ista intelliges exempla numerata esse relatiuorum, sed non correlatiuorum.

QVAESTIO III.

An relatio suscipiat magis, & minus.

Dubiū primū. DVbitatur, an suscipere magis, uel minus, competat relatiuis, ratione fundamenti, sicut habere contraria: an ratione naturæ propriæ, ita ut in quantum ad aliquid sunt, magis uel minus, suscipiant. Hoc dubiū est principale, & dignū consideratione, prius tamen sunt explicanda uerba, quæ post ista sequuntur: inquit enim Aristot. non omnibus hoc inesse relatiuis, duplum enim magis, uel minus non recipit.

Prima opin. Ad dubium igitur respondet Alber. tract. isto ca. 5. Simplicius, Ammonius, & Boet. & tandē est sententia cōis, relatiua suscipere magis, uel minus, non sui ratione, sed fundamenti: quod si eis obijcies, aliqua fundamenta non suscipere contraria, ut quantitas, in qua ęquale, uel inęquale fundantur, non suscipit magis uel minus: ipsum tamen æquale, &

& inæquale magis suscipiunt: Ad hoc non eodem modo respondent: Boetius enim, & Simplicius dicunt æquale, & inæquale esse passiones quasdam, & qualitates ipsius quantitatis: & quantitas secundum se non suscipit magis, vel minus, sed secundum has qualitates: & iudicio meo, isti Doctores hoc sibi volunt, quod relatio non est, quæ magis, vel minus denominatur, sed quãtitas per has relationes, quæ qualitates ipsius sunt: quantum enim vnum est magis, vel minus inæquale alteri.

Ista opinio non absoluit dubium, nec respondet quæstioni, nam eodem modo qualitas non suscipit magis, uel minus, sed subiectum per eam: vnum enim est magis alteri simile subiecto per albedinem, & tamen hoc non obstante, asserimus, qualitati à se, & non à subiecto conuenire suscipere magis: esset ergo idem dicendum de relatione.

Secunda opin. Alber. tract. isto. c. 5. aliter respondet, dicit enim quãtitatem aliquo modo suscipere magis: vel minus: una enim maior, altera minor est, & hoc sufficit, vt ab ea relatio æqualis, vel inæqualis suscipiat magis, vel minus.

Sed nec hoc plenè satisfacit, nam cum magis, & minus in relatione sit intensiue, & magis, & minus in quantitate sit extensiuè, videtur, non relationi à fundamento, sed à se, id inesse.

Tertia opin. Ammonius aliter etiam respõdet inquiens æquale, vel inæquale non suscipere propriè magis, vel minus, sed impropriè, & abusiuè, quod enim propriè magis, & minus suscipit, cum suo contrario miscetur; vt album, quo magis est cum nigro mistum, minus est album, quo verò minus, magis est album: at æquale, & inæquale non miscentur illo modo: æquale. n. nihil habet inæqualitatis, nec inæquale aliquid participat æqualitatis. cũ æqualitas consistat in indiuisibili, à quo recedere, non iam æquale sit; & inęquale nihil participat ęqualitatis, dum inæquale manet, improprie tñ est, illud magis, & minus, quomõ ęquale etiam vocamus, quod nõ multum distat ab æqualitate propria. Hæc ex Ammonio.

Quarta opin. At si hoc altius consideramus, inueniemus, Architam, vt refert Simplicius, existimasse, suscipere magis, uel minus, inesse ipsis relatiuis, vt relatiua sũt, & nõ ratione fundamenti, vnde Architas ipse non assignauit illud, habere contraria in his quæ ad aliquid sunt: posuit tamen hanc proprietatem, suscipere magis: illa enim proprietas non relatiuis a se, sed a fundamento inerat, hæc vero ipsis secundum se competit.

Et hæc opinio probatur argumento, iudicio meo, satis conuincenti. Si non suscipit relatio magis, vel minus, nisi ratione fundamẽti, sequitur, quoties fundamẽtum suscipit magis, ꝙ & ipsa relatio suscipiet magis, & quoties fundamentũ suscipiet minus, & ipsa relatio suscipiet minus: & quoties fundamentũ, nec magis, nec minus est susceptiuũ, nec ipsa relatio suscipiet, sed videmus totũ oppositũ, patet. Sint duo alba, vnũ intẽsum, ut octo, alterũ intensum ut quatuor, ista sunt similia, tunc sumo similitudinẽ illius, qđ est vt octo, & pono ꝙ albedo remittatur, & fiat vt septẽ, tũc similitudo est maior, & illud magis simile: & si fiat, ut sex, magis erit simile, & si fiat ut quatuor, multo similius. Præterea sint duo alba vt quatuor, ista sunt, maxime similia; augeatur, & intẽdatur unũ, & fiat, ut quinq; tũc minus erũt similia, & quo magis unũ intẽditur, tanto in eo minus suscipit similitudo. Præterea æquale, & inæquale, magis suscipiũt, tamen non ratione fundamenti, quia fundamentum, vel non suscipit, uel multo aliter suscipit, scilicet extensiue, inæquale vero intensiuè suscipit.

Rñsio ad dubium. Propterea existimo esse dicendum, Dupliciter posse intelligi, relationem suscipere magis, uel minus, ratione fundamenti. Vno modo, ut non habeant aliam intẽsionem, nec suscipiant magis, uel minus, aliter, quàm suum fundamentum, sicut non habẽt contraria, nisi contraria fundamenti: ita ut non illa relationi, sed fundamento contraria sint, ut aliqui intelligunt, & iste sensus est falsissimus, ut argumenta superiora euidenter probant. Altero modo, ꝙ non suscipiãt, magis, uel minus, per solam sui mutationem, sicut qualitates, ut albedo, nigredo, & alia, quæ sola sui mutatione intenduntur, at ista intendantur, & remittantur per mutationem fundamenti aliquam, licet non sit suscipere magis, uel minus, sicut in quãtitate ubi est maius, & minus, fit magis uel minus, æqualis, uel inæqualis, ex mutatione quantitatis, quia uel augetur, uel minuitur, & iste sensus est uerissimus, & intentus ab Archita, & Metaphysico dignus.

Patet igitur, relationes in se, & secundum se, magis, uel minus suscipere, non tamẽ sine

aliqua

aliqua subiecti, seu potius fundamenti mutatione, & variatione, nec ista est sicut prima communitas suscipiendi cōtraria; & hoc docte aduertit Caietanus, & est maxime memoriæ mandandum.

Dubiū secūdū. Dubitatur, Si relatiua suscipiunt magis, uel minus, secundum se, & non secundū fundamentū, quæ igitur relatiua non suscipient magis, uel minus? ad hoc dico, relatiua quamuis in se magis, & minus recipiant, non tamē id fit, nisi aliqua fundamenti variatione comitante. Sunt autem quædam accidentia relatiua, quæ non ex solo fundamento procedunt, sed ex fundamento vnico modo inuariabili se habente procedunt, vt duplum, triplum, & alia, quæ ex quantitatibus sic se habētibus cōsequuntur, scilicet, quod una alteram, bis, aut ter adæquate cōtineat; & tales nō suscipiūt magis, nec minus, quia variato fundamento ab illa vniformitate, destruitur relatio. Quædam alia procedūt, ex fundamento, sed non vno mō, & inuariabili se habente, vt similitudo ex duobus albis vtcunq; se habentibus fluit, & inæquale ex quantitate, & ista variato fundamento magis, uel minus recipiunt.

Dub. ū tertium. Dubitatur præterea, nam hoc pacto æquale nō susciperet magis, nec minus, quia æqualitas oritur inter duas quantitates indiuisibili modo se habēres, ita ut neutra ab altera excedatur, nec excedat; dico facilè, non hic in tanto rigore sumi æquale, sed abusiue, ut etiā quod accedit ad proxius æquale, dicatur æquale, & quod magis accedit, magis æquale.

6 *Omnia autem quæ sunt ad aliquid ad conuertentiam dicuntur &c.*

Hæc est tertia proprietas relatiuorum, scilicet correlatiua dici ad conuertentiā, & diutius immoratur in ista, quam in aliis, facitque quatuor. Primo eam exēplis explicat. Secūdo ostendit, quomodo in eas contingat errare. Tertio adhibet remedium cōtra errorem. Quarto docet canonem obseruandi, quando ad conuertentiam dicantur.

Aduerte igitur non hic de conuertentia duorum terminorum æqualium, qua ab uno ad alterum, ualet illatio, agi, quam aliqui uocant conuertibilitatē, ut notat Alber. trac. isto. c. 6. nec similiter de conuertentia duarū propositione qua ab una ad alteram, transmutatis extremis, licet argumētari, quæ cōuersio uocatur, sed est sermo de natura illatione qua correlatiua se ita habent, non in unum de alio prædicetur, sed ut unum per habitudinem ad alterum exprimatur, & adinuicem cōferantur: quod exemplis manifestat Aristoteles: seruus, est heri seruus, & herus est serui herus: duplum est dimidii duplum, dimidium est dupli dimidium. Notatq; Aristoteles vnū in ista conuertentia, quamuis correlatiuorum habitudo mutua sit, tamen non semper secundum locutionem est idem casus, aliquando nunum per genitiuum, alterum uero altero casu refertur, ut scientia est scibilis obiecti scientia, scibile autem est scientia scibile, uel per scientiam: sensus est, sensibilis rei sensus; sensibilis uero res est sensu, uel per sensum sensibilis: idem in multis alijs euenit.

7 *At uero aliquoties non uidebitur conuerti &c.*

Hæc est secunda particula, in qua docet istam conuertentiam mutuam deficere, quādo non est conueniens correlatiuorum assignatio, idest, quando unum alterius non est proprium correlatiuum: exemplo manifestatur, ala, & auis, non ad conuertentiam dicuntur mutuo. quamuis enim uerum sit, auis est ala auis non tamen ala est auis ala, quia multa habent alas, quæ tamen aues non sunt: hæc autē conuertentia non fit, quia non sunt correlatiua uera: hæc enim sunt ala, & alatum, & tunc est conuertentia, ala est alati ala, & alatū est ala alatum: nā uespæ & apes, & formicæ alatæ sunt, non tamen aues sunt; patet ergo quoties conueniens assignatio fit, correllatiua dici ad conuertentiam.

Aliquoties autem forte & nomen fingere necesse erit, &c. 8

Hæc est tertia particula, in qua docet remedium ad conuertentiam faciendam: multoties enim non potest fieri ista nominū correlatiuorum assignatio, & accommodatio, ratione defectus nominum, quia unum correlatiuum habet quidem nomen, sed non alterum; uerbi gratia, remus, & triremis: triremis enim rem triremis est, non tamen è contra, remus est triremis remus, cum alia à triremibus remos habeant: tunc autem uult Aristoteles, ut in tali nominum defectu ad conuertenda

uertentiam assignandam, nomen fingamus: quo apte correlatiuum explicetur, vt remus est remiti remus. Similiter,inquit, caput,& animal,non conuertuntur: non enim animal est capite animal, cum animalia sunt caput non habentia,vt vermes,cōchylia,cancri: licebit ergo fingere capitatum, & tunc conuertentur,caput est capitati caput, capitatum est capite capitatum. Aduerte græcè non temus est,sed pedalion, quod est clauus, temo, seu gubernaculum,quo nauis gubernatur: Boet. vero transtulit remum, vt simili vteretur exē plo in latina lingua,sed nihil refert.

9 *Sic autem fortasse facillime quis sumet, &c.*

Tradit regulam, qua modus nomina fingendi ostenditur. Inquit,ab illo nomine,cuius correlatiuum assignandum est,esse sumēdum denominatiuum comprehendens omnia,quia illud nomen participant. Verbi gratia,volo assignare correlatiuum capitis,quod non est impositum, tunc a capite sumendum est denominatiuum s. capitatum, quod omnia ea, quæ capite prędita sunt, comprehendat, idem in alijs obseruandum est: ex quo infert omnia ad aliquid dici ad conuertentiam, si corū fiat conueniens assignatio. Hæc omnia exempla vult. Ammon. non esse ex propria sententia,sed ex aliena ad repellendā aliorum definitionem, ex qua ista sunt ad aliquid, caput, manus,clauus, quæ tamen substantiæ sunt,& probat Ammon. ista vere non esse ad aliquid, quia eorum, quæ ad aliquid sunt,vno destructo alterum non consistit, at manus, caput, & reliqua abscissa ab eo cuius sunt, etiam dicuntur manus, & caput. Sed posset respondere Ammon. ista æquiuocè tū dici caput,& manus, vt docet Aristotel. 2. de Anima.ca. 1. & lib. 1. de partib. cap. 1. de hoc tamen dicetur postea.

10 *Dico autem neque eorum, quæ indubitanter, &c.*

Hæc est quarta particula, in qua Aristote. ostendit non solum non fieri conuertētiam, quando defectu impositionis nominum non sit conueniens correlatiuorum assignatio, sed etiam non fieri, quando etiam si nomina imposita sint, tamen non assumitur nomen habitudinem explicans, verbi gratia. Si quis dicat, pater est, ergo hominis pater est, non valet, nō quia nomē correlatiui deficiat, sed quod non assumatur illud nomen, secūdū quod uere est relatio. s. pater est filij pater, in quo docemur in conuertentia non solū correlatiua,sed etiam nomina ipsa talē correlationem significantia esse sumenda,quæ si sumātur,in omnibus erit conuertentia.

Subiungitque canonem ad obseruandum, Nota
an fuerit recta correlatiui assignatio. Pro cuius declaratione,aduerte,quod sicut in re una multæ aliæ coniunguntur, ita etiam varijs, vnum, & idem nominibus significatur: singula autem illud significant ab vnica speciali ratione,& forma,quę in illo est,idem enim dicitur homo animal,album,pater, legens,& reliqua. Ex quo sequitur, quod vnum correlatiuum posset multis nominibus assignari, ductis ab alijs,quæ in eo sunt: verbi gratia,pater est filii pater, & si filius est hō, hominis pater, colorati pater, studentis pater, tamen non omnia ista explicant rationem, secundum quam refertur pater, nisi filius,& propterea ab Arist. omnia illa accidentia vocantur,non ꝙ omnia accidētia sint,sed quòd accidant,& non sint de natura relatiui.

Canon autem est hic, ad cognoscendū, quòd sit uerè inter illa correlatiua obseruandum,an sit omnia alia remouerētur, & illud solum superesset, diceretur adhuc ad aliquid & esset conuertentia: quando enim id fit est correlatiuum,quando uero non, correlatiuū non est,v.g. pater est filij pater: si uolumus ergo cognoscere, an filius sit uerè correlatiuum,obseruare oportet,an remoto à filio, ꝙ sit homo, ꝙ sit albus,quod sit bipes, manēte hoc, quod filius sit, adhuc pater conuerteretur: & quia ita est,est uerum correlatiuum,tamen pater est hominis pater, & homo non est correlatiuum, quia remotis omnibus alijs ab homine.s.quod sit filius, albus, & reliqua, non conuerteretur pater. Hæc, exemplo, de domino,& de aue, manifestat Aristoteles.

Videntur autem ad aliquid simul esse natura, &c. 11

Hæc est,quarta proprietas corū, quæ sunt ad aliquid,ut sint simul natura,& unum absque altero minimè possit existerē, ut duplū nō est sine subduplo,nec pater sine filio. Aduerte ex Aristot.ca. 13. horum prædicamento-

to-

torum, duo esse necessaria, vt aliqua sint simul natura. Alterum, vt ab vno ad alterum mutua sit consequentia, quantum ad eorum existentiam, vt si pater est, est etiam filius. Alterum, vt neutrum sit causa alterius: defectu prioris, homo, & animal non sunt simul natura: nec vniuersaliter inferius, & superius: defectu vero posterioris, sol, & lux non sunt simul natura, quia sol est causa lucis: vtraque tamen hæc in correlatiuis obseruantur, valet enim, ab vno ad alterum: & vnum alterius non est causa.

Dubiū. Dubitatur. Pater, & filius, causa, & effectus, sunt correlatiua, tamen vnum est ante alterū & vnum est causa alterius: pater enim est ante filiū, & causa est causa effectus: ergo non sunt simul natura. Pro hoc nota, duo esse in his, quæ ad aliquid sunt: alterum est ipsa forma relationis, secundū quam ad aliud sunt: alterum ipsum fundamentum, & subiectum, cui talis relatio inest, & ipsum denominat. Igitur secundum relationis formam nullum relatiuum antecedit suum correlatiuū, nec eius est causa, non enim est prior relatio paternitatis, nec prius aliquid dicitur pater, quam relatio filiationis, & quam aliquid dicatur filius, nec similiter vnū est alterius causa, cum sit mutua vtriusque dependentia à se inuicem: & hoc est, quod hic docet Aristot. At secundum fundamentū, & subiectū nihil vetat, q vnum sit prius altero, & causa eius,
21 vt argumentū probat, ille enim hō, qui pater dicitur antecessit hoīem, qui filius est. Similiter & res, quæ est causa, præcessit eā, quę est effectus, non tamen prius fuit pater, & prius fuit causa, quàm fuerit filius, & quàm fuerit effectus: ita docet Ammon. & bene. & Alber. tract. isto. c. 7. inquit, relatiua esse simul natura, idest, forma relationis: nam secundum naturam eorū, quæ referuntur nō sunt simul. Simpl. cum Archita asserit, relatiua esse ad inuicem sibi causas, ut pater est causa, ut sit filius, & filius causa ut sit pater: tñ diximus iam ex Arist. correlatiuorum unum non esse alterius causā, quāuis & illud sit probabile.

22 *Non autem in omnibus relatiuis verum videtur, &c.*

Hanc correlatiuorum proprietatem non vniuersalem esse contendit, manifestatque duplici instantia, aliqua correlatiua non esse simul natura. Primo in scientia, & scibili, quę correlatiua sunt, tamen scibile est prius scientia, qđ probat dupliciter. Primo quia à rebus ipsis p̄existentib. scientiæ acceptæ sunt, ergo res scibiles p̄cesserunt scientias. Secundo, scibili ablato aufertur sciētia, at scientia ablata nō tollitur scibile, ergo non sunt simul. Consequentia est certa ex hoc, quod diximus, simul natura esse simul existentia. Antecedens dupliciter probatur. Primo, quod ablato scibili auferatur scientia: scientia non pōt esse sine obiecto, sed ablato scibili aufertur obiectum, ergo sine scibili non est scientia. Secundo uerò, q ablata sciētia nō auferatur scibile, patet. primo, quia multa scibilia sunt, quorū scientia nondū est inuenta, quadratura enim circuli apud Geometras scibilis est, tamē nōdum eius est scientia. Præterea, scientia auferri potest ablato homine, in quo est scientia, sed etiam si homo non esset, manerent multæ res scibiles: non ergo, scientia aufert scibile, & sic simul natura non sunt.

Circa hoc aduerte uerba Arist. inquit enim. A rebus ipsis iam existentib. sciētias accepimus, in paucis enim, aut nullis res scibilis, & scientia simul sunt. Posset esse dubiū de sensu horum uerborū. Boet. inquit, hic loqui Arist. de scientia, qua res impossibiles, & imaginarias cognoscimus, hæc enim cognitio simul est cum re cognita, nec sunt res scibilis ante scientiā, sed quia istæ scientiæ sunt raræ, & impropriæ propterea dixit (in paucis, aut in nullis.) Hæc ratio est & Ammon. & Simpl. Dubiū.

Aliam etiam huius declarationem affert Ammon. & Alber. tract. isto. cap. 7. pro quo, aduerte id, quod in quæstione quadā proœmiali diximus, scientias esse in duplici genere. Quædam sunt speculatiuę per quas solum res cognoscimus, & hæ sunt posteriores rebus, quia à rebus sumptæ sunt. Quædam alię sunt scientiæ practicæ per quas non solū res cognoscimus, sed etiam eas operamur, & istę sunt priores reb. scibilib. cum sint ipsarū causæ: propter has, inquit Ammo. & Alber. dixit Arist. in paucis sciētiam, & scibile esse simul: at quia aliquo modo in practicis etiā res precesserunt, propterea dicit (in nullis.)

Sed dices, Scientia practica prior est re scibili, non ergo scientia, & scibile simul sunt. Respōdent, sumendum esse scibile per intellectū, ac si dicat, simul fuit scientia, v.g. scamni, cum ipso scamno faciendo cognito. Aliam huius interpretationem addit Simpl. hic loqui

qui Arist. de scientia intelligētiā, quę simul est cū ipso scibili, quælibet, n. se cognoscit tan quā scibile: quæ cū paucę sint, & a multis negatę, ppterea dicit (in paucis, aut in nullis.) Quęlibet harū interpretationū est bona, sed non parua in hoc, & sequēti exēplo est difficultas, quam in disputatione elucidabimus.

13 *Similiter his se se habent ea, quæ de sensu sunt, &c.*

Altera instantia manifestat Arist. non omnia correlatiua simul esse: hæc autem est de sensu & sensibili, quæ correlatiua sunt, tamē simul non sunt, Probatur. Sensibili ablato sensus aufertur, sed sensu ablato non aufertur sensibile: ergo non sunt simul, sed vnum est altero prius. Loquitur autem hic de sensibili passiuè, pro eo quod sentiri potest.

Notab. Probatur antecedens dupliciter. Pro cuius declaratione aduerte, sensus esse in corpore, vt in subiecto, visus enim est in oculo, auditus in aure, & reliqui in corpore subiectantur, & circa corpus sunt tanquam circa obiectum, quod enim sentimus corpus est; unde & corpus est sensibile. Sensus tamen, quamuis in corpore, ut in subiecto sint, non tamen in quocunque, sed in corpore animalis: quamuis, corpus quod sentitur, sit non solum animal, sed etiā alia omnia, unde corpus, quod sentit, animal est, corpus, sensibile, idest, qd sentitur, & animal, & alia corpora sunt.

Est modo primum argumentum. Ablato sensibili aufertur quodcunque corpus, & animal, sed ablato animali aufertur sensus, ergo de primo ad vltimum, ablato sensibili aufertur sensus, non tamen è contra, ablato sensu aufertur sensibile: nam ablato animali auferatur sensus, tamen ablato animali, non propterea auferuntur reliqua corporea, quæ sensibilia sunt. Vis huius rationis hæc est. Ablato superiore aufertur inferius, & eius proprietas; non tamen ablato inferiori aufertur superius cum proprietate, sed sensus est passio animalis, quod est inferius corpore, cuius corporis passio est sensibile: ergo ablato animali cum sensu, non aufertur corpus cum sensibili, his vero ablatis, auferuntur illa, ergo non sunt simul. Posterior ratio est. Sensus non est nisi quando animal est, sed ante animal sunt illa, ex quibus animal fit, s. elementa, quæ sensibilia sunt, ergo sensibile est prius sensu.

Habet autem dubitationem, vtrum nulla substātia ad aliquid dicatur, &c. 14

Ista est tertia capitis pars, in qua Arist. mouet dubium quoddam ad ostendendam insufficientiam definitionis prioris. Dubiū autem est: vtrum nulla substantia sit ad aliquid: Circa quod, diuidit substantiam quadrupliciter, & in primam, & secundam, in partes primæ; & in partes secundæ substantiæ: verbi gratia, homo, quidā homo, caput, quoddam caput: quo supposito, docet primas substantias, & earum partes ad aliquid non dici, non enim dicimus, quidā homo est alicuius quidā homo: nec qddam caput, dicitur alicuius quoddam caput, sed tantum alicuius caput. Similiter id etiam manifestum est in secūdis substantijs: homo enim non dicitur alicuius homo, nisi per modum possessionis: quo pacto dicitur equus alicuius est equus: sed tunc non refertur, vt substantia, sed vt res possessa: at de partibus substantiarum secundarum est ambiguum, quia videntur ad aliquid dici, caput enim alicuius est caput, & manus alicuius est manus. Ad quod respondet, Arist. si in definitionem præcedentem sequi, illas esse ad aliquid necessario, cum ad aliud dicantur, quod tamen absurdum iudicat, cū tales partes substantiæ sint, vt superius dictum est.

Si autem non sufficienter, sed subit ad aliquid, &c. 15

Hic suam definitionem proponit, secundū quā nulla substantia aliquid est; definitio vero talis est, ad aliquid sunt, quibus hoc ipsū est esse, ad aliquid aliquo modo se habere. i. quorū natura est ad aliquid, aliquo mō se habere.

Est autem discrimen inter hanc, & illam definitionem: hæc enim dicit, naturam eorū quæ ad aliquid sunt, esse ad aliud se habere: illa autem dicit, ad aliquid esse, quæ dicuntur ad aliud. Possunt autem multa ad aliud dici, & cum alio conferri, quæ tamen non secundum naturam suam sunt ad aliud: possumus enim hominem cum alio conferre: homo tamen secundum naturam suā ad aliud non est: quæ igitur verè ad aliquid sunt, secundum naturam ad aliud sunt: cum igitur partes substantiarum secundum suam naturā substantiæ sint, & ad aliud non sint, non pertinent ad aliquid.

Ex

9 Ex qua definitione Arist. veriũ correlatiuũ infert, scilicet unum relatiuum definite non posse cognosci, quin alterũ correlatiuum definitè cognoscatur; quod dupliciter probat. Primo, ratione ex definitione sumpta: nam natura eorum, quæ ad aliquid sunt, est ad aliud: ergo non cognoscitur natura talis, quin cognoscatur illud etiam aliud, ad quod refertur. Probat secundo inductione exẽplari, vt de duplo, & alijs: si quis enim cognoscat determinate aliquod duplum, & determinatè cognoscet dimidium, cuius est duplum. Similiter si quis cognoscit aliud esse melius determinate: necesse est cognoscat id, quod eo deterius est. Nec satis est, ad cognoscẽdũ, hoc esse melius, cognoscere aliquid deterius esse in communi, & indeterminatè, sed cognoscere hoc certo, quod eo deterius est. Potest enim esse, quod aliquid sit deterius, sed non illo deterius. Propterea si determinate hoc melius esse cognoscere debemus, oportet, vt id determinate, qđ illo deterius est, cognoscamus. Nec sufficit cognoscere deterius in communi, ista enim est cognitio confusa, & opinio: potest enim esse aliquid deterius, sed non illo.

Dubiũ. Prima opiũ. Dubitatur, quid est definitè cognoscere relatiuum. Auerr. Alber. & Sanctus Tho. existimant definite cognoscere esse cognoscere per definitionem quidditatiuã, ut sit sensus, qui quidditatiue vnum relatiuum cognoscit, & correlatiuum necesse est quidditatiue cognoscat: hæc doctrina vera est, sed non admodum ad mentem Aristotelis.

Secũda opin. Potius dicẽdum est cum Boet. definitè cognoscere, esse determinate, & particulariter cognoscere: verbi gratia, duplum dupliciter consideratur. Vno modo in communi, vt duplum est, & tunc qui duplum cognoscit, satis est cognoscat dimidium in communi. Altero modo potest cognosci duplũ aliquod particulare, scilicet hoc duplum, quod est octo ad quatuor, & tunc ut cognoscamus octo esse duplum, quod est determinate cognoscere, & definire, non satis est cognoscere dimidium in communi, sed quatuor esse huius dimidium: & imitamur exemplo Aristo. quod non bene a multis intelligitur. Vt maius, seu melius determinate cognoscatur, scilicet, hoc melius, non satis est cognoscere deterius in communi, nam ex cognitione deterioris in communi, scilicet aliquid est deterius, non cognoscimus hoc esse melius, nisi cognitione inceta, & opinatiua; Oportet enim cognoscamus definite illud deterius, qđ illo meliori est deterius: aliter enim posset cognosci deterius in communi, & si nullũ necq; particulari deterius illo, profecto illud non diceretur melius. Hanc interpretationem ualde considera.

Caput vero, & manus, & eorum singula, &c. 16

Ex hac proprietate relatiuorum, necessario colligit partes substantiæ ad aliquid non esse. Patet, nam manum, & caput definite cognoscere non possumus, quin cognoscamus particulariter, & distincte ea, quorum tales partes sunt: nõ possumus enim caput animalis cuiusdam, caput esse cognoscere, quin illud animal cognoscamus: præsertim quando caput uidetur, occulto animalis corpore, uel cum animalis species incognita est, tunc enim caput etiam uniuersaliter cognoscitur ignorata specie illa, cuius caput est.

Ex quo dissoluitur dubium, scilicet nullam substantiam esse ad aliquid. At quia illa definitio prior cõiter recepta erat: hæc aũt nouiter inducta, non probata, inquit Arist. difficile esse in his maxime obscuris, & receptis quicquã asserere absque probatione: tamen saltem recipiatur ista per modum dubitationis: nõ enim, parum est utile in illis bene dubitasse, atque hæc circa textus interpretationẽ.

QVAESTIO I.

Vtrum ad aliquid sit speciale genus entis.

POst textus interpretationẽ, ut moris est, ea quæ grauiora dubia sunt, & quæ magis naturam eorum quæ consideramus, aperiunt, tractabimus. Ac primo circa ipsum ad aliquid. Posterius circa dubia ex verbis Arist. & sensu procedentia, uersabimur.

Est igitur prima quæstio, An sicut substantia est quoddam entium genus ab omnibus alijs distinctum, & similiter quãtitas est aliud genus, qualitas, & reliqua, ita sit ipsum ad aliquid, de quo diximus.

Argumẽta in contrarium. Primũ argum. Videbitur autem genus aliquod non esse propter rationes sequentes. Prima, id quod nunquam per se sumitur, sed cum alijs, immo omnibus rerum naturis coniunctũ, & commixtum, non facit per se unũ genus, sed

huius.

huiusmodi est ad aliquid: ergo nō est vnum distinctum ab alijs genus. Maior est nota, cū consequentia. Minor probatur, quia relatio modo est cū quantitatibus, vt æquale, magnū, duplum; modo cū qualitatibus, vt simile, dissimile: modo cum actionibus, vt pater, causa; modo cum alijs, ergo nunquam per se est.

Secūdū arg. Secundo. Id quod non est in rebus, sed solum habet esse per intellectus operationem, non pertinet ad genus aliquod entis, quia hic considerantur entia realia, quæ habent esse præter operationem intellectus; vt substantia, quantitas, & reliqua. At ipsum ad aliquid non est in rebus, nisi per operationem intellectus, ergo nō est inter ea, quæ sunt genera entis. Minor patet, quia similitudo æqualitas, & reliqua, non videtur aliud habere esse, quā per operationem intellectus cognoscentis, & vnū alteri comparantis. Tertio. Omne quod est, vel est subiectum, quod est substantia, vel est in subiecto, quod est accidens: sed ad aliquid nec est subiectum, cum non sit substantia, nec est in subiecto, cum relatio, ut relatio non sit in alio esse, sed ad aliud esse: ergo nec est accidens, nec substantia, & ita non est entis genus. Quarto. Genus omne habet differentias, species, & genera subalterna: sed istud ad aliquid hæc non habet, ergo non videtur esse genus: nec enim apparēt species, nec differentiæ, nec has explicat Arist. non ergo est genus aliquod entis peculiare distinctum ab alijs.

1. opin. Circa hāc difficultatem fuit antiquorum opinio ante Arist. & Platonem, cuius meminit Auer. 5. Metaph. com 20 quam ca. 1. huius tract. ascribit Zenoni. Hi existimabant, ad aliquid non esse peculiare aliquod genus, sed multis mistum, & ex uarijs congestum, quorum rationes superius aliqua ex parte principio proposuimus. Altera fuit opinio Arist. & Platonis, & reliquorum omnium, ad aliquid esse vnum quoddam genus ab alijs omnibus distinctum, & diuersum. Secunda opin.

Primū fund. Pro horum declaratione, ne per ignota procedamus, erit primum fundamentum hoc. Quemadmodum ab hac intrinseca proprietate, quæ est per se esse, omnis substantia in vniuersum dicitur substantia; ita similiter ab hac intrinseca, proprietate. s. esse in subiecto, quæ dicitur inhærentia, omne accidens dicitur accidens: & sicut omnis substantia, per se est, ita omne accidens in subiecto est, & inhæret. Accidentia tamen dupliciter inhærent, & in subiecto sunt; quędam insunt in subiecto, ita vt non ordinent subiectum ad aliquid aliud extra ipsum subiectū, vt albedo, & quantitas insunt subiecto, non tamen ut ipsum ordinent ad aliquid extra se; & ista accidentia dicūtur pure absoluta. Quædam alia insunt in subiecto, ita ut ipsum per se ordinent ad aliquid, aliud extra ipsum; vt sciētia inest animæ, ut cognoscat per eam res alias, similiter potentia visiua inest oculo, ut ipse oculus alia extra se videat, & ista accidentia dicuntur relatiua.

Hæc autē sunt in duplici differentia, Quædam enim sic insunt subiecto, & ordinant ipsum ad aliud, vt tota eorum natura non sit ordinare ad aliud, sed ipsum subiectum in se afficere, & disponere, sicut scientia inest quidem animæ, ut intelligat tamen scientiæ natura præcipua non est ad aliud, sed ipsam animam perficere, & disponere in se: similiter habitus, potentia, & alia multa: talia accidentia dicuntur relatiua, secundum dici. Quædam alia, sic ad aliud subiectum ipsum ordinant, ut eorum tota natura, ut talia sunt, sit ad aliud subiectum ipsum afficere, ut paternitas, & alia, quæ dicuntur relatiua secundum esse.

Hæc autem relatiua secundum esse, dupliciter sumuntur, uno modo ut sunt in ipsis rebus, altero modo, ut a nobis cognoscuntur, quādo unū alteri cōparamus. Ista autē relatiua, ut in rebus sunt dicuntur ad aliquid, qđ nomen Plato primus, ut dicitur, imposuit: ut uero a nobis cognitæ sunt, dicuntur magis propriæ relationes, quia intellectus unum alteri cōfert, & unū ad alterum refert; quamuis etiam inde tractum nomen, accipitur quoque pro illis, ut sunt in rebus. ut autem in intellectu sunt, dicuntur relationes conceptæ.

Ex his omnibus vnum infertur, quod ualde memoriæ mandandum est; accidentia non dici relatiua, nec secundum esse, nec secundū dici, per respectum ad subiectū: sic enim omnia essent relatiua, cū omnia subiecto insint, sed dicuntur relatiua per id, ad quod subiectum ipsum ordināt, quod dicitur terminus. Vnde multa sunt accidentia, quæ nec secundum dici, nec secundum esse, relatiua sunt, cū subiectum ad aliquid extra se non ordinent.

Secūdū fund. Sit secundum fundamentum. Hæc est natura eorum quæ sunt ad aliquid, ut nūquam insit subiecto: nisi medio aliquo accidenti abso-

absoluto, & simul coexistenti alio accidenti insit relatio alterius subiecti. Vñ ad relatiui existentiam, tria necessario concurrunt. Primum subiectum ipsum, cui inhæret, quod ab aliquibus dicitur fundamentum remotum. Secundum est illud absolutum accidens, ratione cuius inhæret, quod dicitur fundamentum propinquum. Tertium illud accidẽs alterius subiecti, in quod relatiuum terminatur, quod dicitur terminus: siue correlatiuũ, quod quidem est eiusdem rationis cum altero: habet enim & fundamentum, & subiectum: & illud etiam alterum, ut terminum; cum inter vtrumque sit mutua habitudo: verbi gratia, sunt duo alba vnum alteri simile, similitudo vnius in est corpori uni, vt subiecto, media albedine, vt fundmẽto; & dependet ab altera similitudine, vt a termino: hæc pariter similitudo inhęreret alteri corpori, vt subiecto, media eius albedine, vt fundamẽto, & ab illa similitudine adinuicem depẽdet, ex quo fit; vt cũ relatio & a termino, & a fundamẽto, & a subiecto dependeat necessario, horum quolibet destructo, & ipsa destruatur.

Vnde similitudo vnius albi, potest tripliciter perire, & recedente altero simili, & ipso corpore destructo, & ipsa etiam albedine mutata: quamuis non sit hoc vniuersaliter verũ de fundamentis, nisi quando fundamenta sunt permanentia, in successiuis enim nõ valet, vt fundamentum paternitatis est generatio, quę transit manente paternitate.

Hic tamen unum est maxime considerandum; relationes non ab omnibus his tribus æqualiter depẽdere: relatio enim duo habet, alterum, vt accidẽs est, & hoc est subiecto inhęrere, alterum, vt tale accidẽs est, s. relatiuũ, & hoc est ad aliud esse; vt accidens est, a subiecto suo necessario dependet: vt relatio est, à termino: Vnde Gilbertus dicebat, relationẽ vt relationem non habere esse infixũ, sed affixum, idest ad aliud fixũ: ratione uero utriusque a suo fundamento dependet: Verbi gratia, similitudo dependet ab albedine, & ut accidens est ipsa similitudo, quia uere nõ inhæreret subiecto, nisi albedine interueniente: & similiter, vt ad aliquid, & relatio est, ab illa dependet, quia talis similitudo non esset, nisi a tali albedine. Et hinc est, ut diximus, quod uariatis fundamentis; ipsæ etiam in se uariantur relationes, ut maxime patet in his relationibus, quæ consequuntur quãtitatem, ut duplum, triplum, in quibus fit mutatio ex uariatione fundamenti. Hoc dixerim, ut maximè attendamus fundamenta, ad distinguendas relationum naturas, quę ab eis per se pendẽt, tanquam à causa intrinseca.

Sit tertium fundamentum. Fundamenta harum relationum sunt tria in communi. Primum est quantitas, supra quam fundantur æquale, inęquale, & omnes proportiones Arithmeticæ, Geometricę & Mathematicarũ aliarum, similiter omnes relationes temporis, & loci. Aliud fundamentum est qualitas, supra quam fundatur simile, dissimile, amicus, inimicus &c. Tertium est actio, & passio, supra qua fundantur, pater, filius, causa, effectus, & alia multa. Tertiũ fund.

Hæc autem est triplex: quædã enim actio est naturalis, ut generatio, productio, denique omnis illa, quæ à natura procedit, quædam est artificialis, quales sunt actiones artificum; quædam uero sunt mentis, ut cognitionis, appetitus circa ter. Supra primas fundatur pater, filius, causa, effectus naturalis. Super secũdas omnes relationes, & habitudines quæ inter artificiata reperiuntur. Supra tertias, omnes Logicæ, & aliæ multæ, esse genus, speciẽ, esse magistrum, discipulum, doctorem, lectorem, & reliqua.

Sit quartum fundamentum, relatio in cõi duplex est, quædam realis, quædam rationis, realis est relatio existẽs in rebus absq; operatione intellectus, per quam unũ ad aliud est, ut paternitas, quæ est in aliquo homine sine aliqua intellectus operatione, per quã ad filium refertur: contra relatio rationis est, quę non est in rebus, nisi per operationem intellectus, ut animal dicitur genus respectu species sed talis relatio generis non dicitur, nisi per operationem intellectus. Quartũ fund.

Iterum relatio est duplex, quædã mutua quędã nõ mutua. Mutua est quando ex parte utriusq; extremi correlatiui est realis, uel rationis. v.g. pater refertur ad filiũ per paternitatẽ, quæ est relatio realis: similiter & filius refertur ad patrẽ per filiationẽ, quæ etiã est relatio realis. Itẽ genus ad speciẽ refertur per relationẽ generis, quæ est relatio rationis: & species refertur per speciei relationẽ, quę pariter est relatio rationis: relatio nõ mutua, est quãdo ex parte unius extremi est relatio realis, ex parte alterius uerò non est, nisi rationis. v.g. nos referimur ad Deum per rela-

tionem realem: & Deus ad nos per relationem rationis: quia nos sumus realiter serui Dei relatione in nobis existente: vt ipse Dominus noster dicitur, non quia habeat in se aliquod accidens reale, per quod dicatur dominus, sed quia cognoscimus, & cõparamus eum ad nos, qui sumus sui. Similiter scientia refertur realiter ad scibile, scibile vero non, nisi per intellectus operationem.

Iterum relatio est duplex, quædam æquiparantiæ, quædam disquiparantiæ. Aequiparantiæ est, quando denominatio est eiusdem rationis in utroque correlatiuo: vt similitudo, quæ est inter duo alba, secundũm quã vnũ alteri dicitur simile, & etiam alterum ei dicitur eodem modo simile. Disquiparantiæ est, quando est diuersa denominatio in vtroque, vt paternitas, & filiatio, duplũ, subduplum. Ammon. vocat relatiua vniuocationis, æquiparantiæ relatiua, & disquiparantiæ, vocat relatiua æquiuocationis.

Tamen summopere aduerte non solum dici relatiua æquiparantiæ, quia est eadem in vtroque denominatio; sed etiam quia fundamentum est eiusdem rationis in utroque: vt unum simile, alteri dicitur simile, quia est in utroque fundamentum eiusdem rationis, scilicet, quia utrunque est album, uel nigrum: relatiua uero disquiparantiæ, habent fundamentum diuersæ rationis, ut pater supra actionẽ, filius supra passionẽ fundantur: similiter duplum super totum aliquod, subduplũ supra partem similiter fundantur.

1. Cõcl. His suppositis fundamentis sit prima conclusio. Nõ omnis relatio est rationis, sed sunt multæ relationes reales in rebus existẽtes præter operationẽ intellectus. Hæc conclusio est cõtra antiquos illos ante Aristo. & Platonẽ, qui nullã in rebus relationẽ cõstituebant, sed tãtũ adinuicẽ res per intellectũ referri, cuius oppositũ docet Arist. & Auerr. 12. Metaph. com. 19. & eandẽ etiã ipsorũ opinionẽ arguit Ammo. in præsenti. Hæc autẽ cõclusio nõ solũ ueritati naturali est cõformis, sed maxime deseruit Theologicæ ueritati, secũdũ quam relationes in diuinis reales collocantur: quãuis hæ, aliæ sunt ab his, quæ in hoc prædicamento ponuntur.

Et probatur conclusio. Seclusa operatione intellectus unum album magis cum altero albo, quam cum nigro conuenit, & pars ad totum unum magis, quam ad aliud accedit, ergo seclusa intellectus opera, est similitudo inter illa, quæ relatio est: imo in uniuersis rebus hoc experimur, qd quædam magis, quædã minus inter se conueniunt; & mutuo se afficiunt, ergo est inter eas relatio extra opus intellectus: propterea quia res ordinatæ perfectiores existũt seipsis inordinatis & extra intellectũ, & non ob aliud, nisi pp ordinem, qui est relatio, ergo dantur relationes reales.

Secunda conclusio. Relatio sola realis pertinet ad hoc prædicamentum, nullo modo relatio rationis. Hæc patet, quia relatio est vnum ex decem generibus entis: sed ens diuisum in ista prædicamenta est ens reale, ut patet 6. Metaph. c. 2. ergo relatio prædicamenti huius est realis. 2. Cõcl.

Dubitabis: Quare aliquæ sunt relationes reales, aliquæ vero rationis. Dico & id aduertendum est quòd relatio realis nunquam consurgit in aliqua re, nisi aliqua mutatione facta in illa re, cum nullum ens reale possit habere esse, vel in se, vel in aliquo, nisi per mutationem aliquam in eo existentem: cum autem reperiantur res quæ connexionem cum alijs habent, non per sui mutationem aliquã, sed per intellectus operationẽ, inde est, quod sint in his relationes rationis solũ. Verbi gratia, res, non mutantur per hoc, quod scientiæ de eis acquirantur, mutatur tamen ipsa scientia, quæ realiter ex rebus fit, quæ tamen ante non erat; propterea res scibiles dicuntur, nõ relatione reali, sed intellectus comparatione: at ipsa scientia, in qua est mutatio, refertur relatione non rationis, sed reali; eodem modo se habent genus, & species; in rebus enim nulla est mutatio, propterea illæ vtræque relationes per intellectum solum sunt. Dubiũ.

Tertia conclusio. Probabile maxime mihi videtur etiam relatiua secundum dici in prædicamento hoc collocari, & me in hac parte mouet auctoritas Alber. Simplicij, & Boet. & Paul Venet quamuis minus principaliter, cum secundum naturam suam præcipuam, in alijs prædicamentis sint, nec obstat argumentum Ammonij, quia ex hoc inquit, sequeretur, omnia accidentia in hoc prædicamento esse reponenda, cum oĩa sint relatiua secundum dici, habẽt enim respectum ad subiectum. Hoc argumentũ nullius est roboris, quia vt dixi in primo fundamẽto, & maxime est considerãdũ non quicunq; respectus facit relatiuũ sedm dici, est. n. duplex respectus, 3. Cõcl.

a

& ad subiectum, qui respectus dicitur transcẽdentalis, qualem omnia accidentia habent ad substantiam, sed hic non facit accidens relatiuum; est alter respectus ad terminum qui dicitur prædicamentalis, & iste facit accidens relatiuum; & hunc non omnia accidentia habent, vt diximus.

Hoc tamen non obstante, probabile est ẽt, sola relatiua secundũ esse, in hoc esse prædicamento, vt vult Ammon. presertim, quia his solum competit definitio posterior Arist. quãuis ad hoc posset dici, ẽt relatiua secundum dici secundum id, ratione cuius in hoc prædicamẽto collocantur, totum esse habere ad aliud.

4. Cõcl. Quarta conclusio. Ad aliquid est vnum genus entis ex decẽ distractum ab omnib. alijs. Probatur, quia illud ens facit nouum genus, quod est ens reale, & diuersum habet prædicandi modum de substantia: tale autem est ad aliquid, quod solum de substantia vt alterĩ refertur, prædicatur: ergo est nouum genus.

Ad primum. Per ista põt ad argumenta rñ derr. Ad primũ distinguitur maior, quod. n. ita cum alijs est mistum, & confusum, ut non habeat naturam ab eis, diuersam, admitto non facere genus per se distinctum, at relatio licet alia accidentia sequatur, suam tamen naturam habet diuersam ab alijs omnibus, propterea est unũ nouum genus.

Ad 2. Ad secundũ negatur minor; immo, vt diximus in prima conclusione, non solũ relationes sunt per intellectus operationẽ, sed etiam ante opus intellectus existunt in rebus relationes, per quas una res ad aliam se habet.

Ad 3. Ad tertium negatur ẽt minor: nam relatio non solum est ad aliud, sed ẽt in alio; ut enim diximus, & relatio est accidẽs, & tale accidẽs, vt accidens est in alio, scilicet subiecto, vt tale accidens, scilicet relatiuum, ad aliud est.

Notab. Ad 4. Ad quartum negatur non esse genus generalissimium, nec alia in hoc prædicamẽto. Pro quorum declaratione aduerte: relatio dupliciter consideratur. Vno modo, vt est forma accidentalis determinata ad unũ extremum correlatiuorum, vt qñ dicimus paternitatem, filiationẽ, & huiusmodi, tunc enim relationes determinatas ad vnum extremorum correlatiuorum sumimus. Altero modo relatio sumi potest in communi non determinata ulli extremorum, sed indifferenter consideratur, siue pro vno extremo, siue pro altero, ut quando dicitur relatio disquiparantiæ, tunc enim dicimus non solum relationem vnius extremi scilicet paternitatem, sed etiam alterius simul extremi, scilicet filiationem.

Hoc supposito, dico genus generalissimũ esse ad aliquid, qđ est idem, ac accidẽtalis forma, per quam vnum ad aliud se habet, nõ explicando, & determinando formam huius cor relatiui, uel illius; & sub hoc ẽt sunt genera subalterna, quæ etiam relationis formam indeterminate dicunt, vt Ad aliquid æquiparantiæ; Ad aliquid quantitatis. At quando relationes determinatæ sumuntur ad extrema, frequenter sunt species, ut paternitas, filiatio, duplum: quando autem cum determinatis subiectis, sunt indiuidua, ut hæc paternitas, hic filius, hoc duplum.

Poterit ergo ipsum ad aliquid primo diuidi per differentias ex fundamentis sumptas, quæ noĩe simplici carent, ut ad aliquid aliud sit in quantitate, aliud in qualitate, aliud in actione, & passione. Poterit iterũ diuidi in cõe in ad aliquid æquiparantiæ, & ad aliquid disquiparantiæ; quæ differentię singulæ genus subalternum constituunt; & iterum ad aliquid in quãtitate, põt rursus diuidi per æquiparantiam in quãtitate, & disquiparantiam; similiter ad aliquid in qualitate, quãuis quę in actione, & passione sunt, disquiparãtiæ tantũ sint. Et hęc satis quantũ ad naturã eorum, quæ ad aliquid sunt, quæ enim hic deesse uidentur, Deo iuuante, in Metaphysica explanabũtur.

QVAESTIO II.

Circa reliqua, quæ in textu ab Aristotele dicuntur, Num rectè dicta sint.

EOrum, quæ sunt ad aliquid natura, & his, quæ ad ipsam in communi spectant elucidatis, superest aliqua, quæ in literæ interpretatione prætermisimus, breuiter examinare, & ut ad disputationis normam reducantur: arguitur primo, Nullum est discrimen inter priorem, & posteriorem definitionem: ergo non bene ab Arist. prior reijcitur: q si prior non erat conueniens, frustra in medium adducitur secunda. Secundo. Vitium est in definitione idem per idem definiri, cum sit petitio principij, sed in secunda definitione id fit, ergo non est bona. Minor probatur quia defi- Argumẽtũ in contrarium. Primũ argum. 2. arg.

definiens ad aliquid, ipsa in definitione iterũ sumit, scilicet, quibus hoc ipsum est esse ad aliquid, aliquo modo se habere.

Tertiũ argum. Tertio, vñ genus hẽt aliquã passionem sibi propriã, at ad aliquid nullã hẽt talem, nec ab Arist. assignatur, ergo vel nõ est genus, vel insufficienter traditur ab Arist. Minor patet, qa suscipere contrarietatẽ, & magis, vel minus, alijs generib. cõpetit, vt patet: dici verò ad cõuertentiã etiam alijs inest, cum hõ, & risibile conuertantur, quæ ad aliquid non sunt: similiter albũ, & albedo, album n. albedine est album: albedo autem est albi albedo: Simul autem esse natura ipse Aris. docet non omnibus inesse relatiuis: ergo nihil eis est proprium.

Quartũ argum. Quarto, videtur Arist. sophisticum esse argumentum, quo probat, scientiam, & scibile, sensum, & sensibile non esse simul: nam comparat scibile in potentia, cũ scientia in actu. si enim vtrũque eodem modo consideratur, simul sunt, vel in actu, uel in potentia.

Quintũ argum. Quinto, asserit partes primæ substantię nõ dici ad aliquid: videtur hoc falsum, dicimus enim hoc caput est huius capitati caput: sicut alia relatiua, hic pater est huius filij pater.

Sextum argum. Sexto vnum relatiuum non potest definiri per alterum: ergo non qui definitè cognoscit vnum, cognoscit alterum. Probatur, definitio est per clariora, ut dicitur 6. Top. ca. 2. at correlatiua sunt æque ignota. Præterea, quia vnũ nõ est de essentia alterius, cũ nec sit vnũ alterius genus, nec differentia, nec pars, ergo vnũ non est de definitione alterius quidditatiua.

Primũ fund. Ad hæc argumenta respondetur. Sed pro primi solutione est aduertendum, nominum defectum maximè in hoc prædicamento generare æquiuocationem, quæ obscuritatis, & deceptionis mater est, propterea alia prædicamenta in quibus nomina imposita rebus significandis sunt, oportebit respicere: sunt autem tria in alijs. Primum, est subiectum, & subiecti nomen, in quo tale accidens inest. Secundum, est ipsa forma in abstracto considerata, & nomen ipsius, vt albedo, nigredo. Tertium est ipsamet accidentalis forma, vt est in subiecto, & ipsius nomen, quod denominatiuum est, vt album, nigrum, quale.

Hæc ergo omnia sunt in isto prædicamẽto, sed non sunt omnia nomina per quæ explicentur: est ipsum subiectum, cui inest relatio, scilicet homo, cui inest paternitas, & album, qđ est simile: est forma, s. ipsa relatio, sed non est nomen, quo explicetur distinctè: nam relatio secundũ se, & vt est in subiecto, & ipsum subiectũ, cui inest relatio, dñr ad aliquid, quãuis gratia distinctionis varia fiat additio: dici enim ad aliquid, est nomen denominatiuum, quod de subiecto habẽte relationem dicitur: vt enim dicimus, hõ est albus homo est qualis, ita hõ dicitur ad aliquid: esse verò ad aliquid est nomen ipsius relationis, & in concreto, & in abstracto: vt enim dicimus album est quale, albedo est qualitas, ita dicitur pater est ad aliquid, & paternitas est ad aliquid.

Et hinc manifestatur illa distinctio Arist. 5. Metaph. c. 15. dupliciter ad aliquid esse per se, & per accidens; vocat p se ad aliquid, qđ hic uocat esse ad aliquid, seu habere se ad aliquid; uocat per accidens ad aliquid quod hic dicit aliquid, s. subiectum relationis, quod dicitur ad aliquid, non tamen est aliquid.

Per hoc patet solutio ad argumentum, definitio enim illa prior potius est subiectorũ, & eorum quæ ad aliquid sunt per accidens; posterior uerò est eorum quæ per se ad aliquid sunt, scilicet relationum, & in concreto, & in abstracto. Ad primum.

Ad replicam respondetur cum Auer. illam definitionem fuisse communem; propterea traditam ab Aristo. quia facilius erit ueritatẽ docere illum, qui doctus est cõmunia, quàm qui ignarus prorsus est.

Ad secundum, respõdetur illud ad aliquid positum in definitione, nõ esse idem cum definito; nam definitum est particulare ad aliquid in definitione uerò sumitur ita, ut idem sit quod aliqua res; & notanda est ius illius præpositionis [ad] denotat enim habitudinẽ termini; aliud enim est esse in aliquo, aliud esse ad aliquid, esse in aliquo est esse, ut in subiecto, esse ad aliquid est esse, ut ad terminũ; non enim ut diximus, accidens est ad aliqd, quia sit in subiecto, sed quia sit ad terminum, quod expresse docet Arist. 5. Met. c. 15. Visus, inquit, ad aliquid est, non respectu cuius est uisus, scilicet subiecti, sed respectu eius quod uidetur, scilicet coloris. Ad 2.

Ad tertiũ, est notandum S. August. in suis Catheg. assignat quatuor propria relatiuorum. Primum est simul intelligi, ut sicut unum absque altero existere nequit, ita nec unũ absque altero sit intelligibile. Secundum est, dici ad conuertẽtiã. Tertium est, ut simul in eodem subiecto possint existere, respectu Ad 3. Notab.

diuerso.

diuersorum, vt idem, & pater, & filius esse potest: & duplum, & subduplum. Quartum, vt alterū de altero in obliquo prædicetur, pater n. est filij pater, & filius est patris filius: hæc tñ ferè ad ea quæ Aristo. tradidit, reducũtur. Propterea ad argumentum dico cum Simplic. & alijs, conuertentiā esse propriam omnino relatiuorum: non autē quæcunque conuertentia hic sumitur, sed illa per quam mutua affectio, & ordo relatiuus exprimitur: qñ autem dicimus, album est albedine album, albũ refertur ad albedinē, non vt ad terminū, sed vt ad formā; albedo vero ad album, vt ad subiectum refertur. Propterea non est similis conuertentia. Similiter illa alia proprietas, esse simul natura, solis relatiuis inest, & oīb. his, quę vere relatiua sunt; sciētiam autē, & scibile, sensus, & sensibile, non absolute relatiua sunt, at secundũ quid, scilicet secundum dici.

Ad 4. Ad quartũ respondet Simplicius, & Ammonius, admittendo illa, si in actu simul sumantur, esse simul; similiter si vtrumque etiā in potentia.

Notab. Sed profecto hoc est expresse contra Arist. 3. anim. c. 2. vbi docet contra antiquos sensibile, & sensum in actu simul esse, tamē in potētia nō esse simul, & ibi id fatetur Simplicius. Propterea maxime considerandum est, quid Arist. per ista uocabula significet. Vocat igitur sensum actu, ipsam operationem sentiendi: sensum potentia, ipsam potētiam, qua sentimus; sensibile vero actu ipsum obiectũ, qñ actu sentitur; sensibile vero potētia, ipsum sensibile, qñ actu nō sentitur. Simili mō scientia in actu est ipse actus, & operatio contemplandi; scientia potentia est ipse habitus, vel intellectus absque operatione; scibile autem actu res est ipsa cognita de præsenti; scibile vero potētia, est res, quæ actu non consideratur. Ex his patet prius esse sensibile, & scibile potētia quā ipsas potētias sciendi, vel sentiendi, & hoc maxime est cōsiderādũ, quia conducit ad multa in Arist. difficilia intelligenda.

Ad 5. Notab. Ad quintum est aduertendum relationem posse sumi tripliciter: vno modo in specie: altero modo particulariter: tertio modo singulariter, vt si dicamus, paternitas, aliqua paternitas, hæc paternitas, si in specie sumatur, tunc ad terminum refertur in specie: paternitas enim est ad filiationem, & duplũ ad subduplum: si particulariter vere sumatur, etiam ad terminũ particularē refertur, aliquid duplum est alicuius subdupli duplū, & aliquod melius aliquo peiori melius, vt Arist. docuit.

At in singulari non dependet a singulari termino, non enim indiuiduatur relatio, nisi a subiecto, in quo est, vt hæc paternitas non est, quia est ad hanc filiationem, sed quia est in hoc patre, scilicet tali homine: & hoc duplum non est ab hoc subduplo in singulari, potest enim esse hoc duplum respectu huius medietatis, & omnium æqualium.

Hinc est, vt insinuaret Arist. relatiua in singulari, vt singularia sunt, non a terminis, sed potius a substantiis pendere, inde dicit partes primæ substantiæ, scilicet singulares non referri in singulari, cum relatiua alia sub ratione singulari non referantur.

Ad sextum respondetur, vnum correlatiuum esse de definitione essentiali alterius, nō quia sit pars essentiæ, vel tota eius essentia, sed quia est terminus, & complementum ipsius essentiæ, sine quo nulla ratione esse potest. Ac propterea dicit Alb. vnum correlatiuum non definiri per alterum, sed potius est alterum: & quamuis per se æque ignota sint, tamen simul sumpta mutuo se declarant, & manifestant.

Sed hæc satis sint de quæstione hac, quia vlterius prosequi est difficultatibus Metaphysicis omnia confundere, & horum omnium exactius disputandorum tempus proprium nos Deo iuuante expectat.

DE QVALITATE, Et Quali. Cap. VIII.

1 *Qualitatem vero dico; secundum quam quales quidam esse dicuntur. Est autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur.*

2 *Vna quidem igitur species qualitatis, habitus, & dispositio dicatur. Differt aūt habitus a dispositione, q permanentior, & diuturnior est. Tales vero sunt scientiæ, & virtutes: scientia enim videtur esse permanentiū, & diuturnorū: vt si quis, vel mediocriter sumat scientiam, nisi grandis permutatio facta sit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiusmodi: similiter autem, & vir-*

tus, vt iustitia, & temperantia, & singula talium non videntur posse facile moueri, neque facile permutari. Dispositiones vero dicuntur, quæ sunt facile mobilia, & cito permutabilia: vt calor, & infrigidatio, & ægritudo, & sanitas, & quæcunque alia huiusmodi: afficitur enim quodammodo secundum eas homo: cito autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex sanitate in ægritudinem transit. Similiter autem & in alijs, nisi aliqua earundem contingit per temporis longitudinem congenita, & immobilis, vel omnino difficile mobilis, existens, quam iam quispiam vt habitum vocet.

3 *Manifestum est autem, quòd hæc volunt habitus dicere, quæ sunt diuturniora, & difficilius mobilia, namque disciplinas non multum retinentes, sed facile mobiles existentes, non dicunt habitum habere, & tamen dispositi sunt aliquo modo secundum scientiam peius, melius ve: quare differt habitus à dispositione, quòd hæc quidem facile mobilis sit; ille vero diuturnior, & difficilius mobilis. Sunt autem habitus, & dispositiones: dispositiones vero non necesse est habitus esse: qui enim retinent habitum, & quodammodo dispositi sunt secundum ipsos: qui autem dispositi sunt, non omnino retinent habitum.*

4 *Aliud vero genus qualitatis est, secundum quod pugillatores, vel cursores, vel salubres, vel insalubres dicimur: & simpliciter & quæcunque secundum potentiam naturalem, vel impotentiam dicuntur. Non enim, quoniam sunt dispositi aliquo modo, vnumquodque huiusmodi dicitur, sed quod habent naturalem potentiam, vel impotentiam facile aliquid facere, vel nihil pati: vt pugillatores, vel cursores dicuntur, non quòd sint dispositi aliquo modo, sed quòd habeant potentiam naturalem, vel impotentiam aliquid facile faciendi. Salubres autem dicuntur, eo quòd habeant potentiam naturalem, vt nihil à quibuslibet accidentibus facile patiantur: insalubres vero, quod impotentiam habeant naturalem nihil facile à quibuscunque accidentibus patiendi. Similiter autem his durum, & molle se habent: durum enim dicitur, quòd habeat potentiam non facile secari: molle vero, quod eiusdem ipsius habeat impotentiam.*

Tertium verò genus qualitatis est, passibiles qualitates, & passiones. Sunt 5 *autem huiusmodi vt dulcedo, & amaritudo, & austeritas, & omnia his cognata: amplius, & calor, & frigus, & albedo, & nigredo. Quòd quidem igitur & hæ qualitates sunt, manifestum est: quæcunque enim has susceperint, ipsa qualia dicuntur secundum ipsas: vt mel, quoniam dulcedinem suscepit, dicitur dulce: & corpus album quoniam albedinem suscepit. Similiter & in cæteris.*

Passibiles vero qualitates dicuntur, 6 *non quòd ea, quæ illas susceperint qualitates aliquid patiantur: neque enim mel, quoniam aliquid passum sit, dicitur dulce, neque aliquid aliud huiusmodi. Similiter autem his, & calor, & frigus passibiles qualitates dicuntur, non quòd ea, quæ illas suscipiunt, aliquid passa sint, sed quoniam secundum sensus vnaquæque dictarum qualitatum passionis effectiua est, passibi-*

les qualitates dicuntur: dulcedo enim passionem quandam secundum gustum efficit, & calor secundum tactum: similiter autem, & aliæ. Albedo autem, & nigredo, & cæteri colores non eodem modo ijs, quæ dicta sunt passibiles qualitates dicuntur: sed eo quod ipsæ ab aliqua passione innascuntur.

7 Quòd enim fiunt propter aliquam passionem multæ colorum mutationes, manifestum est: erubescens enim aliquis, rubeus factus est, & timens pallidus, & vnumquodque talium: quare etiam si quis natura aliquid talium accidentium perturbationemve passus est, similem colorem verisimile est eum habere: quæ enim affectio nunc in eo, quod verecundetur circa corpus facta est, etiam secundum naturalem constitutionem eadem fieri potest affectio, vt & naturalis color similis sit. Quæcunque igitur talium accidentium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus, & permanentibus principium sumpserunt, passibiles qualitates dicuntur: siue enim secundum naturalem constitutionem pallor sit, aut nigredo, qualitates dicuntur (quales enim secundum eas dicimur) siue propter ægritudinem longam, vel propter æstum eidem contingit nigredo, vel pallor, & non facile prætereunt, vel etiam per vitam permanent, passibiles qualitates, & ipsæ dicuntur: similiter enim quales secundū eas dicimur. Quæcunque vero ex ijs, quæ facile soluuntur, & cito transeunt, fiunt, passiones dicuntur, qualitates verò minimè: non enim aliqui secundum ipsas dicuntur quales, neque enim qui propter verecundiam rubeus factus est, rubeus dicitur: neque cui pallor propter timorem venit, pallidus est: sed magis eo, quòd aliquid passus est: quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates verò minimè.

Similiter autem his, & secundum animam passibiles qualitates, et passiones dicuntur. Quæcunque enim mox in nascendo ab aliquibus passionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipsæ: vt amentia, mentis alienatio, & ira, & alia huiusmodi; quales enim secundum eas dicuntur, idest iracundi, atque amentes. Similiter autem & quæcunque alienationes non naturales, sed quæ ab aliquibus alijs accidentibus factæ sunt difficile prætereuntes, & omnino immobiles, qualitates sunt etiam huiusmodi, quales enim & secundum eas dicuntur. Quæcunque vero ab ijs, quæ facile, & cito prætereunt fiunt, passiones dicuntur, vt si quis contristatus, iracundior fiat: non enim dicitur iracundus, qui huiusmodi passione iracundior est, sed magis, quia aliquid passus: quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates vero minime.

Quartum vero genus qualitatis est figura, & circa vnumquodque constans forma. Amplius autem ab hec rectitudo, & curuitas, & si quid aliud his simile est, secundum enim vnumquodq; eorum quale quid dicitur; triangulum enim, vel quadrangulū esse quale quid dicitur, & rectum, aut curuum, & secundum etiam formam vnumquodque quale dicitur. 9

10 Rarum vero, & scissum, & asperum, et lene, putabuntur quidem quale quid significare, sed aliena huiusmodi

putătur esse a diuisione, quæ circa quale est: quandam enim positionem magis videtur partiũ vtrũq; monstrare: spissum enim dicitur, eo q partes sibijpsis propinquæ sint: rarum vero, eo quod distent à se inuicem, & lene quidem, quòd in rectitudinem aliquo modo partes iaceant: asperum vero, quòd hæc quidem superet, illa vero sit inferior. Fortasse quidem igitur alius quispiã modus apparuerit qualitatis: sed fere qui maximè dicuntur hi sunt: qualitates itaque sunt, quæ dictæ sunt.

11 Qualia vero sunt, quæ secundum has denominatiue dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. In plurimis itaque, & ferè in omnibus denominatiuè dicuntur: vt à candore candidus, & à grammatica grammaticus, & à iustitia iustus. Similiter & in alijs. In quibus vero, eo quòd non sunt posita qualitati nomina, non contingit ea, quæ dicuntur, ab ijs denominatiue dici, vt cursor, aut pugillator, qui secundum naturalem dicitur potentiam à nulla qualitate denominatiue dicitur: non enim posita sunt nomina potentijs, secundum quas isti quales dicuntur: sicuti disciplinis, secundum quas pugilles, vel palestrici secundum dispositionem dicuntur: pugillatoria enim, & palestrica disciplina dicitur: quales vero ab his denominatiue dicuntur, qui disponuntur. Aliquando autem & posito nomine, non dicitur denominatiue. quod secundum eam quale dicitur; vt à virtute studiosus, eo enim, quòd virtutem habeat studiosus dicitur: sed non denominatiue a virtute; non autem in pluribus hoc tale est. Qualia ergo dicuntur, quę denominatiue a dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis.

Inest autem & contrarietas secundum qualitatem: vt iustitiæ iniustitia contraria est, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea quæ secundum eas qualia dicuntur: vt iniustum iusto, & album nigro. Non in omnibus autem hoc accidit. Rubro enim, aut pallido, aut huiusmodi coloribus nihil est contrarium, qualibus existentibus. Amplius, si contrariorum alterum fuerit quale, & reliquum erit quale: hoc autem palam est ex singulis proponenti alia prædicamenta, vt si est iustitia iniustitiæ contrarium, quale autem est iustitia: quale igitur & iniustitia. Nullum enim aliqrum prædicamentorum aptabitur iniustitiæ, neque quantum, neque ad aliquid, neque vbi, nec omnino aliquid huiusmodi, nisi quale, sic autem & in alijs, quæ secundum quale sunt contraria. 12

Suscipiunt autem qualia magis, & minus. Album enim magis, & minus album alterum altero dicitur: & iustũ alterum altero magis, & minus: sed & ipsa intensionem suscipiunt, cum candidum namque sit, contingit amplius candidum fieri. Non tamen omnia, sed plurima: iustitia namque si dicatur magis & minus iustitia, potest quilibet ambigere. Similiter autem & in alijs dispositionibus: quidam enim dubitant de talibus, iustitiam namque iustitia non omnino aiunt, magis, & minus debere dici, nec sanitatem sanitate: minus autem habere alterum altero sanitatem aiunt, & iustitiam alterum minus altero habere dicitur: sic autem & grammaticam, & alias dispositiones, sed tamen ea, quæ secundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis, & minus: 13

gram-

grammatitior enim alter altero dicitur, & iustior; & sanior, sic autem & in alijs. Triangulus verò, & quadrangulus non videntur magis, & minus suscipere: neque aliqua aliarum figurarum; quæ enim definitionem trianguli recipiunt, & circuli, omnia similiter trianguli, vel circuli sunt: eorum autẽ, quæ non recipiunt rationem eandem, nihil magis alterum altero dicitur: nihil enim quadratum magis, quã parte altera longius, circulus est: neque alterum enim recipit circuli rationem, simpliciter autem, si vtraque non recipiunt propositi rationem, non dicetur altero magis: non ergo omnia qualia recipiunt magis, & minus.

14 *Horum itaque quæ prædicta sunt, nullum est proprium qualitatis. Similia vero, aut dissimilia secundum solas dicuntur qualitates, simile enim, & dissimile alterum alteri non est secundum aliud, nisi secundum id quod quale est. Quare proprium est qualitatis secundum eam simile, vel dissimile dici. At vero non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositum facientes: multa eorum quæ sunt ad aliquid connumerasse: habitus enim, & dispositiones eorum, quæ ad aliquid sunt esse dicebamus. Penè enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem eorum quæ sunt singularia: nam cum disciplina genus sit, idipsum quod est alterius dicitur: alicuius enim disciplina dicitur: eorum vero quæ singularia sunt, nihil ipsum quod est alterius dicitur, vt grammatica non dicitur alicuius grãmatica: nec musica alicuius alterius musica: sed forte secundum genus, & hę ad aliquid dicuntur: vt grammatica alicuius dicitur disciplina, non alicuius grammatica: & musica alicuius disciplina, non alicuius musica. Qua propter quæ singularia quidem sunt non sunt ad aliquid dicimur autem quales secundum singula, hæc enim & habemus: scientes enim dicimur, eo quod habemus singularum scientiarum aliquas: quare hæ erunt ẽt qualitates, quæ singulares sunt, secundum quas aliquãdo, & quales dicimur: hæ autem non sunt eorum quæ sunt ad aliquid. Amplius, si contingit idem ipsum, & quale, & ad aliquid esse, nihil est inconueniens in vtrisque hoc generibus enumerare.*

Cur de qualitate egerit, quam de alijs sequentibus prædicamentis, ac cur titulo duplicato.

CVriosum est, inquit Boet. cur qualitatẽ reliquis prædicamentis antepofuerit dubitare, cũ maxima sit discrepatio etiã prioribus duobus esse præponendam; tamẽ ne ulla prorsus supersit dubitatio, huius ratio est manifesta, quam dat Alb. tract. isto c. 1. est enim qualitas principiũ actionis, & passionis ipsi substantiæ inhærens: propterea merito anteponitur actioni, & passioni, & alijs quatuor quæ substãtiæ sũt extrinseca, qualis est locus, a quo est ubi, & tẽpus, a quo qñ, & reliqua.

Titulus tñ est maxime notãdus. De qualitate, & quali, ita. n. legitur Græcè, περὶ ποιότητος καὶ ποιότητος, & quamuis Alex. Achatius, & Simpl. solum existiment legendum illorum unum, illudq; uitio scriptorum tribuant, tñ Ammo. Boet. Alber. & S. Augu. ita legunt, ut utrumq; inscribatur. Cuius prima ratio traditur a Porphy. nempe ut utriusq; uocabuli cognitio haberetur, & qualitatis, & qualis. Secũda ratio est Alber. cap. 2. quia qualitas, & modi p̃dicandi ipsius manifestãtur p ipsum quale in cõcreto, ppea utrumq; inscribit. Tertia nõ est Amm. Pro quo aduerte, accidẽs dupliciter p̃t considerari. Vno mõ ẽm se, & ut e subiecto separatũ cognoscitur φ noĩe abstracte significatur. Altero modo, ut est in subiecto, qd significatur p nomẽ concretũ, cogno-

scere

fuerit autem accidens in abstracto, intellectus ipsius est, cuius est tale accidens abstrahere: at cognoscere accidens in concreto, sensus est: hic enim album, nigrum, calidum senti: propterea nobis est in concreto accidens notius, quàm in abstracto. Ex his extat hæc ratio Ammonij: hic enim traditur qualitas, & manifesta ista est in concreto, propterea titulus vtriusque inscribitur. Quarta ratio est Boet. Inquit, quale aliquando pro subiecto, aliquando pro ipsa qualitate sumi, & ne forsan quis deciperetur existimans hic quale cōsiderari ratione subiecti, propterea Aristot. vtrumque copulauit: vt nihil aliud per quale, quam qualitatem intelligeremus: cum quale significet ipsam qualitatem, vt est in subiecto: omnes hæ rationes bonæ sunt, & hæc vltima est etiam Simpl.

Ex his patet ratio quare non de quantitate, & quanto inscripsit; quantitas enim est accidens in vniuersum, sensibus substans, & suscipiens mutuā prædicationem in concreto, & abstracto, vt diximus: at ipsa qualitas non sensibus in vniuersum substat, cum sint innumeræ qualitates insensibiles: nec de concreto abstractum, vel è contra prædicatur; propterea satis fuit, ibi de quantitate inscripsisse, non autem hic, cum ista non ita idem sint.

1 *Qualitatem vero dico secundum, quam quales quidam esse dicuntur &c.*

Caput hoc in quatuor partes diuiditur. Prima definitionem, seu descriptionem ipsius qualitatis cum diuisione specierum ipsius cōtinet. In secunda traditur de quali. In tertia sunt tres proprietates qualitatis. In quarta est dubium, & solutio.

In prima ergo parte, distinctionis causa, quinque sunt particulæ. In prima est descriptio qualitatis: in singulis quatuor, sunt quatuor species ipsius qualitatis, singulæ in singulis particulis.

Est ergo qualitas secundum quam quales quidam dicuntur, vt ab albedine corpus quale dicitur: si enim interrogetis, quale corpus est dices album.

Not. 1. Hic primo aduerte hic describi, & manifestari abstractum per concretum, quia vt dixi ex Ammon. notiora nobis sunt concreta, vt pote sensibus percepta: & similiter quia concretum est magis compositum, cum significet accidens, vt est in subiecto, compositum autem notius est nobis, quam simplex, vt docet Auer. 1. Physi. com. 3.

Aduerte secundo, ne turberis in verbis Aristot. definit. n. qualitatem in singulari, & vtitur verbo plurali, ne ideo existimemus ex hoc ab vnica qualitate semper multa dici qualia: sed in definitionibus uoces a numero absoluuntur: vt idem sit sensus, qualitas est, a qua aliquid dicitur quale: sicut a qualitatibus aliqua qualia dicuntur. Not. 2.

Aduerte tertio, quod Albe. in præsenti notat dici per verbum primæ personæ, scilicet (quidam dicimur) vt intelligamus duplices esse qualitates: quædam sunt spirituales, quæ non nisi animæ, vel rei spirituali insunt: quædam sunt corporeæ quæ non nisi corporibus insunt. Propterea enim dicit per verbum personæ primæ, qua significantur homines; in quibus solis hæ vtræque qualitates simul sunt: Ista doctrina vera est, sed impertinens ad Arist. græce. n. habetur verbum tertiæ personæ, vt vertit Boet. Not. 3.

Aduerte quarto, videri istā nō esse bonam descriptionē, omnia enim accidētia in quali prædicātur, & secundū ea quales dicimur: ergo non hoc isti prædicamento proprium est. Not. 4.

Propterea nota ex Arist. 5. Metaph. ca. 14. qualitatem multipliciter sumi. Primo pro omni forma substantiali, & differentia rei cōstitutiua, formæ enim qualitas inest, & differentia generis dicitur qualitas, sed essentialis. Altero modo qualitas sumitur pro quacūque forma accidentali, quæ est extra naturam subiecti, & sic comprehendit oīa nouem prædicamenta. Tertio modo sumitur specialiter pro accidēti huius quarti prędicamēti, a quo dicitur aliquid simpliciter, & pure quale. Dicit enim Alb. ca. 1. & bene, a qualitate primo modo non dicitur aliquid quale tantum, sed cum aliqua compositione: scilicet a quātitate non quale absolute, sed quantum, vel aliquot. Ab alijs vero propter hoc, non quale, sed qualiter se habet: quod sedet enim, vel stat, uel iacet, uel currit, uel patitur, potius dicitur aliquo mō se hēre, quā quale absolute. Hæc uero qualitas huius prædicamenti quale simpliciter facit, & ita est intelligenda descriptio. Et huic consonat, quod Porphy. dixit in c. de cōmunitatibus in differētia gnis, & accidentis, accidens prædicari in quale, vel in quo modo unumquodque se habet.

Posita

Nota. 5. Posita descriptione qualitatem diuidit, Qualitas, inquit, multipliciter sumitur. Non hic intelligas multipliciter, idest, æquiuoce sumi, sed generice, nimirum quia multas species habeat, vt notat Ammon. Boet. & Alber. & hoc manifestum est ex his, quæ subiungit: Vna, inquit, species est, quod non dixisset, nisi qualitas esset genus, ut notat Simpl.

2 *Vna quidem species qualitatis habitus, & dispositio est, &c.*

Hæc est secunda particula, in qua Arist. de prima specie qualitatis tractat: Et primo differentiam inter habitum, & dispositionem assignat: ex qua quid vtrumque sit ostenditur. Secundo, illam differentiam probat. Tertio, quomodo adinuicem se habitus, & dispositio habeant, aperit.

Differt ergo habitus a dispositione, quòd habitus est quædã qualitas difficulter a subiecto mobilis: quæ non facile corrumpitur, & a subiecto non facile recedit, sicut scientia, virtus: qui enim semel scientiam acquisiuit, non facile perdet eam, sed magna difficultate, ut pote morbo aliquo grauissimo correptus. Dispositio uero, est qualitas facile a subiecto mobilis, & quæ remouetur cito a subiecto, ut sanitas, & ægritudo; quæ facile recedunt. Quamuis ut notat Arist. aliquæ dispositiones longa consuetudine fiunt habitus, ut febris, quæ tẽpore longiori fit Hectica.

Ex his facile colligitur, quid vtrumque sit: est enim habitus qualitas non facile mobilis a subiecto. Dispositio uero est qualitas facile mobilis a subiecto; vocamus uero mobilem qualitatem, non quæ cum ipso subiecto corrumpitur, sed quæ subiecto manente potest ipsa recedere, & corrumpi.

3 *Manifestum est autem quoniam hęc, &c.*

Hoc discrimen Aristot. probat ex vsu loquendi in ipsis disciplinis: illos enim qui non probe veritatem perceptum retinent, uocamus dispositos, quamuis inter hos aliqui magis, aliqui minus dispositi inueniantur: illos uero qui probe retinent, nec facile ab ea mobiles sunt, habitus asserimus habere. Postea hæc duo comparat: omnis (inquit) habitus dispositio est, non tamen omnis dispositio habitus est, neque qui dispositionem tenet, necessario habitum tenet.

Pro quo aduerte, quod dupliciter dicitur dispositio. Vno modo generaliter, pro qualitate facile, vel difficile mobili, quo pacto, 6. Metaph. cap. 20. & in præsenti habitus dispositio dicitur. Altero modo specialiter pro qualitate facile mobili, & sic habitus non est, dispositio; vnde species est nomen generis & cuiusdam speciei generis. Subdit exemplũ Ammon. de nomine: aliquando enim nomen communiter pro omni parte orationis sumitur, aliquando particulariter: pro una parte ab alijs disti ncta: & hæc est expositio communis, & uera. Quamuis etiam aliter possumus Arist. interpretari, ut loquatur de dispositione particulariter dicta, ut si sensus. Habitum præcedunt dispositiones, cum prius subiectum habeat dispositionem, per quam ad habitum peruenit, quamuis id non semper sit necessarium, tamen dispositionem non præcedit habitus, cum ex dispositionib. fiat habitus, non autem ex habitibus dispositio. vtraque expositio est bona, prior communis est. Nota.

Aliud uero qualitatis genus est, &c. 4

Hæc est particula tertia in qua tractat de secunda specie: nec mireris quod habitum vocauerit speciem, hoc vero genus dicat, quia vt notant Ammon. & Simpl. hæc quattuor subalterna genera sunt, quæ & speciei, & generis nomen iure sibi vendicant, ut ex interpretatione Porphyr. manifestum habemus. Nota. 1.

Pro huius autem generis intellectione aduerte, operationum duo esse principia; alterum quod simpliciter ad operandum est: alterum ad bene, uel male operandum; uerbi gratia, rusticus habet principium vt cognoscat, ut operetur, tamen doctus, & artifex etiã aliud habet principium, ut bene operetur, ut perfecte cognoscat: prius dicitur potentia, posterius habitus, uel dispositio: prius a natura est reb. concessum, posterius acquisitũ, & a nobis partum: prius ad quamcunque operationem est necessarium: sine potentia enim non contingit operari, nec bene, nec male; posterius non est in omni operatione necessarium, nec in omnibus operantibus sunt habitus. Istud uero, scilicet habitus, & dispositio est in prima specie prædicta, at

prius

prius illud principium pertinet ad hanc secundam speciem, quæ dicitur potentia, vel impotētia naturalis, nec intelligamus de illo principio quod non est naturale, idest a natura concessum, sed a nobis conquisitum.

Not.3. Aduerte secundo, quod huius potentiæ quadruplex est gradus seu species. Prima est quædam naturalis promptitudo ad facile agendū aliquid, secundum quā sunt homines pugillatores, luctatores, idest naturalem habent quandam insitam potentiam ad ista opera; nec loquimur de his qui arte, & vsu id efficiunt, nam tunc ad primam pertinerent speciem, sed de his, qui naturaliter id præstant: similiter sunt aliæ innumeræ aptitudines hominum secundum quas naturaliter inclinantur ad facile opera aliqua exercenda. Secunda species est naturalis quædam pontentia, secundum quā aliquid fortiter resistit sibi contrarijs, & aduersantibus, secundum quam dicimus homines salubres, quibus talis inest potētia, ut omnibus nociuis fortiter resistant, & nihil eis noceat; in hac est durities, quā aliquid resistit diuisioni, & sectioni, quæ tendit in ipsius destructionem. Tertia est quędam actiua potentia, secundum quam difficulter aliquid agit, qualis est hebetudo, seu īgenij, seu corporis ad operationes exequēdas. Quarta est quædā potentia qua aliquis facile suscipit id qd' sibi aduersatur, & in sui destructionem tendit, qua potētia dicimus homines insalubres, qui semper valetudinarii sunt a natura, & omnia eis nocent; similiter mollities est in his, secundum quam facile res sui diuisionem patitur. Et maxime notandum est duas priores uocari ab Arist. naturales potentias; duas uero posteriores, quæ prioribus cōtrariæ sunt impotentias naturales; & merito, quia potentia operandi difficulter, potius dicitur potentia non operandi facile; & potentia non resistendi, & patiendi, impotentia resistendi: ita tamen ista intelligas, vt non propterea existimes impotentiam esse priuationem, seu negationem potentiæ, sed dicit qualitatem positiuam contrariam potentiæ. Per hæc facillimè intelligitur ista species, & sensus Arist.

Dubiū. Dubitabis, quare hoc genus duplici nomine sub disiunctione explicatur: dico id esse, quia nomen gnicum non est, quo istas quatuor qualitates explicemus; ideo duplici simul nomine Aristoteles est vsus: dicit enim φυσικὴ δύναμις καὶ ἀδυναμία.

Tertia verò species qualitatis est passibiles qualitates, &c.

Aggreditur explicare tertium qualitatis genus, & quia iste textus obscurus est, & doctrinā continet obseruandam, aliquot fundamenta opus erit præmittere. Primo passio tripliciter, quantum pro præsenti sufficit, apud Arist. accipitur. Vno mō pro receptione cuiusque formæ, siue tendentis in rei perfectionē, siue in disconuenientiā, ut patimur quādo recipimus calorē, siue iste sit nociuus, siue proficuus: quomodo 2. de anima 5. & lib. 3. ca. 2. sensus docet pati quando recipiunt speciē, & similitudinem obiecti. Altero mō accipitur passio pro receptione formæ disconueniētis, & nociuæ, vt quando subiectū patitur sibi calorē aduersum. Tertio mō passio significat illā qualitatem, quæ ex passione prouenit, tanquam ipsius effectus, ut nigredo, quę ex cōbustione procedit, dicitur etiā passio, & harum duarū acceptionū meminit 5. Metaph. c. 21. Not.1.

Aduerte secundo, q istæ qualitates tripliciter se habent ad passionem secundo modo dictam. Quædā solum sunt principia actionum, seu passionum, quæ faciunt passionem, non tamē fiunt ex passione alia, quales sunt primæ quatuor qualitates, calor, frigus, siccitas, humiditas. Quædam sunt effectus passionum, tamen ipsæ non efficiunt passionē propriam in alio, quales sunt colores, ij enim ex passione primarum quatuor qualitatū fiunt, tamen ipsæ non in alio passionem efficiunt, cum colores per se nihil frigefaciant, uel calefaciant, uel aliū colorem producant. Quædam aliæ sunt qualitates, quæ etiam fiunt ex passionib. secundo modo, & ipsæ sunt causæ etiam passionum in alio, quales sunt odores, & sapores: hi enim ex primis qualitatibus fiunt sicut colores; tamen ipsi rursum efficiant passionem in sensibus, cum odor, & sapor calefaciant, exsiccent, & humectent: & hinc est, quod minus multo defatigamur videntes, cū non patiamur a coloribus, quàm gustantes, & olfacientes, quia patimur. Not.2.

Aduerte tertio, quod isti colores, & qualitates, quæ sunt effectus passionum, sunt in triplici differentia. Quædam proueniunt ex naturali passione, quæ fit simul cum ipsa rei generatione, ut albedo cygni, nigredo corui: hi enim colores sunt ex passione illa, quę fuit inter qualitates, quando ista generata Not.3.

tata sunt. Quædam proueniunt ex passione accidentali, scilicet quæ non est à natiuitate, tamen est passio perseuerans, vt qui ex aliquo morbo colorem aliquem diuturnũ contraxit palidum, vel rubrum: vel alium. Quædam proueniunt ex accidentali passione, sed non perseuerantí, & facile recedenti, vt rubedo, quæ ex verecundia, & pallor qui ex timore procedit. Hi autem tres modi qualitatum, & sunt ratione corporis, vt hi quos diximus, & sunt aliquando ratione mentis, & animæ, ut insania, furor, dementia, quæ proueniunt, & ex passione natiua, & ex passione accidentali perseuerantí, & aliquando ex passione subita, & non durabili.

Not. 4. Aduerte quarto, quod illæ qualitates, quæ sunt causæ passionum, non solum efficiunt passionem in nobis, sed etiam in alijs multis, ut calor, qui calefacit omnia mista: aliquæ solum efficiunt passionem in animalibus, vt odores, & sapores: tamẽ ab Arist. omnes sumuntur, quia inferunt animalibus passionem: quia nobis istæ omnes passiones notiores sunt, qui animalia sumus; non enim cognosco ignem alteri, s. ligno intulisse passionem, nisi per passionem, quam ego experior cognoscens, & tangens lignum, & ignẽ.

Expositio tex. His suppositis deueniamus ad Arist. hæc enim particula continet quatuor. Primo speciem exemplis explicat, & probat enumeratas esse qualitates. Secundo ostendit, quomodo dicantur passibiles qualitates. Tertio discrimen inter passibiles qualitates, & passiones constituit. Quarto id in qualitatibus secundum mentem etiam explicat.

Dicit ergo primo, genus tertium qualitatis esse passibiles qualitates, & passiones, quales sunt dulcedo, amaritudo, albedo, nigredo, & calor, ac similia: quod autem hæ qualitates sint, manifestũ est: per eas enim dicitur subiectum quale, nempe albũ, dulce, calidũ.

6 *Passibiles vero qualitates dicuntur, &c.*

Explicat quomodo istæ dicantur passibiles qualitates.

Nota. Aduerte autem tripliciter aliquam qualitatem posse dici passibilem. Vno modo: quia subiectum recipiens illam, secundum eam patitur, vt calor in manu receptus dicitur qualitas passibilis, quã manus secundum eam patitur. Altero modo dicitur passibilis qualitas; quia ipsa sit causa passionis, vt calor ignis est causa passionis in ligno, vel in tactu. Tertio dicitur passibilis qualitas, quia sit effectus passionis, vt diximus. Hoc supposito ostendit has qualitates nõ dici passibiles: eo quod ipsarum subiectum aliquid patitur: nõ .n. mel patitur, quia habet dulcedinem, nec ignis, quia habet calorem, sed dicuntur passibiles, quia sunt causæ passionum, vt calor, & sapores: quia sunt effectus passionis, quales sunt colores. Dupliciter ergo passibilis qualitas dic. vel quia est causa passionis in alio subiecto, uel quia est effect⁹ ipsius passionis.

Quoniam ergo fiunt per aliquam passionem, &c. 7

Hic ostendit Aristot. colores omnes esse effectus passionum, & tale est argumentum. Colores isti, qui à natura sunt, similes sunt ijs qui fiunt ex accidenti: sed isti ex accidẽti, s. qui proueniunt ex verecundia vel timore, fiunt ex aliqua passione: ergo existimãdum est illos etiam, qui à natura sunt, ex passione prouenisse. Et nota admodũ hanc rationẽ, ex ea .n. deduces pulchram viam naturales causas indagandi, penes causas accidentales, ex quibus similes proueniunt effectus; quam ipse obseruauit, tertia sect. probl. quæst. 1. vbi quærens naturam melancholicorum, eos ebrijs in effectibus similes cõtemplans, quod ebrijs accidentaliter accidit, id melancholicis à natura prouenire existimat.

Statim subdit has qualitates, quæ effectus passionum sunt, esse in duplici differentia; quædam proueniunt ex passione durabili, & perseuerante, siue a natura, siue ab aliquo accidenti, scilicet morbo, uel quolibet alio: & istæ dicuntur passibiles qualitates: & quædã sunt effectus passionum, quæ nõ durant, sed transeunt, & istæ non dicuntur qualitates, sed passiones: & probat, quia simpliciter ab his nõ denominamur quales, non enim qui rubedinem contrahit ex verecundia, rubeus dicitur, sed passus ruborem: nec intelligas ꝙ iste rubor nullo modo sit qualitas, cum in hoc prædicamento sit, sed dicit, ꝙ quantum ad denominationem, absolute non est dicenda qualitas, uidelicet permanens, ita ut ab ea talis denominetur, scilicet rubeus.

Dubitabis, quare hic non meminit odorum, & saporum, cum tamen passibiles qualitates sint, sunt enim causæ passionum in sensibus. Dubiũ

sensibus. Dicendum, quòd odorum, & saporum, prorsus est eadem ratio; nec odores, nisi per sapores cognoscuntur, adeo, ut ferè eisdem nominibus nominentur species, & differentiæ odorum, & saporum, ut docet 2. de anima, c.9. propterea non meminit odorum, quia sub saporibus ea ratione comprehēduntur; uel quia non erat necesse connumerare omnes qualitates, & præsertim oĩbus notas.

De sono dicit Albert. non meminisse: quia non fit ex qualitatibus primis, sicut reliquæ qualitates passibiles: forsan posset dici, potius esse passionem animæ, quàm passibilem qualitatem, cum non sit perseuerans. Dubitatur circa dicta: nam colores uidentur causa passionis, omnis enim sensus patitur à sensibili, ut dicitur 2. de anima, ca.12. immo in quæst.30. sect.31. problem. dicit Aristot. uiridi maximè delectari oculos, quos alij colores defatigant. Dico primo colores non agere in oculos passione corruptiua, cum imprimat speciem, & similitudinem, quæ non corrumpit, dico secūdo, quòd colores aliqui agunt passione corruptiua, sed id non fit ratione coloris, sed subiecti, in quo tales colores sunt, quod est humidum, uel siccum, uel splendens magis, uel minus, & inde prouenit, quod lædat, uel delectet uisum. Dubitatur secundo odores, & sapores sunt etiā effectus passionum, ut diximus, ut quid ergo magis dicuntur qualitates passibiles, quod sint causæ passionis, quā quòd sint effectus quandoquidem utrumque habeant? Ad hoc solutio in promptu est, dignius. n. est esse causā passionis quā effectū, & unūquodque à principaliori sumere denominationē.

Dubiū. Dubiū.

8 *Similiter autem his, & secundum animam, &c.*

Postquam Aristot. ostendit esse passibiles qualitates secundum corpus, quę effectus sint passionum, & similiter esse passiones, hoc idem esse etiam in qualitatibus secundum animam ostendit; sunt. n. quædam qualitates prouenientes ex passione secundum animam, sed à natiuitate, ut dementia, secūdum quam quis nascitur demens; sunt etiam quæ ex passione accidentali, sed permanenti proueniunt, ut dementia ex morbo, uel aliquo alio diu perseuerante. Sunt etiam alię ex passione cito recedenti, ut dementia ex ira subita, paruo tempore durans, quemadmodum autem illæ duæ priores qualitates, dicebantur qualitates, quia secundum eam dicebamur quales; tertia uero non qualitas, sed passio erat, cum secundum eam subiectum non diceretur quale; ita similiter in his quæ secūdum mētem sunt, illæ duæ priores sunt qualitates, & ab eis quales denominamur, posterior uero non qualis, sed passio dicenda est, nec secundū eam quale quid dicit', non enim dicitur demens, qui ex breui ira in quādā dementiā breuissimè durantem incidit, sed potius dicitur quod passus est dementiam.

Quartum uero genus qualitatis est figura, &c. 9

Accedit iam ad ultimam qualitatis speciē, quæ est figura, uel forma. Dubium autem est, quid per hæc duo intelligat. Ammo. existimat per figurā intelligere eam, quæ in rebus inanimatis est, per formam uero eam, quæ inanimatis est; non autem hic loquimur de forma substantiali rerum, sed de ista exteriori sensibili, quam ars imitatur. 1. Sent.

Boet. & Simpl. per formam intelligunt idem, quod per pulchritudinem, per figuram uero eam solam, quæ in quantitate consistit, Alber. c.8. idem existimat esse figurā, & formam, sed ratione differre; nam figura dicitur respectu quantitatis, cuius, extrema faciunt figuram: forma uero dicitur respectu subiecti naturæ, quælibet enim natura specifica suam habet propriam figuram exteriorem, quæ dicitur forma. 2. Sent.

At profecto mihi placet sententia Iambli. ut refert Simpl. hic enim dici per figurā intelligi eā, quæ in solis mathematicis est quātitatibus, ut esse triangulū, quadrāgulū, cubum, & reliqua; & per formā intelligi eam quæ in corporib. naturalib. est. Et hoc patet ex ipso Arist. qui probat figuram esse qualitatē, quia secundum eam dicitur quale: illa subdit exēpla, esse triangulare, quadrangulare. 3. Sent.

Huic generi adiungit Arist. curuitatem, & rectitudiē, quæ qualitates sunt: quia quodāmodo figuræ sunt quamuis imperfectæ.

Vbi notat Ammo. & bene, quod ex quantitatibus procedunt passiones, seu affectus, figuræ, & formæ, sed nō hæc omnia ab omnibus quantitatibus; à linea procedunt affectus, scilicet curuitas, rectitudo etiam, & angulus; à superficie continenti lōgitudinē, & Nota.

lati-

latitudinem procedunt affectus scilicet angustia, amplitudo, etiam procedunt figuræ, scilicet triangulus, quadrangulus, & reliquæ figuræ superficiales; à corpore uero procedunt affectus, grauitas, leuitas, similiter figuræ, scilicet cubus, pyramis, procedunt etiã formæ à tali quantitate, ut est in subiecto substãtiali: omnia autem ista, quæ à quantitate dimanant, qualitates sunt.

10 *Rarum vero, & spissum, & asperum, &c.*

Excludit dubium. Posset quis dubitare, an istæ qualitates sint, cũ secũdũ eas quale dici appareat. Respondet non esse qualitates, sed potius pertinere ad positionẽ, quæ ad aliquid est, qđ ex horũ definitione apparebit, est.n. rarũ, quod partes sibi habet distantes inuicẽ, spissum, qđ partes sibi coniunctas habet, asperũ, quod partes inæqualiter habet insurgẽtes, lene quod partes rectitudinẽ quãdã obseruẽt, hæc aũt ad partiũ positionẽ spectãt: cõcludit has esse qualitates; quæ maxime qualitates dicũtur, (forsan autem alius apparebit modus qualitatis.) Hæc uerba in disputatione examinabuntur.

11 *Qualia uero sunt, quæ secundum has denominatiue dicuntur, &c.*

Hæc est secunda huius capitis pars principalis, in qua de ipso quali Arist. tract. ipsumque describit, Quale (inquit) est quod a qualitatibus denominatiue dicitur, uel quomodolibet aliter.

Hæc descriptio duas habet partes. Altera est, quale dici denominatiue a qualitate; diximus enim superius, tunc dici denominatiue, quando in nomine est quædam conuenientia cum extremitatis differentia aliqua, & in re est quædam forma, & id quod formam participat: patet autem ita esse in multis qualitatibus, ut candor, & candidus, albedo, albus, calor, calidus: in his concreta denominatiue sunt a qualitatibus ipsis abstractis.

Altera pars est (uel quomodolibet aliter,) quia aliquando non fit denominatio ab aliquibus qualitatibus, uel quia nomen eis non est impositum, ut dicuntur pugillatores, cursores, a potentia quadam naturali currendi, & actum pugilis exercendi, cui potentiæ non est nomen impositum, sicut sunt nomina imposita artibus, quibus hæc fiunt. Dicimus.n. pugillatores dici & ab arte & a potentia quadam naturali: similiter cursores, luctatores, artibus quidem nomen impositum est, sed non potentijs.

Huiusmodi aliquando nomina quidem imposita sunt qualitatibus, sed non ab illis sumitur nomen concretum denominatiuum idem significans, ut qualitas quædam dicitur virtus, sed non ab ea uirtuosus quis, sed studiosus dicitur; sed ista non sunt multa; omnia autem hæc qualia dicuntur, quæ vtcunque a qualitatibus sumuntur.

Dubitatur. Videtur Aristot. nõ seruasse præceptũ illud 6. Top. ne cõmittatur circulus in definitionibus, ut unũ per aliud, & hoc iterũ per illud definiatur: hic autem qualitatẽ per quale, modo quale per qualitatem describit. Dubiũ

Ad hoc respondet Boet. istã nõ esse proprie definitionẽ, sed descriptionẽ quãdam, in qua nõ est vllũ absurdũ, ut unũ per alterũ describatur, tãquã per notius nobis, & hoc iterũ p illud tanquam per notius natura; quale.n. nobis est notius, cũ sit magis compositũ, & cõposita nobis sunt notiora; at qualitas est notior natura, & minus nobis nota: est enim prior natura qualitas, quam quale, & est ipsius qualis causa: unde postquam iam nobis manifesta est qualitas per ipsum quale, iterum quale, per qualitatem manifestamus, tanquam per notius natura, vt cognoscamus radicem, & causam ipsius qualis esse qualitatem; nec iste est circulus, tunc enim hic fit, quando idem est modus cognitionis.

Inest autem contrarietas secundum qualitatem, &c. 12

Hæc est tertia capitis pars, in qua explicantur ea, quæ qualitatibus insunt; hæc autem sunt tria. Primo est qualitatibus inesse contrarietatem, quod exemplis manifestatur, iustitiæ enim iniustitia, & albedini nigredo cõtrariatur, & non solum hoc abstractis qualitatibus, sed ipsis qualibus inest, iustum enim iniusto, & album nigro contraria sunt, hoc tamen non omnibus inest qualitatibus; nam

rubedo,

rubedo, pallor, & reliqui colores medij, non habent contrarium.

Dubiũ Primũ. Dubitabis hic aliquis, nam iste locus videtur aduersari alteri loco. 5. Physic. cap. 1. vbi dicitur non solum extrema, sed etiam media extremis contraria esse, & 2. Eth. c. 8. & 1. magn. moral. ca. 9. docet extrema vitiosa, & inter se contraria, & cũ virtute, quę est in medio: liberalitas enim, quæ in medio est, prodigalitati, & auaritiæ contrariatur. Ad hoc dico, dupliciter aliquid posse alteri contrariari: vno modo secundũ se primo, altero modo secundum aliquid, quod in se participat: verbi gratia, ignis aquæ est contrarius, non quidem secundum se, sed ratione caloris, & frigiditatis, quæ in eis sunt; at ipse calor, & frigiditas secundum se contraria sunt. Modo dico ꝙ colores medij contrariantur extremis, sed non secundum se, sed vt magis vni, aut alteri accedunt extremo. v. g. rubrum aduersatur albo, quia magis participat nigrũ at ipsi colores, extremi secundũ se contraria sunt, & per hoc patet concordia huius loci cũ illo 3. Physi.

Ad illud de virtute respondet Alber. ca. 9. virtutem contrariari extremis in ratione extremi: idest inquantum virtus bonum morale est, extrema vero mala sunt, bonũ autem, & malum extrema sunt.

Dubiũ secũdũ. Dubitabis, cum multa clara exempla possent proponi qualitatum non habentium contraria, figura enim, & forma contraria non habent, vt quid Aristot. hoc de coloribus medijs, quod non satis perspectum erat, proposuit? Iudicio meo, id non sine causa factũ esse existimandum est: causa igitur huius est, vt intelligamus perfectam, & primam contrarietatẽ inesse extremis, & alijs ipsorum ratione ac propterea uerbis sequentib. alteram contrariorum proprietatem subiungit. s. vt sint talia extrema, quæ sub eodem genere sint, ut si unum ad qualitatem, & alterum etiam ad qualitatem spectet: sunt enim contraria in uno, & eodem prædicamento.

23 *Suscipiunt autem qualia magis, & minus, &c.*

Inest etiã qualibus suscipere magis, & minus non solum aũt unum altero magis albũ, calidũ, aut frigidum est, sed ẽt vnum, & idem modo album, modo magis album est.

Sed posset quis dubitare, an sicut suscipiunt contrarietatem qualitates, sicut qualia, ita suscipiant etiam magis, vel minus, ut vna sit magis albedo, quàm alia. Et dicitur hoc quibusdam uisum fuisse, inter quos fuit Plato, ut refertur Alexan. Boet. & Alber. At ipse Arist. magis accedit ad hoc, ꝙ non abstracta, sed concreta magis, uel minus suscipiunt: ista tamen proprietas non inest omnibus, cum ipsis abstractis qualitatib. non insits immo nec omnibus qualibus: hæc. n. quę à figuris dicuntur, non suscipiunt magis, uel minus, sed ratio earum in indiuisibili consistit: ut aliquid uidelicet sit circulus, uel non sit, conuenit absolutè: non uerò dicitur magis, uel minus, circulus, quàm alter. Nec quadrãgulum unum vtporè quadratum, est magis quadrangulum altero, ꝙ sit altera parte longius; sed absolutè vtrũque est, & dicitur quadrangulum, seu quadratum: esse enim circulum, uel aliam figuram consistit in unica ratione non suscipienti uariationem: hoc idem in ipsis concretis. Quadratum aũt dicitur figura plana, quatuor rectis lineis æqualibus contenta: altera uerò parte longius, quod quadrãgulum uocant, est ex quatuor lineis, duabus existentibus inæqualibus, alijs duabus.

Dubiũ. (margin)

Horum itaq; quę prædicta sunt, &c. 24

Ostẽdit nullũ ex his duob. esse proprium qualitatib. cũ nõ insit omnibus: propterea uerũ proprium ponit omni, & soli conueniens, ut secundum solã qualitatem dici contingat simile, uel dissimile. Ne autẽ existimes simile, & dissimile esse qualitates, sunt enim ad aliquid; sed sunt passiones qualitatis; nec est incõueniens quod res in uno prædicamento, & eius passio in altero collocetur, ut diximus: homo enim in substantia, at risibile in qualitate est: ita qualitates huius prædicamenti sunt, at simile, & dissimile ad aliquid pertinẽt.

At uerò non decet conturbari, &c. 25

Hæc est ultima capitis pars, in qua Aristoteles respondet cuidam obiectioni, quæ et ex dictis præcedentibus objici poterat, nõpe, in prædicamento ad aliquid collocata sunt scientia, & habitus, nihil autem unum, & idem in duobus prædicamentis est constituendum: ergo non sunt ista in prædicamẽto

qua-

qualitatis, vel non sunt ad aliquid.

Ad hoc dupliciter respondet. Primo inquit scientiam, & habitũ in genere esse ad aliquid, species verò ipsius esse qualitates: nec repugnat genus esse in prædicamento ad aliquid, & species in qualitate, & hoc idẽ docet 4. Topic. ca. 4. Respondet secundo, & genus, scientiam, & habitũ esse in hoc prædicamento qualitatis, & ad aliquid: nam vnum, & idem secundum diuersas rationes, ad diuersa potest pertinere prædicamenta, vt sciẽtia quatenus subiectum facit quale, in qualitate est; quatenus ad obiectum refertur, ad aliquid est.

Ex vtraque solutione Arist. habetur secundum ipsius mentem, scientiam, & habitum aliquo modo ad aliquid pertinere, quod nos supra diximus contra Ammon.

Dubiũ primũ. Dubitatur, quo pacto fieri potest, vt genus, quod de natura specierum est, sit in vno prædicamẽto, & species in alio, cum supra docuerit Arist. quicquid de gñe essentialiter prædicatur, & de specie prædicabitur. Ad hoc respõdet Alex. Scientia secundũ naturam suam est qualitas, quia subiectum ipsum primo disponit secundũ se: ex scientia aũt similiter, & ex habitu nascitur quidã respectus ad obiectum: & ratione huius respectus, qui non est natura scientiæ, sed a natura fluit, est in prædicamento ad aliquid, sicut risibile rõne subiecti est in substantia, ratione risibilitatis est in qualitate: species aũt sunt in prædicamẽto, in quo est natura sui generis, & ita hic sit: nã scientia, & habitus secundum naturam suam in qualitate sunt. Et hoc est quod bene dicit Simpl. quia species scientiæ, & habitus ipsius, non sunt scientiæ, & habitus species, quatenus illa sunt ad aliquid, sed vt qualitates sunt.

Dubiũ secũdũ. Tamen est aliud dubium, quod maximè hoc ipsum manifestat, & cuius consideratio a multis prætermissa est. Nam sicut a natura scientiæ in communi fluit quidam respectus, & comparabilitas ad obiectum scibile in communi: ita ex qualibet scientia in particulari fluit respectus particularis ad suum obiectũ: ergo qua ratione genus ad aliquid spectat, ita etiam ipsæ species pertinebunt. Præterea, nõ videtur recta doctrina, propterea scientiam esse ad aliquid, quia respectus ex ea consequatur, ratione cuius ad aliquid est: eodem enim modo diceretur: Petrus est in qualitate ratione coloris, qui in eo est.

Dico ad hoc, & est valde notandum, quòd scientia in communi non solum habet illum respectum, sed & nomen ipsum scientiæ, & talem qualitatem simul cum respectu significat, cum scientia dicatur ab hoc, quod est scire, & cognoscere aliquid. At reliquæ scientiæ particulares habent quidem respectum, sed nomina ipsarum solam qualitatem sine respectu significant, vt Grammatica, Rhetorica, Geometria: & inde non dicuntur ad conuertentiã cum obiecto: non enim dicitur Grammatica est, vt ita loquamur grammaticabilis grammatica: sicut dicitur scientia est scibilis scientia.

Inde est, quod scientia, & habitus in genere possunt ad aliquid pertinere ratione alicuius in sua significatione contenti, non tamen ipsius species; & hoc valde obserua circa hunc textum; atque hæc de capitis interpretatione.

QVAESTIO I.

Vtrum qualitas sit genus, & de eius speciebus, ac specierum qualitatum diuisione.

HOc prædicamentũ dignum est speculatione ppter rerum obscuritatem, & ipsarũ insignẽ, & vniuersalem vtilitatem, cũ & morali, & naturali Philosopho, & mathematico, maximè sit huius opus, qñquidem omnia hęc fere comprehendit. Est igitur prima difficultas. An qualitas sit genus supremum omniũ specierum enarratarũ? videtur, nõ esse genus, cum Arist. dicat qualitatem multipliciter dici, quod idẽ videtur, ac æquiuoce dici, vel saltem analogicæ, vt loquitur Arist. 4. Metc. c. 2. Argumẽta in contrariũ, q. s. non sit genus.

1. arg. Pręterea, quia genus significat aliquã cõem naturã oĩbus suis speciebus: at non patet, quę ista sit natura communis, quam dicit qualitas.

2. argu. 3. argu. Præterea in hoc prædicamẽto non videntur omnes satis conuenire. Simpl. enim existimat qualitatem esse analogum. Ammo. Alexand. & alij esse vniuocum genus.

4. Argumẽta cõtra diuisionẽ in illas quatuor species. Præterea, Simplic. & Boet. credunt alias esse qualitatis species, præter has. Ammon. & Alber. non esse vllum aliud genus.

Rõ illius Diuisionis ex Ammon. Præterea, in sufficientia huius diuisionis positę ab Aristot. non conueniunt, quidam enim aliter quàm alij illam sumũt. In primis Ammonius sic procedit. Qualitates se habent in

duplici differentia, quædam dicunt potentiam, vel impotentiam, & hæ faciunt secundam speciem: quædam dicunt actum, & hæ rursus sunt in differentia duplici: quędam sunt perfectiuæ, vel deprauatiuæ subiecti: quædam nec perfectiuæ, nec deprauatiuæ: vocantur perfectiuæ, quæ simul sunt cū natura rei, vt calor ignis, albedo niuis; vel quæ tendunt in perfectionem rei, vt virtus, scientia: deprauatiuæ verò sunt, quæ subiectorum sunt destructiuæ, & ipsorum imperfectionē habent, vt acor vini, putredo pomi: vocat autem non perfectiuas; quæ non sunt secundū naturam rei, sed fiunt per aliquam rei mutationem, vt dulcedo in iure, quæ fit cum alteratione iuris. Similiter figuræ, & formæ, quæ nec sunt etiam deprauatiuę, cum non tēdant in rei corruptionem.

Tertia subdiuisio. Quæ sunt perfectiuæ, vel deprauatiuæ, sunt adhuc in duplici differentia: quædam insensibiles, idest, quæ non sensu aliquo percipiuntur, quales sunt habitus tam boni, quàm mali, & dispositiones, & hæc faciunt primam speciem: quædam sunt sensu perceptibiles, i. quæ agunt in sensus nostros, & istæ sunt illæ qualitates passibiles, q̄ sūt causa passionis, vt calor, frigiditas, sapor.

Illæ aūt, quæ nec perfectiuæ, nec deprauatiuæ sunt, iterū se hn̄t dupliciter: quædā insunt in superficie exteriori solū, sicut figura, & forma: quędam ēt in profundo corporum, vt color, & albedo, & reliqui colores, qui quāuis soli superficiei inesse videantur, tn̄ eorum causa a profundi mutatione prouenit. Similiter ēt se habent aliæ qualitates, quæ in profundo etiam sunt: & hæ vel sunt durabiles, & tunc dicuntur qualitates passibiles, quæ sunt effectus passionum: vel non sunt durabiles, & sunt passiones: hæc inter alia dicit Ammon.

Sed profectò ista doctrina nō videtur exacta, non enim explicat quæ sit ratio cuiusque horum generum; quod maximè refert. Præterea dicit qualitates primæ speciei esse sensu imperceptibiles, cum tamen constet oppositū ex ipsis Arist. exemplis: dicit enim calorem, & frigiditatem esse dispositiones, & posse fieri habitus; & tamen ista sensibilia sunt.

Rō diuisionis illius ex Simpli. Simpl. aliter procedit, inquit, qualitates se habere in duplici differentia. Quædā sunt aduentitiæ, & acquisitæ: & istæ faciūt primā speciem: quædam naturales, & istæ vel dicūt, potentiam, vel actum. Si dicant potentiam constituunt secūdam speciem si dicant actū, vel est in ꝓfundo subiecti, & sic est tertia, vel in supficie exteriori, & sic fit quarta species.

At nec hæc videtur omnino exacta sententia: non enim explicat rationes specierum harum, nec sufficientiam. Præterea, quia ponit qualitates primæ speciei aduentitias, constat autem secundum Aristot. sanitatem esse in prima, quæ tamen naturalis est qualitas.

Propterea aliter in hac parte est procedendum. Est igitur primo considerandum: qualitas est nihil aliud quàm modus, & determinatio eius, quod indifferens est: non tamen quicunque modus facit hoc prædicamentū: sunt enim in rebus consideranda duo, esse rei, & ipsius operatio, & in substantijs corporeis est tertium aliud; quod quātitas dicitur: & ratione horū trium est indifferentia quædam. Primo, res secundum suum esse solitariè consideratum manet indifferens, vt bene, vel male se habeat; & determinatur quantum ad hoc per qualitates primæ speciei, quæ sunt habitus, vel dispositiones, quæ modificant rem, vt bene, vel male se habeat in se. Manet præterea res indifferens, vt possit operari, vel non possit operari: & quantum ad hoc modificatur a qualitatibus secundæ speciei, quæ dicuntur potentiæ, per quas subiectum est potens operari. Tertio manet indifferens etiam quantum ad operationes, quæ dicuntur passiones sensus, quia scilicet vel illas efficiunt, vel ex illis procedunt, & quantum ad hoc modificatur a qualitatibus tertię speciei. Tandem modificatur res in sua quantitate a figura, vel forma: quātitas enim tenderet in infinitum, nisi a figura terminaretur, & concluderetur. Nec manet alius modus intrinsecus in ipso subiecto: nam ꝙ sit in loco, tempore, ad aliud, sunt ista ab extrinseco. Ex quibus patet qualitatem esse modum rei intrinsecum, vel secundum esse, vel secundum operationem, vel secundum quantitatē.

Primū fund. Rō vera illius diuisionis.

Est secundo considerandum, quòd ordo horum generum nō est sumendus secundum rem absolutè, sic enim potentiæ præcedūt habitus, sed secundum ordinem modificandi, secundum quem habitus, & dispositio præcedunt, quia esse rei disponunt bene, vel male, & aliæ species, quæ rem ipsam totam, & substantiam disponunt, præcedunt figuram, quæ est circa quantitatem exteriorem. Erunt igitur rationes formales singulorum generum

Secūdū fund.

rum

rum iste. Prima species est qualitas ipsum subiectum bene, vel male disponens. secunda species, qualitas principium operandi. Tertia species, modificans secundum passiones. Quarta modificans quantitatem.

Tertiũ fund. Est tertio considerandum, Vnam, & eandem rem posse pertinere ad diuersa prædicamenta, uel ad diuersa genera eiusdem prædicamenti diuersis rationibus; ut bene docet Simpl. Quemadmodum enim unius conclusionis, ut dicitur 1. Post. c. 28. potest esse scientia, & etiam opinio, si ab uno per demonstrationem, ab altero per rationem probabilem cognoscatur: ita similiter res uarijs rationibus formalibus sub varijs potest esse generibus: verbi gratia, calor, & frigus, si ut causa passionis circa sensum sunt sumantur, ad tertiam pertinent speciē: at si respectu sui subiecti considerentur, quatenus illud bene, uel male disponunt: sunt habitus, vel dispositiones. Et ita considerauit Aristot. qui illa in duobus generibus constituit. Similiter forma, & figura, si ut terminus quātitatis sunt, sumantur, in quarta sunt specie: at si ut subiecti perfectionem, uel imperfectionē dicunt, habitus sunt, vel dispositiones.

1. Cõcl. His suppositis est prima cõclusio. Qualitas genus est ad omnia ista quatuor genera. Hæc est sententia cõmunis: nec Simpl. aliter voluit affirmare: solũ hoc dixit species qualitatis nõ esse æqualiter perfectas, & propterea vocauit analogũ: sed analogia nõ impedit quin sit genus: nec obstat illud verbũ, [multipliciter,] ut notat Porphyr. quod aliquādo significat æquiuoce, aliquādo notat solā multitudinē absque æquiuocatione, & hoc probāt uerba Arist. quę sequuntur: dicit enim, Vna species qualitatis est, quod nisi esset genus, dici non posset: & patet ratione, quia dicit unicam naturam, scilicet esse modum intrinsecum, ut explicui, & prædicatur in quid de omnibus qualitatibus, ut notum est: ergo est genus.

De prima Specie Qualitatis, & eius diuisione.

Accedamus deinde ad singulas species, seu potius genera. Et primo dubitatur: an habitus, & dispositio differant specie, ita ut sint duæ species, uel genera inter se. Et quidem Ammo. Boet. & Albert. docent differre numero: sicut albedo remissa, & albedo intensa: paruus calor, & magnus calor nõ differũt specie, sed numero: ita dispositio, & habitus. At S. Tho. prima secũdæ q. 49 ar. 2. optime ad hoc respõdet: inquit. n. aliquos esse habitus, qui nõ differũt nisi numero à dispositione: ut calor, qui facile mobilis est, & calor qui fortiter radicatus est in subiecto, & aliqñ dispositiones ex nimia radicatione in subiecto fiũt habitus: at aliæ qualitates ex natura sua sunt dispositiones, quę ex natura sua sunt facile mobiles, ut ephimera ex natura sua dispositio est, & nõ potest fieri habitus: alię sunt habitus ex natura sua. s. quę ex natura sua sunt difficile mobiles, ut habitus uirtutum, habitus scientiæ, & in his clarum est, habitum, & dispositionem specie differre.

Et quia hoc tempore solent præfigi auditoribus aliquot tabulæ, quibus ea, quæ in prædicamentis singulis continentur, descripta sint, licet id negotij Dialectici non sit, tamen quia citra utilitatem non est, per modum simplicis enarrationis proponemus ea, quæ in singulis his generibus comprehenduntur, aliqua rescindentes, quæ minus considerate ab aliquibus ad ista genera trahuntur: fiet ergo per modum diuisionis, ut postea cuilibet sit facile omnia hæc suis tabellis accommodate describere.

Habitus igitur sunt in duplici differētia: quidam sunt animæ: quidam corporis: animæ sunt, qui ab anima originem, uel in anima sedem habent: corporis sunt, qui præcipue sunt in corpore, & ad aliquam operatiõnem corpoream primo ordinantur: & horum quidam in toto corpore sunt, ut sanitas, ęgritudo: quidam in parte, ut habitus in manu pulsandi: in pedibus saltandi.

Rursus, habitus animæ quidam acquisiti sunt, quos labore, & industria paramus: quidam infusi, qui a solo Deo in nobis generantur, ut gratia, fides, spes, charitas, & reliquæ uirtutes, & dona infusa, quorum Aristotel. nullam habuit notitiam, sunt tamen in ista prima specie collocandi.

Habitus acquisiti quidam sunt intellectiui, idest existentes in intellectu: quidam sunt morales, idest pertinentes ad mores nostros, secundum quos bene, uel male, laudabiliter, vel uitiose, operamur: horum moralium quidam sunt uirtutes, ut iustitia, prudentia: quidam uitia, siue per excessum, ut prodigalitas,

galitas, temeritas: siue per defectum, vt timiditas, auaritia.

Habituum autem intellectiuorum quidam sapientia, quidam scientia, quidam intellectus, ars, & prudentia sunt: & hi semper veri, idest per quos semper uerum cognoscimus: alij nō semper veri sunt vt opinio. sapientia est rerum altissimarum cognitio: hæc si sit supernaturalis, idest cognitio nō ui naturali acquisita, sed a reuelatione Dei pendēs, est Theologia: si naturaliter acquisita, est Metaphysica.

Scientia est quadruplex. Mathematica, Physica, Moralis, Rationalis, Mathematica, quæ dimensiones corporum, & quantitatum passiones considerat: quæ quadruplex est Arithmetica, Geometria, Musica, Astrologia, Physica, quæ motus, & iterum mutationes speculatur, duplex est: Mediciua: & quā vocamus moralem Philosophiam. Moralis mores instruit, vel singulorū proprios, & dicitur Ethica: vel communitatis, & dicitur Politica: vel domorum, & familiarum particulariū, & dicit̃ Oeconomica. Rationalis triplex. Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Intellectus dr̃ cognitio principiorum primorum. Ars multiplex est, nauigandi, fabrilis, militaris &c.

Omnes hi habitus in hac prima specie seu genere collocantur, & omnia inferiora horum habituum: qui si non difficile mobiles fuerint, dispositiones erunt: defectu enim vnius nominis generici, idem genus duplici nomine explicamus.

De secunda specie qualitatis, & eius diuisione.

Secunda species est naturalis potentia, & impotentia: nec oportet iterum hanc declarare, quia in textus interpretatione eam satis exposuimus: tantum ea, quæ sub ea continentur, explicabimus. Potentia duplex est, corporis, & animæ: corporis, quædam actiua, ut uirtus magnetis, & guttæ, quędam, passiua, vt salubritas, mollities, durities.

Potentia animæ, quadruplex, vegetatiua cognoscitiua, appetitiua, loci motiua.

Vegetatiua, duplex principalis, & ministerialis. Principalis triplex: nutritiua, per quam uiuentia alimentum in sui naturam conuertunt: augmentatiua, per quam crescunt: generatiua per quam sibi simile generant. Ministerialis quadruplex, attractiua, per quam vnumquodque membrum ad se alimentum trahit: alteratiua, seu digestiua, per quam alimentum disponit: receptiua, per quam ipsum retinet, ne, dum digerit, & disponit, relabatur: expulsiua, per quam superfluum alimenti expellit.

Sensitiua, & intellectiua sunt partes potentiæ cognoscitiuæ. Intellectiua est intellectus: sensitiua duplex. exterior, quales sunt quinque sensus, uisus, auditus, olfactus, gustus, tactus: interior, sunt sensus communis, imaginatiua, phantasia, cogitatiua, memoria.

Potentia appetitiua duplex: concupiscibilis; & irascibilis: per concupiscibilem Inclinamur in bonum, uel auersamur malum: per irascibilem tendimus in bonum arduum ad obtinendum, uel contra malum arduum ad euitandum: reliquæ passiones particulares, idest, amor, odium, & reliqua non inter potentias, sed inter passiones collocandæ sunt.

Loci motiua est uel uolandi, uel natandi, uel progrediendi potentia. Inter appetitus collocanda est uoluntas: est. n. appetitus rationalis, reliqui sunt appetitus sensitiui.

Ad hanc etiam speciem pertinēt fere omnium specierum, & generum propriæ passiones, ut risibilitas, & hinnibilitas: omnes aptitudines, & inclinationes particulares ad aliquid operandum. Et non solum istæ qualitates in abstracto, sed etiam in concreto, sicut in qualibet specie, sumi possunt.

De tertia specie qualitatis, & eius diuisione.

Tertia species est passibilis qualitas uel passio. Diximus autem superius qualitates passibiles esse in duplici differentia, quædā sunt causæ passionis in sensibus qualia sunt obiecta, tactus, gustus, & odoratus, quædam sunt effectus ex aliqua passione subiecti prouenientes, difficile tamen mobiles: nam si non sunt durabiles, non qualitates, sed passiones uocantur, passio enim, & passibilis qualitas quæ est effectus passionis, quales sunt colores, differunt penes facile, & difficile mobile: non aūt sicut prima species, ut notat Simpl. nam qualitas primæ speciei dr̃ facile, uel difficile mobilis, ea tamē est, quæ subiectum bene, uel male secūdū suū esse disponit. At ista tertia species est qualitas, quæ secundum

passio-

passionem est facile, vel difficile mobilis.

Sub hac specie sunt passiones animæ, vt ira, amor, gaudium, spes, & reliquæ. Similiter aliqui constituunt lumen, lucē, & species, quibus fit cognitio: sed iudicio meo ista nulla ratione in hac specie continentur, cū non sint, per se causæ passionis, nec effectus vllius passionis; immo existimo Arist. non meminisse horum, quia secundū communem sententiā, lumen non erat accidens, sed substantia.

Possunt tū optime collocari in prima specie, lumen enim dispositio est, & species ipsæ; sunt enim ista facile mobilia; lux autem, quæ in ipso corpore luminoso est, habitus quidam ipsius est; de sono diximus potius esse sub passione; est enim effectus passionis, f. collisionis duorum corporum, & pmanens non est.

De quarta specie Qualitatis, & eius diuisione.

Quarta species est figura, vel forma, quam in textus interpretatione explicuimus; figura quædam est discretorum, vt numerus triāgularis, quadrangularis: est etiam figura continuorum, vt triangulus, & figuræ Geometricæ. Præterea, figura quædā superficialis quæ in superficie describitur, vt triangulus in superficie cartæ, & est figura solida, vt corpus columnale, pyramidale, atque hæ dictæ sunt figuræ perfectæ, aliæ vero sunt imperfectę: ut curuum, rectum, par, impar, concauum, conuexum, & similia. Et in vniuersum omnes figuræ, & formæ rerum a quantitate prouenientes in hoc sunt genere; siue naturales, siue artificiatæ sint.

Dubiū. Dubitatur de raro, & spisso, leni, & aspero, an sint qualitates. Quare breuiter oportebit

1. Snīa. ista explicare. Boet. & Aug. vocant rarum corpus, quod intra se habet concauitates, & poros quosdam, quorum ratione alienum corpus potest recipere in se; vt spongia, & pumex, vocant autem densum corpus, quod intra se alienum recipere nequit.

2. Snīa. Alij vero vocant rarum corpus, quod sub magna quantitate paucam continet substantiam quamuis porosum nō sit, vt cera liquefacta; spissum vero vel densum, quod sub parua quantitate multas continet substantiæ partes, vt ferrum. Vtraque explicatio est bona.

3. Snīa. Nec mihi placet quod dicit Alber. rarum esse diaphanum, & spissum opacum; potest enim esse diaphanum, & spissum, vt vitrum, & crystallus.

Asperum vero dicitur, cuius partes exteriores inæqualiter insurgunt, ita vt quædā prominentes, quædam depressæ sint; lene vero cuius partes exteriores ęqualiter insurgunt. Vnde patet discrimen; lene enim, & asperū considerantur secundum partes exteriores: at rarum, & spissum secundum partes interiores: rari enim partes magis inter se distant, at partes spissi inter se magis aduniuntur.

Hoc supposito est sententia communis Alber. Auer. Gilberti, & aliorum, illa principaliter esse positiones; dicunt enim ordinē partium inter se, at minus principaliter, & secundario dicere qualitates, secundum quas ista tactu percipiuntur. Et quamuis ista sententia mihi omnino non placeat, cum secūdū Aristot. nullatenus qualitates sint; tamen propter tantam asserentium, authoritatem hoc modo recipiamus; non enim hic locus est exactius hæc omnia inuestigandi, & hæc de qualitate sufficiant. Responsio ad dubiū.

DE ACTIONE, ET passione. Cap. IX.

R*Ecipit autem agere, & pati contrarietatem, & magis, & minus. Calefacere enim ei, quod est frigefacere contrarium est, & calefieri ei, quod est frigefieri, & delectari ei, quod est contristari; quare suscipiunt contrarietatem; & magis, & minus; est enim calefacere & magis, & minus, & calefieri magis, & minus, & tristari magis, & minus, suscipiunt igitur magis, & minus agere, & pati. De his igitur tot dicuntur.*

SEx prædicamenta, quæ supersunt, summo compendio Aristot. percurrit cuius rationem tradunt Porphy. & Simpl. nempe, quod his qui discere incipiunt, satis sit, si ea quæ proposita, & tractata prius sunt optime perceperint: eorum vero quæ sequūtur, summā eam tenuerint, vt ad ipsa redigere vnumquodque ex inferioribus ualeant, presertim quæ illorum quatuor amplissimus est in

scientijs vsus, horum autem nō ita frequēs, et ea, quæ necessaria sunt, in Physica traduntur.

At quidam Gilber. Porre. Græcus author id negociū assumpsit, vt hæc sex latius explicaret, quia in eis multa digna speculatione inueniuntur: ac propterea author sex principiorum communiter est nuncupatus: cuius consilio alij viri illustres Philosophi ducti, eadem principia tractarunt: inter quos fuerunt Simpl. & Alber. non ergo nobis dabitur vitio, si idem consilium sequentes, aliquid in horum prædicamentorum cognitionem breuiter addiderimus, si tamen prius hæc pauca verba Arist. interpretati fuerimus.

Duas ergo actionis, & passionis proprietates ponit. Prior est, actio, & passio contrarietatem habent, calefacere enim est contrariū ei, quod est frigefacere; & calefieri ei, quod est frigefieri; nec explicat quid vtrumque sit, istis exēplis contentus. Posterior est actio, & passio suscipiunt magis, & minus: aliquid.n. magis, vel minus calefacere, vel calefieri pōt.

Notab. Circa hęc aduerte primo, actiones, & passiones secundum se non suscipere contrarietatem, sed secundum formas, in quibus insunt, uel secundum id circa quod sunt: omnis.n. actio, uel passio terminatur in aliquam formam, v.g. calefactio in calorem frigefactio in frigiditatem, & secundum tales formas in terminis contraria recipiunt. Similiter etiam magis, & minus secundum tales formas habent.

Notab. Aduerte secundo, quod ex hoc sequitur, non omnem actionem, vel passionem cōtraria habere, nec magis, nec minus recipere, cū multæ actiones, & passiones fiant secundum formas non suscipientes contraria, uel magis, & minus: ut generare, uel gñari non recipiunt ista. Similiter nutrire, scribere, & alia non ergo hæc duo sunt propria simpliciter cum nec omni, nec soli insunt.

DE CAETERIS PRAEDICAmentis. Cap. X.

DIctum est de eo, quod est situm esse in ijs quæ sunt ad aliquid, quod denominatiue a positionibus dicitur. De reliquis vero, idest. Quando, & Vbi, & Habere, propterea quod manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur, quam quæ in principio dicta sunt, quod Habere quidem significat calceatum esse, armatum esse. Vbi vero, vt in Lyceo, in foro: & alia quæcunque de his dicta sunt. Igitur de omnibus generibus, quæ proposuimus, sufficiunt quæ dicta sunt.

NE mireris si fere nihil de istis dicturus, eum ordinem, quem supra in istis enarrandas proposuerat, peruerterit; illic enim rectum naturæ ordinem obseruauit, secundum quem ultimo loco actionem, & passionem enumerauit, cum res non absolute operetur nisi iam omnino perfecta; quam perfectionem ex uarijs prædicamentis habet, at hic præposuit, quia plura de his uerba facturus erat. Similiter adiungit prædicamentum situs, cuius paulo ante in prædicamento ad aliquid meminerat: docetque situm esse, esse denominatiuum a positione, quæ in prædicamento ad aliquid est, ut sedere, stare, accumbere; reliqua exemplis solum absoluit, & sic se de decem generibus doctrinam tradidisse concludit. Nos autem de singulis his latius, sub breuitate tamen dicamus, ab actione incipientes.

DE ACTIONE.

QVAESTIO I.

Quid sit actio.

TRia nobis de actione tractanda sunt, ut eadem Aristotelis methodus obseruetur. Primum, quid sit actio. Secundum, de speciebus ipsius. Tertium, quæ sint eius proprietates.

Circa primū, actio a Gilberto sic describitur. Actio est forma, secundum quam denominamur agere, uel facere in subiectam materiam v.g. d, secundum quod ignis dicitur calefacere aquam, vel aliquid aliud, quod vocatur subiecta materia, dicitur actio. Prima definitio & eius explicatio.

Et vt hanc definitionem intelligas, aduerte, quod ad actionem concurrunt quatuor. Primum, ipsum quod agit simul cū virtute, & principio, per quod debet agere: concurrit

& id

& id quod per talem actionem agitur, seu fit primo; concurrit tertio id, in quod agitur, & præter hæc, est ipsa actio. Exemplo hoc manifestatur. Ignis agit, & calefacit aquam: hic est primum, id quod agit, scilicet ignis, cum virtute, per quam agit, scilicet cum calore: secundum est ipsa aqua, in quam agit: est tertium ipse calor qui actione fit: & tandem est calefactio, & hæc dicitur actio, a qua ignis denominatur agens, & calefaciens.

Vnde virtus ignis, per quā agit, scilicet calor, qui in eo est, non est actio, quia ignis ab eo calidus dicitur, non autem calefaciens: nec similiter calor productus, vt calor est, actio est; quia ab eo aqua non dicitur calefaciens, sed calida, vel calefacta, nec ipsa aqua est actio: id ergo quod superest, a quo ignis denominatur agens, vel calefaciens, dicitur actio. propterea non dicitur, actio est forma, p quā agimus, quia tunc virtus agentis esset actio, cum per eā agamus, quod tamen falsum est: sed dicitur, actio est, a qua denominamur agere: quid autem aliud ista actio sit nō apparet. Si enim calefactio non est calor ignis nec aquæ calor, nec aqua ipsa: quid aliud sit, non est facile explicare.

2. Definitio, & eius confutatio. Quidam non recte, ita dicunt, actio est relatio agentis ad patiens. Vnde secundū hanc descriptionem calefactio est relatio ignis ad aquam, vel ad id quod calefacit.

Sed hoc dictum, & assertum, licet multorum sit, est intolerabile, & indignum Philosopho Peripatetico, est enim doctrina expresse, & late ab Arist. tradita 3. Phys. ca. 1. & 2. actionem, & passionem formaliter esse motum; & actionē scilicet calefactionem esse in aqua patiente: quomodo ergo actio est relatio existens in igne, vel in ipso agente?

Respon. ad qōnem. Quid sit actio & passio. Propterea secūdū Arist. & veritatē dicēdū est, & ne ab exēplo discedamus, ꝙ calor qui in aqua ab igne producitur, pōt cōsiderari, vt est quædā qualitas, à qua aqua denominatur, & est calida, & tūc calor dicitur, & ad tertiā qualitatis speciē pertinet. Altero mō cōsideratur, vt in fluxu quodā, & successu est; secūdū quē paulatim incessanter in aquam introducitur: tunc calor iste sic fluens motus est. Potest tertio iste calor fluens considerari, vt sic fluit, quod ab igne, & ignis virtute procedat; & tūc dicitur actio. Et tandem quarto, vt in aquam paulatim immittitur, & dicitur passio. Nihil ergo aliud est calefactio, quam ipse calor fluens ab ipso igne procedens. Erit igitur actio actus, seu forma ab aliquo procedens, & in aliud fluens, non ergo simpliciter actio relatio est, sed forma fluens, quamuis aliud relationis habeat, & hoc maxime menti trade.

Quod si objicias, quo modo ignis dicitur calefaciens ab illo calore fluenti, qui in aqua est: videtur enim aliquid non posse denominari ab eo, quod in se non est. Ad hoc dico, dubium hoc non esse nouum, sed ab Arist. propositū loco allegato ad quod ipse respondet, id non esse inconueniens, vt aliquid ab eo, quod in se non est ab eo tamen procedit, denominetur. Vide tu, quomodo conponet ista Aristotelis doctrina istis asserentibus actionem esse relationem. Dubiū

QVAESTIO II.

De Speciebus Actionis.

SVperest secundo, vt de ipsius actionis speciebus dicamus. Et quidem hoc nomen Actio aliquādo ab Arist. pro operatione immanente; idest non transeunte in materiam exteriorē vsurpatur; ad differētiam illius, qđ est facere, quod significat operationem transeuntem, vt patet 6. Ethi. Aliqñ pro actione solū humana sumitur, vt patet 1. magn. moral. c. 11. inquit. n. nullū inanimatorum, nec animatorum, vno hoīe excepto, dicimus agere. Aliqñ sumitur pro actione naturali, quæ proprie secūdum qualitates fit, de qua in exēplo superiori loquuti sumus: & sic loquitur Arist. 3. Phys. c. 2. at in præsenti latius nomē extenditur pro quacunque agentis operatione, siue transiens, siue immanens sit. Quot modis accipit actio.

Diuisio Actionis. Vnde possumus actionem diuidere. Primo in duo genera subalterna, nempe in actionem animæ, & actionem corporis: actionem animæ vocamus quamcunque actionem cuius principium primum, est anima, uel aliqua substantia immaterialis, ut includantur etiā actiones angelorum: actiones corporis vocamus eas, quarum primum principium non est anima, ut anima.

Actio animæ est quadruplex, quædā procedēs ab anima, vt rationale principiū est, sicut amare, uelle, sapere, iudicare: quædam procedit ratione sensus, ut imaginari, sentire, amare, appetitu sensitiuo: quędā procedit ab aīa ratione potentiæ uegetatiuæ, ut augere, nutrire, attrahere, digerere; quædam ab anima

ratione potentiæ motiuæ: & hæc duplex, altera quæ trāsit exterius, ad locū, vt ambulare, natare, volare: altera quæ trāsit in corpus aliud, quales sūt percussiones, & operationes omniū artiū: vnde hæ omnes actiones animæ sunt, quippe quæ non sine anima possint exerceri.

Ex quo colliges, ꝙ minus recte aliqui percussiones, & operationes artis vocent corporis operationes, cū ab anima ita dependeant, sicut sentire; nec propterea dicendæ sunt corporis, quia corpore exerceantur, cum etiā nutritio, & vegetatio, atque sensatio, corpore ac circa corpus exerceantur.

Actio ergo corporis est, quæ a forma corporis (idest quæ ab anima non est) procedit, qualis est ignis calefactio: & denique elementorū actiones, & mistorū inanimatorum, vt actio magnetis in ferrū, & similiter oēs actiones: quæ quāuis ab animatis procedāt, non tū procedunt ab eis, ut animata sūt: vt actiones quæ sūt a virtutibus herbarū, a partibus animaliū, & a reliquis. Vnde posset cōgrue diuidi talis actio corporis, in actionē elementorū simplicē, & actionē mistorū inanimatorū, vt lapidum, & aliorum: & in actionem animatorum, non vt animata.

Potest rursus actio secūdo diuidi in actionem immanentem, & actionem transeuntem, actio immanens illa dicitur, quæ in exterius non transit, vt amare, sapere: actio transiens exterius transit, idest extra ipsum agens, vt scindere, secare.

QVÆSTIO III.

De proprietatibus Actionis.

Circa tertium vero, oportet ipsa Actionis proprietates tradamus: & quidam præter illas duas supra ab Aristo. positas Gilber. duas alias tradit: altera est, omnis actio est cum motu, & motus etiam cum actione: idest, Actio non fit sine aliquo motu, motus enim ab agente fluens actio est.

Hoc intellige de motu large sumpto pro quacūq; processione ab alio, ꝗuis nō sit successiua, & paulatim tēdens: sunt enim aliquæ actiones q in instanti ab agentibus procedūt, ve illuminatio solis, generatio substantiæ.

Altera proprietas, Actio infert passionē, idest non contingit aliquid agere, quin aliquid aliud re, vel ratione distinctum patiatur, hæc de actione.

DE PASSIONE.

Quid, & quotuplex sit passio.

Passio, intelligēdo ea quæ de actione diximus, facillima cognitū est: fere enim eadem omnia actioni, & passioni communia sunt, præter definitionem, & naturam, propter quod semper vtraque copulantur.

Passio igitur est, vt Gilber. describit, actionis effectus: vt enim utamur eodē exēplo superiori, calor fluens, & ab igne procedens, ut in ipsam aquā introducit, dr̄ passio. Vnde ipsa passio dr̄ effectus actionis, q: ex hoc, quod ab igne calor fluit, & succ: dit, & actio est, inde in aquā introducitur, & passio est: vñ passio est forma fluens, uel in subiecto adueniens. Quid sit passio.

Posset etiam eodem modo, quo actio describi, s. Passio est secūdū quā subiectum patitur. Nec definienda est, ut aliqui faciunt, Passio, est relatio patientis ad agens. Vocamus autē hic passionem, non ipsam formam absolutā, ut in prædicamento qualitatis, sed formæ rēceptionem, siue nociua sit, siue conueniens.

Potest autē prima illa diuisione diuidi in passionē animæ, & corporis; nec existimes cū quibusdam, qui tabulas conscripserunt, passionē animæ esse, quæ ab anima fit, ut uideri, amari: sed passio animę dicitur, qua aliquid ratione animæ in se patitur, ut tristari, augeri, nutriri, & reliqua quæ dicemus. Passio uero corporis est, quæ inanimata, uel animata, non ut animata sunt, patiūtur: ut calefieri, frigefieri, secari. Esto autē diligens in his considerandis, quæ philosophica sunt, & altiores, & profundiores radices habent, quam appareat. Diuisio passionis.

Circa has passiones, & actiones considera, ne decipiaris ex uoce, dum omne uerbū actiuum, uel habēs uocem actiuam existimas significare actionem: semper enim recipienda est significatio, an sit passio, uel actio: unde sunt uerba actiua, & neutra, quæ si ad examen philosophicum iudicentur, passionem significant, ut uidere, audire, intelligere, hæc enim si operationem apprehensiuam significent, passionem dicunt: similiter ueneo, uapulo, sic: alia contra, sub uoce passiua actionem significant, ut multa deponentia. Not. 1.

Nec similiter existimes omnia uerba significare actionem, uel passionem: aliqua enim substantiā, uel aliquid substantiæ, scilicet existentiā eius significāt, ut sum, subsisto, existo. Not. 2.

Hic

Hic notat unum Simpl. & Ammon. hæc prædicamenta potius explicanda per abstracta, aut per infinitum, vt dicatur, actio, passio, agere, pati, calefactio, vel calefacere; nam concreta, & verba cum includant subiectum, videntur claudere relationem simul, vt agens, & patiens. hæc de passione.

DE QVANDO.

Quid sit Quando, seu esse in tempore, & quæ eius species, & propria.

Primũ fund. HOc est aliud prædicamentũ, quod iuxta ordinem Gilber. sequitur immediate actionem, & passionem. Et ante huius explicationem, est unum notandum maxime, quod docte docuit Ammon. ista sex prædicamenta esse facta, & velut composita ex quatuor præcedentibus. Actio enim, & passio sũt formæ fluentes, & ab alio in aliud procedentes, hæ autem, formæ aliorũ sunt prædicamẽtorum. Præterea, quando, nihil aliud est, quã tempus, quod quantitas est, cum substantia, s. esse in tempore, similiter, Vbi, esse in loco, & à relatione cum substantia esse situm, scilicet iacere, sedere, & ab habitu, scilicet indumento, & ornatu, scilicet esse uestitum.

Secũdũ fund. Nec intelligas ista prędicamenta esse accidẽs cũ substãtia: hoc enim est falsum, sed sũt accidẽtia aliorũ prædicamentorũ, vt doctissime dicit Alb. super accidẽtia certum modũ, qui in alijs prędicamentis non continetur: propterea prędicamenta per se constituunt, & hoc valde nota: sunt enim non ita multi, qui hoc aduerterint. v.g. locus in se, & respectu subiecti sui, quantitas quædam est, tamen respectu corporis quod continet, & circumscribit, dicitur ubi, & nõ quantitas. Similiter tempus respectu illius, quod à tempore mensuratur, dicitur quando. Similiter & habitus est quarta species qualitatis in se, & respectu sui subiecti: at respectu corporis, cuius habitus est, dicitur aliud prædicamentum.

Tertiũ fund. Tandem scias esse aliqua accidentia, quæ non solum suo subiecto insunt, sed etiam extrinsecum corpus afficiunt secundum se: & ista duo prædicamenta respiciũt; qualia sunt locus, tempus, & reliqua quatuor, ex quo fit, ista quatuor vltima præsertim in concreto sumenda esse, vt explicent talem modum.

Dubiũ primũ. Dices, ergo ista sunt relatiua & ad aliquid: dico non esse ad aliquid. Primo, quia ista habitudo non est ad terminum, sed ad subiectum, licet extrinsecum: Prętérea, quia aliud relatiuum non denominatur a suo correlatiuo, pater enim, non denominatur à filio, sed à paternitate, at locatũ a loco sic se habẽte per modũ formæ dicitur locatũ, & ad habitu uestitũ. Præterea, quia solũ ad aliquid denominat: at hic non solus respectus loci, aut locati denominat locatum, sed ipse locus sic se habens. Vnde sicut album, dicitur ab albedine sic se habente, qui modus albedinis non est relatio: ita esse in loco, a loco sic se habente; non tamen talis modus est ad aliquid: at quia ista denominatio, & modus sumitur ab extrinseco, nec in re est, subiectum locatum, sicut corpus albedinis, uidetur minimum habere relationis, tamen absoluta simpliciter sunt secundum formam, a qua denominantur, licet aliquid relationis habentia: sed nullo modo ad aliquid, nec relata simpliciter sunt uocanda.

Ex quo intelliges, quam digni sint repræhensione, qui omnia ista prædicamenta per relationem tantum describũt: quis enim unquam sibi persuadet, esse uestitum, esse in loco, esse tantum relationes?

Accedamus ergo ad prædicamentũ. Quãdo, quod a Gilberto ita describitur. Est id quod ex temporis adiacentia relinquitur. Explicemus ergo, quid sit tempus, & quid esse in tẽpore, & quid est, quod relinquitur ex hoc, quod aliquid est in tẽpore. Tempus est rerum mensura continua successiua, scilicet, est quædam mensura rem totam ita mensurans, ut non totam simul mensuret, sed partem post partem, & quando una pars est, & aduenit, altera recedit, ut patet in his, quæ in tẽpore sunt. Corruptibilia enim omnia habent, duo suum esse, & suas operationes, & utrunque sub tẽpore, nam esse quod habitura sunt, non totũ similiter habent, ut patet in puero, & planta, & alijs, quæ paulatim acquirunt esse, & substantiam, & non totam simul, & una parte acquisita, altera abit, & recedit: similiter si operantur, non simul omnia faciunt, sed est initium operationis, & medium, & finis: & horum uno succedente, alterum recedit. — Quid sit tẽpus, & qd esse in tẽpore, qd dicitur. Quando

Nihil ergo aliud est esse sub tempore, quã uariationem, & fluxum in suo esse, & operatione secundum temporis uariationem pati. Id autem est relinqui ab adiacentia tpis, denominari ab ipso tpe mensurante, & fluente, & hoc

hoc est, Qñ, non tempus ipsum, sed tempus sic se habens. Et quia tempus est quid successiuum non verè denominat, nisi qñ aliqua pars, & quantitas eius sumitur simul, vel quia transacta est, vel quia transitura, uel quia iam transiens percipitur: id ergo dicitur Quando esse, quod relinquitur ex adiacẽtia temporis: uocat aũt adiacentiam, non inhærentiã, quia tempus non inhæret nobis, sicut albedo corpori, sed ab extrinseco mẽsurat: tempus enim est motus primi cœli realiter, vel eius passio.

Species, seu diuisio ipsi⁹, Quãdo. Genera ipsius Quando, penes partes principales tẽporis sumenda sunt, ut esse in preterito, præsenti, futuro: sub quibus sunt uariæ species tẽporis, quæ diuersas denominationes inducunt, ut superiori anno, proximo die, heri, & reliqua. Quãuis enim tempus sit quantitas unius speciei, tamen simul cũ hoc modo sumptum, & genera, & species uarias efficit.

Proprietates ipsi⁹, Qñ. Proprietates huius prædicamenti uel rei, quam uocamus. Quando, sunt tres. Prima ꝙ non habet contrarium ratione sui: heri enim non est contrarium hodie, nisi ratione eorũ, quæ in tempore accidunt, quia heri fui forte lętus, hodie męstus. Secunda, quando non suscipit magis, & minus. Tertia proprium est ipsius quando, ut solum denominet corpora corruptibilia: hæc enim omnia solum sunt propriè sub tempore, & dicuntur Quando, idest esse in tempore, uel fuisse, uel fore.

DE VBI.

Quid sit, vbi, seu esse in loco, & quæ eius species, & propria.

VBi, ut Gilber. definit, est circumscriptio corporis ex circumscriptione loci proueniens. In huius declaratione oportebit aduertere, quid sit locũ circumscribere corpus, ex hoc enim apparebit, quid sit loci actiua circumscriptio, & ipsius corporis circumscriptio passiua.

Quid sit locus, & q̃d circũscribi & esse ĩ loco, quod dr̃, Vbi. Locus, ut superius diximus, est superficies ultima corporis continentis. Ista igitur superficies, quæ locus est, primo ipsum corpus locatum totum circumstat, & ambit, ita ut illud locatum idem, uel pars eius alibi non sit, secundo ipsius locati partes, ita etiam ambiuntur, ut ubi una est, altera non sit, & ubi totum est, pars, adæquate non sit, tertio ita locus corpus circũstat, ut dum tale corpus ibi est, aliud quicquam tali in loco esse non possit: uerbi gratia, est uinum in aliquo uase, & in illa parte aeris circũdante, qua apertum est uas: tunc unum ita a tali loco continetur, ut alibi non sit, nec uinum, nec pars eius; & similiter pars loci quæ continet inferiorem partẽ uini, non continet superiorem partem, & præterea nihil aliud uas capiet, dum ibi uinũ fuerit, hoc est locum circumscribere corpus; & loci talis habitudo, & modus, dicitur circumscriptio actiua; & ex hoc patet, quid sit corpus circũscribi a loco, & quid sit ipsa circumscriptio loci passiua: & corpora quæ sic in loco sunt dicuntur esse circumscriptiue in loco.

Hinc demum patet, quid sit ubi, seu esse in loco; nihil enim aliud est, quàm a loco, sic affici, & a loco circumscribi, quemadmodum enim esse album, est ab albedine sic se habente denominari, siue ab albedine affici, ita ubi a loco, ut esse Romæ, esse in classe.

Vnde inutiliter quidam distinguũt duplex Vbi, actiuum, s. circumscriptionem loci: & passiuum, scilicet circumscriptionem corporum, cum unum sit ubi. s. a loco circumscribente contineri, ut declaraui.

Hinc fit quod ad maiorem declarationem adiungam. Quando aliquid ita est in aliquo loco, ut alibi simul sit, uel possit ibi alia simul compati, uel non habeat partes iuxta partes loci, non dicitur esse ubi proprie; propter q̃d Theologi optime dicunt, Deum non esse in cœlo tanquam in loco; quia simul est extra cœlum, & corpus Christi non est circumscriptiue in hostia, quia simul est in multis hostijs: & illic non est secundum quantitatem hostiæ, quia in qualibet hostiæ parte est totum corpus, sed de his hactenus. Quid sit esse ĩ loco impprie.

Vnum solum inferamus, proprie non esse in loco, nisi corpus sensibile secundum istam definitionem præsentem. Propterea non mihi placet distinctio illa de ubi composito, q̃d est pro corporibus, & de ubi simplici pro Angelis: hæc enim est præter Arist. doctrinam, licet aliàs illud uerum sit. Potius diuidemus aliud esse in loco circumscriptiue, quia. s. a loco circumambitur, ut corpus: aliud esse in loco diffinitiue, s. quia ibi sit præsens tantum, nec circumambitur a loco, scilicet aliqua superficie loci, ut Angelus. Aut etiã hoc pacto distingui potest, aliud esse in loco proprio, aliud in loco communi, in loco proprio, qui De varijs modis existendi in loco.

adæqua-

adæquatè corpus continet in loco communi, idest in adæquato, vt esse Romæ, esse in terra.

Potest etiam esse analoga diuisio, esse in loco per se vt corpus, esse in loco per aliud, vt puncta, & lineæ: per superficiem dicuntur esse in loco. Proprietates sunt faciles, propriè non habere contrarium, nec suscipere magis, vel minus. Hæc de vbi.

DE POSITIONE, seu situ.

Quid sit Positio, & quotuplex, & quæ eius propria.

POsitio est quidem partium situs, & generationis ordinatio. In declarationem aduerte, quod duplex est positio. Altera est ordo partium inter se, secundum quem una est ante aliam, uel in alia, uel alio quouis modo, & ista est positio, de qua in prædicamento quantitatis locuti sumus, quæ ad aliquid est, cum sit purus ordo. Alia est positio ipsarum partium inter se, & in ordine ad locum, qui situs dicitur, & hæc est huius prædicamenti, secundum quem corpus sic uel aliter se habet ad locum, secundum suas partes, ut dicimus, sedere, stare, cubare: hæc enim omnia ordinem partium secundum locum dicũt. Propterea definitio dicit partium situs, uam situs locum includit.

Positio autem duplex est, quædam naturalis, quædam accidentalis. Naturalis est, quam natura præfixit animatis, secundum quam homo sursum habet caput, bruta deorsum, brachia tali loco, & reliqua. Positio accidentalis est, quam uoluntas humana præfigit, quæ duplex est, quædam animatorum, ut stare, sedere, accumbere: altera inanimatorum, ut adiacere, erigi, obliquari, & similia. Ad explicandos igitur hos situs tam naturales, quam uoluntarios dicitur partium situs, & generationis ordinatio.

Proprietates situs faciles sunt, non habere contrarium proprie, nec suscipere, magis, uel minus. Et hæc breuiter sufficiant de positione.

DE HABITV.

Quid sit Habitus, & quotuplex, & quæ eius propria.

HAbitus multipliciter sumitur. Vno modo pro qualitate difficile mobili, & sic est primum genus qualitatis. Altero modo, pro habitudine, & relatione rei penitus extrinsecæ ad aliud cuius dicitur esse, secũdũ quod dicitur amicus est habitus: dignitas est habita ab alio. Tertio pro aliqua forma, uel re certo modo se habente circa corpus, quo pacto dicimus, esse uestitum, esse calceatũ: & sic, hoc prædicamẽtum facit, & describitur. Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia.

Habitus est duplex. Quidam pertinens ad ornamentum, ut habere annulum, mitram, & reliqua. Quidam ad indumentum, ut esse calceatum, & similia. Et hæc adhuc sunt in duplici differentia, sunt enim uel indumenta domestica, uel militaria.

Proprietates huius eædem sunt cum superioribus. Et hæc breuis explicatio logico sufficiat, plura alijs in locis proprijs cognoscito.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

De oppositis. Cap. XI.

DE oppositis autem quot modis solent opponi dicendum est. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea, quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio, & habitus, aut vt affirmatio, & negatio. Opponitur autem vnumquodque istorum, vt sit figuratim dicere, tanquam ea, quæ ad aliquid quidem, vt duplum dimidio, tanquam contraria, vt malum bono: tãquam autem secũdum priuationem, & habitum, vt cæcitas & visio; tanquam vero affirmatio, & negatio, vt sedet non sedet. 1

Quæcumque igitur ad aliquid opponuntur, ea ipsa quæ sunt oppositorum dicun- 2

dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipsa, vt duplum dimidij, hoc ipsum quod est, alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur: & scientia scibili, tanquam ea quæ sunt ad aliquid opponitur, & dicitur sciẽtia ad ipsum quod est scibile: & scibile dicitur ipsum, quod est oppositum ad scientiam: scibile enim aliquo dicitur, s. scientia scibile, quæcunque ergo opposita sunt tanquam ad aliquid, ea ipsa quæ sunt oppositorum, vel alio quolibet modo ad inuicem dicuntur.

3 Illa vero, quæ opponuntur vt contraria, ea ipsa quidem, quæ sunt nullo modo ad se inuicem dicuntur, contraria tamen sibi inuicem dicuntur: neque enim bonum mali dicitur bonum, sed cõtrarium quare differunt ad inuicem hæ oppositiones.

4 Quæcunque vero contrariorum talia sunt vt in quibus nata sunt fieri, & de quibus prædicatur necessarium sit alterum ipsorum inesse, horum nihil est medium: quorum vero non est necessarium alterum inesse horum omnino est aliquid medium: Vt ægritudo, & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri: & necessarium est alterum in ipsorum inesse animalis corpori vel ægritudinẽ, vel sanitatem: & par quidem, & impar de numero prædicantur: & necesse est horum alterum numero inesse, vel par, vel impar: & nõ est horum aliquod medium, neque ægritudinis, & sanitatis, neque imparis, atque paris.

5 Quorum autem non est necessarium alterum inesse, eorum est aliquod medium, vt nigrum, & album in corpore animalis nata sunt fieri, & non est necessarium alterum eorum inesse corpori: non enim omne corpus uel album, vel nigrum est: sed & paruum, & studiosum prædicãtur quidem de homine, & de alijs compluribus: non est autem necessarium alterum eorum inesse ijs, de quibus prædicantur: non enim omnia aut praua, aut studiosa sunt, sed est aliquid eorum medium: vt albi, & nigri, fuscum, & pallidum, & quicunque alij colores: praui vero, & studiosi, quod neque prauum, neque studiosum est. In aliquibus igitur medijs posita sunt nomina: vt albi, & nigri, fuscum, & pallidum, & quicunque alij huiusmodi colores: in aliquibus vero non est nomine facile medium assignare vtriusque vero extremorum negatione medium definitur, vt quod neque bonum neque malum est, neque iustum, neque iniustum.

Priuatio vero, & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid, vt visio, & cæcitas circa oculum, vniuersaliter autem dicere est in quo natus est habitus fieri, circa hoc dicitur vtrunque eorum fieri. 6

Priuari vero tunc dicimus vnumquodque habitus susceptibilium, quando in quo natum est inesse, vel quando illud natum est habere nullo modo insit: edentulum enim dicimus, non quod non habet dentes, & cæcum non quod non habet visum: sed quod non habet, quando natum est habere: aliqua enim ex natiuitate neque dentes habent, neque visum: sed non dicuntur edentula, neque cæca. Priuari verò, & habere habitum non est priuatio, & habitus; habitus enim visus est, priuatio vero cæcitas: habere autem visum non est visus, nec cæcum esse cæcitas: priuatio enim quædam est cæcitas: cæcum uero esse priuari, non priuatio est. Amplius, 7

si idem

si idem esset cæcitas, & cecum esse, vtraque de eodem prædicarentur, sed cecus, quidem dicitur homo, cecitas vero homo nullo modo dicitur. Opponi quidem etiam ista videntur priuari scilicet, & habere habitum quemadmodũ priuatio, & habitus, idem enim modus est oppositionis. Nam sicut cecitas visui opponitur, sic cæcum esse, & visum habere, opponuntur.

8 Non est autem neque hoc quod sub affirmatione, & negatione est, & affirmatio, & negatio: affirmatio nãque oratio affirmatiua est, & negatio oratio negatiua: quod verò sub affirmatione & negatione est nulla est oratio, sed res; dicuntur autem hæc esse opposita adinuicem tanquam affirmatio, & negatio: nam & in his modis oppositionis idem est: sicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod sedet, ei quod non sedet, & sic & res quæ sub vtroque est opponitur, scilicet sedere aliquem, ad non sedere.

9 Quod autem priuatio, & habitus non opponuntur, vt aliquid, manifestum est: non enim dicitur idipsum, quod est oppositi: visus enim non est cecitas visus, neque vllo alio modo ad ipsum dicitur. Similiter autem neque cecitas visionis cæcitas dicitur: sed priuatio quidem visionis dicitur, cecitas vero visionis non dicitur, neque visus cecitatis. Amplius, ad aliquid omnia ad conuertentiam dicuntur; quare, si cecitas eorum, quæ ad aliquid sunt, esset, vtique & conuerteretur ad illud ad quod dicitur, sed non conuertitur: non enim dicitur visus cecitatis visus.

10 Quod autem neque vt contraria opponuntur, quæ secundum priuationem, & habitum dicuntur, ex his manifestum est. Contrariorum enim, quorum nihil est medium, necesse est vel in quibus fieri nata sunt, aut de quibus prædicantur, alterum ipsorum inesse semper: eorum enim nihil medium erat, quorum alterum inesse susceptibili necessarium erat, vt in languore, & sanitate, & impari, atque pari. quorum vero aliquid medium est, nunquam necesse est omni inest alterum, neque enim necesse est omne susceptibile, uel candidum, uel nigrum esse, neque frigidum, uel calidum: horum enim medium aliquid nihil esse prohibet, insuper autem & horum erat aliquid medium, quorum alterum inesse susceptibili non necessarium erat præter illa, quibus unum inest naturaliter, ut igni calidum esse, & niui candidum: in his enim determinate necessarium alterum est inesse, & non utrumuis contingit: non enim possibile est ignem, frigidum esse, neque niuem nigram. Quare omni quidem susceptibili non necessarium est alterum ipsorum inesse, sed solis quibus natura unum inest: & his determinate unum, non utrumuis contingit. In priuatione autem, & habitu neutrum eorum quæ dicta sunt uerum est: non enim semper alterum eorum inesse susceptibili necessarium est: quod enim nondum natum est habere uisum, neque cæcum, neque uisum habens dicitur, quare non erunt hæc, ut ea contraria; quorum nihil est medium. Sed neque ut ea, quorum aliquid est medium: necessarium enim est aliquando omni susceptibili alterum eorum inesse: quando enim iam ad habendam uisionem natum fuerit, tunc aut cæcum,

aut habens uisum dicetur, & eorum non determinate alterum sed vtrumuis contingit: non enim necessarium est, uel cęcum, uel uisum habens esse, sed utrumuis contingit: in contrarijs autem, quorum aliquid medium est, nunquam neceßarium erat omni susceptibili alterum inesse, sed quibusdam: & his determinate vnum, & non vtrumuis contingit. Vnde palam est, quod secundum neutrum modorum, tanquam contraria opponuntur ea, quæ secundum priuationem, & habitum opponuntur.

11 *Amplius, in contrarijs quidem cum sit susceptibile, adinuicem mutationem fieri possibile est: nisi alicui vnum natura insit: vt igni calidum: & enim sanum possibile est languere, & candidum nigrum fieri, & calidum frigidum: & ex studioso prauum, & ex prauo studiosum fieri possibile est: prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas (etsi ad modicum aliquid proficiat, vt melior sit) si certe semel quamuis modicum incrementum sumpserit, palam est quia aut perfecte mutabitur, aut satis multum incrementum sumet: semper enim bene mobilior ad virtutem fit, etiam quodcunque incrementum sumpserit à principio, quare etiam verisimile est plenius cum sumere incrementum, & hoc dum semper fit, perfecte in contrarium habitum restituetur: nisi forte tempore prohibeatur. Verum in priuatione, & habitu impossibile est adinuicem mutationem fieri, ex habitu enim in priuationem mutatio fit, a priuatione vero in habitum impossibile est: neque enim cæcus factus aliquis, rursus vidit: neque cum caluus fuerit, rursus comatus factus est: neque cum fuerit edentulus, dentes ei iterum orti sunt.*

Quæcunque vero tanquam affirmatio, & negatio opponuntur, palam est, quod nullo prædictorum modo opponuntur: in solis enim his necessarium est semper, hoc quidem eorum verum, illud autem falsum esse; neque enim in contrarijs necessarium est semper alterum verum esse, alterũ autem falsum: neque in ijs, quæ ad aliquid sunt, neque in habitu, & priuatione, vt sanitas, & languor contraria sunt: & neutrum horum neque verum, neque falsum est. Similiter autem & duplum, & dimidium tanquam quæ ad aliquid opposita sunt, & non est eorum neutrum, neque verum, neque falsum: sed neque ea quæ secundum priuationem, & habitum dicuntur: sicut visio, & cæcitas. Omnino autem eorum, quæ secundum nullam dicuntur complexionem, nihil neque verum, neque falsum est. Omnia autem quæ dicta sunt sine complexione dicuntur. Veruntamen maxime tale hoc contingere videbitur in ijs quæ secundum complexionem contraria dicuntur: sanum namque esse Socratem, ad languere Socratem contrarium est. Sed neque in his necessarium semper alterum verum esse, & alterum falsum: cum enim Socrates sit, aliud quidem verum, aliud autem falsum erit: cum vero non sit: ambo falsa sunt: neque enim languere, neque sanum esse verum est cum ipse non sit omnino Socrates. In priuatione vero, & habitu cum non sit omnino, neutrum verum est: cum autem sit, non semper alterum quidem verum erit, alterum autem falsum: habere namque visum Socratem ei, 12

quod

quod est cæcum esse Socratem opponitur sicut priuatio, & habitus, & cum sit, non necessarium est alterum verum esse, vel falsum; cum enim nondum sit natus habere, vtraque falsa sunt, & cum non sit omnino Socrates, similiter quoque falsa sunt vtraque, & visum eum habere, & cæcum eum esse. In affirmatione vero, & negatione semper siue sit, siue non sit, hoc quidem falsum erit, illud autem uerum. Languere namque Socratem, & non languere Socratem cum ipse sit, palam est quòd alterum eorum verum, alterum vero falsum est, & cum non sit, similiter; languere etenim cum non sit, falsum est; nõ languere autem, verum. Quare in his solis proprium erit semper alterum eorum verum, alterum falsum esse, quæcunque tanquam affirmatio, & negatio opponuntur.

13 *Contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est, hoc autem per singulorum inductionem palam est: vt sanitati languor, & iustitiæ iniustitia, & fortitudini timiditas: similiter autẽ, & in alijs. Malo autem aliquãdo quidem bonum est contrarium, aliquando malum: defectui enim, cum malum sit, superabundantia contraria est, cum sit etiam ipsa malum: similiter autem, & mediocritas cum vtrique contraria sit, bonum est. Sed in paucis quis tale hoc aspiciet, in pluribus vero semper malo bonum contrarium est. Amplius, contrariorum non necessarium est si alterum sit, et reliquum esse; Sanis namque omnibus, sanitas quidem erit, languor vero non: Similiter autem albis omnibus, albedo quidem erit, nigredo vero non. Amplius si ei quod est Socratem sanum esse, Socratem languere contrarium est; non contingit autẽ simul vtraque eidem inesse: non vtique continget cum alterum contrariorum sit, & reliquum esse, cum enim sit Socratẽ sanum esse, languere Socratem non erit. Palam vero est quod circa idem, aut specie, aut genere nata sunt fieri contraria. Languor namque, & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri, albedo, autem, & nigredo simpliciter in corpore: iustitia vero, & iniustitia in anima hominis. Necessarium autem est omnia contraria, vel in eodem genere esse, vel in contrarijs generibus, vel ipsa genera esse; album enim, & nigrum in eodem genere sunt; color enim eorum genus est; iustitia verò, & iniustitia, in contrarijs generibus: illius namque virtus genus est, huius autem vitium; bonum vero, & malum non in genere sunt, sed ipsa sunt genera aliquorum existentia.*

Curiam de his post prædicamentis, & de quot, quoque ordine differat.

DIximus in principio huius tractatus, eũ in tres partes esse diuisum. In prima quidem parte traduntur quædam præambula ad prædicamentorum cognitionem necessaria. In secunda de ipsis prædicamentis, & generibus agitur. In tertia, quæ post prędicamenta dicitur, aliqua, quæ in ipsis prædicamentis communiter reperiuntur, & ipsorum velut proprietates communes sunt, continentur.

Hæc autem sunt quinque, Oppositio, Prius, Situs, Motus, Habere. De quorum singulis in suis capitibus agemus: & quomodo in prædicamentis inueniantur, explicabimus.

Primũ ergo est Oppositio, de qua in quatuor primis prædicamentis sermo factus est, dum dicitur substantiæ non esse contrarium, & in quantitate magnum opponi paruo: & in

in qualitate pariter, & relatione, & praeterea in omnibus praedicamentis oppositio inuenitur, cũ differentijs oppositis genera quaeq; diuidantur. Agit igitur primo de oppositione.

Est autem hoc caput diuisum in tres partes principales. Prima continet quatuor species oppositionis, & earum declarationes. In secunda fiunt quaedam earum adinuicem collationes, vt cuiusque differentia nota fiat: In tertia particularius agitur de contrarijs.

1 *De oppositis uerò quoties solent opponi, &c.*

Haec est prima pars, in qua materiam capitis proponit, nempe agendum esse de oppositorum modis: quadrimembremque facit diuisionem: & eorum exempla proponit postea de singulis disserit.

Opposita igitur quadrupliciter opponuntur, Relatiuè, Contrariè, Priuatiuè, Cõtradictoriè. Relatiuè, vt duplũ dimidio opponitur. Cõtrariè, vt bonum, & malũ. Priuatiuè, siue secundum priuationem, & habitum, vt visio, & caecitas. Contradictoriè, seu tanquam affirmatio, vel negatio, vt sedet non sedet.

Hic dubitabis, quomodo malum, & bonum sint contraria, cum malum nihil aliud dicat quam carentiam, & priuationem boni, malum enim est priuatio alicuius boni, quod in re erat futurum, vel iam erat, vt caecitas dicitur malum oculi, quia priuat oculum visu suo: vt autem duo sint contraria, vtraque debuerunt esse alicuius naturae positiuae. Ad hoc dico, non esse negandum naturam mali esse priuatiuam, nullum enim ens positiuum in sua natura est malum. Sed hic Arist. sumit bonum, & malum pro ipsis rebus quae dicuntur bonae, & malae, vt habitus virtutis, & habitus vitij; ille enim bonus, hic vero malus dicitur, & contrarij sunt: & vnum contrarium vniuersaliter dicitur bonum, alterum malum in rebus naturalibus, vt dulcedo bona, amaritudo mala.

2 *Quaecunque igitur, ut ad aliquid opponuntur, &c.*

Singulos oppositionum modos aggreditur: & primum a relatiuè oppositis incipit. Illa autem opponuntur ad aliquid, quęcumque hoc ipsum, quod sunt oppositorum dicuntur, vel quolibet aliter ad ipsa. Ponit exempla variorũ casuum, per quos relatiua ad sua correlatiua referuntur, vt diximus superius: ex quibus varijs exemplis rursus eandem infert velut probatam definitionem. Dubitabis quare dixit (oppositorum dicuntur) & non, aliorum dicuntur, vt superius dixit. Dico relatiua dupliciter posse comparari. Vno modo ad sua correlatiua, vt scientia ad scibile, virtus ad suum obiectum. Altero modo ad alia, quae sibi correlatiua non sunt, vt scientia ignorantiae, virtus vitio. Si relatiua primo modo sumantur, sic intra ad aliquid opponuntur, & ita loquitur in praesentia: ac propterea dixit, oppositorum dicuntur, vt cognoscamus hanc oppositionem esse intra ipsa correlatiua adinuicem. Si posteriori modo sumantur, contrariam aliquando sortiuntur oppositionem, vt scientia ignorantiae, & virtus vitio contraria est, suis tamen correlatiuis, vnumquodque horum ad aliquid, seu relatiue opponitur, & hoc etiam in exemplis manifestatur. Dubitatur quomodo duo correlatiua dicuntur opposita adinuicem: cum simul existant, & vnum alterum non auferat, immo absque altero alterum nequeat consistere. Respondet Albertus, non opponi secundum hanc coexistentiam, sed secundum quod vnum alterum à subiecto expellit: pater enim non compatitur in eo subiecto, in quo est, filiationem eam ad quam dicitur, & cui opponitur: & hac ratione simul non existunt.

Illa uero, quae opponuntur, ut contraria, &c. 3

Secundo loco aggreditur contraria, & ipsa sic describit. Contraria sunt quae cum adinuicem non sint, vnum alteri inuicem contrarium dicitur. Et est aduertenda ista descriptio, duas autem habet partes. Altera est. Contraria adinuicem non dicuntur, non enim dicitur album est nigri album, & nigrum est albi nigrum: tamen haec particula non sufficit; nam in priuatiuè oppositis etiam hoc idem est, & in contradictorijs, non enim dicitur caecitas est visus caecitas, & e cõtra; propterea est altera particula. (Et vnum alteri est contrarium.) idest, est similis, & aequa ratio, & habitudo in vtroque, secundum quam album nigro contrarium, & item albo nigrum est contrarium: & hoc in nullis alijs oppositis,

praeter

præter relatiua, inuenitur; propterea excepit relatiua, dicitur enim, cæcitas est, priuatio uisus, sed non dicitur uisus priuatio cæcitas. Similiter nō sedet, dicitur negatio illius, qui sedet, sed sedet non dicitur negatio alterius, sed affirmatio. Hoc igitur indicat illa particula in contrarijs, alterum alteri sibi inuicem contrarium dicitur. Dubitatio hic oritur, contrarietas est quædam relatio, sicut similitudo, dissimilitudo, inæqualitas, & reliqua; ergo, q̃ opponuntur secundum cōtrarietatem opponuntur ralatiue. Dico hoc esse sophisma: hic enim non sumimus oppositionem in illa relatione, quæ dicitur contrarietas, sed in ipsis extremis, quibus inest talis contrarietas, quæ extrema, s. album, nigrum, si secundum talē relationem contrarietatis opponuntur, sunt relatiua; secundum formas ipsas absolutas, quibus contrarietas inest, contraria sunt, & non ad aliquid.

4 *Quæcunque uero contrariorum talia sunt &c.*

Diuisionem quandam contrariorum hic ponit. Contraria quædam non habent medium, quædam autem medium habent, illa medium non habent, quę circa proprium subiectum ita se habent, vt proprio, eorum subiecto proposito, sit necessarium alterum illorum inesse, uerbi gratia, par, & impar sunt contraria, nō habētia mediū, quia posito numero aliquo, qui est subiectū paritionis, vel imparitionis, necesse est quòd ille numerus sit par, vel impar; & proposito aliquo, quod est subiectum sanitatis, & ęgritudinis, necesse est, vt illud aliàs sit sanum, uel ægrū; secundū .n. Aristo. non est medium inter sanitatē, & ægritudinē, vt vult Gale. hic .n. asserit conualescentiā esse medium; hoc tamē non recipit Aristot. sed hoc determinare est extra rē, sat est hic posita esse pro exemplo ista duo, tanquā nō habentia mediū. Hic aduerte, semper sumendum esse subiectū propriū contrariorū: id autē propriū subiectum uocat, circa qd apta sunt contraria, ut uersentur, & oriuntur, vt corpus aliquod mixtum dicitur subiectū propriū albedinis, & nigredinis, cui albedo, vel nigredo inesse potest, aliter .n. nisi propriū subiectum sumas, medium inuenies in non habentibus medium, ut Angelus nec est sanus, nec æger, nec par, nec impar, sumendum ergo est proprium subiectum.

Quorum autem non est necessarium, &c. 5

Explicat quæ medium habeāt, nempe quę subiecto proprio posito non est necesse alterum illorum inesse, vt album, & nigrum medium habent: posito .n. corpore, non est necesse quod album sit, vel nigrum, potest namq; esse rubrum, uel pallidum: quamuis, inquit, nō omne medium nomen habeat, in quo insinuat duplex esse cōtrariorum medium, alterum per participationem, alterum per negationem extremorū. Illud est per participationem, quod est aliqua forma ex extremis composita, vt pallor, rubor, quæ ex albedine, & nigredine conflantur: illud autem est per negationē extremorum, quod non est aliqua forma media, vel composita ex extremis, sed aliquod subiectum particulare proprium, à quo utrumque extremum remouetur, vt prauum, & studiosum habent medium, nō quidem participatione, sed subiecto: nā datur aliquod ex proprijs subiectis, qd nec sit prauū, nec studiosum, s. homo qui nondum habet habitū uirtutis, uel habitum uitij; hic enim prauum, & studiosum sumuntur secundū habitum, nā secundum actum nullus est homo adultus rationis capax, qui non sit bonus, vel malus, s. in peccato, vel in gratia: potest tamē esse qui nec habitū uirtutis, nec uitij habeat, vt qui unum, aut alterum peccatum habet, ex quibus nondum factus habitus est.

Priuatio uero, & habitus dicuntur quidem circa idem, &c. 6

Explanatis contrarijs accedit ad opposita priuatiue, explicatque quæ opponantur priuatiue, seu quid sit priuatio, & habitus, & quid priuari, & habitum habere. Priuatio, inquit, & habitus circa idem aliquid sunt, vt cęcitas, & visus circa oculum. Pro cuius declaratione aduerte, contraria uersari quidem circa idem subiectum, sed non semper circa idē subiectū specie, uel numero: vt albū, & nigrū, calidum, & frigidum, circa corpus sunt, quia non nisi corpori insunt, at non in eadem corporis specie, nec in eodem corpore numero. Similiter reliquæ oppositiones non est necesse sint circa idem subiectum numero; at habitus, & priuatio nata sunt fieri, circa idem subiectum specie, & numero, ut cęcitas, & uisus, circa oculum, & in oculo,

in quo uisus est, ibi nata est cęcitas inesse. Ac propterea dicit Aristo. debent non solum circa idem, sed circa idem aliquid esse: & quia non eodē modo, & ordine se habent circa tale subiectum, non enim simul sunt in eodem, sed vno adueniente alterum recedit, & non æqualiter, nam post habitum potest semper aduenire priuatio, non tamē semper post priuationem aduenit habitus, cum nunquam, postquam aliquis mortuus est, iterum naturaliter redeat ad vitam, sicut post vitam, semper est mors: propterea dicit habitus, & priuatio videlicet, fiunt circa illud subiectum circa quod habitus aptus est esse: nō enim vtrumque semper versatur circa subiectum, in quo priuatio est: in oculo enim, in quo priuatio est, visus inesse non potest, sicut in quo visus est, cœcitas esse potest. Postea explicat quid sit esse priuatum in concreto: dicitque illud subiectum priuatum dici, quod caret habitu, & forma, quam aptum erat habere illo tempore, quo ea caret. Aduerte, non quodcunque subiectum non habens formam aliquam, dici priuari tali forma, sed illud subiectum, cui talis forma inesse apta est, verbi gratia: lapis non dicitur priuatus visu, seu cœcus, eo quod non habeat visum, quia non est aptus habere visum: nec hoc sufficit, sed est necessaria etiam circunstantia determinatæ partis, & tēporis: non enim dicetur homo cęcus, eo quđ non habet visum in manu, quamuis homo sit aptus ad videndum, sed præter subiectum aptum est necessaria circumstantia partis, scilicet, quod non habeat visum in oculis: Similiter circumstantia temporis, vt careat forma tēpore, quo habiturus illā erat: catulus enim ante nouem dies non dicitur cœcus, quamuis non videat, quia illo tēpore nō est aptus habere visum: nec infans dicitur edentulus, quia tali tēpore non est aptus habere dentes: illud ergo priuatū est, quod cum sit subiectū aptū ad formā aliquā, debito tēpore, & parte, illa caret, vt dicitur hō cęcus, qui visu caret quo tēpore, & parte habiturus erat eū: in quo manifestatur natura priuationis: est enim priuatio negatio formæ in subiecto apto secundū naturā, illam habere, cū debitis circūstantijs.

7 *Priuari vero, & habere habitum nō est priuatio, & habitus, &c.*

Cum aliter priuationem, & habitum, aliter priuatum esse, & habere formam explicauerit, ostendit, idem ista duo non esse: differūt. n. sicut albedo, & album esse, cum unum subiectum includat, alterum uero minimè: Id autem probat dupliciter. Primo, cęcum esse, & cœcitas idē non sunt, & similiter uisum habere, & uisus: at cęcum esse, & uisum habere sunt priuari, & haberi: cęcitas autem, & uisio, priuatio, & habitus: ergò priuatio, & priuatum esse, & habere, & habitus, non sunt idem. Præterea secundo, de aliquo prædicatur cœcum esse, & uisum habere, de quo non cęcitas, & uisio, ergo idem non sunt: nam homo dicitur priuatus & cœcus, non tñ cęcitas, uel priuatio. Statim subiunxit in quo hæc cōueniant: nempe in hoc, ꝙ eadē oppositione opponuntur, s. priuatiua, abstracta, & concreta: ut enim cęcitas, & uisio priuatiua sunt, ita cęcum esse, & uisum habere.

Non est autem hoc, quod sub affirmatione, & negatione est &c. 8

Hic explicat ea, quæ contradictoriè opponuntur, & ea explicat penes uoces, quia oppositio contradictoria non solis rebus inest, nisi ut cognitione appræhenduntur, uel oratione explicantur: nam, non sedet, absolute in rebus non est, nisi in oratione, uel conceptu sumitur, vt postea dicemus: docetque affirmationem, & negationem non esse id, qđ affirmatur, vel negatur, sicut uox significans non est res significata, tamen hoc utrique inest, quod sicut oratio in se opponitur, ita res quæ per talem orationem significatur.

Quoniam autem priuatio, & habitus non opponuntur &c. 9

Hæc est secunda principalis capitis huius pars, in qua Arist. istas oppositiones confert; ac primo priuatiuā cū relatiuis, cōtraria autē nō cōparat, qa superius dixerat nō esse ad inuicē. Probat aūt dupliciter priuatiua nō esse ad aliquid. Primo, qa uisus, & cęcitas nō dicūtur ad inuicē, nō. n. uisus est ad cęcitatē, nec cęcitas ad uisū. Scđo, qa nō dicunť ad conuertentiā; nō. n. uisus cęcitatis uisus est, nec cęcitas uisionis est cęcitas, nō ergo sūt ad aliqd.

Quoniam autem neque, vt contraria, &c. 10

Hic cum contrarijs comparat, & dupliciter probat, quæ secundū priuationē, & habitum.

tum opponuntur, non opponi cõtrariè. Primum argumentum, est hoc breuiter, quia satis prolixum est in litera. Contraria quædam habent medium, quædam non habent medium: at priuatiua, nec sunt ex contrarijs habentibus medium, neque ex non habẽtibus: ergo non sunt contraria. Minor probatur de contrarijs non habentibus medium. Ista contraria sic se habẽt, quod in subiecto proprio, necessario alterum inest, & hoc in omni subiecto, ita, vt nullum detur subiectum susceptibile, cui alterum illorũ non insit. At datur aliquod subiectum proprium priuationis, & habitus, cui non necessario vnum horum inest: catulus enim est subiectum proprium, & aptum, quamuis ei deficiat circumstantia tẽporis, tamen nec est cęcus, nec videns. Probatur autem de contrarijs habẽtibus medium; hæc enim sic se habent, vt in nullo proprio eorum subiecto unum necessario insit, nisi quando a natura insunt: vt album, & nigrum habent medium, & nullum corpus dabitur ꝙ necessario sit album, vel nigrum, nam potest esse pallidum. Patet, Illi corpori, cui à natura inest album, vel nigrum, sicut niui, & pici, inest albedo, vel nigredo naturaliter. Similiter de calido, & frigido, calor enim inest naturaliter igni. Præterea ista subiecta, quibus naturaliter inest unum contrariorum ex his, habent vnum determinate, idest ita vnum, ꝙ non alterum, vt nix albedinem; ignis calorẽ: at in priuatiuis hoc non fit: in primis sunt subiecta propria in quibus naturaliter non insunt, & tamen in eis necessario vnum oppositorũ inest, vt homini, & cani adulto necessario inest, vel cęcitas, vel visus: neutrũ tamen a natura inest, cum eis manentibus possint abesse. Præterea, quia non datur extremũ determinatũ ad vnum subiectum, sicut in illis contrarijs datur vnum, quod necessario sit album, & non nigrum; at in his nullũ datur subiectum ex natura sua determinatum ad vnum, quodlibet enim est cęcum, vel videns.

Dubiũ. Circa istã rationẽ dubitabis, vt. n. non procedere recte: nã ad probandũ non esse contraria non habentia medium, sumit subiectum non susceptibile priuationis, & habitus, nempe catulũ ante nonũ diẽ: & postea sumit subiectũ susceptibile pro contrarijs mediatis. Ad hoc dico argumentũ esse bonum: & eius vis, & robur in hoc est. In cõtrarijs nõ habentibus mediũ omni tpe alterũ illorũ inest subiecto susceptibili, nec expectat tempus aliquod, vt insit subiecto; at priuatiua, nõ omnĩ tempore subiecto insunt, cum catulus aliquo tempore nec videns, nec cęcus sit: & tamen ille subiectum est, cum post aliquod tempus uisurus sit, vel futurus cęcus: Quod si dicas catulus nondum est aptus tunc, vt recipiat alterũ illorũ: Ex hoc colligitur aliquod aliud præter subiectum esse necessarium ad priuationem, quando quidem illi nondum inest aliquod horum, siue habitus, siue priuatio; quod tamen in contrarijs non est; cum tale tempus postquam subiectum existit, non expectetur; & ita differunt a contrarijs. Et hic est sensus uerissimus ipsius Aristo. quem optime insinuauit Simpl. Similiter de altera parte argumenti circa contraria mediata, Vis argumenti hæc est. Nullo tempore est necessarium aliquod illorum cõtrariorum subiecto inesse, nisi sit à natura unum extremum: at aliquãdo, vt ipse textus expresse dicit, est necessarium alterum istorum, siue habitus, siue priuatio insit, homini vel cani adulto, ergo non est ex illis contrarijs, & hoc obserua. Dices; quo pacto calor igni, & albedo niui inesse a natura dicuntur? Dico non inesse a natura, quia sint de eorum substantia, ut aliqui existimarunt credentes esse formas substantiales, cum tamen hoc sit contra Aristo. ipsum, vt recte dicit Alb. ca. 8 asserit enim esse contraria, at substantiæ non est contrarium, sed dicũtur de natura illorum, quia sunt passiones naturam consequentes non separabiles, nisi per corruptionem subiecti.

Amplius in contrarijs quidem cum sit susceptibile, &c. 11

Hoc est secundum argumẽtum, quo probat priuatiue opposita, non esse cõtraria; etenim cõtraria circa idẽ subiectũ possunt mutuo se expellere, & ad inuicẽ mutari, nisi qñ unũ inest a natura, ut põt qđ languorem habet, sanari; & qđ sanũ, est languere; & calidũ fieri frigidũ, & frigidum fieri calidum, & ex studioso põt quis prauus, & ex prauo studiosus fieri; qđ probat, nã hõ prauus si bene incipiat assuefieri, absq; dubio potest, vel modicum in uirtute proficere; at si iterum atque iterum assuefiat, poterit ad uirtutẽ peruenire, vel saltem magnum incrementum facere, Hoc dicit propter Platonem, vt dicit Alber.

niger, pater, filius, uidens, cæcus: rñdet adhuc non esse eadem: quia in istis non est necesse unũ esse uerum, alterum falsum: Patet, si. n. subiectum non existat, reliqua opposita sunt falsa, ut si Socrates non sit, falsa sunt ista, Socrates est albus, niger, pater, filius, videns, cæcus. Immo in priuatiuis non solum quando subiectum non est, sed &ẽ quando aptum non est, erit falsum vtrumque oppositum, ut dixi mus: at in contradictorijs semper siue subiectum sit, siue non sit, alterum est verum, alterũ falsum, vt si nõ sit Socrates falsum erit, quod sedet, verumtamen erit, quod non sedet: hæc. n. est natura talium oppositorum.

13 *Contrarium autem bono ex necessitate quidem malum est, &c.*

Hæc est tertia capitis principalis pars, in qua aliquot theoremata contrariorum, quæ eorum naturam manifestant, ponuntur.

Primum est. Bono ex necessitate malum cõtrariatur, malo autem & bonum, & malum aliquando. Huius prior est pars, bono ex necessitate malũ contrariatur: quę nõ significat, quod semper bonũ habeat contrarium, nõ. n. hoc ita est: multa namq; bona contrariũ non habent; sed significat, quod quoties bonũ habet contrariũ, id malum, nõ bonum est. Oportet aũt intelligere, quid per bonum, quid per malũ intelligat, & quidẽ dupliciter potest ad hoc rñderi: primo per bonũ, quidam intelligunt qualitatẽ secundum se appetibilẽ, vt est iustitia, scientia sanitas, per malũ aũt qualitatem secundum se non appetibilem, vt vitiũ, ignorãtia, languere; & tũc est sensus, qualitati bonæ qualitas mala opponitur, vt sanitati lãguor, iustitiæ iniustitia; malo aũt aliqñ bona, vt timiditati fortitudo, aliquando mala, ut timiditati temeritas, sunt enim duo mala, alterum per excessum, alterum per defectũ, virtuti, quæ in medio est, contraria. Nec mireris, si vni duo contraria sint, cum id fit diuersis rationib. Potest secundo etiam rñderi generalius, vt per bonum intelligat qualitatem conuenientem subiecto, & per malum qualitatem disconuenientem subiecto, vt calor est bonus subiecto cui conuenit, & huic frigiditas mala, vt sit sensus, cui vnum contrarium bonum est, & conueniens, alterum malum est, & nociuum, at cui aliquod malum est, alterum aliquando est bonum, aliquando etiam malum: vterque sensus mihi probatur, sed prior est melior.

Alterum theorema. Non est necessarium vtrumque contrariorum esse in rerum natura, potest enim vnum absque altero inesse; possunt enim omnia bene se habere possunt præterea omnia colorata esse alba.

Tertium. Cõtraria simul non sunt in eodem subiecto: nihil. n. est sanum, & languidum, calidum, & frigidum: hoc intellige secundum eandem partem subiecti, & in gradibus intensis: aliter. n. possunt esse simul, ista est cõis limitatio huius theorematis; ꝗ-uis ego existimem non esse opus limitatione: sensus enim est, Vnum, & idẽ subiectum numero simul non recipit absolutas prædicationes contrariorum; non, enim, dicitur calidum, & frigidum, quamuis in vna parte calorem, in altera frigiditatem possit recipere.

Quartum. Contraria existunt absolute in eisdem subiectis vel specie, vel genere, non tamen in eodem numero, vt modo dixi: in quo a priuatiue oppositis differunt, quæ ordine quodam circa idem subiectum numero existunt, vt diximus superius.

Quintum. Cõtraria vel sunt in eod. genere proximo, ut album, nigrũ, uel sub diuersis generibus eiusdẽ prædicamenti, ut iustitia sub uirtute, iniustitia sub uitio; uel ipsa sunt genera eiusdem prædicamenti, ut uirtus quę dr̃ bonũ, uitiũ qđ dicitur malũ; nũquã tñ ab eodẽ prædicamento egrediunť, nempe a prædicamẽto qualitatis. Ex his posset cõtrariorum descriptio sumi; Cõtraria sunt qualitates, quę cũ adinuicẽ non dependeant, sub eodẽ sunt prædicamento, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ab eodem, inquam, numero.

Dubia quædam scitu digniora.

Circa istud caput dubium est de numero, & ordine harum oppositionũ prædictarum; ad quod bene respondet Ammo. Oppositio. n. aut potest considerari, ut in rebus est, aut ut in rebus secundum quod uoce significantur: si hoc postremo modo consideretur, est oppositio, ut affirmatio, & negatio; ut autẽ in reb. est, aut res sunt absolutæ, aut respectiuæ, si respectiuæ, fit oppositio ad aliquid: si absolutæ, aut agunt adinuicem, & mutuo se expellũt, aut nõ, si adinuicẽ agũt & mutuo se expellunt, sunt contraria: sin uero non mutuo, sunt priuatiua. Patet igitur nõ esse alias oppositiones præter has. Dubiũ primũ. De numero, & ordine oppositorum.

tur, a quo, non conuertitur eius, quod est esse consequentia. Tertio uero secundum ordinem quendam prius dicitur; & quemadmodum & in scietijs, & in orationibus, nam in demonstratiuis scientijs est prius, & posterius ordine; elementa enim priora sunt ordine ijs, quæ describūtur, sed in Grammatica elementa syllabis priora sunt, & in orationibus similiter procemium narratione prius ordine est. Amplius, preter ea quæ dicta sunt, quod melius, & honorabilius est, prius natura esse uidetur, consueuerunt autem, & multi honorabiliores, & magis dilectos à se, priores apud se dicere, est quidem, & pene alienissimus priorum hic modus: Modi igitur, qui dicti sunt de priore, fere tot sūt.

2 *Videtur autem præter eos qui dicti sunt, alter esse prioris modus, eorum enim, quæ conuertuntur secundum esse consequentiam, quod alteri quomodolibet causa est, conuenienter prius natura dici potest. Quod uero quædā sunt huiusmodi, palam est, esse namque hominem, secundum ipsius esse consequentiam ad ueram de se conuertitur orationem: nam si homo est, uera est oratio, qua dicimus, quod homo est, & conuertitur: nam si uera est oratio, qua dicimus, quod homo est, est homo. Est autem uera oratio nequaquam causa, ut sit res, uerumtamen res quodammodo causa uidetur, ut sit uera oratio, eo enim quod est res, est, aut non est, uera oratio, aut falsa dicitur. Quare secundum quinque modos prius alterum altero dici potest.*

HOc est aliud post prædicamentum: nempe quot modis dicatur, prius: constat enim in prædicamento substantiæ, substantiam, singularem fuisse dictam primam: & in capite, Ad aliquid, scibile prius esse scientia, & tandem inter omnia prædicamenta, & inter prædicata singulorum prędicamentorum est quidam ordo secundum quem vnum prius, alterum posterius est: propterea oportuit, ut quotupliciter prius aliquid diceretur, explicaret.

Prius quam alterum altero dicitur quadrupliciter, &c. 1

Quatuor modos, quibus unū altero prius esse cōmuniter dicitur, assignat. Primus est, secundum quem, unum alteri tempore præcedit, quo pacto dicimus imperium Persarū fuisse prius Romanorum Imperio. Hūc prioris modum maxime proprium appellat, eo quia notissimum omnium est, cum fundetur in tempore, quod omnibus patet. Præterea quia fuit prima impositio, & significatio huius uocabuli Prius, cum sit maxime nota: & reliqua, quæ priora dicuntur, eatenus priora dicūtur, quatenus ad prioritatem illā primam referuntur: ut enim prius tempore sine posteriori existere potest, ita quæ independētia ab alijs sunt priora dicuntur eis, quę ab illis dependent. Secundus modus prioris est, secundum quem illud dicitur prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, idest, id quod ab alijs infertur, quod tamen nō infert: ut unum est prius duobus, quia si duo sunt, unum est, non tamen si unum est, duo sunt; & sic uniuersaliter omnia superiora suis inferioribus hoc modo priora dicuntur.

Tertio, aliquid dr̄ prius ordine, qui modus non in tēpore, nec in illatione, sed in quadā multorū habitudine consistit, secundū quam unum alterū consequitur ponit exempla de duplici ordine, & de ordine docendi, & de ordine dicēdi. Ordine quidē docēdi, seu doctrinæ, elementa in Geometria q̄ sunt definitiones, ut qd sit pūctū, qd linea, qd superficies, quid figura, prius traduntur quā descriptiones, propositiones per se no. æ, & reliquę cōclusiones, ut a puncto in pūctū lineā ducere, totum est maius parte, triangulus habet tres angulos ęquales duobus rectis; similiter in Grammaticis elementa, idest literas prius docemur, quam syllabas, & syllabas, prius quā dictiones. Ordine autem dicendi prius procemium, quam narratio, & hæc, quam confirmatio; omnia igitur hæc ordine priora dicuntur, ita, ut quamuis prius tempore diceretur narratio, procemium tamen sem-

per suam prioritatem ordinis haberet.

Quarto. Id dicitur prius, quod dignius est, & honorabilius; quo modo magis amicos, priores aliis apud nos vocamus, seu primos apud nos, & hæc est prioritas dignitatis; sed istum docet esse modum alienum, & improprium, vulgarem tamē. Ratio, huius ex Ammon. hæc est: hunc enim modum dicit non esse proprium, quia uere non fundatur in ipsis rebus, sed in existimatione, & affectione nostra, quæ extrinseca est ipsis, quę priora dicuntur, vel posteriora. Aliam etiam huius rationem tradit Simplicius, nempe quia in sermone non est vsitatus modus loquendi, amiciores, & honorabiliores vocare priores: ac propterea dicit alienissimum hūc modum, quasi impropriè dictum tali vocabulo, quod tamē vulgariter dicitur.

2 *Videtur autem præter eos qui dicti sunt, &c.*

His sunt quatuor modi prioris: qui cōmunes sunt, & ab omnibus assignantur: præter hos vnum alium ex propria sententia, vt notant Alber. & Boet. enumerat; ac propterea superiori numero hic non est comprehēsus, cum dixit, Prius quadrupliciter dici, quia id secundum communem sententiam docebat: id. n. vltimo alio mō Prius dr̄, qđ cū alio in cōsequētia cōuertitur, & illius est causa, vt hō est prior risibilitate, quia inter vtrumque est mutua cōsequētia, & hō est risibilitatis causa, & hoc dr̄ prius natura; Ponitur huius exemplū, ista propositio, homo est, vera est, eo qđ homo in se sit; etiam cōuertitur, nā si homo, in re est, & ipsa propositio, uera erit: tamē qđ homo sit, scilicet res ipsa, est causa veritatis, propositionis. Vt n. docet Arist. 9. Metap. ca. 12. non qđ nos uere te putamus album esse, tu albus es, sed quia tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus: & hoc est qđ dici solet, ueritatem esse in rebus sicut in causa: de quo differemus in libris Perih. Res igitur est prior natura, qua propositio dicitur uera; & uniuersaliter oīs causa prior est natura suo effectu; hæc aūt prioritas non dicit illam temporis præcessionē; possunt enim duo simul esse tpr̄, unum tamen altero natura prius esse sicut in eodem tpe, est sol, & lux: homo & risibilitas: at sol luce, & homo risibilitate priores natura sunt, eo quod sol lucis, & homo risibilitatis sint causa. Hi sūt modi Prioris, quos Arist. enumerat: & ijdem prorsus sunt modi Posterioris: nam in oppositis quot modis dicitur unum, tot etiam alterum; unde etiā est posterius tempore, in consequentia, dignitate, ordine, & natura.

Circa hoc caput aduerte, maxime Prius, & Posterius esse in prædicamento ad aliquid; sunt enim mutuo correlatiua; immo omnia post prædicamenta in prędicamentis sunt supradictis: oppositio enim ad aliquid est: & contrarietas, & reliqua similiter simul ad aliquid sunt. Motus autem ad actionem, & passionē refertur: habere ad aliquid: & post prædicamenta ista sūt propter duo, primo quia sunt proprietates diuersorum prædicamentorum, & pluribus insunt, in substantia enim, qualitate, quantitate, & quando, inest prioritas: alia similiter multis competunt: Secundo quia ista multipliciter dicuntur, propterea in cōmuni sumpta nullius sunt prædicamenti: æquiuoca. n. a prædicamēto excluduntur, ut talia sunt, nec ad prædicamentū pertinent, nisi ratione significatorū per se. Propterea ista hic per se sunt ūtur, ut distinguantur, & distincta in suis collocētur generibus. Aduerte præterea, Aristo. exactius tradidisse in 5. Meta. c. 11. de priori, & posteriori: hic au ē illos modos assignat, qui in ipsis prædicamētis frequentiores sunt, quamuis forsan omnes alij ad has reduci possent, ut dici Simp. sed hoc in Metaphysicam reseruemus. Not. 1.

Aduerte & non repugnare unum, & idem multis modis esse prius: similiter unum esse prius uno mō, & posterius altero, uerbi gratia, pars est prior toto, natura, quia est causa: sed totū prius dignitate. Similiter animal est prius homine consequentia, similiter & natura, quia est superius hoīe, & ipsius causa. Not. 2.

Aduerte tandem, omnem causam suo effectu esse natura priorē; hic tñ Arist. non loquitur nisi de causa, & effectu, quæ simul sūt, & conuertuntur, non quod illa causa, quæ simul non est cum effectu, nō sit natura prior, ut Petrus qui absque suo patre, qui causa est, potest esse, sed quia talis causa, quæ sine effectu est, sit prior tempore, qui modus prioris perfectissimus est. Not. 3.

De modis simul. Cap. XIII.

Simul autem dicuntur simpliciter quidem, & propriissime, quorum generatio in eodem est tempore: neutrū enim

enim eorum neque prius, neque posterius est. Simul autem secundum tempus hæc dicuntur. Natura vero simul sunt, quæcunque conuertuntur quidem secundũ eius, quod est esse consequentiã, sed nequaquam alterum alteri causa est vt sit, ut in duplo, & dimidio, cõuertuntur etenim hæc; nam cũ duplum sit, dimidium est, & cũ dimidium sit, duplum est: sed neutrum alteri causa est, vt sit. Dicuntur aũt simul natura, & quæ ex eodem genere è diuerso ab inuicem diuiduntur. E diuerso aũt diuidi abinuicem dicuntur, quæ secundum eandem sunt diuisionem, vt uolatile, gressibile, et aquatile; hæc enim ab inuicem è diuerso diuidũtur, cum sint ex eodem genere: animal namq; diuiditur in hec, in volatile, gressibile, & aquatile; & nihil horum prius, vel posterius est, sed simul hæc natura esse videntur. Diuiditur autem & vnumquodq; horum in species rursus, vt volatile, gressibile, & aquatile; erunt ergo & illa simul natura, quæcũque ex eodem genere, secundum eandem sunt diuisionem; genera verò speciebus semper priora sunt: neque enim conuertuntur secundum eius, quod est esse consequentiam, vt cum quidem aquatile sit, animal est, cum vero sit animal, non necesse est, vt aquatile sit. Simul ergo natura dicuntur, quæcunque quidem conuertuntur secundum eius, quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterũ alteri, vt sit, causa est, & ea quæ ex eodem genere è diuerso diuiduntur ab inuicem. Simpliciter autem simul sunt, quorum generatio in eodẽ est tempore.

Hic de simul aduerbio tractat, ac tres modos quibus aliqua simul esse dicuntur, tradit. Primus est propriissimus, quo multa simul tempore dicuntur. [Quorum generatio est in eodem tempore,] id est quorum unum tempore, neq; prius, nec posterius est, quo pacto simul dicimus currere, & loqui, si currentes loquamur, & simul fuerunt Alexãder, & Aristoteles. Alius modus est, quo aliqua dicuntur simul natura, nempe quæ in consequentia mutuo conuertuntur, & unum non est alterius causa: dicimus enim simul natura esse duplum, & dimidium; patrem, & filium: & correlatiua, quæ se inuicẽ ponunt, & unum alterius non est causa; & iste modus est oppositus modis duobus Prioris, s. secundo, & quinto. Tertius modus est, quo illa dicuntur simul, quæ ex æquo diuidunt aliquod genus, ut uolatile, gressibile, aquatile, simul sunt, quia ex æquo animal diuidunt: diuidere ex æquo genus, est quando æque immediatæ differentiæ, uel species genus aliquod diuidunt, ita ut una non diuidat id quod per aliã constituitur, sicut si diuideretur animal per rationale, uolatile, & irrationale: tunc enim uolatile, & irrationale non essent simul, quia uolatile potius diuidit irrationale: præterea diuidunt ex æquo, quando nulla est ad inuicẽ dependentia, ut uolatile nõ magis à gressibili, quã gressibili à uolatili dependet: propterea iste modus est oppositus modo tertio Prioris, s. ordine. Ex hoc colligit Arist. genera & species non esse simul natura, sicut duplũ, & dimidium, quia non est mutua consequentia à genere ad speciem; ubi nõ sumit genus, & speciem ratione intentionis secundæ, nam sic sunt correlatiua, & simul natura, ut diximus, sed pro ipsis naturis, scilicet animali homine, & reliquis, tripliciter ergo simul esse contingit, ut dictum est.

Dubiũ. Dubitabis forte, an esse simul, opponatur Priori. Alber. respondet non opponi, sed esse disparatum, quia Prius posteriori opponitur: & è contra. Præterea quia multis modis dicitur esse Prius, s. loco, dignitate, quibus non dicitur esse simul, sed profecto probabilius mihi uidetur, quod opponantur: & ita patet ex Arist. qui tanquam de opposito ad prius, & posterius, loquitur de simul, nec ratio quicquam ualet, nam prius posteriori proprie opponitur, at Simul utrique Priori, s. & posteriori. Ad aliud respondet Ammon. capit. de priori, illum modum prioris dignitate esse improprium: propterea non hẽre oppositum modum ad simul, quamuis possetquidẽ dici in re esse talẽ modũ, quia re uera duos possumus æqualiter amare, & honorare, licet mod' loquen-


loquendi per simul non sit proprius. Similiter esse potest, ut duo sint simul loco, nõ quidem ut sint in eodem penetratiuè, sed in eodem loco uulgari, uel communi, ut sint in eadem sede, in eodem scamno.

DE SPECIEBVS MOTVS. Cap. IIII.

Motus autem species sunt sex, generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & secundum locũ mutatio. Alij itaque motus palam est, quòd ab inuicem diuersi sunt: non enim est generatio corruptio, neq; augmentum diminutio, neque secundum locum mutatio; similiter autem & alij. In alteratione vero habet quandam dubitationẽ, ne sit forte necessariũ id, quod alteratur, per aliquam reliquarum motionum alterari. Hoc autem non verum est, nam secundum omnes penè passiones, aut complures accidit nos alterari, nulla aliarum cõmunicante motionum: nam neque augeri necessarium est quod per passionem mouetur, neque diminui. Similiter autem & in alijs. Quare alia præter alios motus erit alteratio; nam si esset eadem oporteret id quod alteratur, mox & augeri, vel minui, vel quandam aliarum motionum sequi, sed non necesse est. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret: sed sunt quædam quæ argumentãtur, quę non alterantur, vt quadratum gnomone circumposito creuit quidem, alteratum vero nihil factum est: & sic in alijs huiusmodi: quare alij motus sunt ab inuicem.

Est autem simpliciter motui quidem quies contrarium: ijs verò quæ per singula sunt, & singula, generationi quidem corruptio contrarium, augmentationi vero diminutio, secundum locum mutationi, secundum locum quies: maxime autem videtur opposita esse ad cõtrarium locum mutatio, ei enim quæ inferius est, ea quæ superius est, & ei quæ superius est, ea quæ inferius est. Reliquo vero assignatorum motuum nõ facile est assignare quid forte est contrarium: videtur autem nihil esse ei contrarium, nisi quis & in hoc secundum qualitatem quietem opponat, aut in contrarium qualitatis mutationem, sicut & in mutatione secundum locum quietem secundum locum, aut in contrarium locum mutationem: est enim & alteratio mutatio secundum qualitatem, quapropter opponitur motui secũdũ qualitatem, quies secundum qualitatem, aut in contrarium qualitatis mutatio, vt album fieri, ad id, quod nigrum est fieri, alteratur enim in contraria qualis mutatione facta.

Quadrati accretio, Gnomone circumposito.



Exacta eorum, quæ in hoc capite continentur, cognitio prorsus Physica est, & abunde, si faxit Deus, eam illic trademus; sat erit in præsenti facilem aliquam adhibere explicationem, quæ Logico pro his cognoscendis, & in prædicamento collocandis sufficiat.

Quid motus; & An vniuoce dicatur de suis speciebus.

Aduerte igitur ante capitis interpretationem quod ens antequam facta sit, dicitur esse in potẽtia alicuius materiæ, quod nihil aliud

est

est, quam dicere; quod ex aliquo alio possit fieri, uerbi gratia, Planta antequam sit, dicitur esse in potentia seminis, quia ex semine fieri potest, & phiala antequam sit, est in potentia argenti, ex quo fieri potest; vnde quando aliquod agens aliquid facit ex aliquo, verbi gratia, ignis ignem alium ex ligno, & artifex phialam ex auro; dicitur tale genus educere rem ex potentia in actum.

Motus igitur, in communi, & latè sumpto vocabulo loquendo, est ille transitus rei ex potentia in actū, vt transitus plantæ ex potentia seminis in actum plantæ dicitur motus plantæ: dico aūt latè sumpto vocabulo, & in cōmuni loquendo quia proprie nō dicitur motus, nisi quando talis transitus est accidentis alicuius, hic tamen communiter loquitur Arist. de transitu tam substantiæ, quam accidentis, & vtrumque lato vocabulo vocat motum.

At cum & transitus fiat secundum formas, & res varias diuersorum prædicamentorum, fit ut motus, qui est transitus formæ non omnino habeat vniuocationem, ac ideo inter post prædicamenta, vt distinguātur, col locetur, quamuis enim Aristot. vocet species motus, non propterea intelligit motum esse proprie genus, & vniuocum, sed particularia, vocat species, & hoc nota admodum pro horum intelligentia: sequitur igitur caput.

Species Motus.

Motus autem species sunt, &c.

Caput in duas partes diuiditur: in priori continentur sex motus species; in posteriori earum proprietates: Species igitur motus sunt generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, latio, seu motus secundum locum, harum singulas breuiter explicemus. Generatio est productio compositi substantialis, ut productio ignis, plantæ, hominis, corruptio est destructio huius substantiæ, extinctio ignis, mors hominis. Augmentum est acquisitio maioris quantitatis, p[illegible] in viuentibus, vt quando crescit planta, & animal. Diminutio est amissio habitæ quantitatis, vt quando decrescit homo, senectute, & fructus attrectatione manuum minuitur. Alteratio est qualitatis motus, vt productio caloris in aqua, & vniersaliter motus secundum qualitates, alterationes, dicuntur, latio est motus secundum locum, vt progressus, natatio, volatus.

Hoc supposito, probat Aristot. differentias inter motus, qui magis conuenire uidentur, vt eorum distinctio fiat notior, & primo dubitat de alteratione, an sit distinctus motus ab alijs, & probat esse motum distinctum, quia stat esse alterationem, quando nullus ex alijs motibus est: patet quando aliquid calefit, tunc alteratur, & tamen nec augetur, nec minuitur in sua quantitate, nec mouetur secundum locum; nec generatur, nec corrumpitur; ergo alteratio est ab omnibus distincta; at de augmento; & diminutione est maius dubium, quia res naturales, non augentur, nec minuuntur, nisi simul alterentur à qualitatibus: non enim uiuens cresceret nisi calore naturali alterante cibum, & conuertente in substantiam ipsius uiuentis, vnde procedit augmentum: propterea egregie Arist. ostendit exemplo Geometrico augmentum fieri sine alteratione: ex quo patet non esse idem: si enim idem essent, nullibi esset unum, ubi alterum non esset.

In quo tu diligenter considera pulchram Aristotelis uiam inquirendi distinctionem duorum, quæ simul sunt; nempe, si alibi unū absque altero inueniatur quærere: si enim ita sit, sine dubio illic, ubi simul erāt unum idem nō erant, v.g. uideo semper fere colorē simul cū quātitate, possem dubitare, an idē sint: sic aduertam: an alicubi unum sine altero inueniatur, & quia quantitatē in cælis, & elementis puris, in quibus color non est, inuenimus, ideo, ubicunque illa duo sint, distincta iudicamus. Hoc maxime memoriæ trade: quia quanti hoc momenti sit, postea scies. Nota.

De exemplo Arist. Augmentationis, Quadrati.

Pro intelligentia igitur exempli Arist. de quo tractat Euclid. lib. 1. aduerte, quod quadrangulus est figura constans ex quatuor lineis rectis, siue omnes sint inter se æquales qui dicitur quadratum, siue duæ solum duabus æqualibus inæquales sint, & æquales inter se, ita ut duo latera æqualia, duobus lateribus æqualibus inæqualia sint, qui dicitur quadrangulus altera parte longior. Diameter autem dicitur linea recta quadranguli diuidens angulos duos per me- Nota.

dium.


dium, ut in figura infrascripta manifestatur, talis autem quadrangulus dicitur continere diametrum illum, à quo diuiditur.

Aduerte præterea, quòd talis diameter cuiusque quadranguli potest protrahi ex una parte, ut extra quadrangulum sit, & talis pars protracta potest circumscribi quadrangulo alio, hoc pacto: à latere quadranguli prioris protrahatur linea, ita ut ab ea ducatur linea recta usque in extremum punctum Diametri protractæ, & ab altero latere similiter id fiat (loquor autem de lateribus, quæ à Diametro non sunt intercisa) postea à lineis duabus illius anguli prioris quadranguli, à quo diameter est protractus, singulæ lineæ rectæ trahantur, quousque alijs iungantur, tunc resultabunt, & unus quadrangulus paruus illam partem Diametri circumscribens, & duo quadranguli altera parte longiores, ad duo latera prioris quadranguli: & isti duo dicuntur supplementa: quadrangulus verò cum duobus supplementis dicitur gnomon.


Hoc supposito, scias istum gnomonem additum quadrangulo sic se habere, vt solum augeat illum, non tamen mutet figuram; sed si erat altera parte longior quadrangulus, addito gnomone, uel detracto resultabit quadrangulus altera parte longior: si erat autem quadratum, etiam manebit cum illo augmento quadratum: vbi uides rem augeri non mutata qualitate; ac inde fit augmentum sine alteratione. Hæc facili, & simplici narratione dicta sint, nam omnia ista exacte, & demõstratiue tractare non est præsentis loci: figuram considera.


Quadrata.





Quadranguli altera parte longiores.





Et

Est autem simpliciter motui quidem quies contrarium, &c.

Hæc est altera huius c. pars, in qua Arist. quomodo ista inter se contrarientur, exponit; ac docet motui in communi quietem opponi, in particulari autem particularia sortiri contraria: vt generatio contraria est corruptioni, augmentum diminutioni: secundum locum autem motus habet quietem secundum locum contrariam; & motus sursum contrarius est motui deorsum; similiter alteratio habet in communi, contrariã quietem, secundum qualitatem; non enim aliud assignari potest: in particulari autem dealbatio contrariam habet denigrationem: & calefactio frigefactionem. Hic aduerte, quietem non esse proprie contrariam, sed priuationem: est enim quies motus priuatio: vocat autem hic contrarium etiam priuatiuum large: sicut primo Physic. etiam priuationẽ uocat contrarium, dum dicit principia esse cõtraria; hęc de istis motib. logico sint satis.

Nota. Vnum autem hic est maxime aduertendum, singulos hos motus posse dupliciter sumi: vno modo vt significẽt actionem, altero, vt significẽt passionem. v.g. alteratio est actio secundum quam alterat agẽs, & alteratio est nomen passionis secundum, quam alteratur patiens: similiter generatio, corruptio, latio, & reliqua: propterea distinguendi sunt tanquam æquiuoca: vt enim actionem dicunt, ad prædicamentum actionis pertinent: vt autem passionem ad prædicamentum passionis spectant.

DE MODIS HABERE. Cap. XV.

HAbere secundum plures modos dicitur. Aut enim vt habitum, & dispositionem, aut aliam aliquam qualitatem: dicimur enim disciplinam aliquam, atque virtutem habere. Aut vt quantum, vt quando contingit aliquis habens magnitudinem: dicitur enim tricubitam habet magnitudinem, vel quadricubitam. Aut vt ea quæ circa corpus sunt, vt vestimentum, vel tunicam. Aut vt in parte, vt in manu anulum. Aut ut partem, ut manum, uel pedem. Aut vt in uase, ut modius grana tritici, aut amphora uinum, uinum enim habere amphora dicitur, & modius grana tritici: hæc enim omnia habere dicuntur, ut in uase. Aut ut possessionem: habere enim domum, & agrum dicimur. Dicitur autem & uir uxorem habere, & uxor uirum, sed qui nunc dictus est modus, alienissimus est eius, quod est habere: nihil enim aliud uxorem habere significamus, quam quod cohabitant. Forte tamẽ & alij quidam eius quod est habere, apparebunt modi: sed qui dici consueuerunt, pene omnes enumerati sunt.

TAndem ultimum postprædicamentum distinguitur, quod est Habere: est enim æquiuocum admodum vocabulum hoc, varia prædicamenta, & uarias res, diuersorum prædicamentorum amplectens. Dicitur igitur primo modo habere secundum habitũ, vel dispositionem, ut non sit aliud habere quam dispositum, uel habituatum esse, quo pacto dicimur habere calorem, scientiam, odium, frigiditatem, & reliqua: ista non aliud sunt, quam esse frigidum, calidum, scientem, & reliqua. Secundo habere, est secundum quantitatem, ut habere tres ulnas, tres palmos, hoc non est aliud, quam esse mensurabile secundum tres ulnas, uel palmos. Tertio, secundum uestimẽtum, uel ornatum, ut habere uestem, annulum, & hoc non est alind, quam esse uestitum, ornatum annulo. Quarto secundum partem habere caput, pedem, animam, quod non aliud est quam esse capitatum, animatum. Quinto habere per modũ uasis, ut amphora habet uinum, horreum triticum: in summa, habere, denotat cõcretũ aliqđ nomen, quod ab his, quę habẽtur aliquando est impositum, ut habare calorẽ, calidũ esse; aliquando nõ est impositũ, ut amphora habet uinum, non. n. à uino est concretũ significãs uinum in amphora, sed suppletur per illud uerbum, habere. Sexto habere secundum possessionem, ut habere agrum domum,

domum, libros, diuitias. Vltimo dicitur vir habere vxorum, & uxor uirum; sed istud dicit esse improprium, quia uir non dicitur habere uxorem; nisi quia cohabitat, uidelicet legitime in legitimo matrimonio. Sic autem cohabitare, non est habere, nec sic matrimonio esse coniunctum, est habere. Tandem cōcludit forsan alios esse modos habendi, sed ex communibus pene omnes sunt isti enumerati: reliqui ad hos reduci possunt; de quibus uide in quinto libro Metaph. c. 23. & hæc circa hoc caput sufficiant.

DE PRAEDICAMENTIS IN COMMVNI.

QVAESTIO I.

De numero prædicamētorum, vtrum tantum sint decem Prædicamenta.

Singulis iam generibus manifestatis locus postulat, ut de eorum sufficientia aliquid dicamus: ac primo de eorum numero: deinde de eorum distinctione agemus. De eorum ergo numero, magna fuit inter antiquos digladiatio, nec adhuc inter neotericos de hoc unanimis est consensus, quibusdam multiplicantibus, quibusdam dementibus ex his quæ assignata sunt.

Antiquorum. 1. opin. Inter antiquos numerum prædicamentorum coarctantes primus fuit Plato, qui vt refert Arist. 5. Metaph. ca. 3. unum esse omniū genus, & prædicamentum existimauit, nempe ipsum ens; quam sententiam illic repellit Arist. & nos supra reiecimus, cum ens non sit vniuocum.

2. opin. Post hunc fuit Xenocrates, & Andronicus, qui duo prædicamenta constituerunt, diuidentes res omnes in per se, & in alio, & substantias uocabant res per se, accidentia uero res in alio, vt refert Simplicius: sed ista sententia non est uera; quia sicut ens non est genus ad ista decem, quia non potest contrahi vlla differentia, quæ non sit etiam ens: ita accidens non potest contrahi differentia, quę non sit accidens; vnde proprie non erit genus ad omnia accidentia, sed æquiuocum, aut analogum; omnis enim differentia debet distingui a genere, nam contrahens distinguitur a contracto.

Alia fuit sententia Stoicorum asserentiū, Quatuor solum esse prædicamenta; nempe substantiam, quale, quomodo se habet, quomodo se habet ad aliud: sed ista sententia diminuta clarissimè est, cū præter ista quatuor, sit etiam, Quantum, ut docet Simplicius. 3. opin.

Quarta sententia fuit Nicostrati, qui referente Simplicio, actionem, & passionem sub uno cōstituit prædicamento, nempe sub motu, & ita uisus est nouem prædicamenta constituere; sed de hoc postea dicemus. 4. opin.

Vltima sententia fuit Arist. Pythago. Architæ, & aliorum, & communis antiquorum post hos, decem esse prædicamenta, & ita docet Arist. 5. Metaph. 7. & plurimis locis id repetit, & affirmat. 5. opin.

Neotericorum. 1. opin. Inter neotericos etiam adhuc sub iudice est. Quidam enim solum quatuor prędicamēta recipiunt, inter quos est Suessanus in suis Iudiciis, nempe substantiam, quantitatē, qualitatem, ad aliquid, reliqua enim ut ipse, uult, ad ista reducuntur.

2. opin. Alij nouem ponunt, nam, Vbi, ad quantitatem referunt: alij etiam, Quando, reponūt in quantitate, ut Paul. Vene. refert.

3. opin. Alij undecim faciunt: præter ista n. decē unum aliud pro entibus rationis faciunt; sed quia multa ex his facile dicūtur, & absq; consideratione opus erit, ut breuiter quid in hoc certius sit, explicemus.

1. Fund. Oportet ergo aduertere, prædicamentorum duplicem esse considerationem: altera est secundum quam entia quædam uaria, & inter se diuersa sunt: altera ut, cum entia diuersa sint, uarium obtinent prædicandi modum. Quod quidem aliter dici solet; prædicamenta considerari secundum primas intentiones, uel secundum primas, ut substant secundis. Hoc autem est inter hæc discrimin[illegible]is: contemplari enim talia entia, ut entia solum Metaphysici est: at considerare talia entia, ut prædicabilia, & prædicata quædam, Logici est.

2. Fund. Aduerte secundo, ista duo, nempe modum essendi, & modum prædicandi, seu esse, & prædicari, ita esse coniuncta ut diuersum ens diuersum habeat prædicandi modum; & quæ idem sunt, eundem etiam habeant prædicandi modum, quod dici solet, modus prædicandi sequitur modū essendi:

di: uerbi gratia, quia quantitas est ens diuersum a qualitate, modus prædicandi quantitatis est alterius rationis a modo prædicandi qualitatis: illa enim in quãto, hæc in quali prædicatur. Præterea sicut in ipsis entibus, vt entia sunt, datur unum primum ens, penes quod omnia alia distinguuntur, & à quo habent esse, vt docet Aristoteles 4. Metaph. cap. 2. ita in ipsis vt prædicata sunt, dabitur unum primum subiectum, à quo omnia alia distinguantur, & de quo uaria prædicata prædicentur, hoc autem est prima substantia: ac propterea Aristot. 12. Metaph. capit. 1. comparat substantiam inter reliqua Regi, & Imperatori in exercitu.

3. fund. Ex hoc est tertio aduertẽdum, quod si nos uolumus numerum prædicamentorum venari, constituto primo ente, s. substantia prima, diuersos modos entis circa ipsã primos, & supremos inquirere debebimus, logice autem modos prædicandi diuersos, de prima substantia.

Nota. Hos autem pulchre docet S. Thom. lib. 5. Metaph. lect. 7. inquiens, quod multipliciter aliquid de prima substantia prædicatur: primo tanquam de eius natura, & essentia, & ex talibus prædicatis constituitur prædicamentum primum nempe substantiæ: secundo tanquam accidens inhærens ipsi, & hoc vel est absolutum, vel ad aliud: si ad aliud, est prædicamentum tertium ad aliquid: si autem est absolutum accidens, uel competit primæ substantiæ ratione materiæ, vel ratione formæ suæ: si competit ratione materiæ, est quantitas, si ratione formæ, est qualitas: est enim hoc notandum discrimen inter quantitatem, & qualitatem: quod quantitas competit rebus ratione materiæ: quod est dicere, ratio propter quã inest alicui quantitas, est materia, & nisi materia sit, quantitas nõ erit, vt patet in Angelis, in quib. quantitas non est, quia materia nõ est: qualitas autem sequitur formam, quod est dicere: ratio propter quã rebus inest qualitas, est forma, ita vt ẽt si detur res absque materia possit habere qualitatẽ, vt patet in Angelis, & anima rationali, in quibus sunt sciẽtiæ, & habitus, & non habent materiã. Tertio aliquid prædicatur de prima substantia ab extrinseco, quia et nõ inhęret: & hoc uel est tanquam mensura eius quantitatis, & sic est ubi, seu esse in loco cõtinenti, & mensurante quãtitatẽ locati: vel est tanquam mensura corporis, cum ordine partium ipsius corporis, ut sedere, stare, & hic est situs: vel est tanquam mensura operationis, seu durationis rei, & hoc est quando: vel tandem non est mensura, & hoc est habitus prædicamentum, scilicet esse uestitum: hæc quatuor extrinsece prædicari dicuntur de prima substantia, quia locus, situs, tempus, uestis, nõ insunt ipsis inhæsiue, de quibus prædicantur. Quarto, id quod prædicatur potest esse partim inhærens, partim non inhærens: & hoc est duplex: vel inhæret secundum principiũ, & sic est actio, vel secundum finem, & sic est passio: uerbi gratia, sumo calefactionem, secundum quam ignis calefacit, ista calefactio inest igni secundum suum principium, quia calor, qui in igne est, est principium eius, nõ tamen secundum finem: nam calor productus, qui est finis actionis, est in aqua, vel in re calefacta. Vides igitur actionem secũdum principium inhærere agenti, non secundum finem: econtra passio inhæret secundum finem, non secundum principium, propterea dicuntur ista prædicata partim inhęrere, partim non inhærere, seu ab intrinseco, & ab extrinseco esse. Hæc est sufficientia horum decem generum.

1. Cõcl. Ex his est prima conclusio. Tantum esse decem prædicamenta est probabile, non tamen est euidens, & demonstratum. Hæc conclusio quo ad priorem partem nota est, ex auctoritate tot Doctorum asserentium decẽ prædicamẽta; similiter ex diuisione superius adducta ex S. Tho. quo ad posteriorem partem etiam nota est, cum a multis negetur, nec ab ullo hucusque demonstretur.

2. Cõcl. Secunda conclusio. Entia rationis ad prædicamenta entium realium reducuntur, nec particulare prædicamentum constituunt. Circa quam aduerte, non quodcunque ens in prædicamenta diuidi, sed ens reale finitũ: entia enim rationis, quia non habent uerum esse, nisi inquantum cum entium realiũ consideratione sumuntur, genus proprium non faciunt, sed ad alia reducuntur tanquam extrinsecæ quædam proprietates: unde negationes, priuationes, entia rationis logica, reductiue sunt in predicamento eorũ, quorũ sunt negationes, priuationes, vel entia rationis logica: quemadmodum Aristoteles sub eadem potentia constituit uisibile, & non uisibile, odorabile, & non odorabile, & reliqua.

QVAE-

QVAESTIO II.

De abstractis, & concretis prædicamentorum, Vtra potius in eis collocentur.

DVo nobis ultimo circa prædicamentorum distinctionem examinanda supersunt, alterum an in his prædicamentis abstracta nomina, potius quam concreta, sumenda sint: alterum, quam inter se sortiãtur prædicamenta distinctionem.

1. opin. Circa primum non conuenit inter doctos: nam Auic. lib. 3. suę Metaph. c 3. existimat abstracta accidentium præcipue esse in prædicamentis; cuius sententię fuit S. Thom. opusculo 42. cap. 19. & alij multi.

2. opin. At in oppositum est sine dubio sententia Arist. qui abstracta in vno prædicamento ponit, concreta vero in alio: nam in ad aliquid collocat sessionem, & accubitũ in abstracto; eorum autem concreta sunt in prædicamento situs, & illic id nos notauimus cum Simplicio, & Amm. præterea; quia in quibusdã prædicamentis si abstracta sumas, non erit nouum prædicamentum, vt vbi, quando, vestitum esse, quorum abstracta sunt locus, tẽpus, vestis, quæ in alijs prædicamentis sunt; ac propterea ab Arist. consulto in concreto ponuntur, ut patet.

1. Fund. Sit igitur pro huius declaratione primo aduertendum, tam in substãtiæ nominibus, quàm accidentis, esse abstracta, & concreta, vt notum in his est, homo, humanitas, animal animalitas, album, albedo, calidũ calor. Inter concreta autem, & abstracta hoc discrimen est: nam abstracta significant solam naturam accidentis, uel substantiæ, at concreta significant naturam simul cũ suo modo intrinseco, nempe concreta substantiæ substantiam, ut est per se, concreta accidentium, accidentium naturam, ut est in alio, ex quo fit, ut homo, & humanitas, eandem rem, seu naturam significent; differunt autem, quod humanitas quandam naturam solam, homo naturam cũ modo substantiæ, scilicet, ut est per se significat: similiter album, & albedo.

Nota. At discrimen est notandum inter substantiæ, & accidentis concreta: nam concreta accidentium cum significent rem cum modo, qui modus est esse in alio, aliquã ex parte significant aliquid prçter ipsum accidens, scilicet subiectum, ac ideo dicuntur connotatiua; sed concreta substantiæ, cum significẽt rem cum modo, qui modus nõ est ad aliud extrinsecum, sed esse per se, ideo talia dicuntur absoluta, & prorsus nihil prçter substantiam significare, uel connotare.

Sit secundo aduertendum, prædicamenta se habere in duplici differentia: quædam enim continent rerum naturam præcipue; & simul etiã naturę modũ, qualia sunt substantia, quantitas, qualitas ad aliquid, & partim actio, & passio, in his enim accidentium diuersæ naturę continentur, & modi etiã, qui talem naturam intrinsece consequuntur, scilicet esse per se, seu esse in alio; alia uero prædicamenta præcipue modos accidentium, non ipsas naturas continent, qualia sunt reliqua quatuor, ubi, quando, & cætera: ubi enim non locus, sed esse in loco: quando non tempus, sed esse in tempore: uestitum esse, non uestis est.

Dubiũ. Dices fortasse tu. Quare hi modi quatuor faciunt nouum prædicamentum à suis formis, non autem alij modi; uerbi gratia, quare esse calidum non est alterius prædicamẽti quam calor, & esse in loco, tempore, esse uestitum, nouum faciunt prædicamentum, præter illud, in quo sunt locus, tempus, uestis, seu habitus, & situs. Dico ad hoc, & est ualde notandum: quod illi modi aliorum sunt modi accidentis, ut accidens est; nam modus accidentis, ut accidens est, est esse in subiecto, & tales sunt modi horum, nempe quantitatis, qualitatis, & aliorum, propterea concreta non faciunt aliud prædicamentum ab abstractis, quia illa dicunt modos eiusdẽ rationis, & naturæ cum abstractis: At isti modi horum quatuor non sunt modi accidentis, ut accidens est, cum non sint per modum inhærentiæ, esse enim in loco non est inhærére, nec esse in tempore, nec esse uestitum, nec sedere, propterea Aristot. superius explicans quid est esse in subiecto sicut accidens, hos modos reijcit, ut illic declarauimus, ac ideo nouum alterum prædicamentum faciunt, quam suæ formæ, & quàm abstracta: & hoc nota admodum.

1. Cõcl. His suppositis, est prima conclusio, Sine ullo dubio quatuor prædicamenta enumerata in concreto constituuntur. Hæc conclusio propter rationes supra in princi-

pio

pio positas, patet, & ex natura horum prædicamentorum in secundo fundamento exposita, quam nescio an ita multa penetrauerint.

2. Cõcl. Secunda conclusio, Multo probabilius est prædicamenta in concreto sumenda esse. Probatur primo. Omnia prædicamenta accidentium distinguuntur, & constituuntur penes nouos modos essendi, & prædicandi de prima substantia; sed hi modi non nisi per concreta explicantur: ergo concreta præcipue in prædicamento sunt. Maior patet etiam ex ipsis oppositum sentientibus, præterea ex Arist. 4. Metaph. cap. 2. qui sumit prædicamenta accidentium per habitudines ad substantiam, & in prædicamento substantiæ omnia comparat cum secundis substantijs respectu primarum. Secundo probatur. Concreta magis significant accidentia, quam abstracta, & similiter magis significant id, quod in prædicamento est: ergo illa sunt constituenda. Probo antecedens ex 7. Metaph. cap. 1. vbi dicit Aristot. albedinem, & sessionem esse non ens, album, & sedere, esse ens; perinde est, ac si dicat, concreta magis significare naturam accidentis, quæ est esse in alio. Tertio probatur, ille modus accidentis est in eodem prædicamento, scilicet albedo vt est in subiecto, calor ut est in subiecto: sed tales modi significantur per concreta, ergo ista sunt in prædicamento. Patet consequentia, quia in substantia ideo sunt concreta, quia significant modum intrinsecum substantiæ: sed etiam accidentibus suus est modus intrinsecus, ergo eorum concreta etiam in his quinque prædicamentis præcipue ad prædicamentum pertinent.

3. Cõcl. Tertia conclusio. Abstracta aliqua ab ipso Aristot. in prædicamento ponuntur: ut patet in quantitate, qualitate, ad aliquid, ne si concreta ponat, aliqui decipiantur, existimantes subiecta concretorum in prædicamento illo esse, uel aliquos alios respectus, qui in subiectis sunt; qui enim dicit calidum, uidetur dicere subiectum: qui dicit agens uidetur dicere relationem agentis: propterea ne subiectum caloris in qualitate constituamus, & actionem in relatione: propterea in abstracto sumit, seu reuera abstracta, ut in subiectis sunt, idest cum tali modo, in prædicamento ponuntur, qui modi in concreto significantur.

QVAESTIO III.

De distinctione Prædicamentorum. An distinguantur realiter inter se.

Primũ fund. Alterum examinandum est, An omnia ista decem genera distinguantur realiter: hoc autem ea causa dispute, vt saltẽ ipsos explicetur terminos, qui profecto assidue a neotericis tractantur, & minus declarantur. Oportet ergo intelligere, quid per distinctionem realem intelligamus. Distinctio quidem duplex est, altera realis, altera rationis: distinctio realis non est aliud, quàm multarum rerum pluralitas, res autem dicitur quodcunque ens existens citra operationẽ intellectus, vt calor extra intellectus operationem subiecto inhæret, propterea calor dicitur res. Erit igitur distinctio realis, pluralitas rerum, idest entium diuersis existentiis existentibus, sicut albedo, & dulcedo lactis realiter distinguuntur, quia diuersas habent extra intellectum existentias.

Secũdũ fund. Huius distinctionis triplex est gradus. Primo quædam distinguuntur realiter, quia sunt diuersa supposita existentia, ut Petrus, & Paulus, homo, & leo, realiter distingui dicuntur. Secundus gradus est, quo distinguuntur ea, quæ diuersis suppositis, seu subiectis insunt, ut albedo niuis, & albedo cygni. Tertio distinguuntur realiter ea, quæ cum in eodem subiecto insint, in eo tamen uarias habent existentiam, ut albedo, & frigiditas in eadem niue realiter distinguuntur.

Distinctio autem rationis, est quæ inuenitur inter entia rationis, & quæ non sunt in rebus extra intellectum, cuius est triplex gradus. Primus est, quando utrumque extremum est ens rationis, ut Adam, & Antichristus distinguuntur ratione, quia neuter est in rebus, nisi per operationẽ intellectus; Alter gradus est quando unum quidem extremum est ens reale, alterum tamen per intellectum, quæ distinctio est sæpe inter contradictoria, scilicet homo, non homo, leo, non leo; similiter inter me, & Antichristum est huius gradus distinctionis, quia ille non est nisi per intellectum, ego autem realiter sum. Tertius gradus distinctionis huius est, qui est inter extrema,

quæ tamen unum sunt in rebus, & unam habent existentiam, tamen hoc unum æquiualet multis, & ista multa sic unum sint, quòd ex natura sua esse possunt multa: uerbi gratia, in homine anima negatiua, sensitiua, rationalis, eædem res sunt; tamen ista anima facit, quòd tres animæ per se faciunt; & ista tria sic una anima in homine sunt, quòd ex natura sua possunt esse distincta in diuersis rebus: nam in plantis est negatiua sine alijs, in brutis sensitiua sine rationali: ista igitur dicuntur tria, & distincta, ratione, & intellectu aliter cognoscente unum, aliter alterum: sed talis distinctio non est ulla ex illis dictis, quia hic ista omnia extra intellectũ sunt, quamuis una res existant, hæc distinctio peculiari nomine dicitur distinctio rationis ratiocinatę, aliæ duę distinctiones rationis ratiocinantis dicuntur.

1. Conc. His suppositis breuiter, quia locus iste alienus est ab hac disputatione, sit prima conclusio. A substantia omnia nouem prædicamenta realiter distinguuntur in communi: dico autem in communi, non quod omnia & singula distinguantur, sed quod in omnibus prædicamentis sunt accidentia realiter à substantia distincta, quod alij dicunt pro generibus singulorum.

Secunda conclusio. Inter se non omnia realiter distinguuntur: similitudo, enim quæ ad aliquid est, ut multi uolunt, non distinguitur à qualitate realiter, nec figura a quantitate, nec quando a tempore, nec ubi a loco: scire autem quæ distinguantur, quæ non distinguantur, prætermittatur modo. 2. Conc.

Tertia conclusio. Quæ realiter non distinguuntur, ratione, tertio modo distinguuntur. Hoc enim notissimum est: aliter enim non esset distinctum prædicamentum, nisi esset ens reale, & aliquo modo ab altero diuersum, & distinctum. Et hęc sufficiant pro Prędicamentorum explanatione. 3. Conc.

Sit laus Deo optimo maximo, qui nos ad finem perduxit: ipse faciat, ut hæc omnia studia, in sui nominis gloriam, & magnam legẽtium utilitatem cedant. Amen.

Finis Prædicamentorum.

GILBERTI PORRETANI PERIPATETICI SEX PRINCIPIORVM LIBER.

DE FORMA.

Caput I.

FOrma est compositioni contingens, simplici, & inuariabili essentia consistens. Compositio etenim non est: quoniam à natura compositionis seiungitur. Compositio enim alteri vnaquæque aduenìens, maiorem se coniunctam efficit quodammodo. In forma autem hoc commune non est: nam in eo quòd corpus album est, non dicitur maius, aut minus seipso non albo: nec si non album intelligatur, destructio compositionis, vel minoratio aliqua facta est, sed alteratio solum. Quoniam autem fortasse in alijs idem contingit, proferri, additum conuenienter existimo inuariabili essentia consistens: in anima enim alteratio contrarietatis inuenitur, vt tristitiæ, & gaudij; Sed quoniam (vt aiunt quidam) simplicitati, nulli vero variationi subiecta est, vt ea quæ est anima mundi, dissocians hanc ab omnibus, addidi, compositioni contingens, Erit itaque terminus formæ dictæ definitio: neque enim superflua, neque diminuta, si quis subtiliter inuestigauerit, reperietur. Habet autem dubitationem ex præcedentibus, vtrum aliqua forma variabilis sit: hoc autem videtur in pluribus: nam eadem oratio susceptiua veri, & falsi est: albedo claritatis, & obscuritatis, & oratio eius, quod est in re, & non est. Sed non est ita, nam nihil differt albedinem claram dicere, quàm suscipiens clarum dicere: non est autem oratio eadem susceptiua contrariorum, nec oratio eius, quæ in re est, & non est; sed orationes notæ sunt earum, quæ sunt in anima passionum: de his autem dictum est alibi. Substantiale vero est, quod confert esse ex quadam compositione compositioni, vt in pluribus, quod impossibile est deesse ei: vt ratio & sensus; siue horum similia, vt continuum, & discretum. Hoc vero erit, vt materia, & illud vt forma, vt corpus, quod est hominis materia, anima vero forma; erit itaque substantiale, vt corpus, homo, & ratio, hæc autem in his quę de Categorijs dicta sunt, expedita sunt.

Videtur autem forma, quædam à natura esse, quædam vero ab actu, ratio enim à natura est, color vero, & passio quædam in actu consistunt. In quibusdam autem dubitatio est, vtrum a natura, an ab actu incipiant esse, vt in

figura incisionis: nam nihil additionis fit, sed separatio quædam partium. Dico autem figuram esse a natura: assentiri vero ab actu; sed quæ coniunctionis est, ab actu est, vt domus: manifestum autem de his. Sed in his quæ in pluribus sunt, palam non est: nam ea, quæ in pluribus sunt, in actione esse impossibile est: a natura autem non videtur fieri, quoniam, ea quæ à natura sunt, a creatura præexistente sumunt principium; palam vero est creaturam non esse: nihil enim rationis omnino, quare hæ creaturæ sint, poterit explicari. Natura igitur in his occulte operatur: nam sicut ex plurium partium coniunctione constitutio quædam primorum excedens quantitatem, efficitur: sic ex singularium discretione vnum quoddam intelligitur, eorum excedens prædicationem. Quapropter communitas omnis naturalis est, quia a singularitate procedit, quæ creationi adæquatur. Subtiliter autem etiam speculantes, sicut naturam in actionibus operari latenter inuenimus, sic creaturarum creatorem in natura, ex actu, qui numero naturam stabiliuit. Sed hæc hactenus, alterius enim considerationis sunt. Formarum vero alia quidem est, in subiecto, & de subiecto dicitur; vt scientia in subiecto quidem est, vt in anima: & de subiecto quidem dicitur, vt de Grammatica. Quædam autem in subiecto est, de subiecto autem nullo dicitur, vt albedo Socratis. Quædam vero neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur vt humanitas Socratis, & Platonis: similiter autem & his quæcumque formarum sunt indiuiduæ. Quædam vero dicuntur de subiecto, & in subiecto nullo sunt, vt rationale mortale. Eorum vero quæ in subiecto sunt, & quæ de subiecto non sunt dicibilia, alia quidem sensibilia sunt, alia insensibilia: sensibile vero est, quod sensu comprehenditur, vt albedo, color, sonus, sapor, percussio, dulcedo. Insensibilia, quæ ratione comprehenduntur: vt doctrina, disciplina: simpliciter autem nihil eorum, quæ de subiecto dicuntur, sensibilia sunt. Manifestum est autem ex his, quæ proposita sunt, aliqua sita alicubi, vt nigredo in oculo: Quædam vero difficile est assignare, vt scientia, paternitas, filiatio: nisi forte in componentium, & generantium complexione: singulorum autem quæ dicta, incomplexionis eius, quæ in voce est, notatio est; hoc vero subsistens erit, vel contingens. Eorum vero, quæ contingit existere, singulum aut extrinsecus aduenit, aut intra substantiam consideratur simpliciter; vt linea, superficies, corpus. Ea vero quæ extrinsecus contingunt, aut actus, at pati, aut dispositio, aut esse alicubi, aut in mora, aut habere, necessario erunt. Sed de his, quæ subsistunt, & quæ non solum in quo exigunt, existunt, in eo qui de Categorijs libro inscribitur, disputatum est: de reliquis verò continuò.

DE ACTIONE.

Cap. II.

A*ctio verò est, secundum quam in id qđ subijcitur, agere dicimur: vt*

vt secans quis in eo, quod secet, secans dicitur. Est autem alia quidem animæ, alia verò corporis. Differunt autem, quoniam ea, quæ corporis est, mouens est necessario illud, in quo est: idem enim quod corpus agens est, & mobile est: actio autem animæ non id mouet in quo est, sed coniunctum: anima autem dum agit, immobilis est, mouet enim corpus, anima autem permanet immutabilis: quoniam anima nec secundum locum mouetur, nec secundum quemquam aliorum motuum, nisi secundum alterationem non in suscipiendo incrementum, neque decrementum mouetur, neque diminuendo, neque ad oppositum locum transeundo. Locus enim corpus est: anima verò non est corpus. Impossibile est autem non corpus corpore moueri, quia nullam loci suscipit mutationem: solum verò corpus, eo quòd de loco ad locum transit, mouetur. Hoc autem in quibusdam dubitabile apparebit: speculo enim permanente immobili, imaginis motus fieri videtur ad oppositi mutationes: impossibile ergo erit soluere: concesso quòd ibi forma existat verè: Si verò non est incredibilis error in vulgo putabitur, licet sit conuenientius. Scire autem oportet, quod omne quod in motu est, in affectione est; moueri enim actio est: si quid enim mouetur, agit necessario: omnis ergo actio in motu est, omnisque motus in actione firmabitur. Proprium igitur actionis est in motu esse sicut proprium motus in actione. Et in his quidem actionibus, in quibus est generatio aliqua, palam est: de his verò quæ corrumpuntur, fortasse obijcitur: nam qui destruit, in motu est: nihil autem facere videtur, nam nihil efficitur, sed quod factum est destruitur. Dico autem actionem, non quid, sed in quid agat exigere. Non est autem motus actio, sed quale, quiescere enim quale est: quare & motus quidem quale erit: simpliciter autem quæcumque contrariorum, oppositionem suscipiunt, eiusdem suscipiunt generis prædicationem. Naturalis verò actionis proprietas est passionem ex se in id quod subijcitur, inferre: omnis enim actio passionis est effectiua: & omne passionem inferens, actio est. Contingit autem actionem actione effici: actio enim eius quod per se mouetur, eius actionis, quæ per aliud mouetur, generatiua est, actio enim ab animali illata, ab ea quæ est animalis principium sumit. Nihil autem interest siue agere, siue pati animalis eius, quod ab animali agere est, principium dicitur. Et sic actus quidem est primordiale principium, pati verò permixtum: quamobrem actionis, passionisque actus est generatiuus. Facere verò est id quod quale est, ex se gignit. Qualitas, quæ calor est, eam efficit quæ calefacere est, actionem. Quantitatum verò particularium positio effectrix est & qualitatum: asperitas enim, & similia qualia sunt: linea vero, & superficies, & soliditas quantitates sunt: vniuersa enim è situ substantiam, & generationem habent. Quantitas autem quantitatis: & vt longitudinis linea, latitudinis planum, altitudinis solidum corpus: Qualitates verò

qualitas: vt calor caliditatis. Situs autem agere & pati: in dispositionis nāque compositione quædam generatio simplicium fit, quam in motiua actione consistere necesse est. Quando vero tempus. Vbi vero locus. Habere autem corpus: ea enim, quæ circa corpus sunt, habere dicuntur. Eorum verò quæ in subiecto non sunt, indiuiduorum corruptio quidem est in primis; generatio autem in his quæ mox post priorum constitutionem consistunt. Eorum vero, quæ de ipsis prædicata sunt, ea a quibus omnino generaliter nulla est prædicatio, vt omnes quidem homines eius hominis, qui communis est, & vniuersalis. Recipit autem facere, & pati contrarietatem, & magis & minus: secare enim ad plantare contrarium est, & vrere ad humidum facere, & calefieri magis, & minus dicitur, & infrigidari, siccari, & humidum fieri, tristari, & gaudere magis, & minus dicitur.

DE PASSIONE. Cap. III.

PAssio est effectus, illatioque actionis, secundum quam hæc quidem patiuntur magis, illa vero minime: secundum quod quædam animantiora sunt alijs; vt animantius quidem brutum est arbore, animantius vero irrationali, rationale. Omnia vero, quæ de actione dicta sunt, eadem dici possunt de ea, quæ in rebus est, passione; quadam autem prolatione non recta, sed mutatione. Est autem pati eorum, quæ multipliciter dicuntur: animæ enim actionum vnaquæque passio dicitur, quas quidem sub actione locuti sumus: vt amor, odium, tristitia, & gaudere, quæ omnia qualitates passibiles, actiones animæ appellamus. Dicitur quoque passio, quod in naturam agit: vt morbus, febris, ægritudines, & reliqua quæ qualia dicta sunt. Passio vero, vt dictum est, prima est generatio actionis. Non est autem in agente passio, sed in eo in quo agitur, & operantis actum suscipit: percutiens enim pati non dicitur, sed materia actum suscipiens. Ea vero, quæ nunc relinquuntur, in eo qui est de Generatione libro, tractantur. Et de passione hæc sufficiant.

DE QVANDO. Cap. IIII.

QVando vero est, quod ex adiacentia temporis relinquitur. Tempus verò quando non est, vtriusque autem ratio coniuncta est, vt tempus quidem præteritum quando non est: effectus autem eius, & affectio, secundum quam dicitur aliquid fuiße, quando est. Instans autem quando non est, sed secundum quod aliquid æquale, vel inæquale est: eius autem affectio, secundùm quam aliquid dicitur in instanti esse, quando est. Futurum similiter tempus quando non est, sed id, quod futurum est: quoniam contingere necesse est, secundum quod aliquid dicitur futurum esse cras, vel in aliquo tempore. Est igitur quando, aliud ex eo, quod abijt; aliud ex eo, quod instat; aliud vero ex eo, quod necesse est contingere. Dictum est enim in Categorijs præteritum, & futurum esse

ſe quantitates, & quod magis eſt continuans ad præſens, de præterito quidem dictum eſt hoc, non quod in ſubſtantia permaneat, ſed quoniam in exceſſu ſuo nondum præterijt, de futuro autem, quoniã neceſſe eſt contingere, quod tantum eſt, ac ſi inſtaret: nulla enim differentia eſt in eo, quod permanet, et quod futurum eſt, & quod nũc abijt. Quamobrem & de futuris agitur, & ſecundum ea aliquid dicitur, & nuncupationem exiſtentium ſortiuntur, vt Sol orietur cras, cras erit nauale bellum, heri obijt Socrates: & aliquid dicitur ſecundum tempus id, quod futurum eſt, de eo, qui naſcetur futurum, aut neceſſario de eo, quod eſt, vt Callias diſputabit cras, vel non diſputabit cras: diſputabit enim, futuram actionem ſignificat: nihil autem inde eſt, quod in ſubſtantia adhuc ſit. Differt enim quando, ab eo quod eſt vbi: quoniam in quocunque tempus eſt, vel fuit, vel erit, in eo quidem quando, eſt, vel fuit, vel erit, quod ſecundum idem tempus dicitur: quando enim quod exiſtenti eſt cum ipſo inſtanti eſt, & ſimul in eodem ſunt: quãdo vero ex eo quod abijt, & quod futurum eſt, nunquam ſimul erunt; vbi vero, & locus a quo eſt, vel ſit, nũquam ſimul in eodem; vbi autem in circunſcriptione eſt: locus autem in complectente. Diſtat autem quando, quod ex præterito eſt: ab eo quod ex futuro procedit: quoniam quando, quod ex futuro, præterito poſterius eſt; quod vero ex præterito, eſt prius futuro. Quando autem vnum, & idem, primum quidem ex futuro eſt, ſecundum ex præſenti, poſterius uero ex præterito: quemadmodum tempus: primum quidem nunc eſt futurum, poſtea vero præſens, deinde præteritum. Sicut autem, & tempus, aliud quidem compoſitum eſt, aliud verò ſimplex. Eſt autem compoſitum, quod in compoſita actione conſiſtit, ſimplex verò quod cum ſimplici procedit. Et ita quando aliud ſimplex, aliud compoſitum; ſimplex quidem, vt in momento, & nunc eſſe; compoſitum autem, vt in hora, die, hebdomada, & ſimilibus. Amplius, quemadmodum temporis partes ſine mora ſuccedunt; ſimiliter, & partes, quando: quando quippe præteritum, & futurum ad præſens copulatiue reducuntur. Diſtat autem, & tempus ab eo quod quãdo; quoniam ſecundum tempus aliquid eſt menſurabile: vt motus annuus, qui & motus multus dicitur, eo quod multo tempore permanet. At verò ſecundum quando nihil menſuratur, ſed aliquando dicitur, eſſe, & ſecundum idem temporale, & variabile pronunciatur, ineſt autem quando non ſuſcipere magis, & minus: non enim dies, vel diurnus magis, & minus die, vel diurno dicitur, nec vnumquodque diurnius alio: ſic & de alijs: quare omni quando ineſt, non dici ſecundum magis, & minus. Amplius, quando nihil eſt contrarium: etenim quando ex præſenti eſt vnum, & idem quando de futuro, & præterito; impoſſibile eſt autẽ duas de eodem prædicari indiuiduo contrarietates. Amplius autem, contraria nunquam in eodem erunt ſimul, quando autem, quod ſecundum pręteritum, & futurum, ſimul erit in eodem: idem namque quod eſt fuiſſe, verum eſt eſſe, & permanſurum. contrariorum vero ratio eſt, nunquam in eodem ſimul conſiſtere, ne-

que de indiuiduo eodem dici, & in eodem tempore. Quare contrarietas in eo, quod quando est, non enunciabitur. Est autem quando in omni eo, quod incipit esse, vt corpus quidem vniuersum aliquando est, & in tempore: suscipit enim temporum alterationes; alteratur enim corpus in æstu, vere, hyeme, & autumno. Similiter autem, & animalia quædam in hyeme, quædam in æstate, quædam in vere speculantur secundum instrumenti complexionem. Anima enim coniuncta corpori imitatur complexiones ipsius, vt qui aridæ, vel gelidæ compaginationis, dementiores seipsis in autumno fiunt sæpe: quibus vero sanguis principiatur, in vere. Similiter autem, & in alijs secundum similitudinem cõplexionis animalium, & temporum. Erit igitur in tempore, quicquid temporis suscipiens variationes mutatur secundum tempus. Huiusmodi vero sunt quæ dicta sunt: de paucis autem, aut de nullis aliàs conuenientius erit proferre.

DE VBI.

Cap. V.

Vbi vero est circumscriptio corporis, a circumscriptione loci proueniens. Locus autem in eo, quod capit, est, & circumscribit. Est ergo in loco, quicquid a loco circumscribitur, & cõplectitur. Non est autem in eodem locus, & vbi, locus autem in eo, quod capit: vbi vero in eo quod circumscribitur, & complectitur. Videtur autem non omnia adesse: anima enim nusquam est, nullum enim locum occupat, neque implet: animatum namque aliud capere potest. Nunquam autem contingere palam est occupatum quidem aliquo locum capere aliud, & complecti posse occupante permanente, granum enim modio adueniens, retineri non posset, aere, quo implebatur quiescente: aere enim expulso granum vtique recipitur. Nequaquam igitur duo in eodem loco esse simul possunt, nec idem vnum in diuersis: Quãobrem nec anima quidem localis erit, cum locum nullatenus occupet: Similiter autem, & quæcumque à corporis ratione, dissentiunt loci carent circunscriptionẽ. Mouebit autem quis quæstionem fortasse, idem in diuersis, & pluribus concludens: etenim vox in auribus diuersorum est, vox autem, & si aer non sit, esse non poterit sine aere: & in auribus diuersorum est. Quare dicitur, & corpus idem esse in diuersis locis: vox enim omnino vna, & eadem in diuersis quidem aeris partibus esse non potest. Concedentibus itaque nobis vnam, & eandem vocem omnino in auribus diuersorum sentiri, vtique, & confiteri oportet omnino vnam particulam aeris, ad aures diuersorum peruenire: simpliciter autem vnum, & in pluribus totum impossibile est inueniri. Quamobrem etiam concedere cogimur, vel diuersum quidem in auribus diuersorum sentiri, vel vnum, & idem omnino in pluribus locis. Relinquitur igitur diuersum sensum esse imaginabiliter se generantium, & similiter: quare & vox quædam non animalis est: ea enim quæ imaginabiliter fit similiter animalis non est, quoniam ab animali non profertur. Adhuc autem dicimus omnem vocem animalis esse. Quis enim vocem ab initio audiuit in silen-

silentio quidem simpliciter, nisi animalium? quare vox quidem animalis dicitur, quæcumque quidem ab ipso proferente fit, vnius ergo vox ad aures diuersorum dirigitur: vna autem, & eadem non contingens est. Vbi autem, aliud quidem simplex, aliud vero compositum, Simplex quidem, quo ex simplici loco procedit: compositum autem, quod ex composito. Locus autem simplex est origo, & constitutio eius, quod est continuorum. Locus autem, vt dictum est compositus quidem habet particulas copulatas ad eũdem terminum, ad quem particulæ corporis copulantur: corporis vero partes iuxta punctum: loci ergo particulæ solidorum particulas claudunt: etenim loca simplicia corporis minimi occupatiua sunt. Quare nec locus sine corpore, nec soliditas sine loco erit. Contentio autem de sphæræ extremitate oritur: nihil enim extra ipsam est. In ea autem locus esse non poterit, vt dictum est a Superioribus, quod ab eo quidem loco ambitur. Consitentibus ergo nobis sphæram localem esse, contineri vtique necesse est, alio quidem, præter eam, in quo extremitatis locus existat: nihil autem præter ipsam est, quare extremitas quidem in loco non est: de huiusmodi autem insolitum, & occultum est pronuntiare, & contra sensibilia. Caret autem. Vbi intensione, & remissione: non enim dicitur alterum, altero magis in loco esse, vel minus licet etiam maiorem, vel minorem locum possideat, non autem secundum Vbi, vel secundum, quantitatem aliquam, est magis, & minus, sed secundum id, quod quale est. Nõ est autem vbi aliud contrarium: eo quod nec loco quidem inest contrarietas: locum enim loco non est contrarius. Quod autem nec alijs manifestum est: sursum enim et deorsum esse contraria pluribus uidentur: multum enim distare uidetur id quod sursum est ab eo, quod deorsum est, queãdmodum sursum, & deorsum: quare contrarietas uidetur, ubi circa sursum esse & deorsum, quemadmodum circa locorum quantitates. Contingit autem contraria in eodem esse: sursum enim; & deorsum esse, in eodem sunt: idem enim sursum, & deorsum est ad diuersa quidem sumptum: nam turris altitudo sursum est ad nos, sphæræ autem extremitati comparata inferior est. Amplius contrarium sibimet quidem idem fore contingit: si enim sursum esse, & inferius esse contraria sunt, cum idem sursum, & deorsum sit, colligitur idem sibimet contrarium fieri. Non ergo contrarietas ulla in eo quod in loco est.

DE POSITIONE.

Cap. VI.

P*ositio est quædam partium situs, & generationis ordinatio secundum quam dicuntur stantia, uel sedentia, uel aspera, uel lenia, uel quodlibet aliter disposita: sedere autem, & iacere positiones non sunt, sed denominatiue ab his dicta sunt. Solet autem quæstio induci de curuo, & recto, aspero, & leni, quadrangulo, & triangulo, bicubito, & tricubito, magno, & paruo breui, & longo, & similibus: quandam enim positionem partium significare uidentur: Asperum enim dicitur, cuius partium una alteri supereminet. Lene uero dicitur, cuius particulæ æqualiter porrectæ sunt, similiter autẽ & de alijs.*

Non

Non sunt autem positiones ea, quæ dicta sunt omnia, sed qualia circa situm existentia: ex eo namque quòd partes sic sunt dispositæ, ex eo talia sensibus iudicantur: non autem ex eo quòd talia, scilicet & aspera, & lenia, vel bicubita, vel tricubita sunt: similiter autem & de alijs huiusmodi, quæ partiū habent positionem. Erit igitur vnumquodque prædictorum non positio, sed quale quod circa positionem nascitur. Suscipere autem uidetur situs cōtrarietates; nam sedere, ad id quod stare, contrarium esse uidetur contraria enim sunt, quæ in eodem indiuiduo, eodemque tempore impossibile est reperiri: uicissim tamē possibilia inesse: sedens autem illico stare potest, & stans sedere, quocunque autem sedente, impossibile est eundem stare. Ponentibus autem nobis hæc contraria esse inconuenientia recipere cogimur, hoc, quod unum sit contrarium plurium; secundum enim dictorum consequentiam nō magis sedere ad id quod est stare contrarium est, quàm ad accumbere. Similiter autem & quemadmodum sedere, & stare, nunquam in eodem simul reperiuntur, ita et accumbere, & sedere, & stare: secundum igitur huiusmodi dispositiones situi nulla contrarietas inerit. Fortassis autem, nec insolitum quidem putabitur unum plurium esse contrarium: pallor enim ad album, & nigrum cōtrarium esse uidebitur: nam sub eodem genere cū sint, nunquam simul inueniuntur, & uicissim transmutantur: relinquitur ergo unum pluribus esse aduersum. Non est autem pallidum ad nigrum, uel album contrarium: etenim cum utroque, in eodem est: pallidum enim, & colores reliqui ex albo, & nigro conficiuntur: necessarium ergo in quocunque pallidum est, in omni eo esse album, & nigrum: similiter autem & de cæteris quidem coloribus. Amplius autem contrariorum quidem ratio est, circa idem natura existere: sedere enim, & iacere, non circa idem natura sunt seiuncta: est enim sedere propriè circa rationalia; iacere uerò, & accumbere circa diuersa; huius autem signum est equi, & homines similitudo, quibus sine dubio accubitus esse probatur. Proprium autem positionis, neque magis, neque minus dici. Sedere enim non magis positio est, quam accumbere, neq; minus, neque sedens alterum altero magis, & minus dicitur, neque accumbens, neque uniuersaliter secundum aliam positionem. Magis autem proprium videtur esse positionis, substantiæ proximè assistere: omnibus quidem alijs formis suppositis. Positio autem nihil aliud est, quàm naturalis ipsius substantiæ ordinatio, qualis vel a principio quidem innata est, vt ea quæ asperis, & lenibus, æqualibus, & inæqualibus inest: vel a naturali quidem motu consueta, vt sessio, & accubitus, & similia. Quicquid igitur proxime substantiæ est assistens, id necessario positio est, & omnis quidem positionis huius ratio suscipit prædicationem.

DE HABITV. Cap. VII.

Habitus est corporum, & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia: secundum quam hoc quidem habere, illa verò dicuntur haberi. Hæc autem non secundum totum dicuntur: sed secundum particularem diuisionē: vt armatum esse, calceatum esse. His autem

autē neque simplicia nomina imposita sunt, quibus ea appellātur, sed sunt eis posita armatio, calceatio: horum autem secundum proportionem, & reliquis. Suscipit autem habitus magis, & minus: armatior enim est equus pedite dicitur & calceatior, qui calceamentis, & caligis vtitur, quam qui solis calceamentis, vel caligis vtitur: in quibusdam autem non videtur quod cum magis, & minus prædicentur: vt vestitum esse, & similia. Habitui quoque nihil est contrarium: etenim armatio calceationi non est contraria: idem etenim armatus, & calceatus: quod autem alijs contrarium non est, palam est: similiter autem his & reliqua. Proprium quidem habitus est in pluribus existere, vt in corpore, & in his quæ circa corpus sunt existentia; adiacet enim corpori, & his quæ circa corpus sunt: hoc autem, vt dictum est, fit secūdum eā, quæ est in partibus diuisionem. In paucis autē alijs principijs huiusmodi inuenies: in quantitate enim solū & in his, quæ ad aliquid sunt similia reperies ad aliquid autem, vt figuraliter dicatur, & similitudo, & dissimilitudo, quæ insunt pluribus similibus, et dissimilibus. Quātitas aūt, vt numerus, qui in numerabilibus inest, vtique semper crescens secundum vnitatum multifariam ascēsionē. simpliciter autem nihil inuenies tot distribui partibus, vt numerum: non autem omnis quantitas, aut relatio talium est. Habitus autem omnis in pluribus necessario existit, vt in corpore, & in his quæ circa corpus sunt. Omne igitur quod in corpore, & circa corpus est existens, habitus nomen sortitur. Quare magis proprium quidem habitus erit in corpore, & circa corpus existentibus, secundum eam, quę partium est diuisionem, vt in pluribus existere. Dicitur autem habere multis modis: habere.n. dicitur alterationem, vt albedinem, & nigredinem: quantitatem, vt longitudinem: nihil enim aliud est dicere albedinem, aut lōgitudinem habere, quam album, aut lōgum esse. Dicitur etiam vas aliquid habere, vt modius triticū, quod nihil aliud est habere, quam continere. Habere quoque in membro dicimur, vt in digito annulum: quod tantundem est dicere, quantum est digitum in annulo esse. Dicitur vir vxorem habere, & reciprocè vxor virum: hic autem insolitus est habendi modus, quo vir habetur, vel haberi dicatur: hoc autem habere nihil aliud est quàm cohabitare. Quare modi habendi, qui dici consueuerunt, quinario numero terminātur. Fortassis quidem essent alij modi habendi, præter hos qui dicti sunt: sed si qui sunt diligens inquisitor inueniat. Et quidem de principijs hæc dicta sufficiant: reliqua vero in eo quod de Analyticis est, quærantur volumine.

De eo, quod est plus, minusve suscipere. Cap. VIII.

D*Icitur autem magis, & minus suscipere tripliciter. Aiunt enim quidam secundum crementum, vel diminutionem eorum, quæ suscipiant subiectorum, aliter autem & alij ipsa quidem, quæ suscipiuntur, in suscipiente diminui, & crescere annunciant. Alij autem secundum vtrumque amborum diminutionem, & augmentationem. A primis itaque incohantes, quæ eorum rata sit, ac firma sententia manifestabo. Si quis vero primam, & secundam destruxerat,*

struxerit, vtique & tertiam destruit, qua ex vtraque conficitur coniunctione. Non ergo secundum suscipientium ipsorum crementum, vel decrementum, cum magis, vel minus aliqua dicentur. Nulla enim ratio obuiaret dicenti hominem, & animal, & substantiam, & cetera consimilia cum magis, & minus dici, concedentibus nobis secundum subiecti intensionẽ, & remissionem qualibet cũ magis, & minus dici. Amplius autem equus quidem, & augmenti, & diminutionis motum frequenter sustinet: dicitur enim equus minor, vel maior lapide quodam, qui nunquam intensionem, & remissionem passus est: mons etiam alio mõte maior dicitur, cum neuter crescat, vel decrescat. Amplius autem margarita albior quidem equo dicitur, cui pedem album contingit habere: hoc autem non est, quia equus quidem in essentia à margarita superatur. Colligere igitur oportet, vel margaritã quidem albiorem equo pronunciari, secundum magnitudinem subiecti, vel paruitatem: vel non verum albiorem equo margaritam esse: vel nihil omnino magis, uel minus dici secundum subiectorũ magnitudinem, vel paruitatem, neque secundum crementũ, uel diminutionem. Hoc autem palam est, quod secundum magnitudinẽ subiecti margarita albior equo non dicitur, tamen margaritam albiorem equo esse non falsum est. Relinquitur ergo nihil secundum magnitudinem subiecti amplius, uel minus dici: similiter autem neque secundum paruitatem. Amplius autem neque secundum ea quæ inficiunt. Si enim secũdum magnitudinem albedinis, vel alicuius cæterorũ dicitur aliquid albius aliquo, vel secundum paruitatem minus albũ, vel quomodolibet aliter vtique, & minus albus equus, vel homo, vel quodlibet aliud albius margarita dicetur; etenim maior albedinis quantitas equo accidit, quàm margaritæ. Amplius autem magis, & minus alterum altero dicitur non secundum subiecti, neque accidentis crementum. Quoniam autem non secundum subiecti crementũ & magnitudinẽ aliud paruius alio dicatur, manifestum est; neque ergo secũdum ipsius accidentis ampliorem quantitatem; etenim quantitas vltra subiectum protendi non potest, quoniam terminus quantitatis est corpus, paruitas autem quantitati supponitur, quare vltra paruum quidem subiectum paruitas ipsæ nõ porrigitur; quanto igitur subiectum paruius efficitur, tanto paruius quantitas minoratur. Patet itaque nihil secundũ magis, & minus prædicari, neq; secundum subiectorũ solum augmentum, vel diminutionem, neque secundũ accidentia, quare neque secundum vtrumque. Oportet igitur ab alia causa inuenire, quæ cũ magis, & minus dicantur. Huiusmodi vero sunt ea, quæ sunt in voce eorũ quæ adueniunt, & non secundum subiecti vel mobilis crementum, vel diminutionem, sed quoniam eorum, quæ sunt in voce, impositioni propinquiora sunt, siue ab eadem remotiora sunt: de his: etenim cũ magis dicuntur, quę proximiora sunt ei, quæ in ipsa voce est impositioni, cum minus autem de his, quæ remotiora consistunt: Vt album dicitur illud, in quo pura albedo est: quanto igitur ad vocis impositionem accedens puriori inficitur albedine, tanto, & candidior assignabitur, & paruũ quidem dicitur, quod alijs comparatum staturæ diminutione, & quantitate vincitur, quic-

quicquid igitur est, quod in quantitatis mensura superatur, id continuo paruius pronuntiatur, similiter autem de alijs. Dubitabit autē aliquis, quare hæc quidem cum magis, & minus dicātur, substantiæ vero minime. Hoc autem contingit, quoniam substantiarum impositio quidem in termino est, vltra quē trāsgredi impossibile est. Additur autem, & de accidentibus quibusdam, quæ sine magis, & minus dicuntur: vt quadrangulus, & triangulus, & similia, non enim triangulus magis vnus altero dicitur. Contingit autem, quoniam in substantiarum quidem designatione accipitur, & quadrangulus quantitas nuncupatur, & corpus quadrangulatum: vel eadem, quæ in superioribus est ratio, hic vetat, quoniam huiusmodi impositio in termino facta est ultra quē transgredi non licet, quemadmodum in superlatiuis: etenim albissimus, vel nigerrimus, & huiusmodi siue amplius sunt, & minus eo, quòd huiusmodi impositio in termino est, vltra quem porrigi impossibile est, & citra permanere: possibile enim si contingit, nullū sequitur impossibile: quapropter si omnes puncti componantur, nullā faciunt magnitudinem, quoniam punctus puncto additus nihil auget. Est autem generatio simplex, & corruptio non congregatione, nec segregatione atomorū, sed quando transmutatur ex aere specificato in hoc totum. In subiecto enim duo sunt quorum hæc quidem est forma secundum rationem: hæc autem secundum materiam: quando igitur in his duobus est transmutatio, generatio, & corruptio erit simpliciter secundum veritatem. Dicitur autem simpliciter generari, in his magis hoc aliquid, & forma, quam terra, musicus homo corruptus est, homo immusicus generatus est, homo manet idem: si quidem in his passio, non esset secundum se musica, & immusica, his quidem generatio esset, his autem corruptio. Ideo hominis quidem hæ passiones, hominis autem musici, & immusici generatio quædam, & corruptio: nunc autem est hominis hæc passio, manentis musica, & immusica, ideoque alteratio talis est. Est autem materia maxime quidem subiectum generationis, & corruptionis proprie susceptibile. Sed quare discens non dicitur generari simpliciter, sed quod generari disciplinatum, hæc determinata sunt in Prædicamentis: hæc autē hoc aliquid significant, & substantiam, hæc autem quale, hæc autem quantum. Quæcunque igitur nō substantiam significant, non dicuntur simpliciter, sed secundum aliquid generari. Est autem cui in est secundum naturam moueri, vt ignis.

Libri Sex principiorum Finis.

PERIHERMINIAS ARISTOTELIS LIBRI PRIMI EXPOSITIO,

Per Doctorem Franciſcum Toletum Societatis IESV, S. R. E. Cardinalem Ampliſſ.

De fine, ſeu ſcopo huius libri, inſcriptione connexione cum alijs, modo procedendi, & eius diuiſione.

ANte explanationem libri de interpretatione Ariſt. quatuor præmittere oportebit. Primo, quod inſtitutum, quis finis, & ſcopus huius libri ſit. Secundo, quæ inſcriptio libri, & quæ inſcriptionis cauſa. Tertio quam connexionem, & ordinem cum reliquis partibus Logicæ habeat. Quarto quis procedendi modus: ſcilicet, quæ libri diuiſio, quæve eius partes.

1. Finis, ſeu ſcopus huius libri. Circa primum aduerte, ſcopum, & inſtitutum huius libri, eſſe ſumendum à ſcopo, & inſtituto totius Logicæ; Logicæ autem inſtitutum hoc eſt, ſyllogiſmi, vel demonſtrationis, quæ perfectiſſima argumentatio eſt, cognitionem exactam tradere. Cum tamen demonſtratio, & ſyllogiſmus materiam, & formam habeant, materia autem ſint ſimplices propoſitiones, quæ ex ſimplicibus dictionibus, ſeu conceptibus componuntur, fuit neceſſarium, ſyllogiſmi cognitionem traditurum, de ſimplicibus vocibus, & de complexis, ac propoſitionibus prius diſſerere. Cum vero de ſimplicib. rerum ſignificatiuis vocibus in libro Prædicamentorum tractatū ſit, in hoc ſequenti libro noſtro de complexis, quibus uerum, vel falſum exprimitur, diſputat. Et hic eſt huius libelli ſcopus proximus.

2. Inſcriptio 1. opin. Huius inſcriptio eſt Græcè περὶ ἑρμηνείας, ideſt de interpretatione, ἑρμηνεία. eſt enim idē quod interpretor, nec illa eſt vna dictio, vt aliqui dicunt, ſed eſt genitiuus cum præpoſitione. Sed quid interpretatio ſignificet declarare oportet. Boet. in prima editione inquit, interpretatio eſt vox ſignificatiua per ſe aliquid ſignificans. Vbi duo docet interpretationem habere: eſſe vocem ſignificatiuam, nam uoces non ſignificatiuæ non dicūtur interpretationes; alterum eſſe ſignificatiuam per ſe, nam coniunctiones, & præpoſitiones, & ſinchategoremata non ſunt interpretationes, quamuis ſignificatiuæ voces ſint, quia per ſe non ſignificant.

At vero, quia iſta definitio non videbatur exacta, nā voces brutorū, cū ſignificatiuę ſint paſſionū ipſorū, interpretationes dicerentur, quod nō ita eſt, propterea in ſecūda editione ſua, aliā particulā addidit, nempe quod ſit vox articulata, i. ſyllabis, & pronūciatione diſtincta, ita, vt poſſit charactere deſignari, quales non ſunt huiuſmodi uoces brutorum.

At quia adhuc iſtud non ſatis erat nam ſunt voces brutorum articulatæ, quales Pſitacorum, Picarum, Coruorum, & aliorum, tandem addidit, quod ſit uox explicans conceptus internos, quales non ſunt illæ voces Pſitacorum.

Vnde licet ex omnibus eius dictis, integrā colligere deſcriptionē. Interpretatio eſt uox ſignificatiua per ſe articulata interiores paſſiones manifeſtans.

Ex quo aſſerit vnum hoc diſcrimen eſſe inter voces, vt in libro Prædicamentorū conſiderantur, & ut hic ſumuntur; illic enim vt rerum ſignificatiuæ ſunt veniunt in conſiderationem, hic autem, ut interiorum paſſionum manifeſtatiuæ, ac propterea titulus eſt de interpretatione.

Quod

Quod si obijcias non rectam inscriptionem esse, quandoquidem aliæ multæ orationes sunt interpretationes, nempe optatiua, & imperatiua, & reliquæ, de quibus hic non agitur, sed solum de Enunciatiua. Ad hoc respondet Boet. non esse inconueniens inscriptionem esse vniuersalem, quamuis nõ tractetur nisi de particulari, subdit exemplũ, si quis vellet de homine differre, rectè inscriberet, De animali.

Secunda opin. Aliter respondet Alex. istam esse mancam inscriptionẽ, oportet enim addere de interpretatione logica, seu philosophica, quæ sola enunciatio est.

Tertia opin. Ammonius dicit hic interpretationem sumi pro enunciatione, quia illa est præcipua interpretatio, qua verum, vel falsum exprimimus idem S. Tho. dicit, ex quibus constat, subiectum secundum hos Doctores huius libri esse enunciationem simplicem, quæ hic interpretatio dicitur; simplices enim dictiones non interpretatio, sed partes interpretationis sunt.

Primũ fund. Hæc doctrina est bona, & communiter recepta; at in hac parte tria existimo esse dicenda: Primo, nõ solũ uoces, ut cõceptuũ significatiuæ possunt hic cõsiderari, sed et ut rerum manifestatiuę sunt, nã Aristot. propositionem explicans, ꝙ sit uniuersalis, particularisq; semper in ordine ad res explicat.

Est autem discrimen inter ea quæ in prædicamentis, & hic considerantur, ut notat Alber. tracta. hoc 1. c. 2. in prædicamentis enim res præcipue considerantur, quæ uocibus significantur, & illa est rerum consideratio, & eorum quæ rebus insunt, uel accidunt, ut quod sint genera, uel species, at hic primo de uocibus, ut rerum significatiuæ sunt agitur, & de his, quæ uocibus primo insunt, ut esse nomen, uerbum, propositionem, & reliqua huiusmodi.

Secũdũ fund. & resp. ad qõ. de ĩscriptione. Dico 2. cũ Alber. loco allegato, & est maxime memoriæ mandandum. Propositio tripliciter potest considerari. Primo respectu rerum, ut rerum complexionem solum significat, & sic eius partes sunt nomen, & uerbum, similiter habet secundum hoc uaria accidentia, esse nempe, uniuersalem, particularẽ, affirmatiuam, negatiuam, ueram, falsam, simplicem, compositam, & alia. Altera ratione consideratur, ut est ordinabilis in syllogismo, uel argumentatione, & sic accidit ei cõuersio, ꝙ sit maior, aut minor, aut conclusio. Tertio consideratur, ut non solum est in argumentatione ordinabilis, sed est probatiua alterius, & sic est necessaria, probabilis, contingens, &c.

Cum igitur tripliciter consideretur enunciatio, hic primo solummodo consideratur, nempe respectu rerum quarum complexionem uere, uel falso significat. Secundo uero modo ad libros Priorum pertinet. Tertio mõ ad reliquos libros. Vt autem hoc esset manifestum, propterea inscribitur de interpretatione, ut intelligamus hic enunciationem considerari, ut rerum est significatiua, respectu quarum interpretatio dicitur.

Propterea multo melius Interpretationẽ, quàm Propositionem dixeris esse obiectum non enim hic de ea, ut est argumentationis pars, disseritur, sed ut est rerum significatiua; quod inest ei primo. 3. Fund.

Dico tertio, quãuis possimus dicere hic interpretationẽ esse inscriptionẽ particularem: tñ possumus etiã sustinere uniuersaliter sumi pro quacunque et oratione, licet intentio nõ sit nisi de sola enũciatiua tractare. sufficiet. n. quod oratio in communi definiatur, & diuidatur, vt fit in c. 4. huius ad hoc, quod simpliciter inscribatur de interpretatione.

Dubitatur, an Enunciatio simplex tantum sit huius obiectum, an enunciatio in cõmuni, ut comprehendit tam simplicẽ, quam coniunctam. Ammo. & S. Th. & fere reliqui affirmant simplicem enunciationem hic esse obiectum, non autem, tractari de coniuncta. Cuius duplex est ratio. Altera est S. Tho. quia coniuncta constat ex simplicibus, propterea ad eas refertur. Primũ Dubiũ. opin. prima.

Altera ratio est, quæ etiam est Ammon. Pro qua aduertere oportet, istos antiquos Doctores non uocare hypotheticam propositionem, nisi conditionalem, quia hæc non habet uirtutem absolutam, sed ex suppositione: ut qui dicit, si homo currit, mouetur, absolute non dicit quod currat, nec quod moueatur, sed ex suppositione dicit, si homo currit, tunc uerũ erit, quod mouetur; dicitur hypothetica, qđ ex suppositione aliqđ differat. Nota.

Hoc supposito est ratio horum Doctorũ hic agitur de enunciatione, cuius futurus est usus in demonstrationibus, & aliis syllogismis, sed hæ propositiones cum non habeant ueritatem absolutam, non sunt aptæ ad quicquam

quam

quam probandum, nisi quatenus fundantur in simplicibus, vt patet: si homo currit, mouetur, nihil probat, nisi adiungas simplicem, homo currit, ergo mouetur, propterea non meminit nisi simplicis.

Hæ rationes, salua pace, mihi non placent, nam cum coniunctæ sint enunciationes, & verum, vel falsum significent, & sint aliæ pręter conditionales: profecto alicuius partis logicæ istæ erunt, cum autem non alterius, erit huius præsentis.

Propterea probabile mihi videtur hic quālibet enunciationem considerari, cum Aristo. omnem definiat in cap. & diuidat in simplicem, & coniunctam, qđ si Arist. pauca tradidit de his, hoc est, quia hic considerantur nō vt syllogismum ingrediuntur, sub qua ratione habent multa peculiaria, sed sub ea ratione hic sumuntur, vt uerum, uel falsum complexe dicunt, quomodo fere eadem cum simplicibus communia habent.

Dubiū secūdū. Dubitatur utrum vna uox sit dicenda interpretatio, an potius tota enunciatio, Boet. & Alber. existimant singulas voces per se esse interpretationes. at S. Tho. id non recipit: sed potius dicendas esse partes interpretationis censet: & mihi placet. Cuius ratio hæc mihi se offert, quia hic simplices uoces non per se considerantur, sed ut partes enunciationis sunt, cum autem partes obiecti non habeant idem nomen cum toto obiecto, non enim partes animalis recte uocabis, animalia quod est obiectum in scientia de animalibus, ita nec partes enunciationis dicentur interpretatio, sicut ipsa enūciatio, quæ vt interpretatio est, est obiectum in pręsenti libro.

1. opin.

2. opin.

Tertiū, cōnexio huius libri cum cæteris. Sequitur circa tertium de connexione huius cum reliquis partibus Logicæ. Pro quo aduerte, Logicam esse regulam operationum intellectus quantum ad veritatem, vel falsitatem: Et quia voces respondent conceptibus, & operationibus intellectus, inde etiam logica regulat sermonem quantum ad veritatem, sed secundario, & mediate, opus erit ergo intellectus operationes cognoscere, nam quo ordine ipsæ procedunt, eodem etiam partes Logicæ.

Triplex igitur est operatio intellectus. Prima res singulas per se, & seorsum intelligere, quæ dicitur simplicium appręhensio, cui operationi respōdet locutio simplicium vocum per se. Altera est compositio, vel diuisio, idest quando rem vnam alteri copulando intelligimus, siue affirmando, siue negando; cui etiam respondet sermo, qui per solas propositiones fit: tertia est ratiocinatio, quando ex uno cognito alterum cognoscimus: cui respōdet discursus uocalis.

Iuxta has operationes tres, est triplex Logicæ pars. Prima circa simplicia, & ita est liber Prædicamentorum; secunda circa composita, & ita est iste liber; tertia circa discursus; & sunt reliquæ Logicæ partes.

Hinc patet hunc librum esse immediate post prædicamenta, & inde apparet utilitas eius, ut enim sine compositione non discurrimus, ita nec sine libro hoc constabit doctrina sequentium.

Quartū. Quis modus pcedendi, & diuisio libri. Circa 4. quis sit modus procedendi. Dico esse facilem, sępe definitiuum, exemplarem, inductiuum: tandem de diuisione dico præcipue hic agi de quadruplici propositione, & ipsius proprietate, primo de simplici finita, deinde de simplici de extremo infinito, rursus de propositione, de tertio adiacente, & ultimo de propositione cum aliquo ex illis quatuor modis.

ARI-

ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM PRINCIPIS, De Interpretatione Liber Primus, SEVERINO BOETIO INTERPRETE.

SVMMA LIBRI.

De Notis, De Orationis principijs, De ipsa Oratione, Enunciatione, ac ipsius speciebus, De Enunciationum oppositionibus, ac circa ipsarum ueritatem, & falsitatem regulis, in quocunque tempore.

De Notis: Et vt intellectu, ita etiam in voce uerum, & falsum reperiri.

CAPVT PRIMVM.

Sectio prima secundũ Græcos.

PRimum oportet ponere quid sit nomen, & quid verbum: postea quid est negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio.

Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ: & ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in uoce. Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec eædem uoces.

Quarũ tamen hæ primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt: & quarum hæ similitudines, res etiam eædem. De his uerò dictum est in ijs qui sunt de Anima: alterius enim hæc sunt negotij. Est autẽ quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine utro uel falso, aliquando autẽ cui iam necesse est horum alterum inesse: sic etiã in uoce, circa compositionem enim, & diuisionem est uerum, & falsum. Nomina igitur ipsa, & uerba consimilia sunt ei, qui sine compositione, & diuisione est, intellectui, ut homo, uel albũ, quando non aliquid additur, neq; enim falsum, neque uerum adhuc est. Signum autem huius est, bircoceruus enim aliquid significat, sed nondum uerum aliquid, uel falsum, nisi esse, uel non esse addatur, uel simpliciter, uel secundum tempus.

In 3. de Anima trac. 39.

Circa cõpositionẽ, & diuisionẽ est uerũ, & falsũ.

PRimum oportet constituere, quid sit nomen. Hoc caput diuiditur in duas partes. In prima quæ proœmij loco est Philosophus, proponit ea, de quibus tractaturus est. In secunda, quæ ad tractatum pertinet, de uocum significatione differit.

Proponit igitur esse necessarium ante omnia constituere, idest definire, quid sit nomen quid verbum, quid negatio, affirmatio, & oratio. Dicit autem (Primum) idest ante doctrinã syllogismi, & demonstrationis, qui finis totius Logicæ sunt. Dicit (oportet) quasi necessarium sit ita, vt absq; horum cognitione nõ possit demonstrationis haberi cognitio. Dicit (Constituere, seu ponere) id est definire quia definitio positio dicit solet. Post proponit ea, quæ tractanda sunt: inter quæ vnum

est obiectum: nempe Enunciatio: Alterum enunciationis genus, scilicet Oratio: aliud enunciationis species, affirmatio, & Negatio, aliud partes essentiales enunciationis, s. Nomen, & verbum.

Dubiũ primũ. Hic primo dubitabis, cum scientia nõ definiat subiectum; cur quærit, quid sit enunciatio? Respõs. Dico scientiam definire quidem suũ obiectum, non tñ ꝓbare definitionẽ de suo obiecto v.g. scientia de aĩa definit, qd sit aĩa, non tñ ad eam scientiã pertinet probare talẽ definitionem de aĩa: ita similiter hic definitur enunciatio, sed definitio non probatur.

Dubiũ secũdũ. Dubitatur 2. quare non dixit oportere definire, quid sit propositio, seu enunciatio vniuersalis, particularis, vera, falsa? Respõs. Dico; ea quæ sunt in scientia duplici modo cognoscuntur. Quædam definitione, quale est, subiectum, & ipsius partes. Quædam discursu, & probatione, quales sunt proprietates: ac propterea Arist. non dixit, quid sit vniuersalis, vera, falsa, quia ista demonstranda potius, quam definienda sunt: ac propterea ẽt dicit, oportet primum definire, quid nomen verbum, & reliqua, quasi passiones cognosci nequeant, & probari, nisi præsupposita definitione subiecti, & ipsius partium.

Dubiũ tertiũ. Dubitatur 3. de ordine isto, quo tractanda enumerat, vltimo enim loco orationem, quæ genus est ponit, cum tñ generis priu quã specierum cognitio sit tradenda, vt docet Arist. 1. de partibus ca. 1. Præterea negationem affirmationi præposuit, cum constet affirmationem priorem esse. Ad hoc accidit Arist. post in progressu ordinem præposterũ obseruasse, nã prius de oratione, secundo de affirmatione, vltimo de negatione disseruit.

Prima opin. Respõdet S. Tho. huius causam esse, quia inceperat proponere partes, dum posuit nomen, & verbũ: postea, vt eandem rationem partium continuaret, posuit affirmationẽ, & negationem, quæ sunt species enunciationis, & enunciationem postea, quæ est species orationis; partes autem species dicuntur, non sicut nomen, & verbũ, quæ sunt partes essentiales, species autem sunt partes potentiales generis, sed ista ratio non mihi admodũ placet: quia si ista causa sufficiebat: vt species generi anteponeret, quare nõ fecit, vt eundem postea ordinem in tractatu obseruaret.

Solutio. Propterea dico cum Boetio in 1. Editione id esse factum, ne si primo loco orationẽ constitueret, arbitraretur ipsum hic de qualibet oratione dissertum, quod ita non est propterea species anteposuit: vt genus non alia ratione considerari hic intelligeremus, quam ut has species continet, quarum hic est præcipua consideratio.

Dubiũ 1. opin. Ad illud de affirmatione, & negatione respondet S. Tho. admittendo affirmationem esse priorem: tamen, inquit, negationem magis includere rationem partium, a quibus incipit Aristo. Nam negatio dicit diuisionem, & separationem prædicati a subiecto, diuisio autem partes importat.

Secũda opin. Aliter respondet Sirianus, vt refert Boet. inquit n. duplicem esse ngationem. Vnã quæ consurgit ex defectu aliquo particulari, sicut non currere eum, qui currebat, & talis posterior est affirmatione. Alteram ex defectu cõmuni; sicut ex non esse, & hæc prior est, prius enim fuit non esse, quam esse. Sed ista opinio est extra Arist. vt bene dicit Alber. qui mundum semper esse, & fuisse posuit. Tertia opin. & uera. Boet. dicit, negationem esse quidem posteriorẽ affirmatione si vna ad alteram referatur: at si ad suũ genus comparentur, vna altera prior nõ est, cum sint species independentes respectu generis, & ita non est mirum, si negationem præposuerit, cum sit species, sicut affirmatio, & hæc est bona, & apta responsio.

Solutio. Quamuis possimus etiam cũ Alber. tract. hoc 1. cap. 3. dicere, nempe hic considerasse Arist. has species, ut oppositionem habent, & quia oppositio incipit a negatione, ad quam omnia opposita, ut supra diximus, reducuntur, propterea eam præposuit; an tamen istæ species sint, postea examinabimus.

Sunt ergo ea, quæ sunt in uoce, &c.

Aristoteles de verbis, nominibus, & orationibus tractaturus, quæ significatiua sunt, de eorũ significatione, & diuersitate significãdi ante oĩa disputat, vt docet Boet. Et qdẽ in hoc textu quatuor assertiones continentur.

Primũ fund. Pro quarum declaratione fundamentum unum aduertendum est. Homo tripliciter se circa res habet. Primo ipsas non solum sensu, sed etiam intellectu percipit formãs earũ similitudines, quæ dicuntur passiones, & conceptus; at quia isti cõceptus occultissimi sũt, utitur uocibus, uelut quibusdam signis ad tales conceptus explicandos; Cum autem uoces hæ non sint permanentes, nec notæ simul

nec

& omnibus præsentes possint; vtiur homo aliō signo, nēpe scriptura, vt docet Aug. tomo 3. lib. 2. de doct. Christ. cap. 4. sunt igitur quatuor res cognitæ, ipsi conceptus, & cognitiones, quæ dicuntur passiones, & voces, & scripturæ.

Hoc supposito est, prima Aristot. assertio. (Ea quæ sunt in voce sunt signa, & notæ passionum, quæ sunt in anima, & ea quæ scribuntur eorum, quæ sunt in voce) idest. voces explicant conceptus internos animæ, & scripturæ ipsas voces explicant. Vocat passiones conceptus intellectus, non quod intellectus patiatur, quando intelligit, passione aliqua destructiua, sed quia intellectus intelligit recipiēdo species a rebus. s. intelligere pati, & intellectio passio dicitur 3. de anima capitū 41. Dicit autem passiones, quæ sunt in anima, quia vt inferius dicemus, voces significant res, vt ab anima intelliguntur, atque indicant ipsos conceptus. Et ideo excluduntur voces brutorū, quę hasce passiones non explicant, & etiam voces humanæ, quibus naturaliter affectus explicamus. Loquimur enim hic de voce explicante conceptus intellectus.

Ex quo comperitur deceptio Andronici quem citat Philop. 1. Animæ. Tex. 3. & reprehendit de hoc; existimantis hunc non esse librum Arist. quia non vocat. Aristoteles conceptus, passiones in libro de anima: sed iam hoc ex ipso Arist. probauimus esse falsum.

Hæc verba Alexander interpretatur similitudinarie, idest, sicut uoces sunt signa conceptuum, ita scripturæ vocum: at Porphyr. & Boet. hoc non recipiunt, nam voces ita sunt signa conceptuum, ut mutatis uocibus non mutetur rei conceptus, At voces mutantur ex mutatione scripturarum: aliter enim una uox, aliter altera scribitur.

Dubiū. Dubitatur primo circa assertionem, quare Arist. non dixit uoces, sed ea quæ sunt in uoce; uel, literas sed ea quæ scribuntur; & non dixit passiones, sed passiones quæ sunt in anima. Ad hoc respondet Porph. hic intelligenda esse semper nomen, & uerbum, orationē, & reliqua: Est. n. oratio triplex, & quæ fit, in intellectu, & quæ fit uerbo, & quę scripto, ut ēt dicit Ammon. ac ideo ad distinguendū dicit ea quæ sunt in uoce, idest, nomina, uerba, & reliqua, quæ uoce fiunt: & ea quæ scribuntur, nempe nomina, uerba, & reliqua, quæ inscripto sunt: similiter quæ sunt in anima. Prima solutio.

Sed melius, dicendum est cum Boet. Ammon. & S. Tho. uoces ipsas secundum se non esse signa conceptuum nisi prius constituantur, & imponantur ad significandum, sicut argentum secundum se non est uas quousque introducatur forma; unde nomina, & uerba non sunt uoces solum, sicut nec uas argentum, sed sunt uoces cum impositione, & significatione, habet se enim uox ad nomina, & uerba sicut argentum ad uas, cum ex quinto de generatione Animaliū, ca. 7. sit eorum materia: Est enim subiectum. Ac propterea optime Arist. non dixit uoces, sed ea quæ sunt in uoce, nēpe nomina, uerba, & reliqua, quæ ex uoce, addita significatione fiūt, ea uero ratione non dixit literas, quia literę etiā sunt in uoce, sed dixit ea quæ scribantur. Secunda solutio.

Secunda assertio Arist. (quemadmodum literæ omnibus non sunt eadem, sic nec uoces (Ac si dicat, non omnes eisdem characteribus inscribendo utuntur, nec similiter iisdem uocibus idem significant, nam alia uoce Latinus, & Græcus alia, & alij singulari ex reliquis conceptum hominis, & cuiuslibet alterius explicāt: & similiter, aliter unus, aliter alius talem uocem characteribus exprimit, in quo comperitur significationem uocū esse ad placitum, non naturalem: si enim uoces naturaliter significarent, idem apud omnes repræsentarent, sicut apud omnes eadē est ignis natura.

Tertia assertio (res, & passiones, animę eædē apud oēs sunt) ac si dicat, eadē est natura hominis, & idē apud omnes homines conceptus, quamuis non eadē uoce, & scriptura ad talem rem, & conceptum significandum omnes utantur: idem de alijs dicendum est.

At circa hoc, dubiū posset esse quomodo ijdem sint conceptus apud omnes, cū constet alium conceptum me habere hominis, aliū habere Petrum, alium Ioannem: præterea quo modo res apud omnes sunt eædem, cum diuersæ uestes, pro diuersiate locorum sint, aliæ domus, alij ritus, alij mores, & negocia. Dubiū.

Ad hoc dico primo, quod Arist. uocat eosdem cōceptus: non quidē numero, quod unicus, & idem numero conceptus sit in oībus, hoc. n. falsum, & impossibile est; sed uocat eosdē forma, & substantia, sicut dr̄ eadē imago Regis, quæ est Romę, & quę est Mantuę, qa sub eadem forma, & ratione idem significat; per sensus enim eadem re oībus proposita, oēs 1. solut.

eundem conceptum eius in mente habebũt, si intelligant eam, non tamen eadem uoce talem conceptum exprimens, nec scripturæ.

2.solut. Dico secundo cum Alber. tract. 2. c. 3. cum Arist. dicit eadem esse res omnibus, intelligere oportet de rebus naturalibus, & ipsarum natura; natura enim ignis, Leonis, Plantæ apud omnes, in quibus reperiuntur, eiusdem naturæ sunt; nõ tamẽ loquitur de artificiatis, & quæ à nostra dependent voluntate: harum enim eadẽ est ratio cũ uocibus significatiuis.

Vnum autem verbum in littera est conside randum nempe, (uoces esse notas passionum primo.) Notat enim vnũ Boet. & optimè uoces non solum cõceptus nostros significare, sed etiã res per tales conceptus cognitas: qui enim dicit hanc uocem, homo, nõ solũ hominis conceptum internum, sed etiam rem ipsam tali conceptu cognitam significat; prima tamen uocũ institutio fuit ad conceptus manifestandos: sicut scripturarum institutio ad uoces, propterea uoces primo dicit esse notas, & signa passionum.

Quarta assertio Aristotelis. Quemadmodum operatio intellectus duplex est, ut dicitur ẽt 3. Animæ, c. 6. altera simplex appræhẽsio; in qua nõ est uerũ, nec falsum, altera est cõpositio, uel diuisio, in qua necessario inest uerũ, vel falsum, ita ẽt in uocibus, quę cõceptibus correspondẽt, aliquæ sunt, quæ nec uere, nec falso significant, ut dictiones per se, nempe nomina, uel uerba per se; quędã uero sunt, quæ uerum, uel falsum significant, ut uoces composite secundum enunciationem, quod probat exẽplo eleganti. Qui dicit hanc solam uocem, hircoceruus, qui idem Græce trigęlaphos, nihil nec uere, nec falso dicit, quousque uerbũ aliquid addat, scilicet est, uel nõ est.

Notab. In quo exemplo notandum est cum Boet. in secunda editione, esse compositæ figurę ab hirco, & ceruo, significatque animal simile ceruo in cornibus, hirco uero in mento, & barba, ut sit sensus, si nomen compositum, quod magis uidebatur significare uerum, uel falsum, non significat per se sine uerbo, multo minus significabunt alia simplicia, nempe nomina, & uerba.

Possumus etiam secundo exponere, ut sit, nomen monstri, sicut chimæra ex Boet. 2. editione: & Psell. & tunc sit subtilis interpretatio; si nomen hoc rẽ significans impossibilem, nihil ueri, uel falsi significat, quousque addatur uerbum: nulla ergo dictio per se, nec ulla compositio, quæ non sit enunciatio, uerum, uel falsum significabit.

Hic autem sunt notanda illa uerba.) nisi, inquit, addatur uerbum simpliciter; uel secundum tempus.) Quid enim intelligit per uerbum simpliciter; & per uerbum secundum tempus? Ad quod respondet primo S. Thomas uerbũ simpliciter, significare uerbũ præsentis tẽporis, quod perfecte uerbum est, futurum autem, & præteritum, uocari uerba secundum tempus, idest secũdum quid, quia reliqua per præsens regulantur, præteritum enim præsens fuit, futurum præsens erit. Nota. Dub. 1. 1. solut.

At Amm. per uerbum simpliciter intelligit verbum cuiusque temporis sine aduerbio temporali, ut est, uel fuit, uel erit, at per uerbum secundum tempus idem uerbum addito aliquo temporis aduerbio, ut hodie est, cras erit, olim fuit. 2. solut.

Boet. in prima editione idem cũ S. Tho. sentit, sed alia ratione procedit, dicit uerbum præsentis uocari simpliciter, idest solitarie uerbum: quia re uera præsens, inquit, nõ est tempus, cum non sit, nisi unicum instãs præsens, sed significat confinium temporis præteriti, & futuri, instans enim non est tempus, sed continuatio temporum, ut dicitur 4. Physic. ca. 10. præteriti uerbum, & futuri dicũtur uerba secundum tempus, quia præteritum, & futurum tempus sint. 3. Solut.

At in 2. editione aliam subiunxit expositionem, quę est Alex. & Magentini, & quam ualde laudat Albert. trac. 2. ca. 2. etiã est Auicen. Pro quo aduertunt uerbum (est) aliquando denotare substantiam, & unionem substantialem prædicati cum subiecto, ut in propositionibus essentialibus sit, homo est animal, rosa est flos, Deus est: hic enim non denotatur, nisi quod prædicatum est de essentia subiecti, propterea omni tempore sunt uerę: quas propositiones uocãt sempiternæ ueritatis: Aliquando est, significat existentiã, quando certum tempus importat: & pro eo uenit, ut qui dicit homo est, leo est albus, hic denotatur, quod hoc tempore præsenti existit homo, & leo est albus: uerbum primo modo dicitur uerbum simpliciter, quasi non restringens extrema pro tempore determinato, posterius dicitur secundum tempus, quia temporis certam differentiam dicit, & secundũ eam unit extrema. Omnes expositiones hæ sunt 4. solut.

bonæ.

bonae, & recipiendę utcunq; sit sine nomine, & uerbo, uocis, nec uerum, nec falsum inest.

QVAESTIO I.

De significatione, & modo significandi uocum.

Difficultas est de uocum significatione, nēpe, an significent conceptus, an potius res, an utrunque & de modo significandi, an naturaliter, ut uoluit Plato, an ad placitum, ut uoluit Aristot. significeat?

Primū fund. Pro quorum facili declaratione sit primū fundamentum. Signum, ut dicit Aug. de doctri. Christ. cap. 1. est res, quae pręter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem uenire: idest, est res, quę per sui cognitionem alterius cognitionem inducit, sicut fumus est signum ignis, cognitio enim fumi cognitionem ignis facit.

Quid signum.

Signi diuisio. Est autem signum proprium, & improprium: signum proprium est, quod non solū sui cognitione alterius facit cognitionē, sed etiam ad hoc ordinatum est, siue a natura, siue ab alio, ut aliud indicet: quo pacto ramus appositus est proprium signum uini uendibilis, quia sui cognitione facit cognitionē uini, & ad hoc ordinatus est, ut indicet uinum.

Improprium autem est, quod sui quidem cognitione aliud facit, cognoscere, non tñ ad hoc ordinatū est, ut fumus, est signū ignis, & effectus causarū, & ē cōtra, sed non sunt proprie signa, cū non ad hoc ordinata sint. Huiusmodi sunt multa signa naturalia, q̄ uentura indicāt, de quib. Plin. lib. 17. ut fragor arborū signum tempestatis est, & ranarum coaxatio signū pluuiae, quae prognostica, dicuntur. Sed nō propria signa, quia ad hoc instituta nō sunt, nisi qui uelit cum Virgil. dicere 1. Georg. ad hoc esse instituta, inquit. n. Atque haec ut certis possimus discere signis. Aestusq; pluuiasque, & agentes frigora, uentos. Ipse pater statuit, quid menstrua Luna moueret,
Quo signo caderent Austri, quod saepe uidentes,
Agricolae propius stabulis armenta tenerent, &c.

Signorum altera diuisio. Signum in communi triplex est, Quoddā naturale: Quoddam uoluntarium, siue ex instituto, uel ad placitū, quod idem est. Quoddam ex consuetudine quadam. Signum naturale est, quod ex se habet, ut per sui cognitionem alterius cognitionē faciat, sicut uox animalis signum naturale est affectus interni, & fumus signum naturale ignis. Signum ad placitum, quod uoluntate humana habet per sui cognitionem alterius inducere cognitionē, non tamē ex natura sua: sicut sonitus campanae est signum ad placitum lectionis, quia id non habet sonitus ex se, sed ex hominum instituto. Signum ex consuetudine est, quod nec ex natura sua, nec ex humano instituto, alterius facit cognitionē: sed ex quadā consuetudine: sicut canis saepe aliquē sequēs pręuisus, inducit illius cognitionem, & mappae appositae sunt signa prandij ex quadam consuetudine, qua prope tempus prandij solent apponi mappae.

Secūdū fund. Sit 2. fundamētum duplex significatio in uocibus reperitur, altera est naturalis, qua affectiones animae internas exprimunt, & similiter suum prolatorē, qua significatione participant uoces brutorum, & humanae, quae naturaliter significāt passiones interiores, & ad hoc institutae a natura sunt, & de his loquebatur Arist. 7. Politi. c. 2. uox est molesti, & iucundi significatio, similiter significat naturaliter suum prolatorem, sicut fumus indicat ignem, & ita per locutionem distinguimus hominem: per rugitum cognoscitur leo, talis autem significatio naturalis est, & omnes uoces tali significatione gaudent.

Altera significatio inest uocibus, s. quod significent, & manifestent conceptus intellectus, & res ipsas cognitas. Talis autem significatio ad placitum, & ex humano instituto est quae non inest, nisi uocibus humanis, & ab hac significatione, ad placitum, uoces dicuntur nomina, uerba, orationes, & locutiones; & hoc maxime est obseruandum.

3. Fūd. Sit 3. fundamentū duplex est signū. Alterū manifestatiuum solū, Alterum manifestatiuū, & suppositiuū simul. Signū manifestatiuum est, qd per sui cognitionē alterius [illegible] cognitionē, ut sonitus est signum [illegible] tiuū lectionis. Manifestatiuum u[illegible] suppositiuū est, qd non solum [illegible] manifestat, sed ēt illius loco substituitur, & ei⁹ uices sortitur, sicut Prorex q ipsius Regis psonam indicat, & ipsius locum tenet, ita se habēt uoces istę significatiuae: sunt. n. signa manifestatiua conceptuum internorum, & affectionū, & de hac significatione loquitur hic Arist.

sunt .n. signa manifestatiua, & suppositiua rerum, quia non solum res indicant, sed earũ loco sumuntur, ac de vocibus istis loquimur perinde, ac de ipsis rebus, de qua significatione, seu acceptione locut⁹ Arist. 1. Elench. c. 1.

1. Cõcl. His suppositis fundamentis sit Prima cõclusio, significatio vocum qua omnes suum indicant prolatorem, vel qua passiones internas exprimunt, naturalis est, quæ omnibus vocibus brutorum etiam inest. Hæc conclusio nota est ex primo fundamento, & secundo. Non enim ista significatio inest ipsis vocibus, ex aliqua consuetudine, vel ex instituto humano: ergo a natura.

2. Cõcl. Secunda conclusio significatio, qua voces intellectus conceptus & res manifestant, nõ a natura, sed ad placitum inest. hæc est secũdum mentem Aristot. nec oppositum existimauit Plato quantum existimo, sed forsan loquebatur de priori significatione, velut explicat bene Michael Psellus cap. de nomine, ideo dicebat significationem naturalem, quia loquebatur de optimo, & perito impositore, imponente talia nomina rebus, qualia illarum naturis conueniebant. propterea vocabat nomina naturaliter significare, solemus enim artificialia, quæ maximè naturam imitantur, naturalia per exaggerationem vocare, & forsan illud est Genesis 2. omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.

3. Cõcl. Tertia conclusio, scripturæ vocum sunt manifestatiua, & suppositiua signa, vt scribere vocis prorsus locum obtineat, est enim scriptura, vox quasi quædam perpetua.

4. Cõcl. Quarta conclusio, simul scripturæ, & voces res indicant, earum loco constitutæ, & simul conceptus rerũ proferentis manifestãt, & hoc est quod dici solet, voces subordinantur conceptibus, vel significant res mediantibus conceptibus; idem de scripturis. non tamen existimes voces, vel scripturas pro ipsis conceptibus supponi, sed solum pro rebus; conceptus tamen indicant & manifestant, & hæc de vocum significatione dicta sufficiant.

QVAESTIO II.

Quid sit veritas, & in quo subiecto.

Quid sit? Quæstionem hanc exactè disquirere ad Metaphysicum potius quam ad Logicũ pertinet: breuiter tamen quid in ea sentiendum sit, prout expedit Logico explicabimus, veritas igitur duplex est; Quędam incomplexa quæ transcendentalis, seu in essendo ab aliis dicitur. Altera ueritas cõplexa, seu in dando. Veritas incomplexa est conformitas quędã rei ad sua principia, ut talis sit res, qualem sua principia, esse petunt, uocamus enim uerum amicum, qui est secundum leges præstitutas amicitiæ, vocamus uerum aurũ, quod est secundum principia naturalia auri, & hac veritate vnumquodque ens uerum est secundum naturam suam, & propterea dicitur ueritas incomplexa, quia in simplicibus inest, & dicitur transcendentalis, quia omnibus cõuenit, quam definiebat Auicenna: Est proprietas esse vniuscuiusque rei prout, stabilitũ est ei, & hęc ueritas inest etiam primę operationi intellectus, quando talem conceptum habet rei, qualis est res, & sensui, quando talem habet speciem, quale est obiectum, & de hac dixit Aristo. 2. de Anima c. 6. sensus propriorum sensibilium semper est verus.

Altera ueritas est complexa, quæ est conformitas intellectus componentis, uel diuidẽtis ad res compositas, uel diuisas; s. quãdo ita componit uel diuidit, sicut res se habent: Dicitur autem componere, quando affirmat iudicando: diuidere uero, quando negat etiam iudicando: Talis autem conformitas ueritas dicitur, difformitas uero dicitur falsitas, quãdo aliter intellectus componit uel diuidit q̃ se habet res: uerbi gratia mente affirmo, homo est animal, uel nego homo non est animal, ueritas est illa conformitas prioris cognitionis ad rem, falsitas uero est difformitas posteriorum ad rem.

Hinc patet secundũ, si petas, ubi est ueritas, seu in quo subiecto, dico cum Ammo. & aliis, est in intellectu tanq̃ in subiecto, illa .n. cõformitas uel difformitas intellectui inest, præterea est in rebus; tanquã in causa, quia ab eo, quod est res uel nõ est, inde intellectus uerus uel falsus dicitur: in propositione autẽ uocali est, ut in signo indicante intellectus conceptus, & res: unde res dicitur uera causaliter: propositio tanquam signum, seu instrumentaliter, intellectus formaliter. In quo subiecto sit.

Vnde uerum analogice de his tribus dicitur sicut sanum, quod de animali formaliter, de urina, de signo, de medicina effectiue siue causaliter dicitur, de hac igitur ueritate loquimur, quæ non in simplicibus, sed enunciatio-

ciationibus inest, & hæc de quæstione præsenti sufficiant Logico.

DE NOMINE.
Cap. I.

Nomen igitur est vox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata: in nomine enim quod est equiferus, ferus nihil per se significat, quemadmodum in oratione, quæ est equus ferus. At vero nõ quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est, in his autem uidetur quidem, sed nullius est, separata, vt in eo quod est æquiferus hoc quod est ferus, nihil significat per se. Secundum placitum vero, quoniam natura nominum nullum est, sed quãdo fit nota. quoniam designant & illiterati soni, vt ferarum quorum nullum nomen est.

Non homo vero non est nomen, at vero nec positum nomẽ est, quo illud oportet appellare, neque enim oratio, neque negatio est, sed sit nomen infinitum: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.

Philonis autẽ, aut Philoni, & quæcunq; talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis, ratio autem ipsorum est, in alijs quidem eadem: differũt autem, quoniam cum est, vel fuit, vel erit, neq; verũ, neque falsum est, nomen vero semper, vt Philonis est. vel non est, nõdum enim, neque verum dicit, neque falsum.

Cur de Nomine, & verbo tantum, & non de alijs partibus orationis agitur? & cur hoc loco? & cur prius de Nomine quàm de Verbo?

Aristoteles de enunciatione tractaturus ordinem obseruat naturæ, nẽpe a partibus ad ipsum totum procedendo; sunt autem partes enunciationis nomen, & verbum.

Dubiũ. Circa quod merito dubium occurrit, quare solum has duas tradiderit partes, cum aliæ multæ sint orationis partes, quas etiam ipse in sua poetica tradidit. Ad quod respondet Respõs. Ammo. & S. Thom. id esse factum, quia partes necessariæ enunciationis hæ sunt, sine his enim nulla constat enunciatio, potest autem absque alijs constare; immo reliquas nõ existimat partes esse, sed iuncturas partium, quæ se sicut claui in nauibus habent.

At si petas, quare saltem illas non adducit, siue noïe partium, siue nomine quouis alio quamuis necessariæ non sint? Aduerte circa sermonem non eodem modo Logicus, Grãmaticus, & Rhetor se habent; Grãmaticus n. eius cõgruitatem inquirit; Rhetor eius ornatum, similiter poeta eius cõpositionem; propterea plures petunt partes quam nomen, & verbũ, at Logicus ueritatẽ sermonis quærit; est. n. artifex scientiarum, in quibus veritas sola petitur, & exquiritur: at veritates scientiarum in rebus, naturisq;, & proprietatibus, ac operationibus ipsarum consistũt: hæc aũt oïa non nisi verbo, & noïe explicantur, propterea Logicus, vt Logicus, non alias quærit suæ orationis partes quam nomen, & uerbũ.

Dubiũ secũdũ. Dubitatus secundo. Cum in libro prædicamentorum de simplicibus tractatum sit, quid modo oportuit iterum de simplicibus istis disserere? Ad quod respõdet S. Tho. simplices uoces tripliciter posse considerari. Vno modo, ut rerũ solum significatiuæ sunt, & eorum loco ponuntur, & sic ad prædicamenta spectant. Altero modo, vt enunciationis partes sunt, & sic ad hunc librum referentur. Tertio, vt ordinem syllogisticum habẽt, qui in trib. terminis, & propositionibus consistit: & sic ad libros priorum pertinent.

Not. Circa quam doctrinam, quæ vera est; Aduerte, quia illic, nempe in prædicamentis, voces respectu rerum considerantur, sicut innumeræ uoces secundum multitudinem rerũ, quælibet enim res suam habet uocem, at quia hic uoces, vt etiam partes enunciationis sunt, considerantur, & huius non sunt, nisi duæ partes necessariæ nomen, & verbũ, inde multitudo illa vocum superior ad duo coarctatur; quia ex illis oïbus, aut nomen, aut verbũ, tantum cõficitur: At in syllogismis, quia omnis ordo eorum in tribus consistit dictio

nibus, illa multitudo ad tria coarctatur, nempe maius extremum, minus, medium.

Hinc patet illud quod dicit Ammo. nempe hæc omnia re idem esse; ratione uero diuersa: uocem simplicem, nomen verbum dictionem, terminum. Vox simplex, est uox solum respectu rei considerata, quo pacto non in nomen, nec in verbum est distinguenda, & sic ad prædicamẽta diximus pertinere nomen, & verbũ. Dicitur vox, quando iam præter rem significatam in vna cõsideramus casus, articulos, non in alia, & hoc iam ad enũciationẽ dirigitur. Dictio dicitur uox quãdo iam in compositione, & oratione spectatur terminus, cũ in ordine syllogistico collocat.

3. Dub. Dubitatur 3. Quare potius a nomine, quã a verbo incipit Aristot. ad quod respondent Ammon. & S. Thom. quia nomen significat naturam, & rem, verbum, autem id quod adiacet rei, prius autem est res, quam id quod adiacet rei: sicut substantia prior est, accidente, & materia prior est forma: quam etiam expositionem sequitur Alber. tract. 2. c. 4. nec ista ratio est spernenda.

Sed mihi occurrit alia ratio obseruanda. s. nomen esse simplicius verbo, quia nomen significat aliquid, at uerbum aliquid cum tpe, compositũ ergo magis est uerbũ, quã nomẽ, & est textus notãdus Arist. 1. post. 23. Arithmetica, inquit, prior est Geometria, quia simplicior. nam Arithmetica considerat quantitatem non habentẽ positionẽ, at Geometria tractat de quantitate cum positione: simile est prorsus de nomine sigificãte cum tẽpore.

2 *Nomen igitur est vox significatiua secundum placitum, &c.*

Hoc breue caput non aliud quam nominis definitionem, & eius explicationem continet, diuiditur autem in duas particulas. In priori una pars definitionis constituitur. In posteriori altera pars; quæ magis difficilis est, ponitur, & probatur.

In quo egregium Aristotelis artificiũ considera; qui non statim integram definitionẽ proposuit, sed paulatim. quia partes probatione indigebant, quod multi non aduertentes, verba priora integram esse definitionem existimarunt, quod tamen falsum est, cum Arist. & paulatum definitionis partes, & earum probationem exposuerit.

In priori ergo parte hæc uerba continentur. (Nomen igitur est) dicitur (igitur) quasi sequatur ex illis uerbis proœmij (Oportet definire quid nomen) &c.

Partes definitionis sunt, uox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars est separata significatiua.

Non probat. quod sit uox significatiua, quia iã hoc ex primo capite manifestũ erat.

Sed probat vltimam illã partem, quia magis proxima erat, nempe, quod sit talis vox. cuius partes per se separatæ non sint significatiuæ: nam oratio esset nomen, quod tamen non est, nomen enim pars orationis est, non oratio, cum pars non sit ipsum totum.

At quia potest quis dubitare de nominibus compositis. quæ sunt nomina, & tamen eorum partes per se videntur significare, ut equiferus: respondet, partes quidem uidẽtur significare, non tamen significant, in nominibus autem simplicibus partes nec uidentur significare, nec significant.

Probat alterã particulam (ſm placitum) tali ratione: voces brutorũ naturaliter significant, & tñ nec nomina nec uerba sunt, aliter bruta haberent locutionem, ergo nomina, & verba non a natura, sed ab impositione dependent: similiter de uocibus illiteratis, & inarticulatis et humanis, quæ nomina non sunt, quia nõ imposita sunt ad significandũ.

Illam particulam (sine tempore) non probat, quia est negatiua, & pendet ex declaratione affirmatiuæ, scilicet, cum tempore, propterea differt in caput sequens.

Non homo vero nõ est Nomen, &c. 2

Hæc est posterior capitis pars, in qua Arist. conatur adhuc definitionem perficere: nam non Homo, non Leo, non sunt nomina, tamen eis competunt uerba definitionis hucusque assignata: nec sunt nomina, quia significãt tam id quod est quam id quod nõ est: qui enim dicit non homo, dicit ea, quæ non sunt homo, quod entibus, & non entibus cõperit. nec ista sunt orationes, quia partes non significant per se; nec negationes, quia non sunt enunciationes: dicuntur ergo defectu nominis nomina infinita.

Ex quo colligitur non esse definitionem illam exactam, nisi addamus differentiã aliam ad

ad excludendá ista, scilicet, quod nomen sit vox finitæ, & determinatæ significationis.

3 *Catonis autem, & Catoni, & quæcunque, &c.*

Hic textus est aduertendus, in quo Aristo. adhuc conatur aliam superaddere differentiam, ad complendam definitionem, & vtitur ratione hac, Catonis, & obliqui non sunt nomina, sed alia s̄m se ipsa, idest differunt a nominibus, & tñ ratio eius est, idest, definitionis præcedentia uerba illis competunt, ergo adhuc aliquid deest, & ad cognoscendam hanc differentiam, scrutatur quare non sint nomina; nempe, quia non semper cum uerbo faciunt propositionem: at nomen cum uerbo facit enunciationem, addamus ergo talem differentiam, quod sit uox recta idest, cũ uerbo semper propositionem faciens, eritque perfecta nominis definitio, Vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.

Nota. Vbi, nota Arist. non dixisse obliquũ cum verbo non facit enunciationem, sed semper: nam aliquando facit, ut Placet Petro, tædet me, sed id non semper, at nomen semper id habet. aduerte igitur hoc Arist. artificium in perfecta nominis definitione indaganda, nec vero existimandũ est illam priorem esse integram definitionem, quam nonnulli sic existimarunt, ut S. Tho. Auerro. & Ammo. cum tamen non sit.

QVAESTIO I.

Num definitio Nominis recte sit tradita, in qua singulæ eius particulæ examinantur, ac primo de voce, quid sit, & quotuplex, &c.

Quid vox. Circa hanc definitionem oportet uerba singula examinare, in primis de uoce dicamus, Aristot. de Anima, cap. 8. definit quid sit sonus, quid vox, Sonus est qualitas perueniens in aere ex duorum corporum collisione, quæ qualitas auditu est perceptibilis, ut sonitus campanæ, sonitus ex collisione manuum, Vox autem est sonus, sed non omnis, sed is qui ab ore animalis procedit cum imaginatione aliquid significandi, idest, quę apta est exprimere passionem internam, vnde vox quidem sonus est, non tamen omnis sonus, est vox, sed sonus animalis, non quicunque, sed ore factus Stridor enim Cicadarum non est vox, quia non sit ore factus cum imaginatione aliquid significandi.

Vox autem primo diuiditur in illiteratã, & literatam, seu articulatam, & inarticulatã. Vocis diuisio. Vox illiterata seu inarticulata dicitur, quæ non est prolatione syllabarum distincta, ita vt scribi possit, vt latratus canum, mugitus boum. Literata seu articulata, quæ syllabis est distincta, ita vt possit describi, vt vox, homo, animal. Iterum, Vox quædam significatiua, quædam non significatiua actuum. Et inter literatas seu articulatas, etiam aliqua significatiua reperitur, ut leo, album; aliqua non significatiua, ut blitiri: similiter inter illiteratas aliqua est significatiua, vt latratus canum, rugitus, & voces brutorum, aliqua non significatiua, ut sibilium, & aliæ, quas homo inaniter proferre potest: cum igitur multiplex uox sit, nomen est inter uoces significatiuas articulatas.

Dubitatur an uox sit genus in hac definitione, ad hoc respondet Psellus uocem dupliciter posse considerari: vno modo, ut ab ea secludatur significatio, ut vox sit sonus ore animalis prolatus, & sic non genus est, sed potius materia nominis, & verbi, & orationis; altero modo, vox cum significatione in communi, & sic genus est. Primũ Dubiũ. 1. opin.

Ammon. verò, & S. Tho. simpliciter dicunt uocem esse materiam orationis, seu potius subiectum. Secũda opin.

Circa quod aduerte nomen, verbum, orationem, & similia, duo includere, alterum ut subiectum, & materiam, alterum ut formã: sunt enim uel vt artificiata quædam, scilicet, statua, cathedra, imago, quæ duo includunt, formam, seu figuram, & subiectum, ex quo fiunt, nēpe lignum, aurum, aut aliud aliquid. Primũ fund.

Orationis materia vox est, vt expresse docet Arist. lib. 5. de gener. animal. ca. 7. forma uero est significatio ad placitum, ut enim supra diximus, significatio naturalis non facit orationem, alias bruta haberēt locutionem, quæ soli homini concessa est, ut dicitur sect. 11. proble. q. 57.

Quo supposito, dico absolutè, uox est materia, & subiectum orationis, & nominis, & uerbi, non autem genus, hoc patet. uox 1. Cõcl.

est

est quid naturale, at oratio est quid uoluntarium, & ad placitum, sed naturale non est genus artificiati: ergo nec uox est genus orationis, nec aliorum.

2. Cõcl. Dico 2. ista definitio non datur per genus, & differẽtiam, sed per subiectum, & formam, sicut qui diceret, domus est lapides, & ligna sic constructa, quemadmodum definiendum commendat Arist. 8. Meta. c. 3. ita similiter uox est subiectum, reliqua vnius formæ locum habent, ita enim artificiata definire oportet.

3. Cõcl. Dico 3. si aliquid loco generis ibi constituitur, non est uox, sed significatiua ad placitum, quod totum unico erat dicendum nomine, quod Ammon. alijs verbis indicat, dicens notam, seu signum uocale esse genus nominis, & hoc mihi placet: genus. n. artificiatorum debet sumi præcipuè s͂m formam, quod autem uox non tanquam genus sumi possit, patet: quia sola uox non prædicatur propriè, est. n. expressa doctrina Arist. 2. gener. c. 1. statua non dicitur aurũ, sed aurea. & 7. Metaph. cap. 7. at si loco generis uox constitueretur, propriè prædicaretur, quod non est, cum sit subiectum, & materia, & secundum hoc potest dici hanc diffinitionem esse per genus, & differentiam, uox enim significatiua ad placitum est genus, reliqua differentia.

2. Dub. Circa illam particulam, ad placitum, quæ

1. Opi. supra iam explanata fuit, Ammon. recitat sententias quatuor, quidam enim asserebant nomina secundum subiectum, & secundum significationem esse a natura, & hi fuerunt Cratillus, & Heraclitus.

2. Opi. Alij asserebant uocem esse a natura, & significationem uocabant naturalem, quia ut supra diximus, maximè competebat rebus significatiuis.

3. Opi. Alij significationem asserebant, ita esse ad placitum, ut in impositione nulla ratio naturæ rei fuerit habita, sed a casu quodam.

Aristot. uerò docuit significationem esse ad placitum, sed ita vt rei consideratio in impositione haberetur, quamuis non hoc in omnibus dictionibus factum fuisse credendum est.

4. Opi. Alia particula (sine tempore,) relinquatur in caput de uerbo.

Sequitur altera (Cuius nulla pars separata significat) vbi aduerte hoc discrimen esse inter duo nomina, quæ conueniunt in compositione, & quæ conueniunt in congruentia grammatica, sicut armiger, & arma gerens, nam quæ conveniunt in congruentia, retinent suam significationem, ita, ut tota oratio non habeat significationem, nisi partium ipsarum significatarum. at quando conueniunt in compositione, perdunt suam significationem, & fit una significatio totius. quamuis significatio hæc sit ferè similis aliquando significationibus partium, unde iam tunc partes ibi non significent, etiam si significare uideantur aliquando.

Assimilatur autem hæc oppositio mixtioni naturali, quando enim elementa componunt rem, destruuntur elementa, & fit vnum aliud, & duo colores mixti corrumpuntur, & faciunt tertium, congruentia autem similatur congregationi, quia plura grana faciũt cumulum, & unumquodque manet per se integrum.

Potest autem probari, nomina compositæ figuræ non habere de se partes significantes, immo nec quæ uidentur semper significare: nam si illud per se haberent, semper esset, quod tñ non est: nam partes huius armiger, nec uidentur significare, nec minus in his, in quibus uidentur, significant, ut diximus.

Dubitabis quare excluditur oratio a ratione nominis, saltem complexum ex duobus, ut homo albus. dico, quia in his est significatio per accidens, orationis enim significatio est ex partibus, at nomen per se debet significare. Præterea, quia hic tradit partem necessariam enũciationis, tales autem partes sunt simplices, compositæ enim orationes ex simplicibus constant. Dubiũ.

Alia particula est (finitæ) circa quam aduerte negationem dupliciter cadere super aliquod nomen, uno, modo negatiuè, altero modo priuatiuè, tunc cadit negatiuè quando ita destruit significationem nominis, vt prorsus nihil ponat in re, vt non homo, dicit puram negationem hominis tunc cadit priuatiuè, quando ita destruit significationem nominis, vt ponat aptitudinem in aliquo subiecto, ut non homo sit id, quod non est homo, sed potest esse homo, quo pacto est frequentissimus horum vsus in philosophia, quando dicimus ex non igne fit ignis: idest ex eo, quod non est ignis, sed est in potẽtia ad ignẽ, ex non aqua fit aqua. 3. Dub. 1. Fund

Est autem aduertendum, quando negatio 2. Fund.

tio cadit supra connotatiuos terminos, communi vsu tenetur priuatiue, quia negat formam, & ponit subiectum, vt non album corpus, quod non est album; non consecuta misericordiam, idest ples non recipiens misericordiam, quando verò supra terminos absolutos, vtroque modo teneri potest.

3. Fũd. Sed hic in præsenti non uocatur infinitũ, nisi quando tenetur negatiuè, quia tunc veritatem habent verba Aristot. non homo est in quolibet, & quod est, & quod non est de quorum interpretatione aliqui sunt sine causa soliciti: existimant enim esse intelligẽda, quantum ad significationem, idest significant id quod est, & id, quod non est: non tamen quantum ad prædicationem: cum non dicamus, chimæra est, non homo, est enim propositio affirmatiua de subiecto non supponente, quæ falsa est, vt ipsi existimant.

Sed mihi non probatur hæc sententia, dicendum est enim cum S. Thom. & Ammo. hæc intelligenda esse de prædicatione: dicitur enim leo est non homo, & chimæra est non homo, non enim omnis propositio affirmatiua de subiecto nõ supponenti est falsa, cum prædicatum sit intrinsecum subiecto, ut enim ista nullo refragante est uera, chimæra est monstrum, ita eadem ratione erit ista, chimæra est non homo.

1. Cõcl. De hoc autem infinito termino dico primo esse incomplexam uocem, semper enim attendenda est significatio uocis, non homo autem unicum primo significat, nempe negationem hominis. ac propterea dicit Arist. nec esse orationem, nec negationem.

2. Cõcl. Dico secũdo, esse uocem uniuocam, quia quamuis significet, quæ sunt, & quæ non sunt, ea tamen significat sub una ratione negationis alicuius, & ut supra diximus ex Ammon. in prædicabilib. non prohibet res, quæ in nullo essentialiter conueniunt, in aliqua proprietate uniuocè cõuenire, ut esse genus, species uniuocè inest substantiæ, & accidenti, ita negatio alicuius uniuoca est his, quæ sunt, & non sunt. Aduerte tamen talis negatio est ens rationis, non esse hominem, nõ esse leonem, solum rebus in intellectu inest; propterea potest conuenire his quæ sunt, sicut alia entia rationis.

Nota

3. Cõcl. Dico tertio, probabilius est tales uoces esse absolutas non connotatiuas: connotatiui enim termini duo significant, unum principaliter, alterum minus principaliter, quod dicuntur connotare, ut album principaliter albedinem, minus principaliter corpus significat, at non homo, & similes uoces singulæ unum tantum significant, scilicet negationem concretã: absolutę ergo sunt cẽsendę.

Dico quarto transcendentia in tota sui generalitate sumpta, non infinitantur, ut non ens, non unum ratio est, quia solum dicuntur de his quæ non sunt: idem enim est non ens, & nihil; at infinitæ uoces de his quę sunt, & non sunt dici debent, similiter nec priuantur, quia nullum est subiectum, quod priuetur ente in communi, possunt tamen infinitari, & priuari si particulariter sumantur, ut infinitatur ens sumptum pro ente perfecto, seu pro substantia, & sic apud Aristot. reperitur priuatum ens 1. Physic. ut non ens sit, quod non est perfectum ens, est tamen in potentia ut perficiatur. 4. Cõcl.

Vltima particula est (recta) quę significat, ut talis uox, quę cũ uerbo semper uerbum uel falsum constituat, ut patet ex ipso textu, ex quo fit adiectiua adiectiue sumpta nomina nõ esse, quia eadẽ ratione cũ uerbo nihil ueri, uel falsi faciunt, ut Albus est, dico adiectiue sumpta, quia quando substantiue sumuntur, tunc nomina sunt, ut album, currit.

Non sufficit, quod cum substantiuo faciant propositionem, quia pari ratione obliqui essent nomina, quia cum recto possunt propositionem facere, ut filius Petri currit, non ergo adiectiua sunt nomina sed adiectiones nominum.

In obliquis aũt aduerte eundem conceptũ con rerrespondere recto, & obliquis quantũ ad significationem principalem ut homo, hominis, homini semper eandem rem significant, sed differt, nam rectus habet significationem, absque modo, at obliqui habent aliquem modum significandi, quem uocant per modum, ut cuius, cui, uel ut quem, &c.

Et hic modus significandi mutat ueritatem propositionis: aliud enim est dicere Michael est Dei, & aliud Michael est De^9 prior est uera, posterior falsa, Vnde circa ueritatem propositionum aduertendus est modus significandi obliquorum, in quo sæpe fallaciæ reperiuntur, cum igitur a nomine solo modo differant, dicuntur casus nominis.

DE

DE VERBO.

Cap. III.

1 *Verbum autem est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota. Dico autem quod consignificat tempus, vt valetudo quidem nomen est. valet verò verbum, consignificat enim nunc esse: & semper eorum, quæ de altero dicuntur nota est, vt eorum quæ de subiecto, vel in subiecto sunt.*

2 *Non valet autem, & non laborat non verbum dico: consignificat enim tempus, & semper de aliquo est. Differentiæ autem huic nomen positum non est: sed infinitum verbum sit: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est. Similiter autem & valebit, & valebat non verbum est, sed casus verbi. Differunt autem à verbo, quod hoc quidem præsens consignificat tempus, illa vero id, quod circumcirca est.*

3 *Ipsa igitur secundum se dicta verba nomina sunt, & significant aliquid, constituit enim qui dicit intellectum, & qui audit quiescit: sed si est, vel non est, nondum significat: neque enim signum est rei esse, vel non esse. neque si ipsum ens dixeris nudum: ipsum enim nihil est, cõsignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere.*

∴aliter, ipsũ per seipsũ.

SEquitur altera enunciationis pars, quæ verbum dicitur, in hoc autem capite, vnus est scopus, nempè verbi definitio: tamẽ in duas est diuisim partes; in priori definitio continetur, in posteriori, dubio tacito respondetur. Circa defintionem vero, Aristoteles vtitur eadem methodo, qua in capite de nomine, non enim omnes partes definitionis statuit, sed aliquot, cæteras autem probando addit, ponit autem quæ sequuntur.

Verbum autem est, quod consignificat tempus, cuius nulla pars significat extra & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota, &c.

In primis hic intelligere oportet uerba eadem, quæ in nominis definitione erant, nempe uox significatiua, ad placitum; hæc enim nomini, uerbo, & orationis insunt.

Sed dubitabis, quare Aristot. hæc subticuerit; respondet Ammon. & S. Tho. quia ista sunt uerbo cum nomine cõmunia, quod si obijcias, & illa particula cuius nulla pars signans extra: etiam est communis & tamẽ est adiecta hic ab Arist. Respondet Ammo. hanc particulam non esse eandem cum ea, quæ est in definitione nominis; dicit enim cum Porphyr. duplex esse complexum, & ex nomine, ut homo albus, & ex uerbo, ut currit uel uincit. illa ergo particula in definitione nominis excludit complexum ex nominibus; at particula uerbi excludit complexa ex uerbis, & mihi placet ista responsio. Dubiũ.

S. Thom. aliter respondet, inquit enim, uerbo hanc particulam esse iterum positam, quia uerbum uidetur magis habere rationẽ complexi quam nomen, cum significet rem ut de aliquo dicitur: propterea ne quis maiori occasione deciperetur existimans uerbum esse complexum; iterum posita est illa particula: sed magis mihi probatur expositio Ammonij.

Mihi occurrit alia ratio: nempe, quia illa omnia vnius generis locum obtinent, cumque nomen, & uerbum ex quo partes enunciationis sint, genus in unius definitione collocatum in alterius definitione subticuit, cũ sit idem contextus, & differentias addidit.

Accedit igitur ad has definitionis particulas explicandas, & prima est consignificat tempus, quam exemplo manifestat, & probat. Valetudo seu sanitas, & sanatur, nomen illud solam rem significat, at uerbum rem cum tempore nempe sanitatem nunc esse significat, ex quo patet hoc distinguere uerbum à nomine.

Notat

Notat enim Ammo. non dixisse Aristot. verbum significare tempus, sed consignificare, seu cõnotare: est enim discrimen inter hęc duo, significare enim tẽpus, est principaliter esse signũ temporis, vel alicuius partis tẽporis, quod nominibus concessũ est, significant enim principali significatione tẽpus, vt dies, hora, annus: at consignificare est, aliud principaliter significare, tamen prout tempore mensuratur, tempore inquam scilicet, præterito, vel futuro, idem etiam notat Boet.

Dub. 1. 1. Sent. Aliam particulam non explicat, quia in definitione nominis iam explanata fuit, & illic diximus, quare complexa à ratione nominis, uel verbi excludantur.

Sequitur tertia particula, & est nota eorũ, quæ de altero prædicantur, vbi distinguit ea, quæ prædicãtur, in ea quæ in subiecto sunt.

Sed dubitabis, quid sibi uelit notam esse eorum semper quæ prædicantur; ad hoc dicit Boet. in vtraque editione, verba semper significare accidens, & hoc est notam esse eorum, quæ prædicantur, uerba enim actionem, vel passionem significant, quæ accidentia sunt: quorum est prædicari de substãtia, nomina autem non semper accidens significant, quod si dicas, quid intelligit per dici de subiecto, & esse in subiecto, respondet ipse cum Porph. utrumque accidenti conuenire, accidens enim inhæret substantiæ, & de ea prædicatur, propterea dicitur esse in subiecto, & de subiecto; vnde uerba sunt, uel significant accidens, quod prædicatur de subiecto, & est in subiecto.

Mihi nõ placet ista expositio, primo, quia non omnia verba significant actionem uel passionem: nam est, est uerbum, non tamen actionem, uel passionem significat: præterea ex alijs caleo, frigeo, non actionem, vel passionem significant, sed qualitatem; & superius diximus, uerbum habere, reperiri in omnibus fere prædicamentis: secundo quia cum paulo superius esse in subiecto, & dici de subiecto distinxerit, inconueniẽs videretur utrumque confundere, & mutare: præterea quia accidens non semper prædicatur, aliquando enim est subiectum in prædicatione propria, ut albedo est color, calidum calefacit.

2. Sent. Ammon. & Psellus hæc uerba sic intelligunt; verbum semper est nota eorum, quæ prædicãtur; idest semper obtinet locum prædicati; dicit semper, quia nomen aliquando subiectum, aliquando prædicatum est, uerbũ semper prædicatum est, hoc autem intelligẽdum est, vt Ammo. & S. Thom. dicunt, quando uerbum, ut uerbum sumitur, aliquando enim loco nominis sumitur, & subiectũ est, ut currere est bonum, curro est uerbum. Solutio.

Dub. 2. 1. Sent. Dices, quomodo ergo uerbum est prædicatum de subiecto, & in subiecto? respondet Ammon. & Psellus & etiam Boet. uerbum aliquando de substantia prædicari, ut homo ambulat, & sic constituit prædicationem accidentalem, & dicitur esse in subiecto, aliquãdo de inferiori, & hic constituit prędicationẽ essentialem & dicitur de subiecto; ut currere est moueri, Vnde Arist. per esse in subiecto, intelligit prædicatum accidentale, per dici de subiecto prædicatum essentiale, & uerbum est utrumque prædicatum.

Ista sententia est probabilis: sed mihi non in omnibus placet, primo quia amplius dicit esse notam eorum, quæ prædicantur, quàm esse prædicatum, ut dicemus; præterea quia illa prædicatio currere est moueri, non est uerbi de uerbo: nam ipsamet Ammon. dicit teneri ut nomen; aliter uerbum, esset subiectum; probabilius ergo has propositiones sic explicamus per nomen, currẽs mouetur, ædificans agit, calidum calefacit: præterea quia adhuc per dici de subiecto nõ uidetur Arist. intelligere essentialem prædicationem, nec per esse in subiecto accidentalem: præterea quia semper loquitur de uerbis adiectiuis, non de uerbo est, quod tamen ab Arist. magni fit.

2. Sent. Propterea, saluo meliori iudicio, mihi uidetur sensum Aristot. hunc esse, nempe uerbum est nota eorum, quæ de altero prædicantur, idest semper prædicat aliquid, seu significat aliquid, ut de altero dicitur. Dupliciter autẽ uerbum prædicat aliquid, uno modo prædicat solam rem, quam significat, ut in uerbis istis, currit, uincit, & similibus, & tale uerbum uocat Auer. prædicatum, ut quod, aliquando nõ solum suam significationẽ prędicat, sed adiunctum aliud, ut homo est albus & tunc uocat Auerr. uerbum tale prædicatũ, ut quo; hoc autem aliquãdo est substãtia; ut homo est animal, aliquando est accidens: ut homo est albus, proterea dicit Aristotel. prædicat ea, quæ dicuntur de subiecto nempe substantia, uel quæ in subiecto sunt, nempe accidentia, alia enim uerba præter est,

est, fere semper prædicant accidens.

Hæc igitur est huius particulæ declaratio, per quam verbum à participio, & infinitiuo excluditur, similiter à modis alijs, s. optatiuo & subiunctiuo, qui non prædicant rem, nam prædicare ad propositionem spectat, quæ nō fit ex illis modis in quibus nec verum, nec falsum est.

2 *Non sanatur uero non ęgrotat, &c.*

Definitio verbi nōdū est completa ex partibus præcedentibus, vt bene dicūt Ammo. & doctores Louan. propterea Arist. conatur eā perficere nouis differentijs: ideoque proponit aliquid, cui præcedentia competunt, tamē non est uerbum, ut nos inde aliud ad præcedētia superaddamus: non sanatur, non est verbū cum de eo, quod est, & quod non est, prædicetur: & tamen consignificat tempus, & habet reliqua, collige, uerbum ergo debet esse præter dicta, vox finita, sicut & nomen.

At adhuc hæc non sunt satis, nam præteritum, & futurum non sunt uerbum, cum tamen omnia præcedentia habeant: quod autem non sint verbum, probat, quia uerbum debet tempus præsens consignificare, at præteritum, & futurum non præsens, sed circa præsens significant, nempe preteritum, quod fuit præsens, & futurum, quod erit presens; ergo perfecte, & absolute verbum debet esse præsentis temporis consignificatiuum; quia omnia reliqua tempora à præsenti dependēt, & ad præsens ordinantur: propterea addēda est differentia, quæ hoc significat, nempe, quod sit vox recta.

Definitio igitur perfecti, & absoluti verbi integra est, Verbum est vox significatiua ad placitum, tempus consignificās, eorum, quæ de altero dicūtur, semper nota, finita, & recta.

Ipsa igitur secundum se dicta uerba nomina sunt, &c.

Hæc est capitis posterior pars, in qua secundum Amm. intendit Arist. ostēdere quomodo uerba se habeant ad significandum verum, uel falsum.

At secundum S. Thom. aggreditur ostendere, in quo verbum cum nomine conueniat, & in quo à nomine differat: quod idem dicit etiam Boet.

Mihi vero videtur, ut ista verba illatiuè legantur, quod ex contextu patet; nam Aristot. ex præcedenti definitione elicit, duo alterū quid verbum significet, & quid consignificet; in quo cum nomine conuenientia, & differētia apparebit: alterum, nec verum, nec falsum significare probat, quod in primo capite dixerat de nomine, & verbo per se; sed nō probauerat de uerbo, sicut de nomine.

Dicit igitur uerba secundum se dicta nomina sunt, & aliquid significant: hic manifestatur significatio uerbi, nempe significat aliquid, sicut curro cursum, amo amorem significat. Dubiū. 1. Sent.

Dices, cum nomen, & uerbum sint distinctæ partes, quomodo verbum nomen appellat? ad hoc respondet Ammon. & S. Thom. hic nomen communiter sumi pro dictione significante: sed ista expositio non placet, esset enim in breuissimo cōtextu, æquiuocatione vti, cum modo nomen pro dictione, modo vt distinguitur contra uerbum, sumatur.

Boet. & Auerr. dicunt nomen hic sumi, vt in præcedenti capite definitū est, & sensus est; uerba secundum se, idest extra propositionem dicta, sunt similia nominibus. 2. Sent.

Pro cuius declaratione aduerte in uerbo duo posse considerari, alterum, id quod principaliter significat, & hoc non est aliud quam res, etiam per nomen significata, sicut curro principaliter id, quod nomen cursus, significat, & lego idem, quod lectio; alterum consignificat verbum, seu minus principaliter significat, scilicet rem per modum compositionis cum altero, & ut subsTat tempori: hoc igitur est quod Arist. dicere intendit verba secūdum se, idest, extra compositionem quantum ad rem significatam non differunt à nomine, propterea dicit (& aliquid significant) vbi illud, (&) tenetur secundum Ammonium declaratiue. Nota.

Probat autem Arist. quod significent aliquid, nam qui profert uoces, constituit, id est determinat intellectum audientis, vt cōceptū formet alicuius rei, & qui audit, quiescit, idest, conceptum format, non solum vocis: sed etiam rei, ut qui audit, legit, lectionis format notitiam; signum, ergo est verba per se esse significatiua, & aliquid significare.

Nota autē hic uerbum Grecum διάνοια significare intellectum, qui à sensu, & imagina- Nota.

natione dependet, idest, intellectû intelligentem ea quæ sentit; & talis est intellectus, qui intelligit, & format conceptum ex vocibus, quas sentit.

Posita significatione verbi extra propositionem, remouet quod remouerat cap. 1. nempe significare verum, vel falsum; quia tamen non probauerat de verbo, nunc probat: propterea dicit verbum secundum se nihil veri, uel falsi significare; significat quidē rem, sed non rem esse, uel non esse; argumentum a maiori est notum; ipsum verbum (Est) quod non solum est verum verbum, vt dicit Psellus, sed significat ipsum esse, adhuc verū vel falsum, nō dicit, ergo multo minus alia verba; & hoc est quod dicit (si ipsum, est, purum dixeris, nihil dixeris) idest si, est, extra propositionē dixeris, nihil veri, uel falsi dices, ut interpretatur optimè Boetius, & Aminon. Psellus, & alij doctissimi. Vnde vide, quā longe ab Aris. sensu sint, qui dicunt nihil dixeris, idest, est syncathegorema, nec mireris, quod Græce dicitur ipsum ens, nam sumitur pro ipso verbo, est, quod non bene aduertit Alex.

Tandem subdit Arist. quod verbum consignificat compositionem, i. rem significatam componit uero uel falso; sed talis compositio non intelligitur, nec est sine extremis.

Ex quibus collige verbum tria habere; significat enim rem aliquam, in quo cum nomine conuenit, sed illam per modum compositionis, & ut tempori subsiat, significat, quod soli inest verbo.

QVAESTIO I.

De ijs, quæ in capite tertio de uerbo continentur. Num rectè ab Aristotele dicta sint?

Dubium est, an uerbum sit propositionis pars, idest, sit subiectum, vel prædicatum, est autem notandum ex Porphy. duplex esse uerbum; alterum, quod vocatur, adiectiuum, hoc autem illud est, quod actionem, passionem, uel aliquid accidens significat, ut currit, legit; alterum est, quod vocatur substantiuum, ut sum, es, existo, subsisto. Nota.

Adhuc istud aliquando est cum apposito, & supposito, quod dicitur de tertio adiacente, ut homo est albus, aliquando est cum solo supposito, quod dicitur de secundo adiacente, ut homo est.

Difficultas ergo præcipua est de uerbo substantiuo, quā est de tertio adiacente: sunt enim quidā Neoterici, qui putant esse syncathegorema: nec prædicatū esse, nec subiectū; sed solum unire prædicatum subiecto, quo ū argumenta sunt; primò, quia si esset propositionis pars, esset terminus, nam 1. Prior. cap. 1. terminus est in quem resoluitur propositio, ut in subiectum, & prædicatum, at illic nō fit mentio de uerbo. Præterea, quia qū Aristot. loquitur de quantitate propositionū, inquit, quod prædicatū inest subiecto, aut omni subiecto, nec pro subiecto, nec pro prædicato sumitur verbum; Præterea, quia nec est maior extremitas, nec minor, nec mediū, ut patet. Præterea quia in cōuersione, in qua ex prædicato fit subiectum, uerbū nō transmutatur, ergo nō est tale uerbum pars propositionis. 1. Op. 1. arg. 2. arg. 3. arg. 4. arg.

Opposita sententia est omnium Græcorum, & Latinorum antiquorum, & Doctorum Louanien. & ratio maximè hoc probat, quia uerbum, est, cum non mutet, nec perdat suam significationem, si sine apposito est prædicatum, & significat aliquid, ergo cum apposito etiam: præterea Aristot. cap. 2 libri secundi huius. Homerus est Poeta, homo est albus, uocat de prædicato coniuncto, quod non esset, nisi uerbum esset pars prædicati cum apposito.

Propterea aduerte propositionis partes esse in duplici differentia, quædam sunt materiales, scilicet nomen ipsum, tam oppositum quàm suppositum; quædam sunt formales, nempe uerbum, qua parte compositionem significat, v. g. in domo aliqua lapides, ligna, calx, & reliqua, partes materiales dicuntur, at illa compositio, & connexio partium, forma est, ita similiter suppositum, & appositum materia enunciationis sunt, at ipsa compositio, seu ipsum componens, quod uerbum est, est forma; quòd si dicas; quomodo appositum est materia; cum habeat locum prædicati, & formæ? dico formam esse si ad subiectum comparetur, materiam uerò respectu totius propositionis, & uerbi componentis; quod est forma enunciationis. 1. Fū.

Aduerte secundo: omne uerbum non solum componit: sed significat aliquid, quod componit, cum significet aliquid; quod illi Doctores non aduertunt: ut curro, significat 2. Fū.

curium

cursum componendo; & ipsum, est significat ens componendo; ex quo fit unum dignum consideratione. Verbum ratione rei significatæ est pars materialis, quia est cum nomine idem; at ratione connotati est formalis pars, cum utrumq; habeat: est tamen discrimẽ, nã aliquando nihil prædicat, nisi suam significationem, ut homo currit, homo est, aliquando suam significationem determinatam, & limitatam ab altero, ut homo est albus, idest, est illud ens, quod est album, perinde enim est addere appositum uerbo substantiuo, ac alijs, ut enim, dum dicis, ego amo Petrum, illud additum non aufert, quin uerbũ amo, secundum rem significatam prædicetur, sed limitatur, ita quando dicitur, homo est albus, & hoc obserua contra eosdem.

Ex quo sequitur manifestè, oẽ uerbum esse partem propositionis, formalem quidem ut unit, & cõponit, materialem uerò secundũ id, quod significat; hoc aũt indicat, ut diximus ex Ammo. & alijs, semper uerbũ esse prędicatum, quamuis quando cum apposito tenetur, sit partiale prædicatum, quæ modo ipsi consonant Arist. dicenti superius, uerbum semper esse prædicatum.

3. Fund. Aduerte tertio pro solutione argumentorum conuersiones, quantitates, & numerum terminorũ syllogismi, semper consistere in partibus materialibus enunciationis, & ita quando conuertis propositionem, non formam uerbi, sed significatam rem conuertis, ut homo currit, currens est homo, ita homo est animal, animal est homo, quod si non dicis ens animal est homo, est ex eo, quia sub unoquoque includitur ens: per hoc patet responsio ad omnia argumenta.

Dub. ii. Circa uerbum infinitum est dubium in quo à negato differat; S. Thom. dicit infinitum esse unicam dictionem simplicem, at

1. Opi. negatum esse duas, nempe negationem, & uerbum, tamen asserit in propositione esse infinitum: id quod recepit etiam Ammon. 2. Perier. cap. 1.

2. Opi. Oppositum tamen habuit Alex. & Boet. 2. Perier. qui in propositione uerbum infinitum esse idem cum negato uolunt, idem docet Albert. tract. de nomine, cap. 5. & tract. de uerbo, c. p. 2.

1. Fund. Pro cuius declaratione maximè aduertendum est, primo uerbum habet significationem significat enim rem aliquam, aut operationem, aut proprietatem: habet etiam consignificationem, quia significat aliquid per modum compositionis, & unionis cum aliquo, sub certa differentia temporis.

Est autem discrimen: quando enim infinitatur uerbum, negatio destruit significationem eius, ut non currit dicit negationẽ cursus; at quando negatur, negatio cadit supra eius compositionem, ut homo non currit idem sit, ac dicere, non est talis compositio, homo currit.

Et huius expositionis auctor est Arist. si attente cõsideretur: nam uerbum infinitum, concedit esse notam eorum, quæ prædicantur, & prædicatur de eo quod est, & quod non est, quæ uerba absque dubio argumento sunt, infinitũ esse in propositione, & negatũ habere significationẽ; præterea docet negationẽ oppositam esse affirmationi, cum autẽ oppositio consistat secundũ formas, negatio erit opposita formæ affirmationis; quæ affirmatio formaliter consistit in compositione: ergo circa compositionem erit negatio etiã.

Aduerte secundo, compositionem non habere uerbum, nisi in propositione, cum compositio non sit absque extremis; at significationem habet, & in propositione, & extra propositionem: ex quo fit, ut extra propositionem nõ sit negatum uerbũ, at in propositione, & extra propositione sit infinitatũ, cum semper retineat suã significationem. 2. Fund. & dubij solutio.

Est tamen discrimen considerandum inter negatum in propositione, & infinitum; nam infinitum habet solam negatam significationem, & hanc componit, ut homo non laborat, idest non est laborem habens, at negatum habet negatam compositionem, & hoc formaliter loquendo: at quia talis compositio infiniti, idest, non laborans æquiualet negationi, non est laborans, inde dixerunt illi Doctores infinitum, & negatum, esse idem, & Arist. 2 Periherm. sub negato includit infinitum. Non sunt autem idem formaliter, cum negatio in uno supra compositionem, in altero supra significationem cadat, & hoc est obseruandum.

Dubitabis, an omne uerbum possit infinitari? ad quod idem dico, quod de nomine, nempe uerbum ens transcendenter sumptũ non infinitatur, nisi ut limitatur pro ente actu, uel pro perfecte existente, quod etiam docet Alber. Dub. 2.

Dubium

Dubiũ. Dubium autem est de quibusdam propositionibus, in quibus verbum, tempus importare non videtur, vt chimera est monstrum, vacuum est locus carens corpore, homo est animal, ad quod breuiter dico, verbum in his absolui a tempore, non q̃ nõ significet tempus, hoc enim fieri non potest, nam non esset verbum; sed cum uerbum faciat duo in propositione, videlicet ut uniat extrema, & talẽ unionem restringat ad differentiam temporis quã importat; uerbum tunc absoluitur a tempore, quando unit extrema, sed non restringit ea ad differentiam temporis, quam importat: quod quidem fit, quando extrema sunt essentialia, & naturaliter coniuncta: ut in illis, quas diximus, quæ dicuntur propositiones sempiternæ veritatis.

Respõs. (margin note beside "mal, ad quod breuiter dico")

DE ORATIONE, Enunciatione, vna, ac pluri: Affirmatione, & Negatione, ac Contradictione. Cap. III.

1 *ORatio autem est vox significatiua, cuius partium aliqua, significatiua est separata, vt dictio, sed non ut affirmatio, vel negatio: vt homo aliquid significat, sed non quod est, aut non est: sed erit affirmatio, vel negatio, si quid additum fuerit. Sed non hominis syllaba vna: neq; enim in eo, q̃d est sorex, rex significat, sed vox nunc est solum. In duplicibus vero significat quidem aliquid, sed non secundũ se, quemadmodum dictum est. ∴ Est autem oratio omnis quidem significatiua, non autem sicut instrumentum: sed quemadmodum dictum est: secundum placitum.*

∴ Mul. Co. non habent, vel negatio.

∴ al. addit in superioribus.

2 *Enunciatiua vero non omnis: sed in qua verum, vel falsum est, non autem in omnibus inest: ut deprecatio oratio quidem est, sed neque uera, neque falsa. Cæteræ igitur relinquantur. Rhetoricæ enim, vel Poeticæ conuenientior est consideratio: enunciatiua uero præsentis est speculationis. Est autem una prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio: aliæ uero omnes coniunctione una. Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem ex uerbo esse, uel casu uerbi, etenim in hominis ratione, nisi addatur, aut est, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiusmodi, nondum oratio enunciatiua est: quoniam unum quiddam est, & non multa, animal gressibile, bipes: non enim, eo quod propinquæ partes dicuntur, una erit; est autem alterius hoc tractare negotij. Est autem una oratio enunciatiua, quæ unum significat, uel coniunctione una; plures autem quæ plura, & non unum, uel inconiunctæ.*

Nomen igitur, uel uerbum dictio sit solum: quoniam non est dicere sic aliquid significantem uoce, ut enunciare, uel aliquo interrogante uel non, sed ipso sponte proferente. 3

Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio, ut aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo: hæc autem ex his composita, uelut oratio quædam iam composita. Est autem simplex enunciatio uox significatiua de eo quod est aliquid, uel non est, quemadmodum tempora diuisa sunt. Affirmatio uero est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio uero enunciatio alicuius ab aliquo. 4

Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse: & quod non est, esse: & quod est, esse: & quod non est, non esse: & circa ea, quæ extra præsens, tempora sunt, similiter omne utique contingit quod quis affirmauerit negare: & quod quis negauerit, affirmare. Quare manifestum est quod omni 5

ni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio affirmatio, & negatio oppositæ. Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem æquiuoce, & quæcunque cætera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.

1 *Oratio autem est vox significatiua, cuius partium aliquid, &c.*

Finis, & scopus huius capitis est explicare, quid enunciatio sit, & quæ eius species. In tres autem partes est diuisum: in prima explicatur genus enunciationis, nempe oratio quid sit. Secũdo quid enunciatio, & quotuplex. Tertio quæ species enunciationis simplicis, & quomodo inter se habeant.

Circa primum, est definitio orationis: (vox significatiua, cuius partium aliquid est significatiuum separatum, vt dictio, non vt affirmatio.) In primis hic reperitur genus, vox significatiua, quia cum oratio sit composita, & non sit pars, sicut uerbum, poterat esse dubium, si genus non exprimeretur; cuius aliquid partium, idem est; ac cuius aliqua pars significat, vt dictio, non vt enunciatio.

Dubiũ. In primis propter hæc verba Aspasius, & Porph. voluerunt hanc definitionem non esse orationis in communi, sed simplicis, quia oratio composita habet partes quæ sunt enũciationes: 1. Sent. At ista sententia videtur contra Arist. quia in hoc eodem capite, ponit enunciationem speciem orationis, & enunciationem rursus diuidit in simplicem, & compositam, quod fieri non posset, nisi eius genus cõprehenderet etiam orationes compositas.

2. Sent. Alexan. & Aminon. & S. Tho. asserunt hic etiam compositam orationem comprehendi: nam in composita sunt etiam dictiones, sicut in simplici.

Sed dices cur adiecit, & non vt affirmatio? respondet Boet. in secunda editione ex Alex. & Porphyr. quia aliquando dictio orationem etiam, seu enunciationem significat, propterea adiecit illud verbum vt pro simplici dictione sumi significaret, & hæc quidem est bona interpretatio.

3. Sent. Possumus autem aliter contextum hunc facilius, nec minus uere explicare: pro quo aduerte, quod in oratione tres possunt partium modi concurrere, primum syllabæ ipsę, literæ enim non partes, sed elementa dicuntur; secundo dictiones simplices; tertio propositiones: & inter syllabas aliquando inueniuntur aliquæ significatiuæ; sed non ut syllabæ sunt: ut in hoc nomine forex rex syllaba significare videtur.

Vult ergo Aristot. orationem habere partes significatiuas, non partes quæ sint enunciationes, nec partes quæ sint syllabæ, sed quæ sint dictiones, & sensus est: cum oratio omnis habeat partes, partes quæ orationem constituunt, non sunt enunciationes, quãuis aliquando esse possint, nec syllabæ, etiam si aliquando significare videantur; sed partes quæ sunt dictiones, & tales dictiones, vt per se significent: ad excludendas partes nominis compositæ figuræ, de quo superius diximus. Responsio ad dubiũ.

At quia nondum explicuerat, quo pacto significaret oratio, addit, quod non significat ut instrumentum sicut alij dicebant, id est naturale, sed ad placitum, circa quod aduerte orationem aliquid habere naturæ, aliquid voluntarij, & ab instituto, sicut res artificiatæ, v.g. cathedra nec tota est ab arte quia lignum est à natura, nec tota est à natura, quia forma est ab arte: tamen simpliciter proferimus esse ab arte, quia iudicium sumitur secundum formam: ita oratio habet uocem a natura, tamen significationem, ordinationem, dispositionem, & reliqua à uoluntate, propterea absolute dicitur esse ad placitum, & non à natura, est enim instrumentum uoluntarium, non naturale.

Enunciatiua vero non omnis, sed in qua verum, &c. 2

Hæc est secũda pars: in qua est Arist. mira breuitate multa dicit: primo insinuans diuisionem orationis in enunciatiuam, & non enunciatiuam; docet, enunciationem esse orationem, in qua est uerum, uel falsum, reliquæ autem non sunt enunciatiuæ, quarum usus est Rhetorum, & Poetarum, sicut usus enunciationis est Dialectici.

Et huius ratio est: finis enim Dialectici est indagatio ueritatis, & argumentatio, quæ huius instrumentum est; at ueritas non nisi enun-

enunciatione significatur, nec argumentatio ex alijs, quam ex enunciationibus componitur: propterea enunciatio sola ad Dialecticum spectat.

Definitione posita, ipsam enunciationem Arist. diuidit: ac primo in vnam principaliter, cuius species affirmatio, & negatio sunt, & in unam coniunctionē diuidit; Explicat autem ex quibus oratio enunciatiua componatur, & quid sit vna enunciatio; dicit ergo enunciatiuam omnem componi, ex verbo, aut casu uerbi, intellige simul ex nomine, nam ex uno non fit compositio: exprimit autem hoc, quia nulla oratio, quantumcunque una sit, enunciatiua dicetur, nisi habeat verbum, quod manifestat in definitione, definitio enim oratio est, & una, nondum tamen enunciatiua est, quousque sit verbum.

Dicet aliquis: definitio quomodo est vna oratio, scilicet animal gressibile, bipes? respondet non esse vnam, quia simul, & continuo proferatur: vel quia partes coniunctionem habeant Grammaticalem, sed alia ratione, quam inquit non esse præsentis loci, sed Metaph. c. 12. vbi id tractatur, sed nos dicemus postea.

Tandem explicat, quæ enunciatio dicatur vna, & distinguit; quædam est vna, quia vnum significat, vt homo est animal: quædā est vna, quæ coniunctione est vna, quamuis plura significet, vt homo est animal, & leo vincit. Vnde ex opposito duplex est propositio, seu enunciatio plures, & quæ plura significat, vt canis mouetur; uel non vnum significat, vt Petrus, & Paulus ambulant: vel quæ sunt sine coniunctione, vt homo est animal, leo vincit, equus currit.

Potest etiam dici, dixisse vnam propositionem plura, & non vnum significare, quia vni uocum aliquando significat plura, tamen ut conueniunt in vno: & ita explicat Psellus.

3 *Nomen igitur, & verbum dictio sit solum, &c.*

Ne, dum dicit propositionem significare vnū, aliquis deciperetur, existimans significare vnum sicut nomen, & uerbū per se: hoc remouens, docens ista esse solum dictiones, nec significare vnum enunciatiue, siue quis vtatur hic respondendo alicui interrogationi, siue ex se proferat ea, nūquā enim simplici dictione enunciat quis: hoc est, quod dicit (Non est dicere sic aliquid significantem vocem, ut enūciare) idest non est asserēdum vocib. solum simplicibus per se vtentem enunciare (vel aliquo interrogante, vel nō, sed ipso proferente) idest siue interrogatus respōdeat uoce simplici, vel ipse, ex seipso loquatur, & proferat, nunquam voce simplici aliquis enūciabit nisi aliquid subintelligat, vt fit in respōsionibus, & in quibusdam uocibus alijs, ut pluit, tonat, & similia, quæ enunciant virtute alicuius subintellecti.

Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio, &c. 4

Hic cōtinetur diuisio enūciationis, in simplicem, & cōpositam. Simplex, ut homo currit: composita, ut homo currit, & leo uincit.

Dubitabis, an ista sit eadem diuisio cum ea, quæ est in unum, & plures, & resp. secundum Ammo. & Boet. & S. Tho. non esse eandem, non enim est idē esse simplex, & vnum, vt docet Arist. 12. Meta. c. 7. vnū n. opponitur multis, simplex autē opponitur cōposito: vnitas enunciationis, vel pluralitas considera tur secundum significationem dictionū enunciationis, & ipsius enunciationis. At simplicitas, vel compositio secūdū numerū dictionū, qū sunt necessariæ ad enunciationē; vel abundantes: potestque esse plures, & simplex; ut canis mouetur; potestque esse composita, & una, ut animal, gressibile, bipes, mouetur, & hāc modo diuisionem Arist. assignat. Estque simplex enūciatio, ut subdit Arist. (uox significans aliquid esse, uel non esse de alio) idest, habens simplex prædicatum de simplici subiecto: cōposita uero, quæ præter hæc superaddit, nempe habēs plura prædicata, uel subiecta, uel utraque plura. Dubiū.

Vbi est dubium, an hic Arist. definiat simplicem enunciationem? Alex. enim asserit esse definitionem enunciationis, quæ æquiuoca est ad affirmationem, & negationem; ac propterea definitur per sua significata, quo modo definiri possunt omnia æquiuoca; nempe definitione nominis. Dub. 8. 1. Sent.

At S. Thom. & Ammo. nolunt esse illam definitionem, sed diuisionem enunciationis in affirmationem, & negationem; & ratio est, quia iam superius definita erat enuncia- 2. Sent.

tio, nempe oratio, in qua est uerum, vel falsum, sed sentẽtia ista parum videtur firma, cũ prius sit enunciatio simplex.

Propterea dico cum Boet. & Porphi. istam esse definitionem enunciationis simplicis, scilicet est uox, quæ significat aliquid esse, uel non esse de alio.

Datur autẽ talis definitio per ea, quæ sunt inferiorũ specierum, quia non est facile propriam assignare dĩam, & ut dicit Boet. quia simul definiendo divideret simplicẽ in affirmationẽ, & negationem: quas definit, dicens, affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo, negatio est enunciatio alicuius ab aliquo.

Vbi præpositiones sunt aduertendæ, nam (Ab) importat quandam separatione, quæ fit in negatione (De) quandam coniunctionẽ, quæ fit in affirmatione: An vero enunciatio sit genus ad affirmationem, & negatiuam, uel æquiuocum, dicemus postea.

8 *Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse, &c.*

Hic Arist. explicat, quomodo se affirmatio, & negatio inter se habeant, quæ est tertia capitis pars, & intẽdit docere esse oppositas inter se, ad quod probandũ ingeniose sumit duo. Alterũ est: quadruplicter contingit enuntiare. Primo, quod est esse i. affirmare, qđ est, quod fit in enunciatione uera, ut homo est animal. Secũdo, qđ nõ est, non esse i. negare quæ non sunt, quod fit in negatione uera, ut homo non est Lapis. Tertio quod est, non esse, quod fit in negatione falsa, ut homo non est animal. Quarto, quod non est esse, quod fit in affirmatione falsa, ut homo est leo.

Ex hoc fundamento sequitur alterum; omne quod affirmatur, posse negari, & contra: & hoc manifeste sequitur ex præcedenti: si enim non affirmarentur, nisi quæ sunt, & negarentur, nisi quæ non sunt, non omnis affirmatio haberet negationem, nec è contra; cum igitur & quæ sunt, & quæ non sunt enuntiare contingat esse, uel non esse, illud manifeste sequitur.

Ex utroque autem sequitur negationem opponi affirmationi, & econtra: non autem quæcunque affirmatio cuicunque negationi opponitur, sed quando sunt ex iisdem extremis, & habent uniuocas dictiones, & reliqua, quæ sunt necessaria; quæ explicuit 1. Elench. c. 4. propter sophistas.

QVAESTIO I.

De oratione.

Vt ordinẽ Arist. in disputando obseruemus de oratione oportet prius differere, & quidẽ proposita eius diuisione duo dubitari possunt? Primũ an omnis oratio ab Arist. hic definiatur, alterũ an oratio sit genus enunciationis.

Quotuplex sit Oratio.

Circa primum quotuplex oratio sit inquiramus. Laurentius Valla in sua Dialectica, orationem primo in plenam, pleniorem, & plenissimã diuisit: uocat plenam orationem, quæ solum partibus necessarijs constat, nempe nomine, & uerbo, ut homo currit: uocat pleniorem, quæ plures habet partes, quam necessarias, ut syllogismus, & quæ numeris omnibus absoluta est: plenissima dicitur, quales orationes Rhetoricæ: ista diuisio quamuis bona sit, non tamen est prima, nec diuidit omnem orationem. 1. Diuisio.

Propterea Boetij diuisio amplectenda est, quem postea omnes fere sunt sequuti: quamuis ipse a Græcis eam diuisionem acceperit. Est igitur oratio duplex, perfecta, & imperfecta, perfecta est quæ perfectum sensum generat in animo auditoris: vocamus sensum sententiam ipsam, uocamus perfectum, non cui non possit aliud adiungi, sed qui facit intellectum quiescere, quantũ ad apprehẽsionẽ alicuius rei: vocamus auditorem, aduertentem, & intelligentẽ: oratio uero imperfecta, est oratio imperfectum sensum generans, quales sunt o͂nes sine verbo, vel cũ verbo, in quibus est coniunctio suspendens, uel relatiuum, qui cum uno uerbo, & aliæ similes. 2. Diuisio.

Oratio perfecta diuiditur ab Ammo. in præfatione huius libri, & a S. Th. tract. super hunc librum, c. an quinque partes, in enuntiatiuã, uocatiuam, interrogatiuam, imperatiuã, optatiuam, uel deprecatiuam; in prima inest uerum, uel falsum, in reliquis uero non.

Harum quatuor sufficientiam ponit S. Tho. inquit enim homo potest comparari ratione alicuius inferioris, uel ratione alicuius superioris: cum inferiori, tripliciter se habet, vel vult illius mentem in se conuertere, Nota.

vertere, & ad hoc vtitur vocatiua oratione, vel vult mentem eius sibi explicari, & vtitur interrogatiua; vel vult vt exequatur aliquod opus, & vtitur imperatiua, vel exhortatiua; cum superiori verò non nisi deprecatiua, vel desideratiua vtitur, reliquę ad has reducũtur.

Dubiũ. Sed dices, quare in his non est verum vel falsum, sicut in enunciatiua? nota ex Boet. in homine duplicem potentiam altera est intellectus, in quo solo inest verum, vel falsum; altera est appetitus, in quo inest bonum, uel malum, enunciatiua solum explicamus ea, quæ intellectu concipimus: propterea illi inest uerum, vel falsum: alijs omnibus explicamus ea, quæ habemus in appetitu, propterea nec uerum, nec falsum habent, quod si interdum enunciamus ea, quæ appetimus: id fit, quatenus eadem cognoscuntur ab intellectu, reddi etiam alia ratio potest, quia ab eo, quod res est, vel non est, enunciatio est, & dicitur uera, uel falsa: sola autem Indicatiua enunciat, quod aliquid sit, uel non sit: aliæ non ita. Et hinc etiam est, quod illa sola perfectum generat sensum, aliæ minimè.

An oratio in communi hic definiatur ab Aristotele, an solum oratio perfecta?

1. Opi. His igitur suppositis dubium est, an oratio, tam perfecta quàm imperfecta hic definiatur, an sola perfecta, Alber. tract. de enunciatione, cap. 1. cum Philop. existimat solam perfectam hic definiri, est autem ratio Alber. quia sola perfecta est genus enunciationis, hic autem oratio cõsideratur, ut genus enunciationis: ratio uero Philop. est partes non dicuntur, nisi respectu totius, sed oratio imperfecta non est totum, totum enim perfectum est, ergo imperfecta non habet partes, & sic ei non competit definitio.

2. Opi. Alij de quibus superius diximus, inter quos sunt Aspasius, & Porph. solam hic simplicem orationem definiri uolunt.

3. Opi. At uero opposita sententia est Boet. S. Th. & aliorum, nempe orationem in communi, ut includit tam perfectam, quam imperfectã, simplicem, & compositam, hic definiri, & ita est tenendum. Primo, quia definitio omni competit orationi, ut patet, & supra exposuimus. Præterea, quia hic definitionem uocat Aristot. orationem, & unam, quæ tamen est imperfecta oratio, cum sit sine uerbo.

Nec argumentũ Alber. habet robur, quia non solum oratio perfecta est genus enũciationis, sed etiã oratio in cõmuni, habet enim se oratio ad enunciationem sicut uiuens ad hominem, est namque genus remotum.

Quod si dicas non licet definire, nisi per genus propinquum, dico id non esse semper uerum: quando enim addimus differentias, quæ sunt ab illo genere usque ad propinquum, licet bene definire per remotum: ut si dicas, homo est uiuens sensibile, rationale, ut docet Arist. 6. Top. c. 3. loc. 17. ita illa differentia uerum, uel falsum secum habet, quod sit oratio perfecta.

Ad illud Philop. respondet bene S. Tho. partes in aliquo toto se habere dupliciter, aliquæ primo sunt ipsius totius: quales sunt illæ, quæ nihil aliud, quam tale totum componunt: sicut caput, pectus, brachium, & similia componunt corpus: aliquæ non primo totum ipsum componunt, sed per aliud, ut oculus, lingua, nasus, non primo corpus ipsum, sed caput, & per caput corpus componunt: ita similiter lapides non primo domũ, sed partes constituunt: ex quo fit ut partes non solum respectu totius perfecti, sed etiam imperfecti dicantur.

Hinc patet solutio, potest enim esse oratio imperfecta, & partes habere, nempe illas ex quibus primo oratio perfecta non componitur: vt Deus iustus, & bonus, est oratio, & tales partes, primo istam orationem cõponunt, & per eam componunt aliquam perfectam, ut si addas, misereatur peccatorum.

At illud Aspasij, supra responsum est.

Patet igitur orationem in communi hic definiri ab Aristotele.

An oratio sit genus enunciationis?

Dubitatur, an oratio sit genus enunciationis? Quidam existimant non esse genus præsertim propositionis, quia propositio est in uoce, mente, & scripto: at oratio non est nisi in sola uoce.

Dico primo, orationem non solum in uoce, sed in mente, & scripto reperiri, ut supra diximus de mente Boet. & Ammon. Dico secundo: hic consideratur propositio ut rem uere, uel falso significat, & ut conceptus

sed multiplicem; est enim, ut manipulus ex multis congregatus.

3. Sententia. At quãuis ista sententia sit tenenda, quãtum ad hoc, quod hypotheticæ propriè dicendæ sunt disiunctiua, & conditionalis: existimo tamen hic per propositionem coniunctione unam non solam hypotheticam, sed etiam copulatiuam, & si quæ aliæ sunt, quarũ partes quacunque coniunctione sunt coniunctæ, esse intelligendam: cum tales enunciationes non solum habeant hoc, quod in se multas simplices concludant, sed speciale aliquid quantum ad ueritatem, uel falsitatem præter simplices addant.

2. Diuisio enunciationis. Secunda diuisio est enunciationis ipsius in simplicem, & compositam: hæc autem, ut diximus superius, & docet Boet. in 2. editione, non est eadem cum superiori, cum possit esse simplex, & plures, ut canis mouetur; & una, & composita, ut animal rationale, mortale, currit: simplicitas enim propositionis cõsistit in hoc, quod unum simplex subiectũ, & prædicatum habeat, ut homo disputat: compositio uero in hoc, quod multitudinem in subiectis, & prædicatis patiatur.

Vnde distinguitur composita, in eam, quę ex pluribus propositionibus fit, ut si lucet sol est dies: & in eam, quæ ex pluribus subiectis, uel prædicatis, unũ facientibus, seu significantibus constat, vt animal rationale, mortale, est homo, & in eã, quæ ex pluribus similiter subiectis, uel prædicatis, nõ tamen facientibus unum conficitur, ut homo, & leo, & equus currit, homo est iustus, sapiens, & diligens.

3. Diuisio. Tertia est subdiuisio enunciationis simplicis in affirmationem, & negationem, ut supra explicauimus.

Dubiũ primũ. Quibus suppositis est dubium de diuisionibus his quales sunt. Estque aduertendum, has diuisiones esse secundum substantiam propositionis, scilicet quod sit una, uel plures, simplex, uel composita, affirmatio, uel negatio: aliæ diuisiones sunt secundum accidentia, ut quod sit uniuersalis, uel particularis: & quidem de diuisione in unam, & plures, simplicem, & compositam, omnes fere conueniunt esse analogi in analogata.

Dubiũ secũdũ. At de tertia subdiuisione est dubium an sit generis in species, uel analogi in analogata. Alex. Aphro. cuius meminit etiam Ammo. in proœmio huius libri, &, ut uidere est apud ipsum in 1. Prio. c. 1. & ibidem Philop. contra Alex. & Buran. qui defendit Alexandrum, & sustinuit eandem sententiam. Sustinet esse æquiuocam enunciationem, ad affirmationem, & negationem: pręcipua ratio hęc est: ubi prius est, & posterius, ibi est analogia: at affirmatio est prior negatione, ergo enunciatio est ęquiuoca ad eas: maior est clara, quia in uniuoco ratio est eadem, minor patet ex Aristot. in hoc capite; ubi dicit (una prima enunciatio affirmatiua) ubi Boet. 2. Editione illud, prima, iungit cum affirmatione, ut sit sensus: affirmatio est prior, deinde negatio, & expresse primo Post. c. 21. uocat priorem affirmationẽ negatione: & probatur ratione, quia affirmatio est cõpositio, negatio diuisio: sed prior natura est cõpositio diuisione, ergo & affirmatio est prior negatione; præterea quia negatio est priuatio, affirmatio est habitus, sed habitus naturaliter prior est priuatione, ergo & affirmatio prior est.

Secũda opin. Opposita sententia est Porphyr. Ammo. Boet. Simpl. in prædica. quantitatis, S. Tho. & aliorum asserentium talem diuisionẽ esse generis in species; propterea sit primo aduertendum: affirmationẽm quadrupliciter esse negatione priorẽ. Primo est prior, quia simplicior est; negatio enim fit ex affirmatione aliquo superaddito, & hoc est qđ dixit Boet. affirmatio est prior negatione: id est prolatione, & Ammon. dicit, est prior affirmatio simplicitate dictionis. Secũdo est prior, quia notior: nullus enim cognoscit affirmationẽ per negationem, at negationem ipsam ex ipsa cognitione affirmationis consideramus: & hæc prioritas notionis ponitur ab Arist. 1. Post. cap. 21. Tertio est prior secundum rẽ significatam, vt dicit S. Thom. tract. super hunc librum capit. 6. nam affirmatio significat rem esse, negatio non esse, quamuis autẽ in particulari prius sit aliquid non esse, quã esse: tamen absolute loquendo, esse semper præcessit non esse: aliter nihil posset produci: propterea dicit Arist. 9. Met. actus prior est potentia. Quarto dicitur prior secundum intellectum, quia intellectu prius cõponimus, quod est affirmare, quam diuidamus, quod est negare.

Primũ fund.

Secũdũ fund. Est secundo valde aduertendũ quod non vbicunque est prius, & posterius ibi est æquiuocatio, seu analogia Logica: dupliciter. n. aliquid dicitur prius, uel posterius: vno modo inuenitur inter aliqua inter se secundum

quòd vnum altero est perfectius, vel vnum virtualiter includit alterum: quo pacto una species altera prior est, ut homo leone, & quadrangulus triangulo, & binario ternarius; ita le autem prius, & posterius nō aufertur univocatione duorum, uel plurium in aliquo superiori; ut patet in exemplis assignatis, immo inter species generum talis ordo inuenitur.

Altero modo inuenitur prius, & posterius in ipso superiore respectu inferiorum, quando eius ratio vni inest primo, & per ipsum alijs, ut sanum dicit sanitatem, quę primo est in animali, in urina uero, & medicina per ordinem ad animal: similiter inest ens substantiæ, & accidenti, non sic autem aīal homini, & leoni; tale prius, & posterius cōstituit analogiā, hoc autē non inuenitur in enunciatione respectu affirmationis, uel negationis: quāuis. n. una respectu alterius prior sit, ut diximus, tñ enūciatio primo nulli inest, cū ęque ipsa, & eius definitio de utraque prædicetur.

1. Cōcl. Est ergo uniuoca enunciatio sicut figura, numerus, animal, in quibus est eadem ratio, hæc doctrina est Simpl. prædic. quantitatis, & Amm. in hoc ca. & Boet. & S. Tho. loco allegato, & est consideranda.

2. Cōcl. Ex quibus patet enunciationē simplicem esse genus ad affirmationem, & negationē.

Ad primū arg. Nec argumentum Alex. quicquam ualet; non enim probat, nisi affirmationem esse priorem negatione, si ad inuicem comparentur: at si ad enunciationem referantur, non prius una enunciat; & participat naturam enunciationis, quam altera.

Dubiū. Dices, esse affirmatiuā, uel negatiuā uī dicere qualitatē enūciationis, ergo affirmatio, & negatio nō differunt specie, sed qualitate, & accidēti; sicut homo albus, & homo niger, non differunt specie, ut dicitur 10. Met. c. 12.

Solutio. Dico esse affirmatiuam, uel negatiuam, esse quidē qualitates enunciationis, sed qualitates essentiales constituentes cum ipso genere species distinctas, quomodo differētiæ dici solent qualitates generis, pro quo aduerte, quod esse affirmatiuam, uel negatiuam non consistit in materia propositionis: aliter enim non constituerent speciem: sed in

Nota. forma, nempe in compositione, quam uerbū importat, & quia sunt diuersæ cōpositiones affirmatio, & negatio, & diuersi modi enunciandi, inde cōstituunt uarias species, ac propterea negatio sæpe debet cadere supra uerbum, & non solum supra significationem uerbi, nam hæc non est negatio, homo est non currens.

Circa hoc caput occurrere posset dubium, cuius solutionem prætermisit Aristot. quare definitio cum plures partes habeat, dicatur una? quod ipse 7. Metaph. c. 12. docet. Dubiū secūdū.

Dico, & est aduertendum, singulas partes definitionis per se dicere totam naturam definiti confuse, unam autem partem explicare distincte, v.g. rationale dicit totam naturā hominis confuse, distincte uero illā, quę principium ratiocinandi est animal, dicit totam hominis naturam cōfuse, distincte uero hoc, quod principium sentiendi est, & sic de reliquis: unde definitio est conflata ex pluribus idem confuse significantibus, sed singulis aliquid in eo distincte exprimētib. Ideo dicitur una, quia re uera idem dicit, unum, quod alterum, quantum ad rem; sed non quantum ad modū significandi, qui modus non multiplicat orationē, cū unitas, & multitudo ex re significāte sumatur, & hāc doctrinā obserua. Solutio.

Tandem dubitatur circa illa uerba Arist. (contradictio est affirmatio, & negatio opposita) uidetur enim non esse uerū, nam etiam ad oppositionem contrariam, & subcontrariam est necessaria affirmatio, & negatio. Dubiū tertium

Dico, quod contraria, & subcontraria oppositio non in sola negatione, & affirmatione consistuut, sed in quantitate subiecti, sic quod utraque sit, uel uniuersalis, uel particularis; at contradictio, per se in pura negatione, & affirmatione, ita ut si solam affirmationem, & negationē inspicias, remota quantitate, est contradictio; propterea inuenitur cōtradictio in singularibus propositionibus, & in ipsis terminis, ubi nulla est uniuersalitas, uel particularitas, quæ sunt quantitates, propterea dixit cōtradictio est affirmatio, & negatio, quasi formaliter, in his consistat; at quia nō quæcūque negatio affirmationi cuicunque contradicit, ideo addit opposita. Solutio.

Quæ autem affirmationes, & negationes oppositæ sint, partim hic explicat, partim explicuit 1. Elencho. capit. 4. est enim oppositio unius, & eiusdem, non solum rei, sed rei, & nominis, non synonimi, sed eiusdem ad idem, secundum idem, similiter, in eodem tempore; idest debent constare ex eodem subiecto, & prædicato: termini debent esse uniuoci, non synonimi, sed idem Nota.

protsus

prorsus significantes, & debent, sumi secundum idem; vnde non opponuntur hæ enunciationes: ista tabula est dupla, ista nõ est dupla, si prius ad medietatem posterius ad tertiam comparetur, quia non ad idẽ; sic etiam quia nõ sunt secundum idem, ista non opponuntur, Aethiops est albus secundum dẽtes, non est albus secundum faciem: rursus, quia non similiter, nec istæ opponuntur, Petrus currit, uelociter, non currit tarde. Et quia nõ eodem tempore, & loco, non hæ opponũtur: heri legi, hodie non legi, sum extra pontem, non sum extra pontem, si una hic, altera alibi proferatur, & hæc de hoc capite.

Diuiditur enunciatio iuxta quantitatis notas. Enunciationum oppositiones assignantur: circaque ipsarũ veritatem, ac falsitatem regulæ traduntur, ac quæ sit vna affirmatio, & negatio determinatur. Cap. V.

Sectio 2. secundũ Græcos.

QVoniam autem sunt quidem rerum vniuersales, illa vero singulares (Dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est. Singulare vero quod non: vt homo quidem vniuersalium est, Callias verò eorum quæ sunt singularia:) necesse est quoque enunciare quod inest aliquid, aut non, aliquando quidem alicui eorũ quę vniuersalia sunt, aliquando autem eorum, quę singularia ∴ sunt.

∴ A. lege sunt siquidẽ in uniuersali.

Si ergo in vniuersali vniuersaliter enunciet quis ∴ quod est, aut non est cõtrarię enunciationes erunt. Dico autem in vniuersali enunciare uniuersaliter: vt omnis homo albus est, nullus homo albus est.

2 ∴ A. lege quid est aliqd, aut non esse hę cõtrariæ enũciationes.

Quando autem in vniuersalibus, non vniuersaliter autem ∴ nõ sunt contrarię: quę autem significantur, est esse aliquando contraria. Dico autem non vniuersaliter enunciare in ijs, quę vniuersalia sunt, ut est albus homo, non est albus homo: cum enim uniuersale sit homo, non uniuersaliter utitur enunciatione: Omnis namque non uniuersale significat, sed quod uniuersaliter.

3

∴ A. legẽ hæ quidem nõ sunt cõtrarię.

In eo uerò quod prędicatur uniuersale, id quod est uniuersaliter prędicare, non est uerum. Nulla enim affirmatio uera erit, in qua cum uniuersale sit prędicatum, uniuersaliter prędicatur: ut est omnis homo, omne animal.

Opponi autem affirmationem negationi dico contradictoriè, quę uniuersaliter significat idem, quod non uniuersaliter: ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: nullus homo albus est, aliquis homo albus est; Contrarię uero uniuersalem affirmationem, & uniuersalem negationem ∴ ut omnis homo iustus est, nullus homo iustus est.

∴ A. lege ut omnis homo albus est, nullus homo albus est.

De subiectis, & prędicatis enunciationum.

Cum in capite præcedenti negationem, & affirmationem opponi inter se doceret, nunc de hac enunciationũ oppositione disserere prosequitur, cum autem oppositio, & secundum quantitatem, & secundum ueritatem, uel falsitatem enunciationum constet: in hoc capite de quantitate, quæ præcipue in subiectis spectatur, in sequenti de ueritate, & falsitate tractat.

Primo igitur hanc conclusionem constituit. Omnis enunciatio aut est de subiecto uniuersali: aut de subiecto singulari, siue affirmatiua, siue negatiua sit; quam tali syllogismo demonstrat: quoties enunciamus, siue affirmatiuè, siue negatiuè, rem de re enunciamus; sed omnis res, uel uniuersalis est, uel singularis, ergo quoties enunciamus, uel de uniuersali, uel de singulari rem enunciamus: maiorem non exprimit, minorem sub forma diuisionis proponit, eamque descriptione, & exemplis illustrans, inquit,

Quo-

5 *Quoniam autem sunt hæc quidem rerum vniuersalia, &c.*

Ac si dicat, quia res quædam sunt vniuersales, quædam sunt singulares, & nota, quod dicit (quoniam) vt intelligas esse probationem, à causa: Ex hoc enim quod res sint, uel vniuersales, vel singulares, & semper de re enunciamus, fit, vt enunciatio, vel sit de subiecto communi, vel singulari.

Describit autem, quæ dicantur, vniuersalia, & dicit, Vniuersale est quod in pluribus prædicari aptum est, vt homo, animal, leo. Dicit autem [aptum est] quia non est necesse, vt rem uniuersalē proferamus, quod actu eā de multis prædicemus. Sat erit, si ipsa aptitudo sit, ut S. Thom. dicit, propter multa, quę actu non habent plura, de quibus prædicentur; sunt tamen vniuersalia, quia aptitudinē habent, vt Sol, mundus. Singulare est, quod non est de pluribus prædicari aptum, vt Socrates, Plato.

Dubiū. Dices, quare Arist. non dixit de prædicatis, quæ prædicata enunciare contingant? dico primo, quia quantitas propositionis non à prædicato, sed à subiecto sumitur, vnde ista prædicatio censetur singularis, Plato est animal, quamuis prædicatum sit vniuersale.

Dico secundo, quia ex doctrina præcedenti prædicamentorum constat, semper vniuersalia prædicari: reliquæ enim sunt prædicationes indirectæ, vel impropriæ; ęqua enim de æquis, vel superiora de inferioribus, non autem inferiora de superioribus, nec singularia de se ipsis, proprie prædicantur; hac igitur de causa Arist. non prædicatorum, quæ iam determinata sunt esse vniuersalia, sed subiectorum meminit.

a *Si ergo in vniuersali, uniuersaliter enunciet, quis quoniam est, &c.*

Circa illā partem, qua de re vniuersali aliquid vel affirmatiue, vel negatiue enūciatur, Arist. trimembrem diuisionem necessariam facit; & per singulas postea partes procedit, ostendendo, quomodo opponātur, & reliqua circa ipsas explicando.

Tripliciter ergo de vniuersali affirmatiue, vel negatiue enunciamus, primo de vniuersali vniuersaliter; vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est: secundo de vniuersali, nō tamen vniuersaliter, ut homo iustus est, homo iustus nō est: tertio de vniuersali, sed in una uniuersaliter, in altera nō uniuersaliter, ut omnis homo iustus est, homo iustus nō est, uel nullus homo iustus est, homo iustus, est nec aliter ullo modo enunciare cōtingit de uniuersali.

In omnibus autem his notat Amm. semper intelligi de affirmatione; & negatione ex eodem subiecto, & prædicato: & cū reliquis circunstantijs, quæ sunt ad oppositionem necessariæ. De oppositis enim affirmationibus, & negationibus hic disseritur.

Accedit igitur ad primæ partis explicationē, & docet quoties de uniuersali uniuersaliter enūciamus affirmatiue, & negatiue, tales sunt enūciationes cōtrariæ, ut omnis homo iustus est, nullus homo iustus est. Exponit autē quid sit de uniuersali uniuersaliter enūciare, exēplo quodam: nēpe, quando propositio signum aliquod uniuersalitatis habet, ut omnis homo albus est, nullus homo albus est.

Dubitat S. Tho. quare talis oppositio dicatur contraria, & respondet subtiliter, & bene, ut etiam Ammo. dicit per similitudinē ad res, quæ contrariæ dicuntur: illę enim res contrariæ dicuntur, quæ maxime inter se distant, & secum pugnant, ut album maxime à nigro distat, & calidum à frigido, unde media non proprie extremis contraria sunt: cū ab eis non distent maxime. At istæ propositiones maxime distant, omnis homo albus est, nullus homo albus est; cum prior ponat omnia indiuidua hominis copulatiue, at altera omnia etiam neget: Ista uero non omnis homo albus est, non aufert omnia; significat enim aliquis homo albus non est, merito ergo illa dicuntur contraria. Dubij solutio.

Quando autem in uniuersalibus non uniuersaliter, non sunt contraria, &c. 5

Hoc est alterū diuisionis mēbrū, nempe aliquādo enūciamus de uniuersali non tamē uniuersaliter, ut homo albus est, homo albus nō est, explicat autē quādo de uniuersali nō uniuersaliter prædicemus, nimirū quando dicimus, homo albus est, homo albus non est.

Quod si dicas in his enunciationibus subijcitur uniuersale, ergo uniuersaliter enun-

ciamus respondet, homo, leo, animal, & similia subiecta significare quidem rem uniuersalem, sed non cum hoc modo uniuersalitatis, quam significat ipsum signum, omnis, nullus, & similia: hæc enim signa nõ ipsum vniuersale significant, sed ipsum uniuersaliter subijcit: quod non aliud est, quam denotare pdica ũ, omni inferiori subiecto copulatiue, nullo dẽpto, inesse, vel ab omni eo remoueri: tales autem enunciationes asserit non esse cõtrarias, quas nos uocamus subcontrarias.

1.Expositio. Addit tamen hæc uerba de ipsis (Quæ significantur est esse aliquando contraria) qui locus satis est difficilis propter uarias interpretationes, in primis Herminius, vt refert Boet. in 2. editione exponebat hoc pacto, istas subcontrarias aliquando significare contraria, quia aliquando una est uera, & altera est falsa, vt in materia necessaria, vel impossibili: vt homo est animal; homo non est animal. Sed ista reijcitur expositio, quia nõdum quicquam de ueritate, vel falsitate dictum est.

2.Expositio. Alexan. quem commendat, & sequitur S. Thom. interpretabatur subcontrarias aliquando significare contrarias, quia in certa materia, scilicet necessaria æquiualent contrarijs, vt homo est animal, & omnis homo est animal, homo non est animal, & nullus homo est animal, non tamen in materia contingenti.

3.Expositio. Tertia expositio habet profecto celebres interpretes, nempe Porphy. Ammo. Psellum, & Boet. Pro quo nota, aliqua esse, quæ habẽt contraria, aliqua carent contrarijs: Album. n. calidum, par, contraria habent, animal uero, corpus, currit, ambulat cõtraria non habent. Hinc fit quorundam negationes importare contraria, quorundam uero non, vt non albũ, importat contrarium, nempe nigrum, vel medium, quod participat de contrario, non sanum importat ægrum. At non ambulat, nõ animal, non importat contrarium.

Cum igitur in his particularibus in una affirmetur prædicatum, in altera negetur, & negatio aliquando importet contrarium, fit ut aliquando licet tales enunciationes contrariæ non sint, eorum tamen significata contraria sint, vt homo est calidus, homo non est calidus, ibi non calidus, dicit quod sit frigidus, homo non est sanus, idest æger. Hoc autem dicit, ne existimemus contrarietatem prædicatorum, enunciationes contrarias facere, & propter tantam expositorum auctoritatem non mihi displicet hæc expositio.

Quod si dicas hoc etiam in contrarijs enunciationibus inest, respondetur, id uerum esse, sed in istis particularibus hoc notatur, quia aliam contrarietatem non habent, quam prædicatorum.

4.Expositio. Ammo. propterea dubitat in subcontrarijs quia in his est prædicatum negatum, idest, homo non albus, sed hæc ratio nulla est, quia & in vniuersali negat prædicatũ, nullus homo est albus, melius dicetur quod in contrarijs dubium inerat, cum contrariæ iam sint, at in hic est dubium cum non sint contrariæ, posset enim quis arbitrari esse contrarias, quia significant res contrarias, & non significare contraria cum non sint contrariæ, propterea autem vtrumque est, & esse non contraria, & significare aliquando contraria.

6.Expositio. Est alia expositio modernorum sine dubio non spernenda, nempe hic Arist. loqui de enunciationibus in quibus subiectum est vniuersale sine aliquo signo, nec vniuersali nec particulari, quas indefinitas vocant, vt homo albus est, homo non est albus, & has dicit esse, seu aliquando fieri contrarias, nempe, signis solum additis vniuersalitatis, omnis, nullus, quod non fit in singularibus, nec particularibus, quæ signum habent particulare hæc est expositio quam sequitur Sinuessanus.

7.Expositio. Inter has omnes mihi placet expositio tertia Porph. & aliorum: quamuis sub censura sanioris iudicij adderem hũc locum hic nos posse commodius interpretari, vt loquatur de his, quæ subiectum habent vniuersale, siue cum signo particulari, siue, ut aliquis homo est albus, aliquis homo, non est albus; siue sine aliquo signo, vt homo est albus homo non est albus, quia sicut nec istæ sunt cõtrariç ita nec illç; ac propterea Arist. loquitur negatiue, s. quæ sunt de subiecto vniuersali non vniuersaliter; nec dixit particulariter, vt utrasque intelligeremus, & quando est cũ signo particulari, & sine aliquo signo: aliter enim diceret de vniuersali particulariter vel indefinite: & sensus iste est, has propositiones non esse contrarias, tamen extrema, quæ per has enunciamus (aliquando est esse contraria) idest contingit enunciare contrarie, vt homo est albus, homo non est albus, aliquis

quis homo est albus, aliquis homo non est albus. Eadem significata, & eandem rem, quã non cõtrarie enunciaui per illas, possum aliquando contrarie enunciare: nempe si uniuersaliter proferã, per hoc.n. quod vniuersaliter, vel particulariter, seu indefinite dico, non aliã rem, sed alio, & alio modo enuncio. Ac propterea dicit, quæ significãtur: ut non de ipsis enunciationibus intelligas, quod possunt fieri contrarie, sed de rebus significatis, quæ modo contrarie, modo non contrarie enunciari ualent: quam expositionem existimo maxime textui consonantem.

In eo vero, quod vniuersale prædicatur, id quod est vniuersaliter, &c.

Hic dubiũ Arist. aufert; posset enim quis dubitare in propositionibus contrarijs affirmatiuis; an sit addenda uniuersalitas, etiam prædicato; nam in negatiuis prædicatum uniuersaliter dicit, uirtute negationis omnia distribuentis, at in affirmatiuis prædicatum est quidem uniuersale, sed non uniuersaliter dicitur: propterea dubium est, an uniuersalitas sit addenda, & hanc expositionẽ aduerte: non enim loquitur de negatiuis, sed de affirmatiuis: in his enim prædicatum vniuersale est, sed vniuersaliter dicitur.

Respondet igitur Aristot. id non esse faciendum, cuius ratio est, quia esset enunciationem affirmatiuam, in omni materia falsam facere: cum semper sit affirmatio falsa, in qua affirmatur prædicatum uniuersaliter, de subiecto uniuersaliter: ut omnis homo omne animal est.

Et reputat Arist. inconueniens genus de speciebus, & superius de inferioribus, uel æquale de æqualibus falso affirmari, cum etiam negatio falsa sit, & tunc in materia necessaria vtraque esset falsa, & affirmatio, & negatio, ubi aduerte Arist. loqui de propositionibus, quæ disciplinis usu ueniunt nõ de alijs portentosis, quæ confingi possent.

Nec est recipienda doct. Boet. & Leui. in suis annotationibus super Auer. qui asserunt, signum uniuersalitatis posse addi vel prædicato superiori, vt homo, seu omnis homo est omne animal, & tunc est falsum hoc affirmare: vel posse addi prædicato æquali, vt omnis homo est omne rationale, & tunc est superfluum: hoc non placet, immo semper est falsum, ut hic docet Aristot. & recipit Alber. tract. de oppo. cap. 1. & S. Thom. quia sensus esset, hic homo est omne rationale, & hic homo est omne rationale, & ita de cæteris. Si quidem omnis accipitur distributiue, quæ singulæ particulares essent falsæ, & ita tota vniuersalis falsa. Quia cum nullus homo sit omne rationale: nec omnis homo erit omne rationale. Quod si in alio sensu acciperentur illæ uoces distributæ uniuersaliter, non quasi distributæ, sed acceptione, vt Dialectici vocant, simpliciter verũ esset dicere omnis hõ est omne rationale: Nam sensus esset, idem est, re ipsa, omnis homo, & omne rationale. Sed si distributiue accipiantur, sensus est falsus, ut diximus.

Opponi autem affirmationem negationi dico, &c.

Hoc est tertium diuisionis membrum, in quo Arist. proponit ea; quæ de uniuersali altero dicũtur uniuersaliter, de altero uero uniuersali, non uniuersaliter, ut omnis homo albus est, non omnis hõ albus est, uel ut negatiua sit uniuersaliter, nullus homo albus est, aliquis homo albus est: illud.n. non omnis locum particularis habet, nempe aliquis: tales autẽ enunciationes docet esse cõtradictorias, contrarias uero quando utraque est uniuersalis, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus: hæc continentur in hoc capite.

QVAESTIO I.

De diuisione rerum qualis, scilicet, sit talis diuisio.

Dubium posset alicui esse, qualis diuisio sit hæc, rerum quędam sunt uniuersales, quędam particulares, seu singulares; nam uidetur hic Arist. admittere res aliquas existentes uniuersales, quod tamen ipse negat expresse contra Plato. 7. Metaph. cap 113. Dubium.

Ad quod facile est respondere ex his quæ superius diximus in materia uniuersalium super Porph. diximus enim rerum naturas non existere uniuersales, secundum se, sed quatenus ab intellectu non consideratis indiuiduis, Solutio.

diuiduis, & inferioribus apprehēduntur, dicuntur uniuersales, quatenus uero cum ipsis accidentibus, & singularibus sunt, sunt singulares, ut natura humana de se nec est uniuersalis, nec singularis, ut ab intellectu non consideratis indiuiduis percipitur, fit uniuersalis, vt autem in ipsis indiuiduis est, & cognoscitur, dicitur singularis: unde esse uniuersale, uel singulare, accidit rei, alterum per intellectum, alterum a rebus ipsis. Vnde merito dici debet ista diuisio subiecti in accidentia.

Est autem hic notādum unum, quod res non habet esse uniuersalis, nisi respectu intellectus, at esse singulare à rebus habet, & inde ab intellectu cognoscitur singularis, quando cum talibus accidentib. indiuiduis consideratur: intellectus ergo utrumque cognoscit, & rem uniuersalem, & singularem, sed cum discrimine: nam cognoscit uniuersale, & ipsam rem uniuersalem facit; at cognoscit singularem rem, sed non facit.

Not. 2. Hinc sequitur quod dicit Amm. & S. Th. cum hic non de rebus secundum se, sed ut uocibus significantur, tractetur, & non possint res uocibus significari, quin primo cognoscantur, fit ut quia res in uniuersali, & in singulari cognoscūtur, ita etiā per uoces significentur: ac ideo ista diuisio rerum in ordine ad intellectum prima sit, quia res, & in uniuersali, & in singulari cognoscit, ac deinde in ordine ad uoces significantes id, quod intellectu comprehendimus.

Not. 3. Est autem hic notanda doctrina S. Tho. quam tradit in præsenti, & tractatu de enunciatione capit. 7. & 8. nam aliqua res, ver. g. homo, potest dupliciter cōsiderari, uel ut est in intellectu obiectiue cognitus, uel ut est in ipsis rebus, & singularibus existens: si modo priori consideretur, acquirit prædicata in duplici differentia; quędam conueniunt ei a tali operatione intellectus, vt quod sit uniuersale, quod sit prædicatum, subiectum, species, & similia quæ dicuntur prædicata secundæ intentionis: quædam alia cōueniunt ei, quatenus est res, quæ uelut una consideratur, ac si per se existeret, ut quando dicimus, homo est dignissima creatura inferiorum, homo est creatus ad uitam æternam, homo redemptus est, & ista prædicata sunt realia.


Altero modo potest homo considerari, ut est in rebus, & tunc acquirit prædicata in duplici etiam differentia; quædam ei secundum naturam suam competunt, ut homo est animal, rationalis, risibilis, uiuens, quædam ei proueniunt ab indiuiduis, in quibus est, ut homo currit, homo legit, scribit, est doctus.

Est autem inter hæc discrimen, nam priora prædicata, cum ei secundum naturam competant, semper insunt, & ubicunque natura talis est, ibi & talia sunt prædicata, & cū natura in omnibus sit indiuiduis, etiā sunt ibi talia prædicata: at uero alia prædicata, cum ab indiuiduis ei proueniant, & non semper indiuiduis insit, ideo nec de natura, nec uniuersaliter, & semper prædicantur.

Et ex hoc, ad distinguendum, quando naturæ aliquid, ut in omnibus est, conueniat, inuenta sunt signa tam affirmatiua, quam negatiua; omnis, nullus, & similia: ad denotandū uero, quando non omni ex parte naturæ competat aliquid, inuenta sunt signa particularia, aliquis, aliquis non, immò quando uolumus ostendere, quando aliquid naturæ ab aliquo certo indiuiduo proueniat, utimur signo demonstratiuo: quamuis uniuersale, cum signo particulari, & sine ullo signo æquipolleat. & de similibus prædicatis Aristot. loquitur in præsenti, quæ rei, uel secundum naturam, uel ab indiuiduis competunt: in his enim licet subiecto signum aliquod addere. Not. 4.

Similiter est notādum quod singulari triplex prædicatum competit: primum ut ab intellectu cognoscitur, & sic dicimus, Petrus est indiuiduum, alterum à natura speciei, Petrus est animal, tertium a sua propria, & singulari conditione, & sic dicitur Petrus currit, studet, & legit, &c. & hæc sufficiūt pro his prædicatis, & pro declaratione diuisionis. Not. 5.

De regulis oppositarum enunciationum. Cap. VI.



De regulis oppoſitarum prepoſitionum.

QVocirca has quidem impoſſibile eſt ſimul eſſe veras: hic vero oppoſitas contingit aliquando in eodẽ ſimul eſſe veras, vt non omnis homo albus eſt, & aliquis homo albus eſt.

2 Quæcunque igitur contradictiones vniuerſalium ſunt vniuerſaliter, neceſſe eſt alteram eſſe veram, vel falſam: & quæcunque in ſingularibus ſunt: vt eſt Socrates albus, non eſt Socrates albus. Quæcunque autem in vniuerſalibus quidem, non vniuerſaliter autem, non ſemper hæc quidem vera eſt illa vero falſa eſt: ſimul enim verum eſt dicere quòd eſt homo albus, & quod non eſt homo albus, & eſt homo pulcher, & non eſt homo pulcher; ſi enim turpis eſt, non eſt pulcher, & ſi fit aliquid non eſt.

3 Videbuur autem ſubito inconueniẽs eſſe: ideirco quoniam videtur ſignificare idem, hoc, non eſt homo albus, & hoc, nullus homo eſt albus, hoc autem neque idem ſignificat, neque ſimul neceſſario.

Manifeſtum eſt autem quòd vna negatio vnius affirmationis erit: hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & ab eodem, uel ab aliquo ſingularium, uel ab aliquo vniuerſalium, vt vniuerſaliter, uel ut non uniuerſaliter; dico autem ut eſt Socrates albus, non eſt Socrates albus. Si autem * aliud aliquid ab eodem, uel ab alio idem, non eſt oppoſita; ſed erit ab ea diuerſa. Huic uero, quæ eſt, omnis hõ albus eſt, illa quæ eſt, non omnis homo albus eſt; Illi uerò quæ eſt, aliquis homo albus eſt, illa quæ eſt, nullus homo albus eſt; Illi autem quæ eſt, eſt homo albus, illa quæ eſt, non eſt homo albus. 4

* A. lege aliud vel ab alio idẽ non eodem.

Quòd igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictorie, & quæ ſunt hæ, dictum eſt, & quod contrariæ aliæ, & quæ ſunt illæ dictum eſt. 5

&

& quod non omnis uera, uel falsa contradictio, & quare, & quando vera, uel falsa.

1 *Quocirca has quidem impossibile est, &c.*

Modo Arist. de his enunicationibus, oppositis determinat, qualiter se ad veritatem, & falsitatem habeant: ac primum de contrarijs infert, cum de uniuersali vniuersaliter enunciet, simul veras esse non posse: ut omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, nulla ratione simul veræ esse possunt, cum impossibile sit idē prædicatum vniuersaliter affirmare, & remouere ab eodem vere, ac ideo ista verba sunt legēda, vt illata ex his, quæ dixerat in fine præcedentis: omnia enim hæc sub vno contextu sunt.

Huic possumus addere, cōtrarias posse simul esse falsas, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus, utroque modo est falsa, & in hoc assimilatur qualitatibus contrarijs, hæ enim simul eidem subiecto inesse nō possunt, ab eodem tamen remouentur: vt vni corpori inesse calidū, nec frigidū simul possibile est, tamen esse aliquod corpus, quod nec calidum, nec frigidum sit, fieri potest, nempe cœlum: ita similiter contingit in his, nō posse simul esse veras falsas tamen nil prohibet.

Subdit autem Arist. oppositas contrarijs nempe particulares, simul posse veras esse, particulares enim sunt contradictoriæ contrarijs, ut aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus: hæ simul ueræ sunt, quæ tamen contradicunt contrarijs: aliquis enim homo est albus, contradicit huic, nullus homo est albus; aliquis uero homo non est albus, huic omnis homo est albus, quæ duæ uniuersales sunt contrariæ.

Huic adde particulares in nulla materia posse esse simul falsas, incontinenti quidem simul ueræ possunt esse, & in hoc habent se opposito modo ad cōtrarias, quæ simul ueræ esse non possunt, possunt tamen esse falsæ,

2 *Quæcunque igitur contradictiones vniuersalium sunt uniuersaliter, &c.*

Hic de contradictorijs modo loquitur: & est aduertendum, quod constituit triplex genus contradictoriarum: primū, quando sunt de subiecto uniuersali in una uniuersaliter sumpto, ut omnis homo est albus, aliquis homo non est albus: secū dum de subiecto singulari ut Plato legit, Plato non legit: infimum genus est, de uniuersali sine signo, quas nos indefinitas uocamus, ut homo albus est, homo non est albus.

Et primum quidem, ac secundum genus contradictoriarum, docet sic se habere, ut necessario altera sit uera, altera falsa: impossibile est enim simul esse ueras, aut falsas: ad tertium genus nihil prohibet sic se habere, ut aliquando utraque sit uera: ut istæ possunt esse ueræ, homo est pulcher, homo non est pulcher, homo est albus, homo non est albus, quod probat de primis; potest enim esse, quod sit homo pulcher, & quod sit homo turpis: ut uerum sit simul utrumque dicere: tunc sic arguitur, homo est turpis, est simul uera cum hac, homo est pulcher, sed ista, homo non est pulcher, est eadem cum hac: homo ęst turpis: ergo simul ueræ sunt, homo est pulcher, homo nō est pulcher, probat de alijs, homo est albus, potest esse uera cum hac homo fit albus, si unus iam sit albus, alter fiat; sed ista, homo non est albus, stat simul cū hac, homo fit albus, nam quod fit, non est, ergo simul uerę sunt homo est albus, homo non est albus.

Videbitur autem subito inconueniens esse, &c. 3

Remouet dubium quorundā asserentium homo non est albus, esse idem cum hac; nullus homo est albus: quod si ita esset, non essent simul ueræ homo est albus, & homo nō est albus, sicut nec istæ, homo est albus, nullus homo est albus: quæ sunt contradictoriæ primi generis.

Ad hoc respondet Arist. non idem significare illas duas: nam una enunciat uniuersaliter de subiecto, scilicet nullus homo est albus, altera non vniuersaliter, scilicet homo non est albus, neque idem significat, neque simul necessario, idest, potest esse falsa illa, nullus homo est albus, vt modo fit, est enim falsa. Illa autem est vera, homo non est albus, nam Aethyops homo est, qui tamen non est albus,

Mani-

Manifestum est autem, quoniam vna negatio, &c.

1. Expositio. Omnes fere expositores in hoc conueniunt ut in his uerbis Aristot. doceat, unius affirmationis unam esse negationē, eo quia ex præcedentibus posset quis de hoc dubitare: cum huic enuntiatiuæ affirmationi, omnis homo est albus opponantur duæ negationes, nempe: nullus homo est albus, & non omnis homo est albus: docet autem modo uni affirmationi unam opponi negationem tantum in eadem genere oppositionis, & ita declarat Magentinus, & Psellus: & addit Alber. si quādo eueniet multas negationes opponi uni affirmationi in eodem genere oppositionis, tunc illæ sunt æquipollentes.

Hæc autem expositio, quamuis doctrinam ueram contineat, uidetur præter mentem ipsius Aristot. nec ulla ratione cum uerbis quadrat, cum manifeste de sola oppositione contradictoria hic loquatur: quæ in tres gradus est diuisa, ut superius diximus.

2. Expositio. Propterea cū Boetio sic mihi uidētur ista uerba continuāda, ut sit quædā alia ratio ad probandū has enunciationes, homo nō est albus, & nullus homo est albus, non esse idem: ratio est huiusmodi: uni affirmationi, una sola negatio contradicit; sed hęc, homo non est albus, contradicit huic, homo est albus; hæc autē nullus homo est albus, contradicit huic, aliquis homo est albus, ergo nō sunt idē: aliter illa affirmatio homo est albus, uel aliquis hō est albus, quæ sunt diuersæ, haberent duas negationes, uel si una negatio esset, una negatio duabus affirmationibus correspōderet.

Maiorem probat ratione, & exemplo: ratio est, quia negatio contradictoria debet id solum negare, quod affirmatio affirmabat, ergo unius affirmationis una est negatio: exēplis manifestat, & est inductio quædam exēplaris, nam huic, Socrates est albus, contradicit, Socrates non est albus: similiter in uniuersalibus uniuersaliter, huic, omnis homo est albus, hæc, non omnis homo est albus, uel æquiualens, aliquis homo non est albus, & illi, aliquis homo est albus, illa, nullus homo est albus, ac si diceretur: non aliquis homo est albus similiter, & isti, homo est albus, ista homo non est albus: quando enim aliud prædicatum in una, aliud in altera enunciamus, non sunt oppositæ, uel quando idem prædicatum in una de uno subiecto, in altera de altero enunciamus similiter non sunt oppositæ, & hinc fit, hāc, nullus homo est albus, non opponi huic, homo est albus, quia illa negat aliud subiectum, nempe aliquis hō, cum idem sit nullus, & non ullus, uel non aliquis, & hæc interpretatio est maxime obseruanda.

Sed tota hæc ratio pendet ex cognitione discriminis inter propositionem particularē, & indefinitam, nempe aliquis homo est albus, homo est albus, & in primis non differunt quantum ad ueritatem, uel falsitatem, nam quoties uerum est, enunciare indefinitè, uerū est enunciare particulariter, ad utriusque autem ueritatem sufficit unius inferioris ueritas, ut autem in hoc conuenire certū est; ita etiam in hoc differre est manifestū; quòd particulares iam habent quantitatem determinatam, at indefinitæ sunt indifferentes, & ad uniuersalitatem, & ad particularitatem, & propterea indefinitè, id est, interminatè dicuntur. Not. 1.

Est aliud discrimen ualde notandum, quòd signum particulare additum uniuersali, iam ipsum ad aliquod indiuiduum, & ad unum determinat, quamuis non distinctè illud manifestat, ut qui dicit aliquis homo, unum dicit singulare, quamuis quod sit non determinet; ac ideo dicitur determinatum uniuersale, quasi iam ad singulare unum sit limitatum: at uniuersale sine signo ex significatione enunciationis, non est limitatum ad singulare, nec ex modo enunciandi: quāuis quo ad ueritatem enunciationis sit limitatū, quia ad eius ueritatem sufficit unum singulare, sed ibi est totum uniuersale.

Ex quo sequitur has enunciationes, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus, quādo diuersa indiuidua demonstrantur, esse quidem ueras, sed non oppositas, ut doctè concedit S. Tho. nec Arist. eas uocauit oppositas, sed oppositas contrarijs, non autem inter se. At hæ, homo est albus, homo non est albus, & si sub subiecto diuersa singularia sumas, sunt oppositæ, quia uariatis singularibus non mutatur uniuocatio subiecti uniuersalis, quod illa omnia sub unico conceptu significat, sicut mutatur uniuocatio huius, aliquis homo, quia hoc tenetur pro singulari, & eo uariato fit æquiuocatio, & impeditur oppositio, sicut in his Alexander est Rex, Alexander non est Rex; si in una

Regem,

Regem in altera Philosophū intelligas, hoc est ex modo enunciationis, quāuis iam Dialectici considerantes tam particulares, quàm indefinitas quantum ad veritatem esse idem, vtrasque subcontrarias vocent, sed tamē aliter secundum Aristo. est dicendum, qui omnia exacto iudicio perpendit.

a *Quoniam igitur una affirmatio, vni negationi, &c.*

Hic resumit ea, quæ dicta sunt: nēpe unam negationem vni affirmationi contradicere, & quot gradus contradictoriarum sint; & qui sint: dictum est similiter alias oppositiones esse contrarias: & quo pacto non omnes contradictoriæ sint veræ, vel falsæ, sed quæ sunt ex primo, & secūdo genere, & qđ tertij generis cōtradictoriæ verę, vel falsæ sint, & quare.

Vbi vides Arist. non ponere, nisi duas oppositiones contrarias, & contradictorias: & sub contradictorijs includit tres gradus: nēpe contradictorias cōmuniter dictas, & indefinitas, particulares vero ab oppositis reijcit.

De affirmatione, & negatione vna. Cap. VII

a *VNa autem affirmatio, & negatio est, quæ vnum de vno significat, vel cum sit universale universaliter, uel non similiter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: est homo albus, non est homo albus: nullus homo albus est, aliquis homo albus est: si album unum significat. Si uerò duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio: ut si quis ponat hoc nomen tunica homini, & equo: quod tunica alba est, hæc non est una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt hoc, quàm dicere quod est homo, equus albus. hoc autem nihil differt quam dicere est homo albus, & est equus albus. Si ergo hæ multa significāt, & sunt plures, manifestum est quod, & prima, uel multa, uel nihil significat: neque enim est aliquis homo, equus. Quare nec in his necesse est hanc contradictionem ueram, illam uero falsam esse.*

Cum vnam negationem vnius affirmationis esse oppositam docuerit, optimo consilio in hoc capite, vt Ammo. tradit quid affirmatio vna, & negatio vna sit ostendit.

Est autem vna negatio, vel una affirmatio quæ vnum de vno significat, idest vnum ac vniuocum habet subiectum, similiter, & prædicatum, vt homo est albus, omnis homo est albus, nullus homo est albus. Ostendit autem uniuocum oportere esse prædicatum, dum dicit, si album vnum significat, id est, si vniuocum sit, non quod non sit uniuocum, sed ut ostendat necessariam esse vniuocationem prædicati; similiter est necessaria vniuocatio subiecti, & hoc ostendit, dum dicit, si tunica significaret idem, quod hæ duę voces, homo, & equus, tunc tunica est alba, uel non est alba, nec esset una negatio, nec affirmatio: sicut nec ista, homo equus, est albus; nam ista æquiualet istis, homo est albus, equus est albus, absque ulla coniunctione.

Nam quamuis in textu sit coniunctio, scilicet homo est albus, & equus est albus, talis coniunctio est continuatiua sermonis non cōstitutiua propositionis coniunctæ.

Quod aliqui non aduertentes dixerunt, æquiualere hanc tunica est alba, illi homo est albus, & equus est albus, quantū ad multiplicitatem propositionum, sed non quantum ad veritatem, quia tunica est alba, est vera, si unum significatum est verum, at coniuncta pendet ex utriusque partis ueritate.

Sed hoc prorsus est præter mentem Aristot. non enim illa est coniunctè sumenda, sed tanquam duæ enunciationes inconnexæ, & tunc in omnibus sunt æquiualentes, & utraque est plures, tam tunica est alba, quā ista, homo est albus, equus est albus; & hoc patet ex illa quam sine coniunctione sumpsit, nempe homo, equus est albus, non ergo illud (&) sumendum est, nisi, ut sermonis particula continuatiua.

Hinc docet quando negatio, uel affirmatio non est una, sed æquiuoca, non esse necesse affirmationem, & negationē esse uerā, uel falsam, sicut nec in cōtradictorijs de subiecto uniuersali, non uniuersaliter sumpto, quę possunt esse uerę, ita & istæ, Petrus currit,

Petrus non currit, si pro pluribus sumatur subiectum, & hæc est expositio communis.

2 Expositio. Sed mihi uidetur aliquid amplius præter hoc Aristotelem uelle docere, uidelicet, Non solum quid sit una affirmatio in se, & quid negatio vna in se, sed quid sit una affirmatio, & negatio simul, ut unitas cadat super utramque simul, & dicit unam affirmationem, & negationem esse, quæ significant unū de uno, id est eodem prędicato, & subiecto participant, & pro eodem sumpto, ut quod altera affirmat, idem prorsus altera neget.

Et hoc patet, nam tunica est alba, tunica non est alba, non uocat Arist. unam affirmationem, & negationem, si in una pro equo, in altera pro homine sumatur, & tamen constat, vtrãque per se esse unam, quia æquiuocū pro uno significato est uniuocum, sumit igitur hic Arist. utramque simul, & docet, ut participent eodem subiecto, & prædicato.

Vnde si dicis, omnis homo est albus, eius negatio idem subiectum habebit, non omnis homo est albus; hic enim de contradictorijs loquitur; & si dicis aliquis homo est albus, negatio erit, nullus. i. nec aliquis homo est albus.

Solutio Dubij. Et ex hoc apparet solutio dubij præcedentis, ista enim, homo est albus habebit hāc homo non est albus, nō hanc nullus homo est albus; ista n. non est una cū illa affirmatione, quia nullus homo est albus est illius; aliquis homo est albus, quæ aliud habet subiectum.

Nota. Et considera: in subiecto numerat etiam signum quantitatis, & ex hac expositione nostra, facilis est contextus, & exempla Arist. manifestantur, quæ per contradictoria dantur, & hoc est obseruandum circa hoc caput.

Quo pacto in futuris contingentibus contradictionis regula veritatem habeat. Cap. VIII.

1 *IN ijs ergo quæ sunt, & quæ facta necesse est affirmationē, uel negationem ueram esse, uel falsam. Et in uniuersalibus quidē, ut uniuersaliter, semper hanc quidē ueram illā uero falsam esse, & in ijs quæ singularia sunt, quęadmodum dictū est. In uniuersalibus aūt, quæ non uniuersaliter dictę sunt, nō necesse est; dictum est aūt, & de his. In singularibus vero, & futuris nō similiter.*

Nam si omnis affirmatio, & negatio uera, uel falsa est: & omne necesse est esse, uel non esse quare si hic dicat futurum esse aliquid: ille uero non futurum dicat hoc ipsum, manifestum est, quod necesse est uerum dicere alterum ipsorum: si omnis affirmatio, uel negatio uera, uel falsa est, utraque enim non erunt simul in talibus.* 2

* A. si. n. hic quidē dicit.

Nam si uerum est dicere, quod albū, uel non album necesse est esse album, uel non album, & si est album, uel non album, uerum erat affirmare, uel negare: & si non est, falsum dicit: & si falsum dicit, non est. Quare necesse est semper affirmationem, aut negationem ueram esse, uel falsam. Nihil igitur neque est neque fit, nec à fortuna, nec utrumlibet contingit, neque erit, neque non erit, sed ex necessitate omnia, & non utrūlibet contingit, aut enim qui dicit uerus est, aut qui negat; similiter enim, uel fieret, uel non fieret, quod enim utrumlibet contingit, nihil magis sic, uel non sic se habet, uel habebit. 3

Amplius aūt, si est, est album nūc, uerum erat dicere prius, quod erit album quare semper fuit uerum dicere, quodlibet eorū, quæ facta sūt, quod est, uel erit: si uero aūt semper uerum fuit dicere quod est, uel erit, non potest hoc non esse uel non futurū esse: quod autem non potest non fieri: & quod impossibile est nō fieri, impossibile est non fieri, & necesse est fieri, omnia igitur quæ futura sūt, necesse est fieri. Nihil igitur utrūlibet contingit neque à fortuna erit, nā si à fortuna, non ex necessitate.* 4 5

* A. 3. addit. sed omnia ex necessitate.

At uero nec quod neutrum uerum est dicere contingit: ut quod, neq; erit, neque

neque non erit. Primum enim cum sit affirmatio falsa, negatio non vera erit. & cum hæc falsa sit, contingit affirmationem non veram esse. Et ad hæc, si verum sit dicere quod album est simul, & magnum, oportet esse vtrumque, si vero erit cras, oportet fore cras: si autem neque erit, neque non erit cras, non erit vtrumlibet contingit, vt est nauale bellum: oporteret enim neque fieri nauale bellum, neque non fieri.

6 Quæ ergo contingunt inconuenientia hæc sunt, & huiusmodi alia: si quidem omnis affirmationis, & negationis, aut in vniuersalibus dictis, vt vniuersaliter, vel in ijs quæ sunt singularia, necesse est oppositarum, hanc quidem veram esse illam vero falsam: nihil autem vtrumlibet contingit esse in ijs quæ fiunt, sed omnia esse, & fieri ex necessitate. Quare neque consultare oportebit, neque negotiari: quod si hoc quidem facimus, erit hoc: si verò non hoc, non erit hoc.

7 Nihil enim prohibet, & in annum decies millesimum hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum verò non dicere: quare ex necessitate erit vtrumlibet eorum, quod ab ipso verum erat dicere tunc.

8 At verè nec hoc differt, si aliqui dixerint contradictionem, uel non dixerint: manifestum enim quòd sic se habent res, etiam si non hic quidem affirmauerit: quid, ille uerò negauerit: non enim propter negare, uel affirmare erit, uel non erit, nec in decies millesimum annum, magis quàm in quantolibet tempore. Quare si non omni tempore sic se habebat, ut alterum verè diceretur necesse erat hoc fieri, & unumquodque eorum quæ fiunt semper sic se habebant, ut ex necessitate fieret: si enim uerè dixit quis quod erit non potest non fieri: & quòd factum est, uerum erat dicere semper quòd erit.

Si itaque hæc impossibilia sunt: uidemus enim esse futurorum principium, & ab eo quod consultamus, atque aliquid agimus, & quod est, omnino in ijs quæ non semper actu sunt, possibile esse, & non esse similiter in quibus utrumque contingit, & esse, & non esse quare, & fieri, & non fieri, & multa nobis manifesta sunt sic se habentia: ut quod hanc uestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur: similiter autem, & non incidi possibile est, non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi: quare & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur. 9

Manifestum igitur est, quòd non omnia ex necessitate, uel sunt, uel fiunt: sed alia quidem utrumlibet: contingit, & nihil magis affirmatio, quàm negatio erat uera, uel falsa: alia uero magis quidem, & ut in pluribus alterum, nihilominus contingit fieri, & alterum, alterum uerò minimè. 10

Igitur esse quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est, sed non omne quod est, necesse est esse, nec quod non est, necesse est non esse: non enim idem est, omne quod est, necessario esse, quando est, & simpliciter ex necessitate esse. similiter autem, & in eo quod non est. 11

Sed & in contradictione eadem ratio est: esse quidem, uel non esse omne necesse est, & futurum esse, uel non: non tamen diuidentem dicere alterum necessarium: dico autem, ut necesse est futurum esse bellum nauale cras, uel nō 12

futurum esse: non tamen fieri cras bellum nauale necesse est, neque non fieri: fieri tamen uel non fieri necesse est.

23 *Quare cum similiter orationes ueræ sint, quemadmodum & res, manifestũ est, quod quæcunque sic se habent, ut sint utrumlibet contingit, & contraria suscipiant, necesse est similiter se habere & contradictionem, quod contingit in ijs, quæ non semper sunt, uel non semper non sunt: horum enim necesse est alteram partem contradictionis uerã esse, uel falsam, non autem hanc, uel illã, sed utramlibet contingit: & magis quidem ueram alteram, non tamen iam ueram uel falsam.*

24 *Quare manifestum est quod non est necesse omnis affirmationis, uel negationis oppositarum hanc quidem uerã, illam autem falsam esse: non enim quẽadmodum in ijs quæ sunt sic se habent, & in ijs quæ non sunt quidem possibilibus tamen esse, uel non esse, quemadmodum dictum est.*

Ante quam hoc caput interpretetur, quod insignem, & obscuram continet doctrinam, oportebit aliquot prius statuere fundamenta, ut eius facilior fiat interpretatio.

1. Fũd. Est igitur primo aduertendũ ex Ammo. c. 5. præcedenti, quæ doctrina est celeberrima, & cõmunissima, triplex esse genus enunciationum secundum materiam, nempe necessarium, impossibile, contingens.

Est autem materia propositionum cohærentia prædicati ad subiectum, idest, habitudo, & ordo quidam prædicati ad subiectum, secundum quem, uel realiter prædicatum ad subiectum se habet, ut ei semper insit, nec ab eo separari possit; & talis materia dicitur necessaria, in qua genus enunciationum necessariarũ cõsistit in quibus genera de speciebus, vel species de indiuiduis, uel propriæ passiones, vel accidentia inseparabilia prædicãtur, & alia huiusmodi: uel secundũ talem ordinẽ se habet, secundum quem prædicatum nec subiecto insit, nec ulla ratione inesse possit.

Et huiusmodi cohærentia, & ordo est materia, quã uocant remotam, in qua construuntur enunciationes impossibiles affirmatiuæ, ut homo est leo, album est nigrum.

Sumimus enim has materias, secundum enunciationes affirmatiuas, quæ sunt necessariæ, vel impossibiles, nam negatiuæ sunt in eadem materia, cum suis affirmatiuis, & negatiuæ se habent opposito modo: in materia enim necessaria sunt impossibiles, in remota necessariæ.

Tertio est talis ordo, secũdũ quẽ, prædicatum inest subiecto, ita, vt possit nõ inesse, uel nõ inest, sed potest inesse, ut homo currit, homo disputat, & tales propositiones tam affirmatiuæ quã negatiuæ, dicũtur contingentes.

Est autem triplex gradus enunciationum contingentium, primus quando prædicatũ frequenter inest subiecto, quamuis aliquando non insit, vt homo loquitur, homo meridie prandet. Secundus quando prædicatum raro inest, & hoc dicitur contingens à fortuna, illud vero contingens in primum, ut si fodiens uineam inuenit thesaurum. Tertius qñ prædicatum frequenter inest, & frequenter non inest, ut homo ambulat, Petrus cantat, & tale contingens dicitur ad utrumlibet.

Est secundo aduertendum: enunciationes contradictoriæ possunt fieri in hac triplici materia, secũdũ triplex tẽpus, præsens, præteritũ, & futurũ, vt omnis homo est animal, nõ omnis homo est animal, omnis homo fuit animal, non omnis homo fuit animal, omnis homo erit animal, omnis homo non erit animal: similiter in alijs omnibus, & facile erit cuilibet tales cõtradictiones constituere. Præterea possunt fieri cõtradictiones, & de subiecto uniuersali, vt in exẽplis propositis, & de subiecto singulari, et in omni materia, & secũdũ qdlibet cõtingẽs, ex quo resultat copiosus enunciationum oppositarum numerus. 2. Fũd.

Tertiũ fund. Aduerte tertio, in contradictionibus de præsenti, & de præterito in omni materia altera est determinate uera, altera determinate falsa, est autem determinate uera enunciatio, quæ sic est uera, vt pro tempore quo est uera, non possit esse falsa, & contra determinate falsa est, quæ pro tempore quo est falsa, non potest esse uera, uerbi gratia, Petrus currit, Petrus non currit: Petro currente, affirmatiua est determinate uera, quia quo tempore currit, non potest esse falsa,

negatiua vero determinate falsa, quia pro eodem tempore non potest esse vera.

Hoc ergo in oĩ materia inuenitur in contradictionibus de præterito, & de præsenti; vt vna sit determinate vera, altera determinate falsa, siue affirmatiua, siue negatiua sit.

At in contradictionibus de futuro est ambiguum an vna sit determinate vera, altera determinate falsa: non est autem in omnibus de futuro dubium, nam in materia necessaria, & remota, tã determinata est de futuro, sicut de præsenti, & de præterito, similiter in materia contingenti, quando ut plurimum, vel raro euenit prædicatũ, non est magnum dubium, quia iam fere est determinata vera affirmatiua, vt plurimum eueniens, & falsa raro contingens, sed dubium est de contingenti ad vtrumlibet: similiter nec est difficultas, quando subiectum est uniuersale, quia iam istę uniuersales fere etiam determinatæ sunt, cum vt plurimum vniuersales affirmatiuæ vel negatiuæ falsæ eueniant. Sed summa difficultas est de enunciationibus de futuro cõtingẽti ad vtrũlibet, de subiecto singulari, ut Petrus cãtabit, Petrus nõ cantabit.

Et hic est scopus huius capitis, nẽpe examinare, an in contradictionib. istis, una pars sit determinate vera, altera falsa, sicut in his quæ sunt de pręterito, & præsenti: est autem in duas partes diuisum caput, in priori sunt argumenta circa hanc difficultatem, in posteriori est quæstionis determinatio.

1 *In ijs ergo, quæ sunt, & quæ facta sunt, &c.*

Boet. hæc uerba non initium capitis, sed præcedentium epilogum esse existimat: at S. Tho. noui capitis initium asserit, parum autem refert hoc, quamuis conformior sit Aristo. sententia S. Tho.

Proponit igitur in contradictorijs de præsenti, & de præterito, necessario affirmationem, vel negationem esse ueram, uel falsam tam in contradictorijs de subiecto vniuersali uniuersaliter, quam contradictorijs de subiecto singulari, nam in alijs de subiecto uniuersali non uniuersaliter sumpto, id non est necessarium: cum utraque possit esse uera.

Et nota ista uerba esse legenda disiunctiue, vt sit sensus affirmatio, uel negatio est uera, uel falsa, id est, vel affirmatio est vera, & negatio est falsa, vel negatio est uera, & affirmatio est falsa; non .n. est legenda disiunctiue, hoc modo: affirmatio est vera, vel falsa, negatio est uera, uel falsa, ac propterea dixit, necesse est hanc quidem ueram illam, vero falsam esse, quod vocamus determinate uerã, & determinate falsam: scilicet quando in contradictione do tibi unam partem, quæ uera sit, & alteram quæ falsa sit: at uero in singularibus, & futuris, idest, in contradictionibus enunciationum de futuro, & subiecto singulari non est necesse, vt vna pars determinate sit vera, altera falsa.

S. Tho. uult, ut addamus uerbum in futuris, nempe contingentibus, at Porphyr. & Alex. in hoc, quod dicit singularia, uolũt contingentiam includi: nam singularia contingentia sunt; sed melius est si dicamus cũ Ammon. in hoc quod dicit futura. notat contingentiam: necessaria enim non fore, sed semper esse, magis proprie dicuntur.

Nam si omnis affirmatio, vel negatio vera, vel falsa est, &c. 2

Hic Arist. incipit probare nõ omnẽ affirmationẽ, uel negationẽ esse ueram, uel falsã: & facit hoc argumentum: omnis affirmatio, uel negatio, est uera, uel falsa, ergo quę sunt, necessario sunt, & quæ non sunt, necessario non sunt, illud enim (&) legendũ est illatiue pro igitur: alterũ enthymema facit de futuro: omnis affirmatio, uel negatio est uera, uel falsa, ergo si unus dicat Petrus leget, & alter Petrus non leget, necessario unus, dicet uerum, alter dicet falsum, & sic necessario leget, uel necessario non leget, consequentiam, & antecedẽs primi enthymematis probat, & prius consequentiam: Nam si uerum dicit, qui dicit album est, necessario album est, aliter enim non diceret uerum, & si cum dicit, album non est, falsum dicit, ergo necessario non ita est, aliter non esset falsum.

Et si est album, vel non album, uerum erat affirmare, &c. 3

Hic probat Arist. antecedens, quod affirmatio pręsentis, uel negatio sit uera, uel falsa, nam fieri non potest quin albũ sit, uel non sit, utroque autẽ modo uerum, uel falsum dicitur, nam si est, uerum est dicere, quod est,

falsum, quod non est, si vero non est è contra uerum est dicere quod non est, falsum vero quod est: semper igitur talis affirmatio, uel negatio erit vera, vel falsa; postea probat consequentiam in enthymemate secundo: nam antecedentis eadem est probatio, & posterius iterum probatur; si inquit in his affirmatio, vel negatio est uera, uel falsa: ita, ut unus dicat uerum, alter falsum, omnia necessario erunt, nec quicquam à fortuna, nec ad utrumlibet, nec erit, nec non erit idest, nullum erit contingens, nec raro, nec ad utrumlibet, nec ut plurimum, sed omnia fient, uel non fient, idest uel necessario fient, uel necessario non fient, & ita non est utrumlibet, hoc enim est, quod potest sic esse, uel non esse, fore uel non fore: necessaria autem non habent hanc indifferentiam.

4 *Amplius autem, si est albũ nũc, &c.*

Hæc est altera ratio, qua ex determinata ueritate futurorum infert necessitatē in omnibus: aliunde tamen sumit necessitatem, scilicet ab ipsa re iã existenti, & argumẽtatur sic, modo sit album, ergo uerum fuit dicere, heri, album erit, & omnia, quæ acta sunt, antequam fierent uerum fuit dicere fient: tunc si uerum fuit dicere fore, ergo necessario futura erant, nam si uerum erat quod futura essent non potuerunt non esse, si non potuerũt non esse, impossibile fuit non fore: si impossibile fuit non fore, ergo necessariũ fuit, ut fieret, & sic necessario eueniunt omnia, & euenerunt.

5 *At vero quoniam neutrum verum est dicere, &c.*

Posset quis dicere, neutrum uerum est, scilicet album non erit, album erit: hoc reijcit, nam sequeretur in contradictoriis negatiuam esse falsam, affirmatiuam non ueram, & è contra: & ita utraque pars esset falsa, cum nõ sit uera ista, album erit, nec ista, album non erit: præterea si ex hoc, quod dicitur album, est, sequitur si uerum est, quod album sit, & magnum est, quod magnum sit: ita si uerum est dicere erit cras, oportet fore cras: si ergo uerum est dicere nec erit, nec non erit, sequitur, quod res nec erit, nec non erit, & ita non est contingens hoc enim est quod potest esse, & non esse, nõ ergo dicẽdum est neutram partem esse ueram contradictionis, sicut nõ est uerum dicere, nec est, nec non est, nec erit, nec non erit, cum alterum necessarium sit, uel est, uel non est, uel erit, uel non erit: non ergo est conueniens ista solutio harum.

Ea igitur absurda, quæ contingunt hæc sunt, &c. 6

Infert Aristot. inconuenientia quę sequuntur ex affirmatione hac, quod omnis negatio, uel affirmatio est uera, uel falsa determinate, nullum, s. esse contingens ad utrumlibet, sed omnia euenire ex necessitate, hic sequitur aliud absurdum: quod, s. non esset negotiandum, nec consultandum, negotia enim & consilia sunt de his, quæ sic, uel aliter possunt euenire, negotiamur autem, uel consultamus, ut hoc, uel nullo eueniat modo, si autem omnia necessario euenirent, non oporteret hæc facere, quod absurdum est.

Nihil enim probibet, & in annum decies millesimum, &c. 7

Hic Arist. reijcit unum, quod posset quis dicere; nempe, enunciatio de futuro proximo tempore enunciata, est uera, uel falsa, & tunc effectus necessarius: tamen à multo tempore ante rē est cũ contingentia, hoc repellit: quia si in decies millesimum annum aliquid enunciaret, ut futurum, uel non futurũ, tunc unum illorum esset uerum necessario, siue futurum, siue non futurum, & iam necessario eueniret; immo cũ omnia quæ facta sunt, antequam essent, possent enunciari uere futura esse, necessario euenerunt; nota illa uerba superioris textus. (Quoniam si hoc quidẽ facimus, & reliqua) sic uerba negotiantium, ac si diceret si omnia necessario sunt, non oportet negociari, & dicere, si hoc facimus, erit hoc, si hoc non facimus, non erit hoc; cũ tamen omnia ex necessitate sunt.

At uero nec hoc differt, si aliqui dixerint, &c. 8

Hic excludit aliam responsionem aliquorum posset enim quis dicere esse res contingentes in se, tamen quando quis enũciat eas sub affirmatione, uel negatione fieri necessarias, uel impossibiles, hoc excludit dicens:

propter nostram affirmationem, vel negationem, res non ita esse, vel nō esse, immo quia ita sunt, vel non sunt, inde affirmatio vel negatio, dr vera, vel falsa: vnde si necessaria est omnis affirmatio, vel negatio: profecto, rem esse est necessarium, vel nō esse: & ita omnia eueniūt necessario absq; nostra affirmatione, de quib. affirmatio, si fieret, vera erat futura.

9 *Si quidem, hæc impossibilia sunt, uidemus enim &c.*

Hic ratione probat non esse in rebus necessitatem semper, sed multa esse contingentia. Pro quo aduerte duplex esse genus effectuum contingentium, quidam sunt uoluntarij, qui radicem, & causam suæ contingentiæ habent in uoluntate nostra, vt legere, nō legere, studere, non studere, & similia: quidā alij sunt naturales, qui contingentiam habēt a materia rei: ex quo enim res factæ sunt ex materia apta, ad multa recipienda, fit, ut ipsæ res expositæ sint uarijs accidētib. vt quod infirmentur, quod non infirmentur, quod moriantur, vel non, quod calefiant, uel non; hæc ex materia proueniunt. An uero sola uoluntas, & sola materia horum contingentium sit causa, non est præsentis hic disputare. Nota.

Arist. ergo has duas radices contingentiæ ponit, & argumentatur a causa: nempe, datur uoluntas in nobis libera, datur potentia in rebus naturalibus ad esse, & non esse, ergo sunt effectus contingentes, & de primo probat, quia cōsultamus, & negociamur, & apti sumus à natura ad cōsilia & negotia, frustra ergo natura hoc faceret, nisi consilia, & negotia profutura essent; quod si omnia necessario euenirent, illa omnia essent frustra: similiter probat in naturalibus potentiam ad esse, & non esse, hæc uestis potest incidi, vt manifestum est, potest etiam non incidi forcipe: patet: quia potest deteri, & usu consumi; si ergo potest usu consumi; potest non incidi, ergo potest incidi, & non incidi: & sic in rebus est potentia ad esse, & non esse.

Manifestum igitur est, quoniam non
10 *omnia ex necessitate, &c.*

Hic suam sententiam concludit: nempe, non omnia ex necessitate esse, vel fieri, sed aliqua esse contingentia ad utrūlibet, in quibus tam affirmatio quā negatio non est magis dicenda uera quam falsa, & esse contingens in plurimum quod frequenter accidit: quamuis aliquando deficiat, & non accidat: & esse similiter contingens non in plurimū, scilicet raro eueniens, quæ sententia sine dubio digna est laude, cum hominem liberum constituat, & in naturalib. multa contingentia affirmet, qd & ueritati, & religioni Christianæ maxime est conforme, est enim homo in suis operationibus liber, nec omnia, quæ secundum naturam eueniunt, idest in rebus ipsis, naturaliter eueniunt, sed multa contingenter.

Igitur esse quod est, quando est, &c. 11

Hæc est huius capitis secunda pars, in qua Arist. quo pacto ueritas in affirmatione, & negatione sit, manifestat. distinguit autē primo res, postea enunciationem, res igitur una simplex, dupliciter potest esse necessaria, uno modo absolute, quando nullo alio supposito aliter se habere non potest, vt Sol est quid necessarium absolute, secundum enim naturam suam aliter se habere non potest, similiter in simplicium enunciationum significatis: vt hominem esse animal.

Alia res est necessaria secundum quid, nempe ex suppositione aliqua, vt homo currit ꝑ illo tempore, pro quo currit, necessario currit, quia simul non potest currere, & non currere, & hoc est, quod dicit, res quando est, necesse est esse.

Est autē notandū non ualere consequentiā ab isto necessario secundū quid, ad necessariū simpliciter, vt non ualet, Petrus quādo currit, necessario currit, ergo Petrus necessario currit: Petrus quando non currit, necessario nō currit: ergo necessario non currit. Nota.

Huiusmodi fallacia peccat argumentum primum, quando album est, dicitur, si est uera, ergo necessario ita est, ergo res necessario est alba, dicitur, quod est necessitas secū dum quid, vt pro illo tempore, quo propositio est uera, res sit, tamen absolute rem esse, non est necessarium. Vnde in contradictione de præsenti datur pars determinate uera, & determinate falsa, sed ista determinatio ueritatis, vel falsitatis, non est secundum necessitatem absolutam, sed secundum tempus, scilicet pro illo, in quo vnum est alterum non est, seu pro tempore quo Petrus currit, & Petrus non currit, quo tempore est vnum determinate uerum, alterum falsum.

12 *Et in contradictione eadem ratio est, &c.*

Distinxerat rem simpliciter; idest, non in comparatione ad suum oppositum, modo rem in ordine ad suũ oppositum distinguit, scilicet currere non currere, cantare vel non cantare. & in communi uocat esse, vel non esse futurum, vel non futurum.

Inquitque dupliciter posse esse hoc totum necessarium, nempe cantare, vel non cãtare, legere vel non legere uno modo, ut cadat necessitas supra utrumque disiunctũ, & simul, ut necesse sit cantare, uel non cãtare, esse uel non esse, futurum uel non futurum, quæ necessitas dicit disiunctionis, & sic asserit omne disiunctum esse necessarium etiam in cõtingentibus, præteritis, præsentibus, & futuris; ut necessariũ est Antichristũ fore, vel nõ fore, Petrũ cantaturum, uel non cantaturum, cantare uel non cantare, cantasse uel nõ cãtasse.

Altero modo necessitas potest cadere supra illa membra diuisiue, ut necessarium sit cantare, aut necessarium non cantare, necessarium sit fore, aut necessarium sit non fore, & isto modo non est necessitas in contingentibus, nec enim est necessarium quod cantet, nec necessarium quod non cantet, nec necessarium, quod futurus sit Petrus albus, nec necessarium, quod non sit futurus albus.

Immo est maxima fallacia argumẽtari à necessitate disiuncti ad necessitatẽ partiũ per se in contingentibus; non.n.ualet, necessariũ est Petrum cantaturum, uel non cantaturũ: ergo necessarium est Petrum cantaturum, uel necessarium est Petrum non cantaturum.

Talis igitur necessitas est in contingentibus, similiter & talis ueritas, nempe disiunctim, sed non diuisiue: quamuis sit discrimen inter præsens, & futurũ, nã in præsenti datur pars determinate uera, & falsa determinate altera, sed talis determinatio nõ est absoluta, sed ſm quid, nempe pro tali tẽpore. At in futuro nõ est pars determinate uera, nec determinate falsa, sed de singulis partib. dices, est uera, uel falsa, ut Petrus cantabit, est uera, uel falsa. Petrus non cantabit, est uera, uel falsa.

13 *Quare cum similiter orationes ueræ sint, &c.*

Id quod Arist. dixit de ipsis rebus oppositis, in ipsis enunciationibus esse idem prorsus confirmat, ut sicut necessarium est, esse, uel non esse simul: nõ tñ singula per se ita similiter necessaria est affirmatio, uel negatio disiunctim: ut Petrum fore, uel non fore; neutram tñ partem per se: immo quælibet pars est indeterminata: ut nec sit dicenda uera, nec sit dicẽda falsa: sed uera uel falsa, quia in contingentibus de futuro tam indifferens est, quod res sit, quam quod res non sit: quamuis ut dicit Arist. aliqua contingentia magis determinata sint ad esse, nẽpe quæ frequẽtius accidunt, tamen cum, & hæ possint aliter esse, nondum ueritatem habent determinatã, ac ideo nec uera, uel falsa per se sunt dicenda, sed uera, uel falsa simul.

Quare manifestum est quoniam non est necesse, &c. 14

Hic concludit non esse necessariũ, ut omnis affirmatio, uel negatio sit determinate uera, uel falsa, sed aliter in futuris, aliter in præsentibus, & præteritis, in futuris neutra pars per se determinate uera, uel determinate falsa, sed utraque uera, uel falsa, at in præsentibus, & præteritis una determinate, uera, altera determinate falsa, sed ista determinatio est secundum quid: nempe, secundum tale tempus, quo sunt, uel fuerunt, ut diximus.

Dubitabis tu, sicut in enunciationibus de præsenti, una est determinate uera, altera falsa, & similiter in enunciationibus de præterito: talis autem determinatio est secundum tempus: quare non dicemus idem in his, quę sunt de futuro, ut una sit uera nempe pro tẽpore, quo futura sit res, & una falsa, quo tempore non futura sit res. Dubiũ.

Dico esse latissimum discrimen: nam antequã res sit semp manet indifferẽtia ut possit esse, & nõ esse, fieri uel nõ fieri: propterea enũciatio de futuro non põt habere cõstantẽ ueritatẽ: at qñ iã res est, uel nõ est ſm tẽpus, præsens, uel præteritũ, uacat ista indifferentia: quod.n. est, nõ est indifferens, ut illo eodẽ tẽpore non sit, similiter quod non est non põt illo eodẽ tẽpore esse, propterea ista constantẽ habent ueritatem, uel falsitatem, sed secundum quid, scilicet secũdum tempus præsens. Solutio.

Ex quo soluitur argumentum secundum superius, nempe si album est modo, fuit heri uerum determinate dicere, album erit: nego consequẽtiam, quia antequam esset, erat indifferens ad esse, & non esse, propterea talis proposi-

propositio hesterna non magis erat determinate uera, quam falsa, erat igitur illa de futuro indeterminate uera, licet de præsenti sit determinata.

QVAESTIO I.

De Contingentibus.

Quamuis non sit præsentis loci ista exactius, quàm ab Arist. dicta sunt examinare, tamen vt saltem ea melius intelligantur, vnũ aut alterum circa hoc dicemus, solet autem summa in hoc versari difficultas quo pacto cum gloriosus Deus horum futurorum, antequam sint præscius sit, possint contingenter euenire: Deus enim in sua sententia non decipitur, sed infallibilis est.

1. Error Circa hoc fuerunt duo Philosophorũ errores, quidam.n. Stoici, inter quos fuit Chrysippus, vt refert Cicero de Fato, & Aul. Gel. lib. 6. c. 2. Existimabant omnes effectus euenturos esse necessario; existimabant.n. causas omnes esse destinatas ad suos effectus, & talẽ ordinẽ constitutũ ab æterno in mẽte diuina, qui mutari nõ posset, quẽ ordinẽ vocabant fatum: & hæc est opinio fere Poetarũ, Virg. te tua fata trahũt, nec cœpta relinquere possis: & similiter, Parce metu, manent immota tuorũ fata, & Lucanus, quo tibi feruor abijt aut quo fiducia fati: similiter, Martemq; sed̃m, iã, nisi degenero fatis debere recusat, & alia plurima.

2. Error Alij contingentiam in rebus, & libertatẽ asserebant, tamen Deum esse præscium horum singularium futurorum negabant, cuius sententiæ, seu dementiæ fuit Cicero lib. de natura Deorũ, vt refert Aug. 5. de Ciuit. cap. 9. idem etiam impie sensit Auer.

3. Sent. vera. At ueritas Christiana consistit in medio, nec modo Christiana, uerumetiam Philosophica, quam fere omnes ueteres Peripatetici sunt secuti, vt uidere est apud Ammonium hic, qui eam tribuit Aristoteli, Psellus & Magent. ibidem, apud Alexan. Aphrod. in libro, quem de fato ex sententia Aristotelis conscripsit ad Antonium, & Seuerum Imperatores, capit. 16. & apud eundem primo naturalium quæstionum, cap. 4. & 25. & in ca. 24. apud Themistium in Paraphrasi 12. Metaphysi. apud Philopponum in 1. Post. suo commen. 94. & pulcherrime apud Simplicium, 8. Physic. in 2. digressione contra Philop. paulò post principium, ubi ait: Dei optimam cognitionem esse omnium simul præsentium, præteritorum, & futurorum. idem super Epictetum, ca. 67. & 2. Physic. 7. & 2. de cœlo, 56. idem etiam Eustratius 10. Ethicorum. c. 8. ad calcem.

Tenet ergo hæc sententia, esse effectus contingentes in rebus, esse libertatem in homine suarum operationum, & omnium futurorum Deum esse ab æterno præscium.

Pro cuius expositione aduerte primo duplex esse genus causarum, quædam causæ sic operantur, ut nunquam naturaliter impediantur, vt Sol oritur, Sol occidit, & istæ causarum superiorum actiones, & motus naturales non impediuntur: Aliæ causæ impediũtur a suis operationibus, & effectibus naturaliter, vt equus impeditur a productione equi, quia aliquando vel producit monstrũ, vel non peruenit embrio ad perfectionem, impeditur etiam aliud a contrario suo, vt patet in his causis naturalibus inferioribus. 1. Fũd.

Præterea adhuc est duplex causa, quædã, quę determinata est ad operandũ ita, vt propositis necessarijs ad operandũ, nõ possit nõ operari, vt ignis proposito combustibili non potest nõ comburere, quæ else dicuntur naturales: quædã non determinata ad operandũ, sed propositis necessarijs potest non operari, qualis est uoluntas hominis: quæ si ei proponatur aliquod bonum, vt uelit, potest uelle, & non uelle, & hæc dicitur causa libera.

Aduerte secundo, omnium effectuum positiuorum Deus est causa, quod est dicere, ignis solum non comburit, sed Deus cum igne, & omnis res operatur, sed simul concurrente Deo ad talem operationem cum illa re; & est maxime obseruandum: q ita Deus concurrit cum illa re, vt simul operetur secundum modum naturæ illius rei: cum igne enim concurrit eo modo, quo ignis operatur, nempe necessario calefaciendo, & cum voluntate hominis libere volendo, non enim cogit res vt agant, sed secundum modum illarum rerum, & naturam, iuuat eas, vt agant cũ necessarijs necessario, & cum his quæ impediuntur, modo etiam, quo impediri possũt operatur, nec earum destruit naturas. 2. Fũd.

Aduerte tertio: omnia antequam fiant, Deus cognouit, & omnium est ab æterno præscius, non tamen eodem modo omnia cognoscit, sed necessaria cognoscit futura neces-

necessaria, & contingentia cognoscit, vt contingentia; idest ita cognoscit futura esse, vt simul cognoscat posse non fieri.

Vnde sicut ex hoc, quod omnium est auctor, & cum omnibus causis operatur, nō sequitur quod causæ necessario operentur omnes, quia secundum modum illarum concurrit: ita ex hoc, quod omnia præscit ac præcognoscit, nullam futuris necessitatem imponit, sed illa ut futura sunt cognoscit, vnde sic cognouit me hodie lecturū, vt ēt cognosceret me libere lecturū, & me posse nō legere.

Respon. ad arg. Vnde respondetur ad argumentum cōmune in hac materia. Deus scit me lecturum cras, ergo ego non possum non legere, concesso antecedenti negatur consequentia, quod si dicas, Deus non potest falli, ergo non possum non legere; dico, stante præscientia diuina nō possum non legere, quod alij uocant in sensu composito; sed hoc non colligit absolute, me non posse non legere: explicatur, ergo necessario lecturus sum, vel non lecturus: libere tamen me applicabo, vel ad hoc vel ad illud extremum; Deus aūt præscit, ad quod libere me postea sum applicaturus dicere itaque stante præscientia diuina non possum non legere, est dicere. Deus non decipi potest in cognitione illius, quod ego sum postea libere facturus; ex quo non colligitur, quod ego postea necessario sim operaturus, & hoc uocant aliqui, quod non licet arguere a sensu composito ad sensum diuisum, & hæc sufficiant de hac difficultate in præsenti.

Finis Libri Primi.

ARI-

ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE,

LIBER SECVNDVS.

SVMMA LIBRI.

De enunciationibus infinitis: de enunciationum vnitate, ac pluratitate. Et prædicationibus coniunctis, atque diuisis. De enunciationibus modalibus. Et quæ enunciationes magis inuicem sint contrariæ.

De enunciationibus infinitis cuiuscumque generis, ipsarumque oppositionibus, ac consequentijs. Nomina item ac verba transposita, idem significare. Caput I.

1 QVoniam autē est aliquid de aliquo affirmatio significans: hoc autē vel nomen est, vel innominatum: vnum autem oportet esse & de vno id, quod est in affirmatione: nomen autē dictum est, & innominatū prius: (non homo enim nomē quidem non dico,) sed nomen infinitum: vnum enim significat aliquo modo infinitum nomen: quemadmodum & nō valet non verbum: sed infinitum verbum: erit igitur omnis affirmatio & negatio, vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo.

ea l. addit dico

Sine uerbo autem nulla affirmatio uel negatio est: est enim, uel fuit, uel erit, uel fit, uel quæcunque alia huiusmodi uerba ex ijs sunt quæ posita sunt, consignificant enim tempus. 2

Quare prima erit affirmatio, & negatio, est homo, non est homo: deinde, est non homo: non est non homo. Rursus est omnis homo; non est omnis homo; est omnis non homo, non est omnis non homo. Et in ijs, quæ extrinsecus sunt temporibus, eadem ratio est; quando autem est, tertium adiacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones. Dico autem ut est iustus homo, ipsum est, tertium dico adiacere nomen, uel uerbum in affirmatione. 3

Sect. 3. secundum Græcos.

Quare, ob id ipsum quatuor erunt illæ quarum duæ quidem ad affirmationem, & negationem se habebunt secundum consequentiam, ut priuationes; duæ uero minime. Dico autem quod est, aut iusto adiacebit aut non iusto; quare etiā negatio; quatuor igitur erunt. Intelligimus uero quod dicitur ex ijs, quæ subscripta 4

ea l. addit hic.

scripta sunt. Est iustus homo, huius negatio est: non est, iustus homo est; non iustus homo, huius negatio est, non est non iustus homo; est enim hoc in loco, & non est, iusto, & non iusto adiacebit. Hęc igitur, quemadmodum in Resolutorijs dictum est, sic sunt ordinata.

In fine primi Priorũ.

6 *Similiter, autem se habebunt & si vniuersaliter nominis sit affirmatio: vt omnis est homo iustus, negatio, huius, non omnis est homo iustus: omnis est homo non iustus, non omnis est homo non iustus.*

Tamen non similiter angulares veras esse contingit: contingit autem aliquando. 8

Enunciationum indefinitarum dispositio, ex primo Priorum in fine.

Simplex affirmatio.
Homo iustus est.

Simplex negatio.
Homo iustus non est.

Priuatoria negatio.
Homo iniustus non est.

Priuatoria affirmatio.
Homo iniustus est.

Infinita negatio.
Homo non iustus non est.

Infinita affirmatio.
Homo non iustus est.

Earundem dispositio in terminis vniuersaliter, ac in parte.

Simplex affirmatio vniuersaliter.
Omnis homo iustus est.

Simplex negatio in parte.
Non omnis homo iustus est.

Priuatoria negatio in parte.
Non omnis homo iniustus est.

Priuatoria affirmatio vniuersaliter.
Omnis homo iniustus est.

Infinita negatio in parte.
Non omnis homo est non iustus.

Infinita affirmatio vniuersaliter.
Omnis homo est non iustus.

7 Vt dispositæ sunt hæ enunciationes de subiecto finito, eodem pacto disponi possunt enuuciationes de subiecto infinito, addendo ipsi homini dictionem. non.

Hæ igitur duæ oppositæ sunt mutuo. Aliæ autem duæ ad non homo quasi ad subiectum aliquod additum vt est iustus non homo: non est iustus non homo, est non iustus non homo: non est non iustus non homo, plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illa, ipsa secundum se erunt, vt nomine vtentes eo, quod est non homo.

In quibuscunque autem, est, non conuenit, vt in eo quod est sanum esse, & ambulare, in ijs idem facit sic positum, ac si, est, adderetur: vt sanus est omnis homo: non sanus est omnis homo, sanus est omnis non homo: non sanus est omnis non homo: non enim dicendum est non omnis homo, sed non negatio- 9

gationem ad id quod est homo, addendum est, omnis enim non vniuersale significat, sed quod vniuersaliter. Manifestum est autem ex eo quod est, valet homo, non valet homo: valet non homo, non valet non homo: hæc enim ab illis differunt, eo quòd vniuersaliter non sunt, quare omnis, vel nullus nihil aliud consignificat, quàm quod vniuersaliter de nomine, uel affirmationem, vel negationem, ergo & reliqua eadem oportet apponi.

10 *Quoniam verò contraria est negatio ei quæ est, omne est animal iustum, illa quæ significat, quod nullum est animal iustum: hæ quidem manifestum est, quod nunquam erunt neque veræ simul, neque in eodem: his verò oppositæ erunt aliquando: vt non omne animal iustum est; & est aliquod animal iustum. Sequuntur vero & hæ, eam quidem quæ est, omnis est homo non iustus, hæc, nullus homo est iustus, ∴ illam verò, est non omnis homo non iustus, opposita, quòd est aliquis non iustus, necesse est enim aliquem esse.*

∴ al. l. illã verò q̃ est, aliquis est hõ iust° opposita, q nõ ois hõ est non iustus.

Manifestum est autem etiam, quòd in singularibus si verum est interrogatum negare, quòd & affirmare verum est: ut, putas ne, Socrates sapiens
11 *est, non Socrates. igitur est non sapiens. In vniuersalibus uerò non est vera quæ similiter dicitur: uera autem negatio est, ut putasne, omnis homo sapiens est; non omnis igitur homo non sapiens est: hoc enim falsum est: sed non igitur omnis homo sapiens est, uerum est: hæc enim opposita est, illa uerò contraria.*

12 *Quæ verò secundum infinita contraiacentes sunt nomina, & uerba, ut in eo, quod est non homo, vel non iustus, quasi negationes sine nomine, & uerbo esse videbuntur, sed non sunt: semper enim uel ueram, uel falsam esse, necesse est negationem: qui uerò non homo dixit, nihil magis quàm qui dicit homo, sed etiam minus uerus, uel falsus fuit, nisi aliquid addatur.*

Significat autem est omnis homo iustus 13
nulli illarum idem, nec huic opposita, quæ est, non est omnis non homo iustus, illi quæ est, nullus est iustus non homo, idem significat.

14 *Transposita verò nomina & verba idem significant: vt est albus homo, & est homo albus. Nam, si hoc non est, eiusdem multæ erunt negationes, sed ostensum est, quod vna unius est. Eius enim, quæ est, est albus homo, negatio est, non est albus homo, eius autem quæ est, est homo albus, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, erit negatio, vel ea quæ est, non est non homo albus, uel ea quæ est, non est homo albus: sed altera quidem est negatio eius quæ est, non est non homo albus, ∴ eius est non homo albus: altera uero eius quæ est, est albus homo, quare erunt duæ unius. Quod igitur transposito nomine, & uerbo, eadem sit affirmatio, & negatio, manifestum est.*

∴ al. l. negatio e.°, quæ est, non hõ alb°.

De enunciationibus infinitis.

De nomine, & diuisione huius libri, ac primi eius capitis.

Nomen libri huius.

Hic est secundum Latinos, secundus Periermenias liber; secundum Græcos vero, apud quos vnicus est tantum continuus liber in sectiones diuisus, est ista sectio tertia: cum autem hoc nihil doctrinæ verita-

ueritatem impediat, diuisionem Latinorum Latini sequemur.

Obscuritas libri huius. Est quidem obscurus liber, & quorundã locorũ difficultate alijs Logicę partib. nõ postponẽdus: sed utilis, valde eius cognitio est, ac sine ea Logici nomen nullus sibi iure vindicabit: Dabimus operam, vt sensum Arist. simul, & ipsius uerba ita interpretemur, diuino auxilio, ut uel minimũ aduertenti admodum facilia sint: nec obscuritas ignorantiæ, nec labor tædij cuiquam sit causa.

Diuisio lib. In hoc igitur libro continentur quatuor; Primum est, de enunciationibus, quæ aliquam particulam additam alicui extremo recipiunt, nempe infinitum sortiuntur subiectum, uel prædicatum, uel utrumque. Secundum est quomodo se habeant propositiones, quæ præter verbum substantiuum aliud recipiunt prædicatum quantum ad coniunctionem, & diuisionem uerbi cum illo prædicato. Tertium de enunciationibus habentibus modum aliquem ipsas modificantem: Quartum cuidam dubio de enunciationum oppositione satisfacit.

Nota. In quibus omnibus docemur præcipue multiplicare enunciationes innumeras. Etenim in priori libro, ut tradit Albert. libr 2. hoc cap. 5. tradita sunt ea, quæ ad constitutionem enunciationis pertinebant, tam essentialem, quam accidentalem; nempe eius partes, nomen, uerbum, eius genus oratio, eius constitutio, vna, plures, simplex, composita: eius species; eius quantitas quæ accidẽs est, eius ueritas, uel falsitas eius oppositio; nũc aũt, eius multiplicatio, secundum aliquod additum; atque etiam, ut docet Albert. eius consequentia; nempe unius ad alteram, ut patet etiam in tractatu.

Diuisio primi capitis. In hoc igitur capite tria principaliter continentur. Primo tractat de enunciationibus de uerbo (est) extremum finitum, uel infinitũ habentibus. Secundo de enunciationibus aliorum uerborum. Tertio aliquid de harum oppositione tradit.

2 *Quoniam autem est aliquid de aliquo affirmatio significans, &c.*

Variationem enunciationum secundum extrema, & partes ipsarum assignare intendens, merito ea, quæ dicta sunt repetit, ex quibus colligit, primo, uariari enunciationem secundum nomen subiectum, uel uerbum: cum hæc primo, & necessario ipsam conflent, ac componãt, ac propterea talia uerba, sub nota causali assumit, dum dicit, (Quoniam autẽ) dici: autem (omnis affirmatio aliquid de aliquo significat, aliquid autem nomen est, uel innominatum) idest, quod de aliquo dicitur, uel de quo aliquid dicitur: uel est nomen, uel innominatum, scilicet finitum, uel infinitum: ipsum enim infinitum uocat innominatum, quia ante Arist, nomine uacabat, propterea dicit innominatum prius.

Et quantum existimo, in his uerbis etiam includit uerbum, ut sit sensus aliquid uel est nominatum, uel innominatum; & colligit enunciationem significare unum de uno, ex quo infert omnem enunciationem constare ex nomine, & uerbo, uel ex nomine infinito, & uerbo, ut totus discursus sit iste, omnis enunciatio unum de uno significans ex nomine, uel ex infinito nomine, & uerbo constat: at omnis enunciatio unum de uno significat, ergo omnis enunciatio constat ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo; maiorem non explicat, minorem assignat, & prima uerba minoris sunt probatio, nempe, enunciatio aliquid de aliquo siue innominatum, siue nominatum sit, significat, ergo unum de uno: interponit autem parenthesim, qua explicat quid uocet innominatum, dicit autem (infinitum nunc dictum est nomẽ) idest, nominatum est, quod tamen prius nomine carebat: non tamen dicitur nomen, sed infinitum nomen, sicut non sanatur, non uerbum, sed infinitum dicitur uerbum, & reddit rationem quare nomen infinitum dicatur, & inquit, quia unum aliquo modo significat.

Dub. 1. Dices, quare hic loquitur solum de affirmatione in principio? dico, & aduerte, hic Arist. multiplicationem enunciationum docere intendit propterea quærit omnium primam, hæc autem est affirmatio, quæ simplicior est, & prior negatione.

Dub. 2 Dubitabis, quomodo infinitum nomen, & uerbum unum significent, cum ante, & quæ sunt, & quæ non sunt, significare dicta sint? dico, non significare unum ex parte rei, nam, quæ sunt, & quæ non sunt in nulla re conuenire queunt, sed unum ex parte intel-

lectus

lectus apprehendentis ea sub negatione alicuius, scilicet quod non sunt homo, non sunt leo, non sanantur, ac propterea dicit unum aliquo modo significant, quia sub hac minima, & debili entitate nihil certi continetur; sed quæ sunt, & quæ non sunt infinitum nomē, vel verbum dicuntur.

Dub. 3. Dubitabis, quare nō enumerat etiam eam enūciationem, quæ fit ex verbo infinito? Respōs. Respondetur ex Alexandro, Boetio, Alberto, & Ammon. quod in propositione verbum infinitum non differt à negato, & hæc est sententia Arabum; quāuis etiam doceat Ammon. posse dici sub verbo inclusisse finitum, & infinitū, sed prior sententia est potior, quæ intelligēda est, ut superius declarauimus cap. de verbo.

2 *Præter uerbum autem nulla est affirmatio, uel negatio, &c.*

Hoc dicit Aristoteles, vt ostendat multiplicandam esse enunciationem per nomen quando est finitum, vel infinitum; non per verbum, quod non sic dicatur in enunciatione. Ostendit autem non similiter nomen, & verbum se habere ad enunciationem; aliquando enim enunciatio est sine nomine, utpote cum nomen habet infinitum, at sine verbo nec affirmatio, nec negatio esse potest; vel vt sit sensus, affirmationem, & negationem in verbo consistere: quando enim negatio in verbum non cadit, non est negatiua enunciatio, similiter de affirmatione; cum igitur verbum semper sit necessarium in enunciatione, variatio erit secundum nomē finitum, uel infinitum, & hoc cum uerbo, est, fuit, erit, fit, uel simile; quæ sunt uerba, cum significēt tempus, & ipsis definitio præcedens verbi competat; & nota, sicut supra assumpsit affirmationem, quia erat prior, hic assumit uerbum substantiuum, & similia, quæ sunt omnium uerborum prima: ex his enim primæ enunciationes fiunt.

3 *Quare prima est affirmatio, & negatio, &c.*

Infert primam omnium affirmationem, & negationem esse hanc, homo est, homo non est, secunda de nomine infinito, non homo est, non homo non est. Tertia affirmatio, & negatio uniuersalis simplex, uocatur enim simplex enunciatio finita, ut omnis homo est, non omnis homo est. Quarta infinita, omnis non homo est; hoc similiter docet in alijs esse temporibus: nempe præterito, & futuro, secundum quæ etiam similes ordinari possunt enunciationes, & erunt uiginti quatuor simplices, siue duodecim oppositiones, ut facile est cuilibet exemplo comperire, quod si his uelis addere oppositiones singularium, & particularium multiplicabis multas alias, secundum finitum, & infinitum, & secundum diuersa tempora, non tamen secūdum uniuersalitatem, ac propterea forsan Arist. harum non meminit, nec singulare, nec particulare capax est uniuersalitatis.

Quando autem est tertium adiacens prædicatur, &c. 4

Postquam de enunciationibus simplicissimis, quæ ex unico nomine, uel infinito nomine, & uerbo constant, egit, accedit ad compositiones, quæ cum uerbo etiam aliud admittunt prædicatum, quas uocant de tertio adiacente, & ipsum est tertium adiacēs, prædicatur, id est, est prædicatum tertio loco superueniens; non quod in enunciatione sint tria prædicata, sed quod ipsum prædicatum tanquam tertium nomen, uel uerbum, id est tanquam tertia dictio ponatur; hic enim, secūdum omnes fere, nomen pro dictione significante sumit, & dicit, Est, tertiam dictionem, in enunciatione, adiacens, quam etiam uocat uerbum, ut non quamcunque dictionem esse significet; unde sic est litera ordinanda, dico, est, adiacere tanquam tertium nomen, seu ut potius dicam uerbum in enunciatione.

Vbi hic aduerte cum Ammo. quod nos supra docuimus, ipsum, est, tertium adiacens prædicari, quod hic expresse docet Arist. quādo enim dico homo est albus, esse album de homine prædico, licet Albert. ca. 2. huius doceat, est, tertium adiacens, non esse prędicatū, sed copulam extremorum; idem Boet. cap. de uerbo. & Sinuessa ibidem. Nota.

Dices quare uocatur tertium cum potius locum obtineat medium, uel primum apud Aristot. qui suo loquendi modo uerbum proponit, Dubiū.

veritatem impediat, diuisionem Latinorum Latini sequemur.

Obscuritas libri huius. Est quidem obscurus liber, & quorundã locorũ difficultate alijs Logicę partib. nõ postponẽdus: sed utilis, valde eius cognitio est, ac sine ea Logici nomen nullus sibi iure vindicabit: Dabimus operam, vt sensum Arist. simul, & ipsius uerba ita interpretemur, diuino auxilio, ut uel minimũ aduertenti admodum facilia sint: nec obscuritas ignorantiæ, nec labor tædij cuiquam sit causa.

Diuisio lib. In hoc igitur libro continentur quatuor; Primum est, de enunciationibus, quæ aliquam particulam additam alicui extremo recipiunt, nempe infinitum sortiuntur subiectum, uel prædicatum, uel utrumque. Secundum est quomodo se habeant propositiones, quæ præter verbum substantiuum aliud recipiunt prædicatum quantum ad coniunctionem, & diuisionem uerbi cum illo prædicato. Tertium de enunciationibus habentibus modum aliquem ipsas modificantem: Quartum cuidam dubio de enunciationum oppositione satisfacit.

Nota. In quibus omnibus docemur præcipue multiplicare enunciationes innumeras. Etenim in priori libro, ut tradit Albert. libr 2. hoc cap. 5. tradita sunt ea, quæ ad constitutionem enunciationis pertinebant, tam essentialem, quam accidentalem; nempe eius partes, nomen, uerbum, eius genus oratio, eius constitutio, vna, plures, simplex, composita: eius species; eius quantitas quæ accidẽs est, eius ueritas, uel falsitas eius oppositio; nũc aũt, eius multiplicatio, secundum aliquod additum; atque etiam, ut docet Albert. eius consequentia; nempe unius ad alteram, ut patet etiam in tractatu.

Diuisio primi capitis. In hoc igitur capite tria principaliter continentur. Primo tractat de enunciationibus de uerbo (est) extremum finitum, uel infinitũ habentibus. Secundo de enunciationibus aliorum uerborum. Tertio aliquid de harum oppositione tradit.

1 *Quoniam autem est aliquid de aliquo affirmatio significans, &c.*

Variationem enunciationum secundum extrema, & partes ipsarum assignare intendens, merito ea, quæ dicta sunt repetit, ex quibus colligit, primo, uariari enunciationem secundum nomen subiectum, uel uerbum: cum hæc primo, & necessario ipsam consticut, ac componãt, ac propterea talia uerba, sub notã causali assumit, dum dicit, (Quoniam autẽ) dici: autem (omnis affirmatio aliquid de aliquo significat, aliquid autem nomen est, uel innominatum) idest, quod de aliquo dicitur, uel de quo aliquid dicitur: uel est nomen, uel innominatum, scilicet finitum, uel infinitum: ipsum enim infinitum uocat innominatum, quia ante Arist. nomine uacabat, propterea dicit innominatum prius.

Et quantum existimo, in his uerbis etiam includit uerbum, ut sit sensus aliquid uel est nominatum, uel innominatum; & colligit enunciationem significare unum de uno, ex quo infert omnem enunciationem constare ex nomine, & uerbo, uel ex nomine infinito, & uerbo, ut totus discursus sit iste, omnis enunciatio unum de uno significans ex nomine, uel ex infinito nomine, & uerbo constat: at omnis enunciatio unum de uno significat, ergo omnis enunciatio constat ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo: maiorem non explicat, minorem assignat, & prima uerba minoris sunt probatio, nempe, enunciatio aliquid de aliquo siue innominatum, siue nominatum sit, significat, ergo unum de uno: interponit autem parenthesim, qua explicat quid uocet innominatum, dicit autem (infinitum nunc dictum est nomẽ) idest, nominatum est, quod tamen prius nomine carebat: non tamen dicitur nomen, sed infinitum nomen, sicut non sanatur, non uerbum, sed infinitum dicitur uerbum, & reddit rationem quare nomen infinitum dicatur, & inquit, quia unum aliquo modo significat.

Dices, quare hic loquitur solum de affirmatione in principio? dico, & aduerte, hic Arist. multiplicationem enunciationum docere intendit propterea quærit omnium primam, hæc autem est affirmatio, quæ simplicior est, & prior negatione. Dub. 1.

Dubitabis, quomodo infinitum nomen, & uerbum unum significant, cum ante, & quæ sunt, & quæ non sunt, significare dicta sint? dico, non significare unum ex parte rei, nam, quæ sunt, & quæ non sunt in nulla re conuenire queunt, sed unum ex parte intellectus Dub. 2.

lectus apprehendentis ea sub negatione alicuius, scilicet quod non sunt homo, non sunt leo, non sanantur, ac propterea dicit verum aliquo modo significare, quia sub hac minima, & debili entitate nihil certi continetur: sed quæ sunt, & quæ non sunt infinitum nomẽ, vel verbum dicuntur.

Dub. 3. Dubitabis, quare nõ enumerat etiam eam enũciationem, quæ fit ex verbo infinito? Respõs. Respondetur ex Alexandro, Boetio, Alberto, & Ammon. quod in propositione verbum infinitum non differt à negato, & hæc est sententia Arabum, quãuis etiam doceat Ammon. posse dici sub verbo inclusisse finitum, & infinitũ, sed prior sententia est potior, quæ intelligẽda est, vt superius declarauimus cap. de verbo.

2 *Præter uerbum autem nulla est affirmatio, uel negatio, &c.*

Hoc dicit Aristoteles, vt ostendat multiplicandam esse enunciationem per nomen quando est finitum, vel infinitum: non per verbum, quod non sic dicatur in enunciatione. Ostẽdit autem non similiter nomen, & verbum se habere ad enunciationem; aliquando enim enunciatio est sine nomine, utpote cum nomen habet infinitum, at sine verbo nec affirmatio, nec negatio esse potest; vel vt sit sensus, affirmationem, & negationem in verbo consistere: quando enim negatio in verbum non cadit, non est negatiua enunciatio, similiter de affirmatione; cum igitur verbum semper sit necessarium in enunciatione, variatio erit secundum nomẽ finitum, uel infinitum, & hoc cum uerbo, est, fuit, erit, fit, uel simile, quæ sunt uerba, cum significẽt tempus, & ipsis definitio præcedens verbi competat; & nota, sicut supra assumpsit affirmationem, quia erat prior, hic assumit uerbum substantiuum, & similia, quæ sunt omnium uerborum prima: ex his enim primæ enunciationes fiunt.

3 *Quare prima est affirmatio, & negatio, &c.*

Infert primam omnium affirmationem, & negationem esse hanc, homo est, homo non est, secunda de nomine infinito, non homo est, non homo non est. Tertia affirmatio, & negatio uniuersalis simplex, uocatur enim simplex enunciatio finita, ut omnis homo est, non omnis homo est. Quarta infinita, omnis non homo est; hoc similiter docet in alijs esse temporibus: nempe præterito, & futuro, secundum quæ etiam similes ordinari possunt enunciationes, & erunt uiginti quatuor simplices, siue duodecim oppositiones, ut facile est cuilibet exemplo comperire, quod si his uelis addere oppositiones singularium, & particularium multiplicabis multas alias, secundum finitum, & infinitum, & secundum diuersa tempora, non tamen secũdum uniuersalitatem, ac propterea forsan Arist. harum non meminit, nec singulare, nec particulare capax est uniuersalitatis.

Quando autem est tertium adiacens præ dicatur, &c. 4

Postquam de enunciationibus simplicissimis, quæ ex unico nomine, uel infinito nomine, & uerbo constant, egit, accedit ad compositiones, quæ cum uerbo etiam aliud admittunt prædicatum, quas uocant de tertio adiacente, & ipsum est tertium adiacẽs, prædicatur, id est, est prædicatum tertio loco superueniens; non quod in enunciatione sint tria prædicata, sed quod ipsum prædicatum tanquam tertium nomen, uel uerbum, id est tanquam tertia dictio ponatur hic enim, secũdum omnes fere, nomen pro dictione significante sumit, & dicit, Est, tertiam dictionem, in enunciatione, adiacens, quam etiam uocat uerbum, ut non quamcunque dictionem esse significet; unde sic est littera ordinanda, dico, est, adiacere tanquam tertium nomen, seu ut potius dicam uerbum in enunciatione.

Nota. Vbi hic aduerte cum Ammo. quod nos supra docuimus, ipsum, est, tertium adiacens prædicari, quod hic expresse docet Arist. quãdo enim dico homo est albus, esse album de homine prædico, licet Alber. ca. 2. huius doceat, est, tertium adiacens, non esse prędicatũ, sed copulam extremorum, idem Boet. cap. de uerbo. & Sinuessa ibidem.

Dubiũ. Dices quare uocatur tertium cum potius locum obtineat medium, uel primum apud Aristot. qui suo loquendi modo uerbum proponit,

ponit, dico cum Albert. prolatione quidem non esse tertium: at re tertium est, ut enim composita præcedunt formam componentem, nempe lapides, & ligna formam domus, ita & nomina tam subiectum, quam prædicatum ipsum uerbum.

Solutio. Quamuis iudicio meo mihi uideatur iste locus aliter interpretandus; & tunc cessat hoc dubium; est enim sensus, dico, est, tertium, quando adiacet nomen, uel uerbum, idest quando uerbum, est, est tertium, vel nomen aliquod est tertium: dummodo enim sint tres dictiones, sit uerbum tertium, uel nomen dicatur tertium, unde etiam potest uerbum dici tertium, & tunc propter rationem Alber. & nomē potest dici tertium quia ultimo prædicatur.

Quando igitur talis est enunciatio, tūc insurgunt aliæ nouæ oppositiones; nempe, & de prædicato finito, & infinito; quare dupliciter erunt oppositiones, altera oppositio erit secundum prædicatum finitum, altera oppositio secundum prædicatū infinitum: ac propterea subiunxit, quatuor erunt enunciationes: ex duabus enim oppositionibus quatuor emergūt enunciationes; hic autē præsupponit subiectū finitum; postea enim dicet, quando subiectum, est infinitum; harū quatuor exempla subdit homo est iustus, homo non est iustus, homo est non iustus, homo non est non iustus, & tal. ordine collocantur, quo enarratæ sunt, ut habetur 1. Prior. c. ult.

Hæc exempla de industria non sunt ex textu Aristot. nec exempla enunciationum uniuersalium, sed postea ab Arist. traduntur: aliqui tabulam hanc inseruerunt, non tamen hæc in textu continuanda sunt.

5 *Quarum duæ quidem ab affirmationem, & negationem, &c.*

Textus hic insignem, & celeberrimam difficultatem continet; quem uarie uiri doctissimi interpretantur & Græci, & Latini: ne tamen tyronem, in re hac, tam diuersis sententijs obruamus, unam, quæ magis Aristotel. uidetur conformis, adducemus: quæ expositio est Porphy. Boet. Alber. & S. Tho. Ea nimirum est: inter has quatuor assignatas enunciationes interest (duæ quidem secūdum affirmationē, & negationem, idest quarum una est affirmatiua, altera negatiua (dicuntur, ad consequentiam) vt ab affirmatiua ad negatiuam valeat, (duæ vero minime dicuntur) idest a negatiuis ad affirmatiuas non valet: vel ut alij volunt, (duæ vero minime) idest, nec affirmatiuæ inter se, nec negatiuæ dicuntur secundum consequentiam: sed primum sequamur.

Verbi gratia ab affirmatiua simplici ad negatiuam infinitā valet, non è cōtra, vt homo est iustus, ergo homo non est non iustus: similiter ab affirmatiua infinita, ad negatiuam simplicem, non è contra, vt homo est non iustus, ergo homo nō est iustus: sunt enim ita compositæ, vt affirmatiua finita simplex simul sit cum negatiua infinita, & affirmatiua infinita, cum negatiua simplici, ac propterea Theophr. uocabat has transpositas.

A negatiuis uero non ualet; non enim dices, homo non est iustus, ergo est non iustus, quia prior non existente homine est vera, quia est negatiua, at posterior falsa, similiter in alijs duabus.

Ac propterea Arist. has infinitas comparat priuatiuis, in quibus, ut Aristotel. docet 1. Prior. capit. ultimo, non ualet a negatiuis ad priuatiuas, sed ualet e contra: ut homo non est iustus, non ualet, ergo est iniustus: quia de equo potest dici quod nō est iustus, non tamen quod est iniustus: ualet tamen, homo est iniustus, ergo non est iustus. Nota.

Plura enim comprehendit negatio, quam priuatio, & infinitatio, quamuis infinitatio in plus se habeat, quam priuatio, ut docet Ammonius. Nota.

Dices enim, de equo quod est non iustus, nō tamen quod est iniustus: neutrum tamen dices de homine non existente, nec quod est non iustus, nec quod est iniustus: dices tamen, quod non est iustus, in plus ergo se habet negatio, deinde infinitatio: postea priuatio, ultimo affirmatio, quæ solum de habente dicitur, ac propterea bene dicitur affirmatiuam simplicem, & affirmatiuam infinitiuam habere se ad negatiuas sicut priuationes, quia ab eis ualet consequentia ad negatiuas, non è contra.

Hæc est huius loci explanatio diligenter mente obseruanda horum doctorum insignium, secundum quam Arist. per duas, quæ secundum consequentiam dicuntur intelligit affirmatiuas; per eas uero, quæ minime,

nega-

negatiuas duas significat, a quibus non ualet consequentia.

Altera expositio. Quòd si licet inter tot graues doctorum sententias unum, quod mihi diu cogitanti se obtulit, interponere, dicam vnum, quod quantum conijcere possum, ipsius Aristot. proprium explicat sensum: uerba igitur Aristot. fideliter in Latinum conuersa, sunt ista eadem, quæ in Boetij uersione habentur, quæ etiam Græci interpretes suis commentarijs insinuant. (Quatuor erunt illæ, quarum duæ ad affirmationem, & negationem se habent secundum cōsequentiam, vt priuationes, duæ uero minime) habere se ad affirmationem, & negationem, non est aliud, quàm opponi vt patet ex cōtextibus omnibus præcedentibus: semper enim affirmationem, vel negationem uocat ipsam contradictionem: sensus igitur est, duæ ex illis quatuor opponuntur, sicut priuatiuæ: duæ uero non opponuntur, scilicet, illæ quæ sunt de extremo infinito. Affirmatiua infinita est sicut affirmatiua priuata: negatiua infinita est, sicut negatiua priuatiua. Aliæ duæ non sic opponuntur: nempe affirmatiua, & negatiua, simplices, & hoc est qd dicit, se habent secundum consequentiam, vt priuationes, idest se habent ad modū, & similitudinē priuationum, vt interpretatur Boet. in prima editione, & similitudo in hoc consistit, vt enim in priuatiuis tam affirmatio, quā negatio habent prædicatum cum negatione, ut homo est iniustus, homo non est iniustus: ita in infinitis, ut homo est non iustus, homo non est non iustus.

Nec oportet intelligere hic cōsequentias, quod ualet ab uno ad alterum, quæ sine dubio non sunt certa, ut enim diximus superius etiam ex mente horum doctorum, infinitum de his, quæ sunt, & quæ non sunt prædicatur, unde affirmatiua infinita tam ampla est, quàm negatiua; ut enim dicitur chimæra non est homo, ita chimæra est non hō, quāuis sit infinitū superius priuatiuo: ista expositio nō mihi displicet, q̃uis huius iudiciū ab alijs potius, quam a me sit exhibendum.

6 *Similiter autem se habent etsi vniuersalis, &c.*

Eandem rationem obseruandam docet quando prædictæ oppositiones in uniuersali sumuntur; sunt enim aliæ quatuor enunciationes eodem ordine, omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus, omnis homo est non iustus, non omnis homo est non iustus: dicit has similiter se habere, sicut priores, tu intellige, secundum sententiam priorem illorum doctorum, similiter, idest, affirmatiua simplex infert negatiuam infinitam, & non infertur ex ea, ut omnis homo est iustus, ergo non omnis homo est non iustus: præterea affirmatiua infinita infert negatiuam simplicem, non è contra; vt omnis homo est non iustus: ergo non omnis homo est iustus, sicut fiebat in illis prioribus at secundum expositionem nostram, similiter se habent istæ, quia priuatiuis assimilātur duæ, nempe infinitæ, vt declaraui.

Sed non similiter Angulares ueras esse contingit, &c. 7


Hic est alius locus difficillimus expositorum iudicio; dixit enim Arist. has quatuor esse similes illis quatuor superioribus, nunc discrimen ostendit unum, nempe in illis Angulares simul esse ueras, in his uero non, sed aliquando, idest aliquas Angulares.

Difficultas est, quas uocet Angulares enunciationes, uocat enim positas per diametrū, in cuius expositione laborauerunt Græci: tamen expositio Boet. amplectenda, uocat Angulares affirmatiuas finitam, & infinitam inter se, vt homo est iustus, homo est non iustus, & negatiuā finitā, & infinitā inter se, homo nō est iustus, homo non est non iustus. Dubiū. Similiter in uniuersalibus omnis homo est iustus, omnis homo est non iustus, sunt angulares, similiter negatiuæ, non omnis homo est iustus, non omnis homo est non iustus.

Est autē modo discrimen: in primis enim, quia indefinitæ sunt, omnes angulares simul esse ueræ possunt, in materia contingenti: at in his uniuersalibus impossibile est qd simul sint omnes ueræ; aliquæ possunt quidem, nempe illæ negatiuæ particulares.

Dubiū. Dices, quare uocat Angulares, seu oppositas per diametrum, dico, cum talem habeant ordinem, ut affirmatiua simplex sit prima, eius negatiua secunda, affirmatiua infinita tertia, eius negatiua quarta, si constituas quadratum, & singulis angulis singulas ex his, ita vt primo, in superiori angulo sit affirmatiua simplex, in secundo eius negatiua,

ua, in tertio inferiori dextro affirmatiua infinita, in quarto eius negatiua, hoc enim ordine tales anguli numerantur tunc inuenies affirmatiuas in angulis per diametrum oppositis negatiuas similiter, ut hac sequenti figura intelliges.



Altera expositio.

Simili figura constituendæ sunt particulares. Alij uarie sumebant angulares in figura: nam utrasque affirmatiuas superioribus angulis describebant, & tunc dicebant opponi per diametrum, idest per lineam rectam, similiter negatiuas inferioribus, ac per diametrum opponi lineam perpendiculariter cadẽtem supra utramque adinuicẽ, sed ista expositio non est recipienda: diameter enim nõ est quæcunque linea recta, aliter costæ quadrati dicentur diameter, quod absurdum est, sed vt diximus, diameter est linea in duas medietates figuram per oppositos angulos diuidens, patet igitur sensus huius loci.

Concludit Arist. hæ igitur duæ oppositiones præcedentes, altera quando est prædicatum finitum, altera quando est infinitũ, oppositæ sunt mutuò.

Aliæ autem duæ ad non homo, &c.

Illæ duæ oppositiones erant subiecto existente finito, at si sumatur infinitum, nempe non homo, sunt totidem, non homo est iustus, non homo non est iustus, non homo est non iustus, non homo non est non iustus, similiter in vniuersali, nec possunt esse plures oppositę secundum finitum, vel infinitũ, quã hæ, vt patet (istæ autem extra illas sunt). i. nõ est cõsequentia inter has, & illas, inter se tamẽ istæ eandem rationem, quam superius diximus, obseruant, vt ab affirmatiuis ad negatiuas valeat, nõ contra, vel vt dixi, de similitudine ad priuatiuas (vt ẽ es tñ non hõ, vt nomine;) idest habẽt semper tã affirmatiuæ, quam negatiuę simplices, uel infinitæ in prędicato, idem subiectum infinitũ, sicut in alijs erit subiectũ finitũ sẽper, nec mutabitur in aliqua.

In quibus verò est non cõuenit, &c. 3

Hæc est secunda pars, in qua de alijs verbis adiectiuis differit: docetque quamuis in his non sit ipsum [est] perinde tamen esse oppositiones faciendas, ac fiunt in ipso [est] hoc intellige de [est] secundo adiacente: ista enim verba adiectiua, quamuis re, ipsa, est, tertio adiacenti, ęquipolleant, tamen voce, ut dicit Boetius, similia secundo adiacenti sunt, propterea infinitionem subiecti solam habent; vt homo sanatur, homo non sanatur, non

non homo sanatur, non homo non sanatur: similiter in uniuersali.

Nota 1. Et quamuis ista exempla Boet. sint per uerbum [est] scilicet, homo sanus est, legenda sunt per uerba adiectiua, vt habetur Græce, & ipsemet legit in suis editionibus.

Nota 2. Hic aduerte ex 1. Prio. capit. 42. ista uerba adiectiua al. quando aliquod additum recipere post se, vt amat homo Deum, & similia, & ratione tantum appositorum recipiunt infinitatem, vt homo amat non Deum, uideo nō album: tñ quia ista prædicati principalis non obtinēt rationem, sed potius sunt uerbi significationis adiuncta, non uocantur tales enunciationes infinitæ absolute: propterea maxime cauendum est in istis, ne argumentemur ab illis tanquam ab infinitis affirmatiuis ad negatiuas: non enim ualet, uideo non album, ergo non uideo album, possum enim album, & nigrum simul uidere: nec ualet, amo non Deum, nempe Petrum, qui nō est Deus: ergo non amo Deum: nec ualet, possum non currere, ergo non possum currere, quia argumentatur a non distributo ad distributum, ex parte participij inclusi in uerbo adiectiuo, vt alias dictum est.

Dubitat autem Arist. quando infinita sit uniuersalis, an addenda sit negatio signo, an subiecto, vt dicamus, non omnis homo, an dicendum sit, omnis non homo? Respondetur, negationē nō esse addendā signo, q̄ illud nō significat uniuersale, sed uniuersaliter. i. modum quendā, secūdū quem notamus cuilibet parti uniuersalis conuenire prædicatum, uel à quolibet remoueri, probat autem quod non significat uniuersalem rem, sed modum, quia hæ enunciationes, homo currit, non homo currit, nō differunt ab illis, in quibus talia signa sunt, nisi in hoc, quòd illæ sine tali signo rem enuncient uniuersalem, non uniuersaliter, hæ uero cū signo rem uniuersalem, sed uniuersaliter, non ergo illa signa addunt, nisi hunc modum uniuersaliter, & uide quod diximus supra, capite quinto, indefinitas, & uniuersales non differre in re significata, sed in modis significandi.

Concludit Aristotel. [ergo & reliqua eadem oportet apponi] idest, si istæ oppositæ de uerbis adiectiuis sunt similes alijs, reliqua oportet opponi, idest, obseruanda sunt ea, quæ diximus de illis, quantum ad singulares ueras, uel falsas, vel possumus interpretari [ergo & reliqua debeat apponi eadem] idest, si non est differentia inter has, nisi in signo, negationes sunt in uniuersalibus uniuersaliter ponendę in ipsis uniuersalibus, sicut in illis in quibus non est signum, vt dicatur oīs nō homo est iustus, quādo negatio infinitat.

Quoniam vero contraria est negatio ei quæ est, &c. 4

Hæc est tertia pars, in qua Arist. ostendit quæ propositiones simul ueræ esse possint, quia docuerat angulares non posse simul esse ueras aliquando; sunt ergo tria dicta: primū, contraria simul esse uera nequeunt, vt omne animal est iustum, nullum animal est iustum.

Secundum, opposita his, nempe particularia uera possunt esse in materia contingenti, vt non omne animal est iustum, aliquod animal est iustum.

Tertium dictum, hæ duæ oppositæ: nempe, nullum animal est iustum, aliquod animal est iustum, se consequūtur cum illis duabus oppositis infinitis, nempe, omne animal est non iustum, non omne animal est non iustum; hoc modo, uniuersalis affirmatiua infinita cū negatiua finita, & vt nullus homo est iustus, cū hac; omnis homo est non iustus: & particularis negatiua infinita, cū particulari affirmatiua simplici, vt non omnis homo est nō iustus, cū hac, aliquis homo est iustus.

Aduerte: quod propterea dixit has consequi se cum illis, quia illæ primæ nō sunt Angulares. At quia Angulares, se cum illis cōsequūtur, fit vt eadē sit harum, & illarū ratio, v. g. istę nō sunt simul ueræ, omne animal est iustū, nullū animal est iustū; sed nō sunt Angulares. At omne animal est nō iustū, quę est Angularis affirmatiua, est idē cū hac, nullum animal est iustū. Ergo sicut hæc cū affirmatiua simplici, non erat simul uera: ita nec illa infinita, quę ęqpollet negatiuæ. Similiter in particularibus; vt aliquod animal est, iustū: aliqđ animal non est iustū, sunt simul ueræ; sed nō sunt Angulares. At affirmatiua æquipollet negatiuæ Angulari, s. non omne animal est nō iustū, propterea ōndit ueritatem uel falsitatē in illis primis, quia illic est magis nota: postea ostēdit, has illis ęquipollere.

Sed unum dubium magnum superest, an ab affirmatiua sit procedendum ad negatiuam; an è contra; sunt enim uarij textus La- Dubiū.

 tini,

tini, & Græci in hoc, imprimis hic Boetius legit ab affirmatiuis esse procedendum, at in suis cõmentarijs, in uniuersalibus, à negatiua ad affirmatiuã procedendum, in particularibus ab affirmatiua ad negatiuam: quod idem docet Alber. ca. 3.

At in textu Græco præsenti, & traductione noua sic habet, ut ab affirmatiua vniuersali ad negatiuam, & à negatiua particulari ad suam affirmatiuam sit consequentia, quod etiam recipit Psellus.

Ego existimo dicendũ cum Ammonio, vt mutuo se consequatur affirmatiua, & negatiua. Quod si dicas infinitũ, non prædicatur affirmatiue de his, quæ non sunt, non.n. dicitur Chimæra est non hõ, dico, vt supius diximus ita affirmatiuam sicut negatiuam esse verã, & hoc hic dicit Ammon. & hoc corroborat expositio, quam attuli in illis uerbis. (Duæ uero minime.

Quod si hoc non placet, dico cum Psello, hic Aristot. loqui de supponentibus terminis, & hi, quæ existunt.

Vel cum Alberto, ut ponatur circumstantia, qua indicemus rem subiectam esse, atque tunc est mutua consequentia.

11 *Manifestum est autem etiam, quoniam in singularibus, &c.*

Ostendit diuersimodè se habere negationem in enunciationibus singularibus, & vniuersaliter vniuersalibus: in singularibus enim nihil prohibet eam uel in principio, vel in medio, vel in fine collocare, vt Socrates est non sapiens, vel Socrates non est sapiens, vel non Socrates est sapiens idem est dicere: at in vniuersaliter vniuersalibus nõ idem est: differt enim dicere, omnis homo est non sapiens, & non omnis homo est sapiens, quia illa est contraria vniuersalis, hæc contradictoria: unde in interrogationibus multum differt, quærere de vniuersali, & de singulari, nam si respondens uere negat singulare, possum ergo uerè affirmare per infinitam, vt putas ne Socrates est sapiens? si uerè respondet interrogatus, non est: possum inferre, ergo Socrates est non sapiens: in vniuersali nõ licet, vt putas, omnis homo est albus? non; non dicam ergo omnis homo est non albus, sed ergo non omnis hõ est albus: in quo docemus ex negatiua vniuersali non inferre affirmatiuam uniuersalem, ut omnis homo non est iustus: ergo omnis homo est non iustus. in singularibus id licet semper ex negatiua inferre affirmatiuam: ubi constat secundum Arist. ualere à negatiua ad affirmatiuam infinitam, vt Socrates non est sapiens, ergo Socrates est non sapiens; non autem in illis pp uniuersalitatem, non autem propter suppositionẽ, vel non suppositionem, vt aliqui interpretantur superius.

Illæ uero secundum infinita contra iacentes nomina, &c. 12

Aristoteles unum hic dubium remouet, cum enim negationes nominibus per se apponantur, & uerbis per se: vt non homo non iustus, non currit, posset quis dubitare esse negationes absque nomine, & uerbo, non homo enim est negatio absque uerbo, non currit, est negatio absque nomine, quod supra negatum est cum dixit affirmationem, & negationẽ, esse ex nomine, vel ex infinito nomine, & uerbo simul, & hoc est quod dicit, (illæ negationes contra iacentes) idest, cõpositæ secundũ infinita nomina, & uerba, uidentur esse negationes: Respondet, nullo modo esse negationes, & probat: omnis negatio uerum, vel falsum significat, at illæ uoces negatæ nec uerum, nec falsum significat, quousque aliud eis addatur, ergo non sunt negationes. Quod autem nihil ueri, vel falsi significent, manifestat ex oppositis; nempe, homo, animal, per se, uincit, currit, ista nihil per se ueri, vel falsi significant, ergo multo minus illa: Huius ratio est secundum Ammo. & Alber. quia cum illa aliquam naturam significent, magis uidẽtur uerum, uel falsum significare, quam illa infinita, quæ nihil uidentur significare: uel secũdum Caietanũ, illę uoces simplices sunt propinquiores enunciationi, quam infinitæ, quia enunciatio simplex, infinita prior est, & cum hæ ueri, uel falsi nihil significent, ergo minus significabunt infinitę uoces per se.

Significat autem est omnis non homo iustus &c. 13

Illo dubio de negatione interposito, & soluto, reuertitur Arist. ad ostendendã cõsequentiã in infinitis: superius autẽ dixit de infinitis

ui ex prædicato, subiecto manente finito, nunc docet eas, quæ subiectum habent infinitū: & primum dicit, has omnino esse extra illas; quod superius dix. idest non valet cōsequentia ab ijs, quæ de subiecto infinito sunt, ad eas, quæ finitum habent subiectum, tamen inter se habent similem rationē cum illis: vnde istæ, omnis non homo est iustus, non omnis non homo est iustus, nihil significant, cum illis de finito subiecto: tamen quemadmodum illæ duæ sunt æquiualētes, omnis homo est non iustus & nullus homo est iustus: ne etiam illæ idem ualent, aliquis homo est iustus, & non omnis homo est nō iustus; ita, & hę, aliquis non homo est iustus, & non omnis non homo est non iustus, eadem enim in his est inter se ratio.

14 *Transposita vero nomina, & verba idem significant; &c.*

Dubium vltimo soluit, quod oritur ex eo, quòd modo nomen, modo verbum posuit, modo substantiuum, modo adiectiuū; posset enim quis decipi existimās esse propterea diuersas enunciationes; quod repellens Arist. docet nomina, & uerba transposita idē significare v.g. idem est, est albus homo, & est homo albus; quod probat, quia aliter vna affirmatio duas haberet oppositas negationes, quod supra reprobatum est: patet, summo has, est albus homo, & est homo albus; illa prior habet hanc negationem, non est, albus homo, illa posterior quā habebit? vel hāc non est non homo albus, & hoc non, quia ista respondet illi, non homo est albus, vel hanc, non est homo albus, sed ista est negatio etiam illius, est albus homo, ergo vel ista, est albus homo, habebit duas negationes, priorem scilicet, non est albus homo, & hāc, non est homo albus: vel istæ erunt eadem negatio: itaque si vna negatio sunt, non est albus homo, & non est homo albus ergo, & eadem affirmatio erunt, est albus homo, est homo albus.

Hic vnum probandum superest, nempe illas duas negationes non est homo albus, & non est albus homo, esse negationes illius est albus homo, hoc facile est, quia eodem modo se habet quantum ad oppositionem cum vna sicut cum altera, nec veritate, vel falsitate vllo modo illæ differunt.

Colligit ergo, nomina, & verba transposita idem significare circa quòd aduerte, duplicem esse transpositionem, ex Ammonio, & Caietano: est situalis solum in qua solus situs terminorū mutatur, sicut qui solū mutat duo loca: altera est situalis, & formalis quando non solū locus, sed aliqua mutatur forma, vt qui cū loco, valetudinem, vel dispositionem mutat: ita similiter, aliquando non solum termini, quo ad situm mutantur, sed quo ad formam, quia ex subiecto in prædicatum, vel ex prædicato in subiectum mutantur.

Propositio autem Arist. de sola transpositione situaliter, intelligenda est, quando nomen, vel verbum situm mutant, nō formam: sed prædicatum manet, & subiectum manet idem, nec proprietas Logica mutatur.

Ex hoc capite duos usus maximos percipimus, alter est, abundantia enunciationum multiplex; nam uel est verbum adiectiuum, uel substantiuum; si adiectiuum, tunc uel subiectum est finitum, vel infinitum, tam in affirmatione, quam in negatione, vel vniuersaliter, vel non vniuersaliter: & tunc sunt octo propositiones de præsenti, totidem de futuro, totidem de præterito; si fuerit verbū substantiuum, tunc vel de secundo adiacente, uel de tertio, si de secundo, eodem modo sunt octo, secundum quodlibet temporum, si de tertio, tunc vel subiectum est infinitum, & tunc secundum prædicatum finitum, vel infinitum sunt octo secundum quodlibet temporum, vel de subiecto infinito, & tunc sunt totidem secundum tempora, vnde resultat magnus numerus, quem describere exemplis cuilibet erit facile. Quod si uelis hic sumere subiecta singularia, & particularia, facies tot enunciationes, quot præcedentes, demptis uniuersalibus, uniuersaliter, quia singularia, uel particularia uniuersalitatem non recipiunt.

Alter fructus est modi arguendi penes finitum, & infinitum, quorum unus modo, quando subiectum est finitum: alij duo sub ecto existente infinito. In subiecto finito, alter ab uniuersali affirmatiua infinita, ad negatiuā simplicem vniuersalē, & è cōtra sub ecto supponenti; ut omnis homo est non iustus, ergo nullus homo est iustus: alter ab affirmatiua finita particulari ad negatiuam infinitam particularem, & è contra, ut aliquis homo est iustus, ergo non omnis homo est nō iustus;

iisdem modi sunt seruato subiecto infinito, ut omnis non homo est non iustus, ergo nullus non homo est iustus; & aliquis non homo est iustus, ergo non omnis non homo est iustus, & hæc sufficiant circa hanc materiam de infinitis enunciationibus.

De enunciationum vnitate, ac pluralitate: & quo pacto veritas, & falsitas in eis reperiatur in prædicationibus coniunctis, atque diuisis. Cap. II.

1 *AT vero unum de pluribus, uel plura de uno affirmare, uel negare nisi sit unum aliquid, quod ex pluribus significatur, non est affirmatio, neque negatio una: Dico autem unum, non si unum nomen positum sit, non sit autem unum aliquid ex illis, ut homo est fortasse, & animal, & bipes, & mansuetum, sed ex his, vnum fit; ex albo autem, & homine, & ipso ambulare non est unum. Quare nec si vnum aliquid de his, affirmet aliquis, erit affirmatio vna; sed vox quidem vna, affirmationes vero multæ, nec si de vno ista: sed similiter multæ.*

2 *Si ergo Dialectica interrogatio responsionis est petitio, vel propositionis, uel alterius partis contradictionis; propositio vero cõtradictionis est unius pars: non erit vna responsio ad hæc, neq; enim interrogatio una, neque etiam si sit vera, dictum est autem de his in Topicis.* a Top.

3 *Simul autem manifestum est, quod nec hoc ipsum quod est, Dialectica interrogatio est, oportet enim datum esse ex interrogatione eligere, utram velis contradictionis partem enunciare, sed oportet interrogantem determinare, vtrum hoc sit homo, an non hoc.*

4 *Quoniam vero hæc quidem prædicantur composita, ut unum omne prædicatum fiat, eorum quæ extra prædicantur: alia uero non; quæ est differentia? De homine enim uerum est dicere, & extra animal, & extra bipes: & hæc ut unum: & hominem, & album: & hæc vt unum: sed non si corriarius est, & bonus etiam corriarius bonus, * Si enim quoniam utrumque uerum esse, oportet, & simul utrumque, multa inconuenientia erunt. De homine enim, hominem uerum est dicere, & album: quare & omne: rursus si album ipsum, & omne: quare erit homo albus, albus, & hoc in infinitum, & rursus musicus, albus, ambulans, & hæc eadem frequenter implicita in infinitum. Amplius si Socrates est, & Socrates est homo: Socrates est Socrates homo, & si homo, & bipes, erit homo bipes. Quod igitur, si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia, manifestum est.* * al. I. quare nõ rerũ uerum.

5 *Quemadmodum autem ponendum est, nunc dicimus. Eorum igitur quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum, accidens dicuntur, vel de eodem, uel alterum de altero, hæc non erunt unum: ut homo albus est, & musicus; sed non est unum album, & musicum, accidentia enim sunt vtraque. Nec si album, musicum uerum est dicere, tamen nõ erit album musicum unum aliquid: secundum accidens enim album musicum: quare non erit album musicum unum aliquid: quo circa nec corriarius bonus simpliciter: sed animal bipes: non enim secundum accidens.*

6 *Amplius nec quæcunque insunt in altero: quare neque album frequenter, neque*

neque homo, homo animal est, vel bipes: insũt, enim in homine animal, & bipes.

9 *Verum est autem dicere de aliquo & simpliciter: vt aliquem hominem, hominem, aut aliquem album hominem, hominem album, non autem semper. Sed quando in adiecto quidem aliquod oppositorum insit, quod consequitur contradictio, non uerum, sed falsum est: vt hominem mortuum hominem dicere: quando sit non sic, verum.*

8 *An etiam, quando insit quidem, semper non verum est; quando vero non insit, semper verum est; vt Homerus est aliquid, vt poeta, vtrum igitur est, an non: secundum accidens enim prædicatur, est, de Homero (quod enim est poeta) sed non secundum se prædicatur de Homero ipsum est.*

9 *Quare in quibuscunque prædicationibus, neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, & secundum se prædicentur, & non secundum accidens, in his aliquid & simpliciter verum erit dicere. Quod autẽ non est, quoniam opinabile est, nõ est uerum dicere esse aliquid, opinio enim eius est, non quod est, sed quod non est.*

Huius capitis scopus est, cum multæ sint enunciationes cõiunctę, quę plura prædicata, vel subiecta habẽt, & multæ sint simplices, q̃ singula ex illis per se prædicantur, aliquãdo euenit, vt quæ vere cõiuncta prædicamus, diuisim enũciemus fallo: ut cadauer, est homo mortuus: vera est coniuncta, diuisa falsa: cadauer est homo: aliquãdo diuisa vera enunciamus, vt homo est Musicus, homo est albus, tamen coniuncta falsa, est Musicus albus. Aristoteles igitur hoc capite docet, quãdo diuisa coniungere, quandoq; coniuncta diuidere liceat, & hic est scopus capitis: quod in tres particulas claritatis causa diuidi potest. Primo do-
9 cet quæ multiplex, quæ vna enunciatio sit; hoc enim necessarium est ad doctrinam de coniunctis, & diuisis: secundo mouet quæstionem circa hoc, & argumentis disputat circa illam. Tertio soluit difficultatem hanc, docendo quod intendit.

At uero unum de pluribus, uel plura de uno, &c.

Primo ergo cõstituit quid enũciatio vna, quid multiplex sit. Est autẽ aduertẽdũ q̃ possumus quadrupliciter enunciare, vel plura de pluribus, vt homo, & leo est fortis, & mansuetus; vel unum de uno, vt homo est albus; vel plura de uno, vt Deus est iustus, fortis, & patiens, vel unum de pluribus, vt homo, & leo est fortis: Inter has unam enunciationem uocat Aristoteles, quæ unum de uno enunciat, reliquas uero multiplices. Not.

Explicat autem, quid uocet unum, quid plura: unum non solum debet esse uoce, sed re significata, ita, ut si una uox sit, multa tamẽ æquiuoce significet, talis enũciatio simpliciter sit multiplex, secundum quid una, nempe uoce, vt canis currit; similiter plura intelligũtur re, quæ non faciunt unam rem per se, nã si sint plures uoces unam tñ rem significent, vel plura unam rem facientia per se, sicut animal bipes, mansuetum, quæ est definitio hominis, tunc talis erit enunciatio una. In summa, est consideranda unitas, uel pluralitas rerum significatarum, non uocum.

Dubitabis, quare Arist. dixit hæc uerba cum coniunctione, & dubitatione, nempe hõ fortasse est animal, & mansuetum, & bipes? respondens Boet. ex Porphyr. in secũda edit. docet, qđ istę partes definitionis dupliciter possunt prædicari; aut per se, & tunc faciunt plures enunciationes homo est animal, & hõ est bipes, & homo est mansuetus; aut coniunctæ, & tũc faciunt enunciationẽ unam, ut hõ est animal bipes, mansuetũ: hic autem illam cõiunctionem dicit per se sumi: ut sit sensus, istæ partes, per se sumptæ enunciationes plures faciunt, coniunctæ tamen, & quando de uno subiecto prædicantur, unam faciunt enũciationem, quia significant rem unam; dixit autem (fortasse) quasi aliquando accidat ex illa una plures fieri enunciationes, quando separatim partes sumuntur. Dubiũ.

Si ergo Dialectica interrogatio responsionis est, &c.

Iuxta Albert. & Escula. & alios, hic probat Arist. illam esse enunciationem multiplicẽ, in qua plura enunciamus, de pluribus, uel

vnum de pluribus, uel plura de uno: probat autem ex responsione: propositio enim est responsio interrogationis, sed illa nõ est una interrogatio, quæ fit per tot prædicata, vel subiecta, ergo nec erit una respõsio, nec una enunciatio, sed multiplex: unde qui petit, canis est; ne substantia? multa petit, ideo non debemus unica responsione respondere; etiã si uerum sit, illa multa enunciare simul. Accidit enim quod uera sit, ut Deus est iustus, & sapiens uerum quidem utrumque, sed interrogatio est multiplex, & ideo non debet esse unica responsio, hæc est interpretatio horum.

Altera expositio. At melius est cum Græcis, ista uerba, non tanquam probatiua, sed illatiua legere; ut sit sensus, ex quo tales enunciationes sunt multiplices, fit ut interrogationes harum non mereantur unam responsionem.

Nota. 1. Sed ut ista rectius intelligantur, aduerte, quod hic non de Dialectica in communi loquitur, quę in partem demonstratiuam, & Topicam est diuisa, sed solum de parte Topica.

Est autem discrimen inter eum, qui demõstratione utitur, qualis est ille, qui habet rei scientiam, & illum qui syllogismo Topico, qualis ille est, qui rei habet opinionem: qui demonstrat quærit semper necessaria, quæ semper uera sũt, nec aliter se habere possunt: ut quod homo sit risibilis, quod ignis sit calidus: & ea intentione circa illa uersabitur, ut eorum causam indaget, & consequatur. At Topicus considerat probabilia, quæ taliter se habent, ut aliter se habere possint, & ea inquirit, ut probabiliter & opinatiue cognoscat.

Hinc sequitur unum, quod qui utitur demonstratione sumit unam partem contradictionis probandam, nempe quæ necessaria est, nam ambæ partes simul necessarię esse nõ possunt: at qui Topice procedit, qui utraq; pars contradictionis potest esse probabilis, probat utramque, modo hanc, modo illam quod docet Aristot. 2. elench. cap. 12.

Hinc etiã sequitur, quod aliter, utitur interrogatione scientificus, & qui demonstrat, aliter Topicus: Qui demonstrat interrogat unam partem, quæ necessaria est, ut sibi demonstretur: petit enim Physicus, an anima sit immortalis, ut demonstret: petit Geometra, an triangulus habeat tres æquales duobus rectis, ut demonstret. At Topicus petit utramque partẽ contradictionis, siue hanc, siue illã, ut probabiliter circa utrãq; disputet.

Nota. 2. Est igitur interrogatio Dialectica, seu Topica contradictionis petitio, ut sibi hæc, uel illa detur pars: & hoc est, quod docet Arist. sed consideranda sunt uerba, inquit (est petitio responsionis, uel propositionis, uel alterius partis cõtradictionis) omnia idem sunt, sed notat uarios modos, uel respondendi, uel interrogandi. Topice aliquando solet responderi per particulam non, uel sic; ut est anima diuisibilis? potest dici, sic, uel non: propterea dicit est petitio responsionis: aliquando repetitur eadem propositio, ut si dicatur, anima est diuisibilis, ideo dicitur petitio propositionis: aliquando qui interrogat, exprimit duas partes, ut anima est diuisibilis, an non? & tunc respondetur per unam partem contradictionis, propterea dicit, est responsio alterius partis contradictionis.

Tamen hic aduerte, licet Topicus aliquando, interroget unam partem formaliter, aliquando ambas partes, uirtualiter semper interrogat utramque partem contradictionis, siue hoc, siue non, quod non facit demonstrator, nec uirtualiter, nec formaliter. Nota. 3.

Simul autem manifestum, est quoniam, &c. 3

Hic unum infert, quod maxime declarat interrogationem Topicam, nempe petere, quid est homo? non est Topica interrogatio, nec petere quid hoc est? Pro quo aduerte ex Boet. in secunda editione, triplex est interrogatio; prima est Topica, quæ contradictionis partem quærit, ita ut determinet contradictionem, sed liberum relinquat respondenti, quamlibet eligere: ut qui dicit, anima est una, an non? hic, coarctat interrogans respondentem, ut intra has partes respondeat, sed manet in electione, hoc, uel illud respondere. Hæc igitur est interrogatio Topica. Alia est interrogatio non dialectica, seu non Topica, quæ inter contradictionis partes non quærit, sed uaga est, quæ si fuerit rei necessariæ, est demonstratiua, ut quid est homo? hic enim nullam partem determinat: similiter quæ differentia est animalis? si uero fuerit rei accidentis, seu contingentis, est interrogatio familiaritatis: ut cuius est domus? qñ uenisti? hic patet sensus Arist. dicit. n. quid est non esse interrogationem Nota. 4.

Diale-

Dialecticam, id est Topicam, quia non determinatur ad partes contradictionis alicuius, & obserua hanc doctrinam.

Dubiũ. Obijcies, primo Top. cap. 4. inter interrogationes Topicas est vna, definitionis problema, definitio autem explicat quid est, ergo est interrogatio Topica ipsius quid est. Dico ad hoc. Duplex est quæstio, seu interrogatio, quid est; altera vaga, & indeterminata ad partes contradictionis; vt si dicas; quid est homo? quid est Angelus? & talis nõ est Topica, vt hic dicitur; altera est determinata sub contradictione, ut vtrum animal rationale sit definitio hominis, nec ne? & talis est Logica, & hoc docet primo Top. Idem est dicendũ de Genere, & de Differẽtia, quæ si interrogentur vagæ, non sunt interrogationes Topicæ: vt, quod est Genus hominis? quæ est Differentia hominis? si vero determinate petantur sunt Logicæ: vt an rationale sit differentia hominis, nec ne? & hanc solutionem maxime obserua, quam etiã Arist. hic exprimit: dum dicit, Dialecticum determinare, an hoc sit homo, an non hoc.

4 *Quoniam vero hæc quidem prædicantur composita, &c.*

Incipit Arist. quæstionẽ de coniunctis, & diuisis proponere, huiusmodi aũt est interrogatio: Cum multa diuisim vere enuncietur, quæ si cõiuncta prædicemus, enunciatio falsa erit: alia aũt multa, & coniuncta, & diuisa vere enuncietur, quæ erit huius distinctionis causa? quod autẽ illud ita eueniat, patet: dicimus enim vere diuidẽtes: Socrates est homo, & Socrates est albus, & etiam vere coniungimus, Socrates est homo albus; similiter, homo est animal, & homo est bipes, & cõiunctè homo est animal bipes: aliquãdo non ita: dicitur enim homo est cytharædus, & homo est bonus, nõ autem est cytharædus bonus, si enim ille sit illud olus non tamen admodum peritus artis cytharizandi, diuisa est vera, coniuncta est falsa.

Quid igitur dicetur ad hoc? posset quis respondere, & assignare regulam hanc, quando diuisa enunciare verum est, tunc enunciare coniuncta verum erit: hoc reijcit Arist. tanquam falsum. Primo de homine est verũ dicere, quod est homo, & quod est albus, ergo cõiunctè, quod est homo albus, vel vlterius de illo homine verũ est, dicere, quod est homo albus, & verũ quod est albus ergo dicetur quod est homo albus, albus; & iterum summã illud idem, & faciã multas nugationes, quod non licet; præterea, de homine est verũ dicere, quod albus, & diuisim quod est Musicus, & quod est ambulãs, ergo quod est albus Musicus ambulans; & iterum de homine est verum istã coniunctè dicere, & iterum unum ex illis, ergo omnia coniunctè, & iterũ sæpius illa implicabo, quod absurdum maximè est: præterea Socrates est Socrates, & est homo, ergo dicam Socrates, est Socrates homo, quæ est nugatio, nec admittenda.

5 *Quemadmodum autem ponendum est, &c.*

Determinat hanc difficultatem, & primo de coniunctis, quando liceat diuisa coniungere, postea de diuisis, quando liceat coniuncta diuidere: circa primum duas regulas assignat, quando non licet diuisa coniungere: Altera est, quando quæ diuisim prædicantur, sunt accidentia ad inuicem, uel respectu alicuius tertij; nam tunc talia non faciunt unum per se, v.g. homo est albus, & homo est musicus, nõ ualet, ergo est albus Musicus, quia utraque accidunt homini, similiter homo est cytharædus, & est bonus, non ualet, ergo est cytharædus bonus, quia utraq; accidunt homini, & ad inuicem etiam; dico (ad inuicem) quia si unum alteri accidat, non è contra, non impedit, ut Socrates est homo, & est albus, ualet, ergo est homo albus, quia unum est accidens alterius, non aũt è cõtra.

6 *Nec quæcumque insunt in altero, &c.*

Altera regula est, ne ex his, quæ diuisa prædicantur, unum includatur in altero actu, qua ratione superiora argumenta non valẽt cõiuncta, quia in una parte actu includitur altera: dico (actu) quia potentia nihil prohibet: dicimus enim, homo est animal, & rationale, ergo est animal rationale, & tamen animal, quia genus est, differentias continet in potentia.

7 *Verum est autem dicere de aliquo, & simpliciter, &c.*

Hic de diuisis agit ostenditque cõiuncta diuidere

diuidere

diuidere aliquando licere, vt hic est homo albus, ergo est homo, & est albus, sed non semper id licet; quando vero nõ liceat, duab. regulis explicat, altera est, quando coniunctum constat ex partibus repugnantibus non licet uti diuisione; dicitur enim, cadauer est animal mortuum, sed non diuides, ergo est animal: similiter imago est homo, pictus, nõ valet, ergo est homo, quia illa duo repugnãt quod sit mortuum, & animal, quod sit homo, & quod sit pictus: dices tu si repugnant, quomodo coniunguntur, non enim dicitur homo irrationalis. Dico, & aduerte: quando

Nota. iunguntur, vnum non retinet significationẽ principalem, sed transumptiuam, ibi enim fit distractio termini, vt non pro significato proprio, sed improprio supponat, ut quando non additur membrum distrahens, non fit coniunctio, propterea non dicitur homo irrationalis, nec animal insensibile.

2 *An etiam quando inest, semper non uerum est, &c.*

Dubitat Aristote. an sicut semper est falsum huiusmodi coniuncta repugnantia diuidere, ita semper uerum sit reliqua coniuncta semper diuidere, & docet adhuc non esse, quod explicat Auerr. & Boet. quando partiũ coniunctio, una per alteram inest subiecto, dicitur per accidens, unde non ualet, est Cytharædus bonus, ergo est bonus, quia bonus inerat subiecto per artem cytharizandi, non per se: uide Caietanum hic.

Et ponit alteram regulam, quando unum prædicatur per accidens, non licet diuidere ut Homerus est poeta, est uera, non tamen licet dicere, ergo Homerus est: quia, est per accidens prædicatur.

Dubiũ. Dices tu quid est, quod (Est) per accidens prædicetur? nota ex Boet. & Ammo. Aliquãdo (Est) unit suã significationẽ nempe existẽtiã immediate subiecto, & mediate unit prædicatum, ut homo est albus. i. existit albus, & tunc dr̃ per se prædicari. i. immediate de subiecto. aliquãdo nõ immediate subiecto unitur, sed mediante prædicato, ut Homerus est Poeta; nõ dr̃ hic, quod Homerus immediate per se existat, sed existentia illi applicatur ratione Poetæ, ut sit sensus: Homerus in sua poesi existit, non in se, & tũc dr̃ per accidens prædicari de subiecto, quia non ratione sui, sed ratione talis prædicati, & hoc obserua, ubi uides clare ipsum (est) de tertio adiacente prædicari.

3 *Quare in quibuscunque prædicationibus, &c.*

Concludit Arist. hic ostendens, quando ita non fit, ut in his duobus casibus, coniuncta diuidi possunt, & pro primo casu ostendit, quando cognoscatur repugnantia illorum coniunctorum; nempe si definitiones eorum assignẽtur, ut patet si definiatur animal, & mortuũ, tũc cognoscitur repugnantia: animal. n. est uiuẽs, mortuum uero priuatũ uita.

Secundam regulam ostẽdit pulchro, exemplo de re, quæ non est, dicimus quod est imaginabilis, seu opinabilis; dicere aũt quod opinabilis est, nõ est dicere, quod est in se, immo non est, sed dicitur quod existat, non in re, sed in imaginatione, ita fit in illis, Homerus est Poeta, &c.

Circa hoc aduerte; qñ diuisa coniungis, ut serues idẽ subiectum pro eodem, & secundũ idem tempus, & coniungas totalia prędicata, unde non ualet, animal est cygnus, & animal est nigrũ, ergo est animal cygnus niger, non .n. pro eodẽ sumis subiectum, nec ualet, Cicero fuit puer, & fuit sapiens, ergo fuit puer sapiens, non. n. idem tempus sumis, nec ualet uideo hominem, & uideo nigrum, ergo uideo hominem nigrum, quia totalia prædicata nõ iungo, prædicata autem totalia sunt uidens hominem, & uidens nigrum: circa diuisionẽ aduerte, quando negata diuidis, diuide disiunctiue, ut Socrates nõ est homo albus, ergo nõ est homo, uel non est albus, at affirmata copulatiue, ut Socrates est homo albus, ergo est homo, & est albus: hæc de hoc capite.

De enunciationibus cum modo, & earum adinuicem oppositionibus, ac consequentijs, tum ex aliorum, tum ex propria opinione.

Cap. III.

1 Sectio quarta secundũ Græcos *His uero determinatis considerandum est, quemadmodum se habent negationes, & affirmationes ad seinuicem, quæ sunt de possibili esse, &*

& non possibili, & de contingenti, & non cõtingenti, & de impossibili, & necessario: habent enim aliquas dubitationes. Nam si eorum, quæ complectuntur, illæ sunt sibi inuicem oppositæ contradictiones, quæcunque secundum esse, & non esse disponuntur vt eius quæ est, esse hominem, negatio est, non esse hominem: non ea quæ est esse non hominem: & eius quæ est, esse album hominem, ea quæ est non esse album hominem, sed non ea quæ est, esse non album hominem (si enim de omni, aut affirmatio, aut negatio est, lignum erit verum dicere esse nõ album hominem)* quod si hoc modo, & in quibuscunque esse non additur, idem faciet quod pro esse dicitur: vt eius quæ est, homo ambulat non hæc, ambulat nõ homo negatio erit, sed hæc, non ambulat homo; nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel hominem ambulãtem esse. Quare si hoc modo vbique, & eius quæ est possibile esse, negatio erit possibile non esse, sed non ea quæ est non possibile esse.

* A. lege addit. qđ incõueniens est.

2 Videtur autem idem posse, & esse, & non esse: omne enim quod est possibile diuidi, vel ambulare, & non ambulare, & non diuidi possibile est. Ratio autem est, quoniam omne quod possibile est, non semper in actu est: quare inerit ipsi etiam negatio: potest enim non ambulare quod est ambulatiuum, & non videre quod est visibile: at vero impossibile est de eodem oppositas veras esse affirmationes, & negationes: non igitur eius, quæ est, possibile esse, negatio est hæc, possibile non esse.

3 Contingit enim ex his, aut idem affirmare, & negare simul de eodem, aut non secundum esse, vel non esse, quæ opponuntur fieri affirmationes, & negationes: si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendum: est igitur negatio eius quæ est possibile esse, ea quæ est, non possibile esse, sed nõ ea quæ est, possibile non esse. Eadem quoque ratio est, & in ea, quæ est, cõtingens esse: etenim negatio eius est, non contingens esse, & in alijs quoque simili modo, vt in necessario, & impossibili.

Fiunt enim quemadmodum in illis esse, & non esse oppositiones, subiectæ vero res, hoc quidem album, illud vero homo: eodem quoque modo hoc in loco esse quidem, & non esse, vt subiectum fit, posse vero, & contingere oppositiones sunt, determinantes (quemadmodũ in illis esse, & non esse) veritatem, & falsitatem: similiter hæ in eo, quod est, esse possibile; & esse non possibile. 4

Eius vero quæ est, possibile non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile esse, sed ea quæ est, non possibile nõ esse, & eius quæ est possibile esse, non ea quæ est; possibile non esse, sed ea quæ est, non possibile esse. Quare & sequi se se inuicem videbuntur, possibile esse, & possibile non esse: idem enim possibile esse, & non esse: non enim contradictiones sunt sibi inuicẽ huiusmodi possibile esse, & possibile non esse. Sed possibile esse, & non possibile esse, nunquã simul in eodem veræ sunt, opponuntur enim: neque ea quæ est possibile non esse, & non possibile non esse: nunquam simul in eodem veræ sunt. Similiter autem, & eius quæ est necessarium est esse, negatio non est ea, quæ est, necessarium non esse, sed ea quæ est, non necessarium est esse, & eius quæ est, necessarium non esse, ea quæ est, non necessarium non esse, & eius quæ est impossibile esse, non est, ea quæ est impossibile non esse, 5

sed

sed hæc, non impossibile esse: eius vero quæ est, impossibile non esse, ea quæ est, non impossibile non esse; Vniuersaliter vero (quemadmodum dictum est) esse quidem, & non esse oportet ponere, quemadmodum subiecta: negationem vero, & affirmationem hæc facientem, ad esse, & non esse apponere: & has oportet putare esse oppositas dictiones; possibile, & non possibile; contingens, non contingens; impossibile non impossibile; necessarium, non necessarium; verum non verum.

6 *Consequentiæ verò secundum rationem sunt cum ita ponuntur: illam enim quæ est, possibile esse, sequitur ea quæ est, contingit esse, & hæc conuertitur illi, & nō impossibile esse, non necessarium esse: illam verò quæ est possibile non esse, & contingens non esse, ea quæ est, non necesse non esse, & non impossibile non esse: illam autem quæ est: non possibile esse, & non contingens esse, ea, quæ est impossibile esse, & necesse non esse; illam verò quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse, ea quæ est impossibile non esse, & necessarium esse: consideretur autem ex subscriptione, quemadmodum dicimus.*

Enunciationum modalium consequentia secundum alios.

Ordo I.

Antecedentes.

Possibile esse.
Contingens esse.

Sequentes.

Non impossibile esse.
Non necessarium esse.

Ordo II.

Antecedentes.

Possibile non esse.
Contingens non esse.

Sequentes.

Non impossibile non esse.
Non necessarium non esse.

Ordo III.

Antecedentes.

Non possibile esse.
Non contingens esse.

Sequentes.

Impossibile esse.
Necessarium non esse.

Ordo IIII.

Antecedentes.

Non possibile non esse.
Non contingens non esse.

Sequentes.

Impossibile non esse.
Necessarium esse.

7 H*Aec igitur impossibile, & non impossibile, eam quæ est contingens, & possibile, & non contingens, & possibile sequuntur quidem contradictoriè, sed conuersim; eam enim quæ est possibile esse, negatio impossibilis sequitur, quæ est, non impossibile esse, negationem verò affirmatio: nam illam non possibile esse, ea quæ est; impossibile esse, affirmatio enim est impossibile esse: non impossibile verò negatio.*

Necess-

8 Necessariū verò quemadmodum se habet, considerandū est: Manifestum est enim, ꝙ non eodem modo se habet, sed contrariæ sequuntur, contradictoriȩ aūt sunt extra: nō enim est negatio eius, quæ est necesse non esse, ea quæ est non necesse esse, contingit enim veras esse vtrasq; in eodem; quod enim est necessarium non esse, non est necessarium esse.

a.l.autē.

9 Causa aūt huius est, cur non sequitur necessariū similiter ceteris, quoniā contrariæ, impossibile est, necessario redditur idem valet: nō quod impossibile esse, necesse hoc, non quidē esse, sed potius non esse, quod verò impossibile non esse, hoc necessarium esse. quare si illa similiter sequuntur possibile, et non possibile: hæc è contrario: quoniā non significāt idem necessarium, & impossibile, sed (quemadmodum dictum est) cōuersim.

10 Aut certè impossibile est sic poni contradictiones necessarij, nam quod necessarium esse, possibile esse: nam si non, negatio consequetur; necesse enim est, aut affirmare, aut negare, quare si non possibile esse, impossibile esse: igitur impossibile esse, quod necesse esse, quod est inconueniens. At verò illam quæ est, possibile esse, non impossibile esse, sequitur. haud verò; ea quæ est non necessarium esse, quare contingit quod necessarium esse, non necessarium esse: quod est inconueniens.

11 At verò neque necessarium esse, sequitur eam quæ est, possibile esse, neque ea quæ est necessarium non esse: illi enim vtraque contingit accidere; harum autem vtralibet vera fuerit, non erunt illa vera: simul enim possibile esse, & non esse: si verò necesse esse, vel non esse, non erit vtrumque possibile: relinquitur ergo non nessarium non esse, sequi eam quæ est, possibile esse: hæc enim vera est, & de necesse esse; hæc enim fit contradictio eius, quæ sequitur illam quæ est, non possibile esse: illam enim sequitur ea quæ est impossibile esse, & necesse non esse, cuius negatio est, non necesse non esse. Sequuntur igitur & hæ contradictiones secundum prædictum modum: & nihil impossibile contingit sine positis.

Enunciationum modalium consequentia secundum Aristotelem.

	Ordo I.		Contrariæ.		Ordo II.	
Amábimús	Antecedentes. Possibile esse. Contingens esse.	Contra-	Contrariæ.	dictoriæ.	Antecedentes. Possibile non esse. Contingens non esse.	Edentuli.
	Sequentes. Non impossibile esse. Non necessarium non esse.	Contra-		dictoriæ.	Sequens. Non impossibile non esse. Non necessarium esse.	
	Ordo III.		Contrariæ.		Ordo IIII.	
Púrpúreá	Antecedentes. Non possibile non esse. Non contingens non esse.	Contra-		dictoriæ.	Antecedentes. Non possibile esse. Non contingens esse.	Iliacé
	Sequentes. Impossibile non esse. Necessarium esse.	Contra-	Contrariæ.	dictoriæ.	Sequentes. Impossibile esse. Necessarium non esse.	

Dubi-

Dubitabit autem aliquis, si illā quę est necessarium esse, ea quæ est possibile esse sequitur: Nam si non sequitur, contradictio sequetur, quæ est, non possibile eße, & si quis, hanc non esse dicit contradictionem, necesse est dicere possibile non esse, quæ vtræque falsæ sunt de necesse eße.

* A.l.ad dit quare ad necessariũ esse, possibile esse sequitur.

* At uerò rursus idem videtur esse possibile incidi, & nō incidi, & esse, & non esse: quare erit necesse esse contingēs non esse, hoc autem falsum est.

Manifestum est autem, quod non omne possibile, uel esse, uel ambulare esse op posita potest: sed est in quibus, non sit uerum: primum quidē in ijs, quæ non secundum rationem possunt, vt ignis calefactiuus est, & habet uim irrationalem. Quæ igitur secundum rationem potestates sunt, eædem plurium etiam contrariorum sunt: irrationales uerò non omnes: sed (quemadmodum dictum est) ignem non est possibile calefacere, & non: neque quæcunque alia semper agunt, alia uerò possunt, & secundum irrationales potestates simul opposita suscipere: sed hoc huius gratia dictum est: quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neque quæcunque secundum eandem speciem dicuntur.

Quædam verò potestates æquiuocę 3
sunt: possibile enim non simpliciter dicitur; sed hoc quidem, quoniam verum est quod in actu est, ut possibile ambulare; quoniam ambulat iam, & omnino possibile esse, quoniam iam est in actu quod dicitur esse possibile: illud vero, quoniam actu eße potest, ut possibile ambulare, quoniam ambulare posset, & hæc quidem in solis mobilibus est potestas, illa uero, & immobilibus: utrumque uero uerum est dicere possibile ambulare, vel eße: & quod ambulat, & actu est, & ambulatiuum. Sic igitur possibile non est verum de necesßario simpliciter dicere, alterum autem uerum est. Quare quoniam partem uniuersale sequitur, illud quod ex necesßitate, consequetur posse esse, sed non omne.

Et est quidem fortaße principium 4
quod necessarium est, & quod non necessarium est, omnium vel esse, vel non esse, & alia; veluti horum consequentia considerare oportet.

Aliorum modorum ad ipsum necessarium consequentia.

Ordo I.

Necessarium esse.
Non possibile non esse.
Non contingens non esse.
Impossibile non esse.

Ordo II.

Non necessarium esse.
Possibile non esse.
Contingens non esse.
Non impossibile non esse.

Ordo III.

Necesßarium non esse.
Non possibile esse.
Non contingens esse.
Impossibile esse.

Ordo

Ordo IIII.

Non necessarium non esse.

Possibile esse.
Contingens esse.
Non impossibile esse.

16 *Manifestum est autem ex ijs, quæ dicta sunt, quod id quod ex necessitate est secundum actū est: quare si priora sunt sempiterna, & quæ actu sunt potestate priora sunt: Et hæc quidem sine potestate actus sunt, ut primæ substantiæ, alia uerò cum potestate, quæ natura quidem priora sunt, tempore verò posteriora: alia autem nunquam actus sunt, sed potestates solum.*

1 *His uerò determinatis perspiciendum est, &c.*

ISTA est huius libri tertia principalis pars, in qua de enunciationibus modalibus disserit, i. de enunciationibus, quæ aliquem habent modum ex his, possibile, contingens, impossibile, necesse, ratione quorum enunciationes nouum habent oppositionis modum præter reliquas.

Atque hoc caput in tres partes principales est diuisum, in prima de harum oppositione disserit, in secunda de earum mutua consequentia, in tertia dubium quoddam soluit de possibili, & necessario.

Circa primum quærit, an oppositiones in his sint sumendæ, ab eo; quod est esse, vel non esse, idest, an illæ sint contradictoriæ, quarum una dicit rem esse, altera rem non esse, & ex vna parte probat ita esse, quia in alijs omnibus enunciationum oppositionibus ita fit, ut patet, si discurramus per omnes: primū in his, quæ sunt de secundo adiacente, huic hō est, opposita non est, non homo est, sed in qua ipsum est negatur, homo non est: similiter de tertio adiacente, est albus homo, negatio est, non est albus homo; non autem illa, est non albus homo; nam si ista esset; duæ contradictoriæ vere esse possent, quæ tamen non possunt; sed si negatio vera est, affirmatio falsa est, & è contra? & si negatio falsa affirmatio vera est: at istæ si sūt oppositæ, est albus homo, est non albus homo, sequitur qđ esset vrum dicere de ligno, quod est non albus homo, quæ tamen falsa est; quod tamen sit vera, patet, quia eius affirmatio est falsa, est albus homo de ligno, ergo nō est illa eius negatio; sed hæc in qua negatur (est) non est albus homo; idem fit in alijs verbis, quæ quamuis non sunt ipsum, est, tamen se habēt ad ipsius modum, vt homo ambulat, negatio non est, nō homo ambulat, sed homo non ambulat, simili ergo ratione huius negatio possibile esse, erit possibile non esse, in qua ipsum, est, negatur sicut in alijs.

Videtur autem idem posse esse & non esse, &c. 1

Ex opposita parte argumentatur Arist. si oppositio huiusmodi sumatur in his: sequitur duas contradictorias esse veras simul, hoc autem impossibile est: ergo oppositio non sic est sumenda secundum esse, & non esse in his: illa maior patet, nam idem potest esse, & non esse, ambulare, & non ambulare, incidi, & non incidi, quia non omnia semper actu sunt, idest, non omnia semper habent operationem, sed aliquando sunt, & operantur: postea non sunt, nec operantur, propterea idem & potest esse, & potest non esse, ecce quo pacto duæ opppositæ simul veræ de eodem existunt.

Contingit enim ex his aut idem affirmare, &c. 3

Ex his concludit Aristoteles, vel asserendum esse duo opposita esse vera, vel oppositionem non penes esse, vel non esse, sumendam esse in istis; at minus inconueniens est hoc asserere, q̄ docere duas oppositas simul ueras: propterea hoc erit dicendum, oppositionem in istis non secundum esse, uel non esse consistere, sed secundum modum ipsum: unde eius, possibile esse, negatio non erit, possibile non esse, sed non possibile esse: & eius, contingens esse, hæc non contingens esse, & uniuersaliter obserua, ut semper uerbum relinquas in utraque simile, modum aūt neges, vel affirmes: & sic oppo-

sitionem

ſitionem certam in omnibus facies, vt in exẽplis poteris comperire.

4 *Fiunt autem quemadmodum in illis esse, &c.*

Comparat Ariſt. has modales ad reliquas enunciationes, & aſſignat duo diſcrimina notanda. Alterum eſt, in illis ipſum (eſt) habebat locum principalis oppoſitionis, & prædicati, nomina vero erant ſubiectum, vt homo eſt albus, ipſum (eſt) hic eſt forma: homo & albus ſunt reſpectu eius ſubiecta. At hic in modalibus ipſum (eſſe, vel non eſſe) habet locum ſubiecti: ipſe vero modus eſt prædicatum: vt poſſibile eſt eſſe, poſſibile eſt nõ eſſe.

Alterum eſt: illic veritas, vel falſitas ſecundum eſſe, vel non eſſe conſiderabatur, ut homo eſt, homo non eſt, & harum veritas, vel falſitas à verbo dependet, id eſt quando res, ita ſe habet, ſicut verbum ipſum enunciat. At hic, non à verbo, ſed à modo dependet, vt poſſibile eſt eſſe, huius ueritas non ab eo quod res eſt, vel non eſt, vt uerbum notat, petenda eſt: ſed a modo; nempe ab eo, quod eſſe poteſt quamuis actu non ſit.

Nota. In quo unum docemur maxime neceſſarium, pro modalium veritate, uel falſitate indaganda: non reſpicere ſolum tempus per uerbum importatum; ſed ipſam modi qualitatem: nec reſpicere ſolum, an ita ſit, ut uerbũ enunciat: ſed modus eſt conſiderandus. Si quis enim dicat, Petrus impoſſibiliter currit, quãuis non currat, eſt falſa: quia modus denotat, ſic nõ currere, vt nõ poſſit currere.

Et inde aliqui nouas regulas faciunt, nempe ad ueritatem enunciationis de poſſibili requiri nõ quod res ſit, ſed quod poſſit eſſe, ſicut ad falſitatem, non quod res non ſit, ſed quod non poſſit eſſe, & alias ſimiliter conſtituunt regulas pro alijs, quæ ex modorum ſignificatione cuilibet aduertenti parum notæ eſſe poſſunt, & olim diximus in introductione.

5 *Eius vero, quæ eſt poſsibile non eſse negatio eſt, &c.*

Proſequitur Ariſtot. exempla proponere earum oppoſitarum, quæ ſecundum modi negationẽ conſtituũtur: & quia ſuperius poſuit exempla, quãdo eſſe eſt affirmatum: modo ponit, quando eſſe eſt negatum.

Vt verbo uno dicam, aduerte, oppoſitionẽ conſiſtere in negatione ipſius modi inuariato manente ipſo infinito verbi; nam ſi in vna oppoſita fuerit negatum, ita maneat in altera, ſi affirmatum uero, ſimili modo. v. g. huius poſſibile eſt eſſe, eſt negatio non poſſibile eſt eſſe; & huius, poſsibile eſt non eſſe, hæc non poſsibile eſt non eſſe; & huius impoſsibile eſt eſſe, hæc, non impoſsibile eſt eſſe; huius autem poſsibile eſt non eſſe, hæc, non poſſibile eſt non eſſe: idẽ in alijs eſt faciendum, atque hæc eſt prima pars huius capitis, in qua harum oppoſitio continetur. Nota.

In ſecunda parte continentur harum cõſequentiæ, & quia multa circa hoc diximus in introductione noſtra; non admodum in his immorabimur; ſed aliqua repetemus, quãtum pro huius partis intelligentia ſufficiat. ut auditores has enunciationes memoria tenere ualeant.

Erit igitur primo aduertendũ quatuor eſſe enunciationes ſecundum modos quatuor, hoc ordine conſtitutas, ut prima ſit de poſsibili, ſecunda de cõtingẽti, tertia de impoſsibili, quarta de neceſſario: in ſingulis autẽ ex his duæ ſunt partes, altera uerbũ modi infiniti, ut in hac, poſsibile eſt currere, contingens eſt eſſe; quod habet locum ſubiecti, & dicitur communiter dictus, altera pars ipſe modus cum uerbo. 1. Fund.

Secundum quæ duas partes conſtituitur quadruplex ordo modalium, primus earum in quibus tam modus, quam dictũ ſunt affirmata, ut poſsibile eſt currere, contingens eſt ambulare, & reliqua. Secundus ordo eſt earũ, in quibus modus affirmatur, ſed dictum negatur, ut poſsibile eſt non currere: contingit non ambulare, impoſsibile eſt non uiuere, neceſſarium eſt non moueri. Tertius ordo earũ in quibus negatur modus, ſed affirmatur dictum; ut non poſsibile eſt currere, & ſimilia. Quartus earum, in quibus negatur utrũque, ut non poſsibile eſt non currere.

Ex quo fit, ut ſinguli modi faciãt quatuor enunciationes hoc ordine, ut in prima, totũ affirmetur, in ſecunda affirmetur modus negato dicto, in tertia negetur modus affirmato dicto, in quarta negetur utrumque; ut facile eſt cuilibet in tabula has deſcribere ordine modorum, qui eſt, poſsibile, contingens, impoſsibile, neceſſe.

Sit

2.Fund. Sit secundum fundamentum. Quælibet harum de possibili habet alias tres sibi respondẽtes, vnam de contingenti, alteram de impossibili, tertiam de necessario.

Vnde efficitur, vt in omni ordine sint quatuor æquiualentes, v.g. in ordine primo enunciationum de possibili, scilicet, quando totũ est affirmatum, vt possibile est currere, respõdet ei, altera de contingenti, scilicet, contingens est currere, alia de impossibili, nempe nõ impossibile est currere: ultima de necessitate, non necesse est non currere, idem fit in alijs ordinibus.

3.Fund. Sed vt optime sciatur quæ quibus æquiualeant, in singulis ordinibus oportebit dictiones quasdam antiquorum explicare: aduerte igitur tertio, esse quatuor has dictiones Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea, in quibus omnes hæ æquiualentes continentur: circa quas aduerte. Primas syllabas significare modales de impossibili: Secundas de cõtingẽti: Tertias de impossibili: Quartas de necessario: præterea in illis sunt quatuor vocales. A. designat modalem totam affirmatiuã. E. designat negatiuam de dicto, affirmatiuam de modo. I. negatiuam de modo, affirmatiuam de dicto. V. negatiuam de vtroque.

In his ergo dictionibus facile comperies omnes æquipollentes, si obserues, quæ syllaba cui modo correspondeat; & qualis litera fuerit, talem facies modalem. v. g. in Amabimus: Prima syllaba est de possibili, & quia est A. erit tota affirmata, ut possibile est currere: Secunda est de cõtingenti, & quia est A. erit etiam tota affirmata, ut contingẽs est currere: Tertia est de impossibili, & q̃a est. I. erit negata de modo, sed affirmata de dicto, vt non impossibile est currere: Quarta est pro necessario, & quia est. V. erit tota negatiua, vt non necesse est nõ currere: hæ igitur quatuor sunt æquiualentes: eadem arte tu poteris inuenire in alijs, & in tabula describere, quæ quia late à me iam sunt in introductione disputata, prætereunda sunt, non quod necessaria non sint, sunt enim maxime, sed quia facile ex illis intelligi possunt.

4.Fund. Sit quartũ fundamentũ. Si uelis oppositiones omnes harum cognoscere, scias eas, quæ in prima, & tertia dictione cõtinẽtur, sibi esse inuicẽ contradictorias, similiter q̃ sunt in secũda, & quarta; & tertia, & quarta sunt cõtraria; prima, & secũda subcõtraria, quãuis Arist. præcipue hic contradictorias, consideret: his suppositis ad textus explicationẽ accedamus.

Consequentiæ vero secundum rationem fiunt, cum ita ponuntur, &c. 6

Hic Aristot. harum modalium consequentias, secundum antiquorum opinionem ponit: & ita constituit quatuor ordines modalium, in quibus hoc unum discrimen ab his, quas Aristot. assignat, & nos supra assignauimus, inuenies: quod in primo ordine, loco huius non necessarium est non esse, habet nõ necessarium est esse, sicut non impossibile est esse, ponunt enim has, possibile est esse, cõtingens est esse, non impossibile est esse, non necessarium est esse, & ita sicut nos diximus Amabimus, ipsi dicerent Amabitis: preterea in secundo ordine, sicut nos dicimus non necessarium est esse, dicunt, non necessarium est non esse, & dicerent Edentulus permutãt enim in quartum modalem primi, ultimam secundi ordinis, in reliquis idem dicunt, cum Arist. & his, quæ supra diximus.

Hæc igitur impossibile, & non impossibile eam quæ est, &c. 7

Approbat Arist. aliqua quæ dicta sunt ab antiquis circa tres modos primos, possibile enim cõtingens, & impossibile, se mutuo sequuntur contradictoriè tamen, ut non possibile, & non contingens inferunt impossibile, & è contra, & non impossibile infert possibile, & contingens, & è contra, dicto inuariato manente in omnibus, contradictione facta sola in modis.

Necessarium vero quemadmodum se habet, &c. 8

Circa necessarium uero non bene antiqui senserũt, & ut intelligas istum textũ recordare illius, quod diximus, primum, & tertium ordinem sibi contradicere: similiter secundum, & quartum: duos vero ultimos tertium & quartum esse contrarios, cum igitur isti antiqui in tertio, & quarto bene assignauerint modales, sequitur, ut in contrarijs de necessario non errauerint, immo recte assignabant, quarta in de Iliace est necessarium non esse, quarta de Purpurea est necessarium esse, quæ contraria sunt, possunt enim ambo

esse falsa, simul autem uera esse nequeunt, at in primo, & secundo ordine errabant circa quartas de necessario; propterea non assignabant veras contradictorias; nam primus ordo contradicit tertio, secundus quarto, in tertio autem quarta de Iliace est necessariū nō esse, in primo ordine, quia dicebāt, Amabitis, est ista, non necessarium est esse, & sic constituebant has contradictorias, necessarium est non esse, & non necessarium est esse: similiter in secundo constituebant has contradictorias, non necessarium est non esse, & necessarium est esse in Purpurea, & Edentuli, quæ contradictoriæ ueræ non sunt.

Hoc igitur est, quod dicit Arist. (circa necessarium contrariæ sequuntur, id est, bene sunt assignatæ, (at cōtradictoriæ sunt extra) idest non sunt veræ contradictoriæ, & hoc in enunciationibus de necessario, aliæ enim bene assignātur. & hoc est quod dicit, illius, necesse est non esse, quæ est in Iliace, non est contradictoria hæc quā isti assignāt, non necesse est esse, dicentes Amabitis, & probat nō esse oppositas, q; ambæ ueræ simul esse possunt; ut patet: nā Chimeram necesse est non esse, & eādem non est necesse esse: & hoc est quod dicit, quod enim necessarium est non esse, non est necessarium esse ut exemplo patet, non igitur sunt contradictoriæ.

9 *Causa autem huius est, quod non sequitur necessariū similiter ceteris, &c.*

Dicet aliquis, cur sicut dicimus possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse, ubi semper manet esse affirmatū, nō etiam dicemus non necessarium est esse, ut in omnibus quatuor consequentibus remaneat dictū eodē modo? causam huius docet; quia sicut ipsi modi possibile, & impossibile; quia idē non significant, modo opposito se consequuntur, vt impossibile, & nō possibile, similiter possibile, & nō impossibile: ita impossibile, & necessarium idē dicunt, sed opposito modo secundū dictū; nā quod est impossibile esse, est necessariū non esse, & quod est necessariū esse, est impossibile nō esse; cū ergo secundū dictū opposito modo se sequantur, non pōt eodem modo esse in utraque; vnde istę nō æquiualent, nō impossibile est esse, nō necessariū est esse, sed nō esse, ut dicet inferi⁹, sicut nec illę ęquipollēt, possibile est esse, impossibile est esse, sed nō impossibile est esse.

At certe impossibile est sic poni contradictiones necessario, &c. 10

Argumento probat non sic ponendam cōtradictionem de necessario, ac si dicat, istæ non sunt æquiualentes, possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse, cum hac nō necesse est esse: argumentum est huiusmodi; quod necessarium est esse, possibile est esse; quod possibile est esse, non impossibile est esse; quod non impossibile est esse, per te, non necessarium est esse, ergo de primo ad ultimum, quod necessarium est esse, non necessarium est esse; quod absurdum est, & implicat: dices tu, non ualet, quod necesse est esse, possibile est esse, probat, quia si non ualet, necessarium est esse, ergo, possibile est esse, ergo necessariū erit non possibile, quod si nō possibile, ergo impossibile, erit ergo necessariū impossibile, quod fieri ullo modo nequit, ergo æquiualēt: non impossibile esse: & possibile esse: cū hac, non necessarium esse.

At vero neque necessarium esse sequitur eam, &c. 11

Dicet quis, si non sequitur illa non necessarium est esse, ut dicunt antiqui, sequetur una ex his, aut necessarium est esse, ut dictio sit Amabitis, uel illa necessarium est non esse, ut dictio sit Amabitis, respōdet nullo pacto illam ex his constare cum ea quę est possibile est esse: nam possibile esse simul uera est cum hac, possibile non esse, ut supra docuimus, at necessarium esse, non admittit illā, possibile non esse: similiter necessarium nō esse, non admittit illam, possibile est esse, ergo nulla ex his sequitur eam, quæ est possibile esse, a sufficienti ergo partium diuisione colligit hanc esse illi consequentem; non necesse non esse, & ita dictio non, erit Amabitis, nec Amabitas, nec Amabites, sed Amabimus; & ita est uera contradictio cum illa, quę est in Iliace, scilicet, necesse est non esse, hæc non necesse non esse: dices, quare non loquitur de secundo ordine, in quo etiam errabant antiqui? dico, quia cum duo vltimi recte assignati sint, & hic primus sumat illam, quæ est in secundo, relinquit manifeste nullam aliam ponendam in secundo, nisi eā quę erat in primo, quia nulla restat, & erit ista, non necesse est esse, ut dictio non sit Edentulus, sed Edentuli.

Dubita-

12 *Dubitabit autem aliquis, si illam quæ est, &c.*

Constitutis ordinibus modalium secundum consequẽtias, & oppositiones, sequitur tertia pars principalis capitis: in qua Aristo. dubium mouet circa id, quod paulò superius dictum est, nempe valere hanc consequentiã, est necessarium, ergo est possibile: dubium igitur est: an valeat, necessarium est esse, ergo possibile est esse; & ex altera parte videtur sequi: nam si nõ valet, necessariũ est esse, ergo possibile est esse: ergo sequitur, vel non possibile est esse, vel possibile est nõ esse, vt supra diximus, quæ utraque de necessario asserere falsum est. At ex altera parte, quod non sequatur, probatur, quia quod possibile est esse, põt esse, & non esse, quod possibile est ambulare, & incidi, potest non ambulare, & non incidi; at quod necessarium est esse, non potest non esse, ergo necessarium non est possibile. Solutio Aristot. consistit in hoc, non omne possibile potest esse, & non esse, sed aliquod, vñ superius est ad necessarium, & sicut nõ valet homo est animal, & animal est leo, ergo hõ est leo, quia homo non est omne animal, ita non ualet necessarium esse possibile est esse, possibile esse potest esse, & non esse, ergo necessarium potest esse, & non esse, sed hanc solutionem oportet latius explicemus ipsum textum interpretantes.

13 *Manifestum est autem quoniam non omne possibile, &c.*

Docet non omne possibile esse ad opposita, scilicet ad esse, & non esse, ambulare & non ambulare, aliquod enim possibile est solum ad vnum, vel esse, vel operari.

Pro cuius explicatione aduerte. Potentia vt habetur 5. Met. cap. 12. non est aliud quàm principium operationis, uel esse: illud enim principium, quo operamur siue agentes, siue patientes, dicitur potentia siue talis potentia tendat ad solam operationem, siue tendat ad esse: potentia enim ambulandi est ad operandum, at potentia ut sit ignis, uel rosa, vel animal, est potentia ad esse.

Duplex est autem potentia, ut habetur 6. Meta. altera irrationalis, altera rationalis, illa est rationalis, secundum quam operamur ex electione uoluntatis, vt ipsa uoluntas, est potentia rationalis, quia libere secundum eam operamur, similiter intellectus est potentia rationalis secundum quam hoc, uel illud intelligimus, & denique quæcũque potẽtia operatur non ex se, sed à uoluntate imperata.

Potentia irrationalis est, quæ non ex electione, sed ex sua dispositione naturali habet operationem, vt potentia ignis ad calefaciendũ, uisus ad uidendum: hæc autẽ adhuc duplex est, altera actiua ad agendũ, uel faciẽdũ, altera passiua ad patiendum, ut lignũ habet passiuam potentiam, vt comburatur; rationales autem potentiæ actiuæ sunt.

Est autem considerandum, unum discrimen inter has potentias: rationales enim, & irrationales passiuæ, sunt indifferẽtes ad plura opposita: non quod simul recipiant, uel agant opposita, sed quod ipsæ sint principia ad operandum non magis hoc oppositum, quam illud, v. g. uoluntas est potẽtia indifferẽs nõ magis ad uolendũ hoc, quam ad nolẽdũ, intellectus ad assentiendũ, uel dissentiendũ: similiter in passiuis irrationalibus lignũ est in potentia nõ magis ad calorẽ recipiendum, quã ad frigiditatem, & materia secundum se, nõ est in potentia magis, vt sit hoc, quam illud, uel aliud: at potentia actiua irrationalis est ita determinata ad unum agendum, vt p se aliud non faciat, nec possit illud nõ facere, vt ignis est in potẽtia ad calefaciẽdum, ita vt p se non possit frigefacere, immo nec non calefacere: nam non calefacere, aliquando, non prouenit ex impotentia ignis, sed ex impedimento extrinseco.

Aduerte præterea cum tot modis dicatur potentia totidem dicitur possibile: quod a potentia dicitur: possibile enim & secundum potentiam rationalem, & secundum irrationalem tam actiuam, quàm passiuam, & sicut non omnis potentia est ad opposita, ita nec quodcumque possibile. Not. 4.

His suppositis, accedamus ad textus explanationem. (Manifestum, inquit est, nõ omne possibile esse, uel ambulare) idest, operari est ad opposita, nempe ut possit operari, & non operari, ut possit hoc uel illo modo operari, est. n. aliquod possibile, quod ad unum est, & huiusmodi est id, quod secundum potentiam irrationalem dicitur possibile, ut ignis potest calefacere, sed ex se nõ potest, nõ calefacere, uel frigefacere, nec omnis potẽtia irrationalis est huiusmodi, sed ea quæ actiua est, nam passiua oppositorum est susceptiua, Ex tex.

S 2 sicut

ficut & potentiæ rationales, quæ contrariorum multorum potentiæ sunt, voluntate enim, & intellectu multos actus contrarios operamur circa varia opposita.

Concludit non igitur omnis potestas suscipit opposita, nec solū de potestate in communi loquendo, immo in eadē specie potestatis. scilicet irrationalis inuenitur potestas, quæ non sit oppositorum, qualis est actiua.

Vnum uerbum hic considera, circa uerba ista Arist. ignem non est possibile calefacere, & non, neque quæcunque alia semper agūt: duas hic insinuat potentias irrationales actiuas; altera, quæ semper ex se determinatur ad agendum nec ex se potest non agere, tamen ab extrinseco impeditur, ut ignis se habet ad calefaciēdū, qui ex defectu cōbustibilis, non calefacit. Altera quæ nunquam deficit, ut potentia, secundum quam cęlum mouetur nec naturaliter impediri potest, & ab utraque potentia dicitur possibile.

14 *Quædam vero potestates æquiuocæ sunt, &c.*

Adhuc potestatem, seu potentiam distinguit, est enim nomen non simpliciter. i. non uniuoce dictum, & hæc dictio comprehendit omnes potētias quæ dictæ superius sunt. quędam est potentia includens actus priuationē, secundum quā ea quę in potentia sunt, actū nondū habent, sed actus principium: dicitur enim posse ambulare, qui nondum ambulat, & esse, quod nondum est. Altera dicitur potentia, quæ est simul cum actu, secundū quā id, quod currit, dicitur posse currere, quod operatur, posse operari, & quod est, posse esse, quæ potentia aliquando non aliud dicit, quā non repugnantiam ad actum, vt idē sit, qui currit potest currere, & dicere, qui currit, non habet repugnantiā, nec impedimentum ad cursum, quæ dicitur potētia Logica, & in rebus Mathematicis potentia Mathematica.

Est autem discrimen inter has, prior enim est in rebus mobilibus, & corporeis, quę aliquando actu sunt, aliquando non sunt, seu aliquando operantur, aliquando non, at posterior est etiam in necessarijs, & his, quę semper sunt, & semper operantur.

Possibile ergo vtrumque comprehēdit, ac propterea est superius, ad necessarium, & cōuenit ei, sicut uniuersale conuenit parti, scilicet inferiori, ideo infertur ex necessario possibile, sicut ex inferiori superius.

Et est quidē fortasse principium, etc. 15

Alium ordinem consequentiarum modalium perfectiorem ponit, & quia proprius erat, pręter cōmunē, ideo (fortasse) dixit non dubitationis, sed modestiæ causa: ordo est, vt incipiamus à necessario, ad possibile contingens, impossibile, qñ quidē inferius est in cōsequentia, & ab inferioribus ad superiora rectior est consequentiarum processus.

Sumendæ sunt igitur quatuor de necessario, eo ordine, quo constituebantur de possibili. Prima tota affirmatiua de necessario. Secunda negatiua de dicto affirmatiua de modo. Tertia negatiua de modo affirmatiua de dicto. Quarta negatiua de vtroque: modorū autem hic erit ordo, necesse, possibile contingens, impossibile.

Et vt rectius hęc memoria teneas, accipe quatuor dictiones nostras, in quibus omnes æquiualētes inuenies: obseruādo eandem rationem, sicut in alijs: solū ordinem mutādo, semper enim prima syllaba pro necessario: Secūda pro possibili: Tertia pro contingēti: Quarta pro impossibili deseruit: dictiones autem hæ sunt Argutule: Vestigia: Sine metu: Mutabatis; circa quas aduerte primam tertiæ, secundam quartæ, contradicere, & vlterius, primam, & secundam esse contrarias, tertiam, & quartam subcontrarias, poterit ergo quilibet in tabula assignare omnes has.

Manifestum autem ex his, quæ dicta, sunt, &c. 16

Hunc ordinem consequētiarū, rerum vniuersi ordini comparat, & ipsa comparatione comprobat. In vniuerso enim tres rerum naturas comperimus, quædam sunt semper actu, ita vt nunquā defuturæ sint, nec defuerint, & hæ sunt primæ substantiæ, uocat autē hic primas substantias, non ut in prædicamento substantiæ, ipsa singularia, sed gloriosum Deum, & intelligētias, & hæ sunt secundum Aristot. naturæ sempiternæ, & omnium principia prima, & istæ habent actum sine potentia, idest, quod habent in se, semper habuerunt, & habebunt, & nihil illis defuit, nec deerit: propterea dicuntur non esse in potentia, scilicet, quæ est cum priuatione: &

his

his assimilatur necessarium, qui modus significat, quod semper est.

Sunt aliæ naturæ, quæ habent actum cum potentia, i. ita sunt, quod nõ semper fuerunt, vel non semper erunt, & ista si comparentur secũdum id, quod actu sunt, & id quod potentia fuerunt, inueniemus actũ perfectiorem esse, & natura priorem, i. nobiliorem potentia, quia res perfectiori modo existit, quãdo est, quàm quã esse potest: at potentia prior est tempore actu ipso: quia prius tempore potuerunt esse, quam sunt, & fuerunt, quales sunt naturæ istæ corruptibiles, & in his inuenitur possibile proprie, & contingens.

Aliæ sunt naturæ; quæ nunquam perueniunt ad actum perfectũ, sed semper manent in potentia, ut si velis numerare numerum maximum, nunquam peruenies ad illum; si diuidatur continuum, non dabitur minima pars in tempore, & motu secũdum Arist. nõ perueniens ad actum consumatum: in his inuenitur impossibile, quatenus nunquam ad actum perfectum peruenire possunt.

Quid sit modus. 1. Sent. Cum igitur harum rerum iste sit ordo, ut primæ res primo loco, mediæ secundo, ultimo uero ista postrema constituantur; ergo & modi eis correspondentes eundẽ obseruabunt ordinẽ, & ita à necessario incipiẽtes ad possibile, contingens, & impossibile deueniemus, istũ rerũ ordinẽ exactius prosequi Metaphysici est; satis sit ista circa explanationem attigisse, hæc de textus interpretatione.

QVAESTIO.

Quid sit modus, quid modalis enunciatio, & quotuplex? & de eius quantitate.

Circa caput hoc oportet breuiter examinare, quid sit modalis, & quotuplex, & de eius quantitate, hæc autem facilius percipientur, si quid sit modus, examinauerimus.

Circa quod antiqui, & moderni, Græci, et Latini laborarunt non parũ, inter Latinos S. Tho. tract. de mod. enunc. inquit, modus est rei adiacẽs determinatio, i. est additum, aliquod extremum enunciationis, uel totam enunciationem determinans: dicimus enim, homo doctè disputat, illud (doctè) prædicatum determinat, & limitat, ut stet pro disputatione docta, at quia ista definitio omnibus modis communis erat eam limitat dicens, modum esse enunciationis compositionem determinatam, duo enim in uerbo consideramus, alterum est eius significatio, idest res quam significat, ut disputo: disputationem significat, & lego lectionem, alterum est uerbi compositio quod est ipsius formale.

Quotuplex modus. Sũt igitur modi in duplici differentia quidam determinant uerbi significationem ut doctè disputat, uelociter currit: alij determinant uerbi compositionem, ut Petrum currere est possibile, idest ista compositio est possibilis Petrus currit: tales autem sunt isti modi præsentes.

Quod si obijcias esse plures modos, nẽpe uerũ, falsum, respondet S. Thom. istos nihil addere ad simplices enunciationes, idẽ n. est dicere Petrus currit, & Petrum currere est uerum, propterea non habet peculiarem difficultatem, ideo hic prætermittuntur.

Albert. tract. 2. cap. 1. dicit illos modos uerum, falsum, differre ab istis, quia non ampliant tempus dicti, sicut isti quatuor. 2. Sent.

Alij plures etiam modos multiplicant etiam compositionem determinantes, ut scibile, opinabile: sed hoc est multiplicare modos præter artem, & rationem.

Græci alijs uerbis, quamuis eundem facientibus sensum modum definiunt. 3. Sent.

Ammo. & Psell. modus est uox significans, qualiter prædicatum subiecto insit, quę definitio est etiam Auerro. at Græci hanc definitionem communem pluribus modis faciunt, dicuntque Arist. hic solum præcipuos considerasse. 4. Sent.

5. Sent. 1. Fund. At circa hoc aduertendum est primo, quod triplex est enunciationis materia, ut superius diximus, materia enim est habitudo prædicati ad subiectum, tripliciter autẽ prædicatũ se habet ad subiectum, unde est triplex materia: primo prædicatũ aliquod ita inest subiecto, ut non possit non inesse, ut homo est animal, & talis est materia necessaria; alterum non inest, sed nec potest inesse, ut homo est lapis, & talis est materia remota, seu impossibilis; aliud non inest, sed potest inesse, uel inest, sed potest non inesse, ut Petrus currit: & talis est materia contingens.

Est igitur modus uox significatiua enunciationis materiam explicans: ut patet in illis modis assignatis, & ita sumitur in præsenti.

Cum autem triplex sit materia triplex erit modus rei, necessarium, impossibile, contingens; nam possibile, vt docet Boet. sola uoce differt à contingenti; & quia possibile componitur, dicimus enim impossibile, sed non dicimus, in contingens, ideo additur possibile.

2. fund. Aduerte secundo, quòd duplex est compositio in modali enunciatione, altera est dicti, vt hæc compositio, Socratem currere: altera est modalis totius, ut Socratem currere est possibile: quando audis modum determinare materiam totius enũciationis, seu compositionis, intellige de dicto, vt notant Albe. tract. 2. c. 1. & Alex qui enim dicit Socratem currere, est possibile, determinat compositionem illã Socratẽ currere, non aũt totam ipsam modalem; nam modalis ipsa nulla contingens, sed uel impossibilis, vel necessaria.

Præterea quando dicimus modum explicare materiam, intellige cum Ammon. & Psell. modum non esse materiam, materia enim est ipsa enũciatio dicti, sed explicat modus materiam illam, & aliquando explicat materiam, quæ non est, vt qui dicit: Petrum currere est necessarium: sicut aliquando diuidimus, quæ diuidenda non sunt, & componimus, quæ componenda non sunt, vt quando dicimus homo non est animal, leo est rationalis.

Quid sit modalis Enunciatio, & Quotuplex. Ex his omnibus facile colligitur, quid sit enunciatio modalis, & quotuplex, & quomodo non sunt plures quam hæ, quas Aristoteles enarrat, & quantum ab alijs omnibus differant.

De quãtitate modalium. Circa quantitatem modalium, aduerte in eis esse triplicem quantitatem, duas ex parte subiectorum, tertiam ex parte modi: est enim in modalibus duplex subiectum: Alterum ipsius dicti, quod Albertus vocat subiectũ locutionis, vt in hac, Socratẽ currere est possibile. Socrates est subiectũ locutionis: alterũ est subiectũ totius modalis, qđ vocat subiectũ enũciationis. Et iuxta hæc duo subiecta, insurgit duplex quantitas, altera ex dicto, & secũdum hanc, quædam modalis dicitur vniuersalis, quędam particularis, quędam indefinita, quędam singularis, vt enunciationes simplices.

Ad secundum subiectum enunciationis, quod est ipsum dictum integrũ, semper modalis est singularis, quia illud integrum dictũ locum habet vnius singularis subiecti, cum non possit distribui totum ipsum.

Tertia quãtitas est præcipue a modo, sunt enim duo modi vniuersales, necesse, & impossibile, & æquiualentes, & duo particulares, possibile, contigens, & æquiualentes, & secundum hos, modales vniuersales, vel particulares dicuntur.

Dices, quare illi duo sunt vniuersales, hi duo particulares? dico, quia necesse est quod omne tempore inest, impossibile quod nullo tempore: propterea vniuersalitatem temporis claudũ, reliqui duo aliqñ, vel nõ aliqñ, propterea temporis particularitatem habent.

Pręterea necesse, vel impossibile, si superiori, vel vniuersali termino iũgũtur, distribuũtur uniuersaliter: Idem enim est dicere, homo necessario est animal, & omnis homo necessario est animal, & homo impossibiliter est leo, & nullus homo est leo; reliqui ac similiter. Hæc sufficiant, quia quæ restant, late iã in introductione dicta a nobis sunt.

Quæ enunciationes contrariæ magis sibi inuicem esse dicantur. Cap. IIII.

VTrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi quæ dicit. ꝙ omnis homo iustus est, ei quæ est, nullus homo iustus est, aut omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est: vt, est Callias iustus, non est Callias iustus. Callias iniustus est, vtra harũ contraria est? Nam si ea quæ sunt in voce, sequũtur ea, quæ sũt in intellectu, illic autẽ contraria est opinio contrarij, vt quod omnis homo iustus est, ei quę est omnis homo iniustus est, etiam in ijs quę sunt in uoce affirmationibus, necesse est similiter se se habere, quod si neq; illic cõtrarij opinio cõtraria est, nec affirmatio affirmationi erit contraria, sed ea quę dicta est negatio: quare considerãdum est quę opinioni falsa opinioni uerę contraria est, utrum negationis, an ea quę cõtrarium esse opinatur. Dico autẽ huc modo est quędam opinio uera boni, Sectio quinta, secundũ Grçcos. Idem in principio primi huius.

quod

quod bonum est: alia autem, quod nõ bonum, est falsa: alia vero, quod malum: vtra harum contraria veræ? & si est vna, secundum quamnam contraria.

2 *Nam arbitrari contrarias opiniones definiri eo quod contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quod bonum est, & mali quod malum est, eadẽ fortasse opinio est etiam vera siue plures, siue vna sit. Sunt autem ista contraria, sed non eo quod contrariorũ sint contraria sunt, sed magis eo quod contrariæ.*

3 *Si ergo est boni quidem quod est bonum opinio, alia autem quod non bonũ est: est autem aliquid aliud quod non est, neque esse potest: aliarum quidem nulla ponenda est neque quæcunque esse quod non est opinantur, neque quæcunque non esse quod est, infinitæ enim vtræque sunt, & quæ esse opinantur quod non est: & quæ non esse quod est.*

4 *Sed in quibuscunque fallacia est, hæ autem sunt ex his, ex quibus sunt generationes: ex oppositis vero generationes, quare etiam fallaciæ.*

5 *Si ergo quod bonum est, & bonum & non malum est: & hoc quidem secundum se, illud uero secundum accidens (accidit enim ei non malum esse) magis autem in vnoquoque vera est quæ secundum se est, etiam falsa, si quidem, & vera: ergo ea quæ est, quod non est bonum quod bonum est, eius quæ secundum se, falsa est; illa vero quæ est, quòd malum est; eius quę secundum accidens, quare magis erit falsa de bono, ea quæ est negationis opinio, quam ea quæ est contrarij. Falsus est autem maxime circa singula qui contrariam habet opinionem: contraria enim sunt eorum, quę plurimum circa idẽ differunt: Si igitur harum contraria est altera: magis verò negationis est contraria: manifestum est quod hæc erit cõtraria. Illa vero quæ est quod malum est quod bonum est implicita est: etenim quod non bonum est necesse est forte ipsum eundem opinari.*

Amplius, si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo videbitur bene esse dictum. Aut enim videbitur ea quæ est cõtradictionis, aut nusquam. quibus uero non sunt contraria, de illis quidem falsa, quæ est uerè opposita: ut qui hominem non putat esse hominem, falsus est, si igitur hę contrarię sunt, etiam & alię, quę sunt contradictionis. 6

Amplius, similiter se habet opinio boni quod bonum est, & non boni quod nõ bonum est, & præter has boni quod non bonum est, & non boni quod bonũ est. Illi ergo quę est non boni quod non bonum verę opinioni, quę est contraria? Non enim ea quę dicit, quod malum est, si aliquando fuerit uera: nunquam autem uera uerę contraria est, est enim quoddam non bonum malum. quare contingit simul esse veras. At uerò nec illa quę est quod non malum: uera enim & hæc, simul enim & hæc erunt. Relinquitur igitur ei quæ est non boni; quod* non bonum est, contraria ea quæ est non boni, quod bonum est, falsa enim hæc.* quare, & ea quæ est boni quod non bonum est, ei quę est boni, quod bonum est.* 7

* A.l.simul aliquando

* A.l.nõ boni uere cõtraria ea q̃ est non boni, ꝙ bonum falsa, falsa.n.hæc

8 *Manifestum ergo est, quod nihil interest nec si uniuersaliter ponamus affirmationem; uniuersalis enim negatio contraria erit, ut opinioni quę opinatur, quod omne quod est bonum, bonum est, ea quæ est, quod nihil eorum, quę bona sunt bonum est: nam ea quæ est boni, quod bonum, si uniuersaliter sit*

bonum, eadē est ei, quæ opinatur, quòd quicquid bonum est, quod bonum est: hoc autem nihil differt ab eo quod est, quod omne quod est bonum, bonum est: similiter autem, & in non bono.

9 *Quare si in opinione sic se habet: & sunt hæ quæ sunt in uoce affirmationes, & negationes, notæ earū quæ sunt in anima: manifestum est quod affirmationi contraria quidem negatio est, quę de eodem uniuersaliter: vt ei quę est, quod omne bonum, bonum est, uel quod omnis homo bonus, ea quæ est, quod nullum, uel nullus: contradictoriæ autem quę est, quod non omne, * aut non omnis. Manifestum est autem quod ueram uere non contingit esse contrariam, neque opinionem, neque contradictionem, contrarię enim quæ circa opposita sunt: circa eadem autem contingit verum dicere eundem: simul autem non contingit eidem inesse contrária.*

* A.I.& quod.

Vtrum autem contraria est affirmatio negationi, &c.

Hæc est quarta, & ultima pars huius libri, in qua Aristoteles dubiū unū proponit circa oppositionē: quod caput aliqui non esse Aristotelis existimarunt, inter quos est Porphyrius, & dubius est Ammon. At quia reliqui antiqui Græci, & Latini hoc tāquam Aristotelis recipiunt nō erit inutile illud exponere.

Quæstio igitur huiusmodi est. Vtrum affirmationi opponatur magis negatio contraria, an affirmatio de prædicato contrario? verbi gratia huic affirmationi, omnis homo est iustus, utra est magis opposita, uel hæc, nullus homo est iustus, an hæc, omnis homo est iniustus? & huic, Socrates est iustus utra magis opponitur, Socrates est non iustus, an hæc Socrates est iniustus: vbi prædicatum est contrarium. (Nam si ea quæ sunt in uoce sequuntur ea) proponit uiam, secundum quam ista quæstio determinanda est; nempe ut ea quæ mente sunt, consideremus: uoces enim non aliud sunt, quam signa eorū, quæ menti insunt. Considerandum ergo est quæ opinio in mente opinioni opponatur, an quæ est secundum negationem, an quæ est secundum contrarium. Voces enim eodem modo opponentur.

Vnde fit quęstio huiusmodi; aliquis habet hanc opinionem, bonum est bonum, veram, habet aliam falsam, bonum non est bonum, & aliam etiam falsam, bonum est malū. Peto, quæ opinio harum duarum illi opposita est; & nota ista verba Aristotelis. (Si est vna secundum quam contraria) potest esse vnus sensus, si vna harum duarum est contraria, utra erit? siue illud (Si) sit dubitantis, siue asserentis, & hic sensus est bonus, & ita exponit Caietanus.

Aliter interpretatur Ammon. & Boetius tamque vnum, quod nos supra explicuimus capite de oppositis. Duplex est contrarium, quoddam habet medium, quando non ex necesse, vt alterum extremorum proprio insit subiecto, vt album, & nigrum: non enim est necesse, vt corpus, uel sit album, uel ut nigrū, potest enim esse rubrum. Talia dicuntur habere medium. 2. Expositio. Nota.

Alia medio carēt: quorū alterū necesse est inesse proprio subiecto, vt par, impar, sanum, ægrum, calidum, frigidum; necesse est enim numerum esse parem, vel imparem, corpus calidum, uel frigidum, animal sanum, vel ægrum, in contrarijs habentibus mediū negatio vnius contrarij, non est eadem, cum affirmatione alterius contrarij, ut nō est idē, non est album, & est nigrum, at in alijs vna est re, idem enim re est, non par, & est impar, non est sanum, & est ægrum.

Intelligitur in his respectu proprij subiecti, alias enim non idem sunt; nam Chimæra non est calida, non tamen propterea est frigida: respectu ergo subiecti susceptiui utriusq; contrarij oportet intelligere.

Hoc supposito, est clarus sensus Aristotelis; dicit enim, an, bonum non est bonum, opponatur huic, bonum est bonum; an ista, bonum est malum? (quod si vera sit) id est, si aliquando idem re sit, vt in contrarijs medio carentibus fit respectu proprij subiecti, hinc vtram assumemus tāquam oppositam, negationem, an affirmationem? & hic sensus etiam bonus.

In ista quæstione aduerte, quod uocatur opinio Nota.

opinio iudicium intellectus, quo assentimur, uel dissentimus alicui enunciationi, & opinari aliquando iudicare dicitur, ut patet tertio de anima cap. 3. imaginari, inquit, possumus cum uolumus: opinari autem, idest iudicare, non: quamuis alijs locis aliter opinio sumatur, ut uidebitur.

2 *Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, &c.*

Excludit responsionem, quam aliquis ei poterat dare, nempe contrarias opiniones esse, quæ sunt circa res contrarias, ut opinio boni, & opinio mali contrariæ sunt. Docet id non sufficere ad contrarietatem opinionum: quod dupliciter probat. Primo quia eadem est fortasse opinio contrariorum. Et secundo, quod si non est eadem, sed plures sunt, possunt ambæ ueræ esse, ut opinio de bono, quod bonum est, & opinio de malo, quod malum est; hæ opiniones uel una sunt, uel siue una, siue plures sint, ueræ simul sunt, utrumq; aūt repugnat opinionibus cōtrarijs.

Nota. Hoc est ergo unum aliud, nēpe quod opiniones contrario modo se habeant, & cōtrariæ sint, non tamen propterea quod contrariorum sint: oportet ergo in inuestigandis opinionibus contrarijs, quomodo contrariæ se habeant inuestigare.

Nota. Aduerte q̄n Aristoteles dicit eādē opinionē esse contrariorū, ut, quod bonū est bonū, & malū est malū, non intelligas de opinione, & iudicio actuali, hoc.n. fieri non potest, cū alio actu iudicē, bonum esse bonum, & alio diuerso numero actu, malum esse malum, sed de eadem opinione, intellige habituali, i. eodem habitu utrumque cognoscitur.

Vel, quod melius est, intellige de iudicio actuali, & tunc sit sensus, quod est una opinio specie; contraria autem non sunt unius speciei: propterea illę duæ actuales opiniones non sunt cōtrariæ, s. quod bonum est bonum & quod malum est malum.

3 *Si ergo est boni quidem, quoniam bonum est, &c.*

Incipit Aristoteles determinare hāc quæstionem, docetque oppositionē consistere in negatione eiusdem prædicati de eodem subiecto, non autem in affirmatione oppositorū: & primo probat non consistere in alio, quam in negatione eiusdem: Vnum uni tantum opponitur, sed infinita essent opposita, quæ illo opponuntur modo, nempe affirmando opposita, uel negando propria alicuius: ergo non hoc modo est sumenda oppositio. Minor probatur: sit hęc opinio, bonum est bonum: si eius opposita sunt, quæ affirmant id, q̄d bono nō conuenit, uel remouent quæ conueniunt, sunt hęc innumera; nam dici potest bonum est malum, bonum est odibile, bonū est inhonestum, bonum est inutile, similiter remouendo propria, bonum non est amabile, bonum non est utile, bonum non est sectandum: si ig͛ opposita hęc sunt, infinita sunt: Non ergo sumenda est oppositio affirmationis alicuius per affirmationem oppositorum, nec per negationem eorum omnium, quæ insunt alicui subiecto.

Sed in quibus fallacia est, hæ autem sunt, &c. 4

Ostēdit, secundum quam affirmationem, & negationem sit sumenda oppositio, ac docet consistere oppositionem in negatione, & affirmatione eiusdē prędicati de eodē subiecto: hoc autem dicit his uerbis (in his consistit oppositio, in quibus fallacia) fallacia uerò in his est, in quibus generationes, generationes uerò ex oppositis fiunt, secundum idē.

Pro quorum uerborum intelligentia est aduertendum, quod generatio est mutatio alicuius ex non esse ad esse, quando.n. fit aliquid quod non erat ante, tunc generari dicitur. Corruptio autem est mutatio ab esse ad non esse, scilicet quando aliquid quod erat, non est, dicitur mutatum fuisse, unde termini generationis, & mutationis primi sunt ens, & nō ens, generatio incipit à nō ente, & terminatur in ens. Corruptio incipit ab ente, & terminatur in non ens. Versantur igitur inter opposita secundum idem, nempe inter ens, & non ens. Nota. 1.

Aduerte secūdo, intellectus noster in rerū cognitione proportionaliter se habet his mutationibus quantum ad hoc, quod uera cognitio uel assimilatur generationi falsa aūt corruptioni, nā sicut generatio p̄cedit ex eo, q̄d nō erat, ad id, q̄d est: ita uera cognitio procedit ex eo, quod nō erat cognitū, ad id quod Nota. 2.

cognitum

cognitum est, & sicut corruptio est ab ente in non ens: ita error, & deceptio est ab ea cognitione, qua vere res cognoscenda erat, recessus in illam cognitionem, quam rē aliter, quàm est cognoscimus. Vnde si petas, in quo consistit vera cognitio? dicam in eo, quod res, vt est, cognoscitur. Si petas, in quo error, & deceptio? dicam ante omnia in eo, quod cognoscis de re, quod non est: Sunt igitur termini cognitionis, & fallaciæ ens, & non ens, homo, & non homo, & reliqua: oppositio ergo sumenda est per affirmationem, & negationem eiusdem de eodem.

Hæc doctrina in hoc consistit, vt quemadmodum generatio in hoc consistit, quod aliquid fiat ex eo quod nō erat, siue fiat ex terra, siue ex aere, siue ex alia quauis re, ita vera cognitio, ex eo, quod nō erat cognitū; & secuti corruptio terminatur in non esse, ita & deceptio consistat in eo quod intelligat, quod non est res, siue intelligat hoc, vel illud falsum; eodem modo & oppositio in hoc, quod idem neget de eodem, de quo affirmatum erat, & est subtilis non solum doctrina, sed etiam probatio eiusdem conclusionis, quod oppositio sit secundum affirmationem, & negationem eiusdem de eodem.

5 *Si ergo quod bonum est, &c.*

Tribus rationibus probat cōclusionē illā. Primo, illa sunt magis opposita, quæ magis secundū se repugnāt in veritate, & falsitate. i. quorū unū magis est falsum, & alterū est magis verū, sed ita se habēt affirmatio, & negatio eiusdē, ergo ea sunt magis opposita; maiorem probat, quia contraria maximè distant: minorem ostendit: ista propositio, bonū est bonum, est magis vera, quàm hæc, bonum non est malum, ergo, & ista, magis falsa, bonum nō est bonum, quam hæc, bonū est malum, & ita duæ illæ opponuntur. bonum est bonū & bonum nō est bonū, & aliæ duæ inter se, bonū est malū, & bonū non est malū.

Probat quòd illa sit magis uera, quia secūdum se est vera. i. immediate, & sine causa. Si enim dicat quis, quare bonū est bonū, nō est causa: at illa, bonū non est malum, est secūdū accidens. i. mediata, qui causā habet: propterea. n. bonū nō est malū, quia bonū est bonū. Ista ergo opponetur, bonum non est bonum, non autē illa, quæ implicita est. i. bonum est malū; istā uocat, implicitam, quia includit illam tanquam priorem, bonum non est bonum, attēde rationem hanc, quæ subtilis est.

Amplius, si & aliis oportet similiter se habere, &c. 6

Idē probat secunda ratione, quę talis est: inueniuntur oppositiones, in quibus non pōt aliter, quā per affirmationē, & negationem sumi cōtrarietas, ergo in omnibus ita sumetur, vel in nullis, quandoquidē oppositio est eiusdē rationis: antecedens patet in his, quibus non est contrarium, vt homo est homo, hic enim non aliter contradicimus, quā per negationem eiusdem falsam. s. homo non est homo, ergo etiam in aliis ita erit, in quibus contrarium est: quod si in his dicas non esse oppositionem, ergo nec illis: respondet quod si in istis saluatur oppositio per affirmationē, & negationem, eadem erit oppositio in illis, cū etiam possimus illic negare, & affirmare.

Amplius similiter se habet opinio boni, &c. 7

Hæc est tertia ratio, qua idem probat Aristoteles: argumentum autem est huiusmodi. ista, bonum est bonum, & ista, non bonum non est bonum, sunt veræ, & de subiecto opposito penes finitū, & infinitum; hæ autem falsæ, bonū non est bonum, & non bonū est bonū, & oppositæ secundū subiectum, vnde harum duarū, & illarum æqua est ratio: sed huic non bonū non est bonū, opponitur illa, non bonū est bonū, ergo, & illi bonū est bonum, altera bonum non est bonum; quòd autē illi, non bonū non est bonū, opponatur illa, nō bonū est bonū, patet, quia nō opponi pōt ista, nō bonū est malū, nec ista, nō bonū nō est malum, nā essent duæ oppositæ veræ.

Quod probatur: & ut hoc incōueniēs appareat, sume in uniuersali, oē nō bonū non est bonū, quę vera est; si illa est cōtradictoria, nō bonū est malū, est vera cū illa; si ista nō bonū nō est malū, ēt est vera, aliquod. n. nō bonum non est malū; sunt. n. quæ nec sunt bona, nec mala moraliter loquēdo; lapis. n. nec est bonus, nec malus. i. nec iustus, nec iniustus: neutra ergo illi opponitur; sed ista non bonum est bonū, quæ negatio eiusdē est, & falsa, ergo & illæ ita opponentur bonum non est bonū, & bonum est bonum: est autem argumētū hoc ab oppositis: ita se habet negatio, & affirmatio de non bono, sicut affirmatio,

&

& negatio de bono, illa opponuntur secundum affirmationem, & negationem eiusdem, ergo & hæc.

8 *Manifestum ergo quoniam nihil interest, &c.*

Concludit Aristot. oppositionem omnem secundũ affirmationem, & negationem esse primo sumendam, tam in contrarijs quàm in contradictorijs, vt enim opinioni, omne bonum est bonum, opponitur opinio contradictoriè, quæ dicit, non omne bonum est bonum, ita & opinio ista contrariè, quæ dicit nullum bonum est bonum, vtraq; enim negatio est eiusdem siue in vniuersali, siue non vniuersaliter sumatur negatio.

9 *Quare si in ordine sic se habet, &c.*

Determinata quęstione oppositarum opinionum facile concludit, quid de voce dicendum sit, si enim vox est nota eorũ, quæ sunt in intellectu, intellectu autem oppositæ sunt illæ opiniones, quæ secundum affirmationem, & negationem sunt, in hoc etiam eodem enunciationum vocalium cõsistit oppositio, & sicut contrariæ opiniones de eodẽ simul esse veræ nequeunt, ita nec in voce contrariæ, vel contradictoriæ enunciationes veræ simul erunt de eodem.

Dico (simul) quia de eodem contrariæ veræ, & contradictoriæ possunt enunciari, vt de Petro quod est albus, & quòd non est albus, quod sedet, & non sedet; sed simul; idest, pro eodem tempore id omnino repugnat, vt supra diximus.

Hic est finis capitis, & totius libri de interpretatione Arist. si aliqua prætermissa sunt, eo factum est, quia suis locis copiose, & exacte tradentur, Deo fauente, cui sit gloria in sempiternum. Amen.

FINIS.

LAVS DEO,

B. Q. V. M.

FRAN-

FRANCISCI TOLETI

SOCIETATIS IESV,

S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI

COMMENTARIA,

Vnà cum Quæstionibus, in libros Posteriorum Analyticorum Aristotelis.

De subiecto, inscriptione, ordine, procedendi modo, & diuisione horum librorum.

POsteriorum libri & dignitate, & vtilitate reliquas omnes Logicę partes antecellunt, hi enim sunt qui alijs tum scientijs, tum artibus, magnũ vsum exhibent, & à quibus, & vniuersalis peritia, & exacta cognitio Logico comparantur: adeo vt Aristoteles Themistio visus fuerit consulto in his, ob eorum sublimitatem, obscuritatem affectasse.

Antequam autem ad contextum descendamus, non ab re erit quinque prælibare, ex quorum cognitione facilior erit processus: primum est libri obiectum, alterum inscriptio, tertium ordo, quartum procedendi modus, postremò diuisio manifesta fiet.

QVAESTIO I.

Prologomenorum de subiecto libr. Poster. Analyt.

1.Fund. Circa primum aduertendum est, Logicã, vt sæpe diximus, in hunc vsum fuisse inuentã, vt modum aperiret, quem intellectus noster obseruat in rerum veritatibus cognoscendis, & indagandis: vt.n. artes docent modũ, quo res operamur, ita & Logica modũ quo res intelligimus: Duplex autẽ est rerum veritas, altera, quæ per se ipsam, postquam intellectui obijcitur, nota fit; nec intellectum, erga eam errare contingit, quales sunt veritates eorum, quæ principia dicuntur: vt omne totũ est maius sua parte: quodlibet est, vel non est, & similia, de quibus Aristoteles in 2. Metaph. in principio dixit, in ianuis quis aberrat? hæc autem non opus habent Logica, sunt enim per se manifesta, nec aliter intellectus ea cognoscit, quã sensus, puta visus, suũ obiectum præsens, ut bene dixit Lincolnien. 1. Poste. c. 9 & Aegid. 2. Post. cap. 1.

Altera ueritas rerum est, quæ non statim per se intellectui est manifesta, nisi utamur aliquo discursu, & ratiocinatione qua talem ueritatem per aliam notiorem deducamus: quales sunt eæ ueritates, quæ in conclusionibus habentur, non enim sine discursu tales

cogno-

cognosci possunt: hæc autẽ Logica indigent, quæ talem modum nempe discursum, & ratiocinationem ostendat, explicet, & doceat, atque hic est usus, & necessitas Logicæ: licet enim modum cognoscendi etiam simplicia tradat, quod factum est in prædicamentis, tamen ea omnia in compositam, & discursiuam cognitionem ordinantur.

2. Fund. Est præterea, aduertẽdum veritatem hãc, quæ discursu habetur, esse in duplici differentia, quædam est, cuius cognitio dicitur scientiã, quædam uero cuius cognitio dicitur opinio; seu clarius, quasdam res opinione, quasdam scientia discurrentes cognoscimus; ea sciuntur, quæ sic se habent, sicut cognoscuntur, nec aliter se habere, possunt, quã vt intelliguntur. v. g. scimus hominem, esse risibilẽ, quia re uera ita est, nec aliter esse potest, quin homo sit risibilis, & nobis manifestum est ita id esse: propterea scientia, cognitio vera, necessaria, & clara dicitur, de his vero opinamur, quæ sic se habere non constat, sed coniectura, & probabilitate quadam cognoscuntur, quare aliter se habere possunt, quam opinamur: & ideo opinio incerta, obscura, ac mutabilis, cognitio dicitur.

Iuxta has duas cognitiones duplex est in nobis discursus, & is, quo sciẽtiam consequimur, qui demonstratio dicitur, & is quo opinionem, qui syllogismus Topicus nuncupatur; unde fit, vt Logica maxime in hac utraque parte uersetur, nempe. Demonstratiua, & Topica, quæ Dialectica peculiariter dici solet; harum altera his libris cõtinetur, nẽpe demonstratio, altera uero lib. Topicorum.

1. Cõcl. Est igitur horũ librorũ obiectũ, & materia circa quã uersantur, demonstratio; nẽpe syllogismus, quo scientiã rerũ cõsequimur; quæ sentẽtia est cõmunis omniũ Græcorũ, & fere omniũ Latinorũ, immo ipsius Aristotelis, qui 1. Priorũ c. 4. proposuit obiectũ Analyticæ partis ipsam demonstrationẽ, præmittendo iñ cognitionẽ syllogismi in cõmuni, tãquã uniuersalioris; ex obiecto aũt apparet quanta sit utilitas huius partis Logicę, a qua uelut ab instrumẽto necessario scię reliquę depẽdent.

Opi. cõtraria, & eius rationes. At circa hoc fuit Auerrois sententia in hoc Prologo, non in his libris demonstrationem solam per se, sed etiam definitionem cõsiderari: propterea demonstratio obiectum non erit, cum non omnia, quæ in hac parte considerantur, complectatur. Hanc sententiã receperunt quidam iuniores, quorum rationes præcipuæ sunt.

Primo ad Logicum spectat tractare per se de definitione, est enim instrumentum cognoscendi, quã consideratione ad Metaphysicũ pertinere nõ potest: sed nulla pars Logicæ est, quæ definitionẽ cõsideret, nisi ista, ergo ad hãc partẽ pertinet; probant minorẽ, quã si ad aliquã partẽ aliã spectaret, maxime ad 6. Topicorũ, sed ad eã nõ ptinet, cũ Topicus ibi nõ definitionẽ cõstruat, sed constructam examinet, vt notat Alex. ibidem in principio.

Secundo, etiam si non esset demõstratio, adhuc definitio esset, & a Logico cõsideraretur, ergo definitio nõ propter demonstrationem, sed propter se in Logica consideratur.

Præterea nobilior est definitio ipsa demõstratione, ergo non ipsius causa debet a Logico considerari, sed potius demonstratio ꝓpter definitionem: antecedens patet, ex Aristot. 7. Meta. text. 4. nobilius, (inquit) est scire quid sit homo, quam qualis sit: Sed illud habetur per definitionem, hoc autem per demõstrationem: ergo potius instrumentum est definitio, quam demonstratio. Ob hæc igitur asserunt horum librorum tam demonstrationem, quam definitionem esse obiectum.

Cõfut. huius opinionis. Hæc sententia non est recipienda, multis ex causis: primo, quia est contra communem omnium Græcorum, & Latinorum opinionem. Secundo est etiam contra Aristotelem. nam 1. Priorum capit. 4. proponit se intendere de demonstratione disserere: prius autem de syllogismo, tãquam de superiori, quo loco definitio non per se, sed cum demonstratione sumpta ponitur, alias. n. ante syllogismos esse tractanda, cum syllogismus non sit definitione superior. Tertio, sententia ista est cõtra rationem primo, sicut totius scientiæ unicum est commune obiectum, ita partiũ scientiæ unicũ est per se particulare obiectum: sed libri hi una pars Logicæ sunt, ergo unicũ est eorũ per se obiectum, non ergo definitio simul, & demonstratio per se considerantur præsertim cum maxime differant, definitio enim est instrumentum simplicium, demonstratio compositorum; definitione, quid res sit demonstratione, qualis, & propter quid sit scimus. Hoc argumento coguntur isti ponere obiectum horum librorum modum sciendi, contemplantes autem tantum instrumentorum diuersitatem, asserunt tale

obiectum

obiectum esse æquiuocum. Sed confutantur hoc argumento. Vel illud est pure æquiuocum, vel analogum: si pure æquiuocum, ergo iam non datur vnum obiectum, cum in eo nulla sit vnitas rei, sed solius vocis: si uero est analogum, ergo unum significatum est propter alterum. Quarto, rationes huius sententiæ inualidissimæ sunt.

Ad primam. Ad primam, respōdetur cum Eustrat. prologo 2. Poster. definitionē hic non cōsiderari secundum se, sed vt est causa una, qua probamus passionem inesse subiecto, quo etiā modo aliæ causæ quoque hic considerantur. Ad maiorē autem argumenti, Eustrat. admittit Metaphysicū per se considerare definitionē, sed mihi hoc nō satisfacit, nā Metaphysicus eam considerat, vt dicit rei substantiam, non ut est cognitionis instrumentum: hoc enim Logicum est, ut dixit Auerr. 7. Metaph. comment. 42. Propterea neganda est maior: Logicus enim non per se, & immediate definitionem considerat, sed ut ad demonstrationem pertinet; quod optime dixit Aegidius in proœmio 1. Priorum; ut enim intellectus operationes simplices non sunt propter se, sed ad compositas ordinantur: ita, & definitio, quæ simplicium est, non propter se, sed ad argumentationem ordinanda est: nec ex hoc sequitur definitionē non tractari exacte in Logica; ut enim Physicus exacte de forma, & materia dicit, & de anima, & reliquis, licet vt ad corpus naturale ordinantur, ista cōsideret: ita, & Logicus de definitione.

Alber. tracta. 1. suæ Logicæ, capit. 5. dicit hanc partem Logicę, de definitione, non extare; unde posset optime dici, quod quamuis Logicus de definitione per se ageret, tamē talis tractatus omnibus libris de argumentatione anteponendus esset, cum sit simplex, esset enim immediate post prædicamenta.

Ad secūdam. Ad secundā respondetur facile, si demonstratio esset ablata, maneret definitio, sed Logica esset manca, nec haberet eam rationem quam modo habet, cum eius finis mutetur.

Ad tertiam. Ad tertiam, negatur definitionem esse potiorem, nec ille textus quicquam contra nos probat: illic enim inquit nobilius esse scire quid res sit, quam solum qualis sit: at demonstratio non solum ostendit qualis res sit, sed propter quid etiam talis sit: in hoc autem includitur, quid sit: & hæc est maxima cognitio, nempe scire res per suas causas, quod demonstratione fit: immo si textus consideretur, est contra eos: nam subdit Aristoteles rationem, quare sit melius scire quid, quia, inquit, qui sit, quid, facile sciet quale: ac si dicat, qui scit definire, scit demonstrare: hactenus de subiecto, nunc de inscriptione horum librorum dicamus.

QVAESTIO II.

De Inscrip. Lib. Post. Analyt.

Inscriptio huius libri Gręce est, *ἀναλυτικῶν ὑστέρων*, idest, resolutoriorum posteriorum, in cuius gratiam prius quid resolutio sit explicemus: circa quam uehementer neoterici digladiantur.

Quid resol. Resolutio igitur, vt Alexan. & Philop. 5. Priorum in principio asserunt, non est aliud quàm regressus quidam rei in ea principia, ex quibus est, seu à quibus pendet, ver. gru. cū corpus aliquod ex elementis constitutum, dissoluitur, in eadem elementa redit: talis reditus resolutio dicitur.

Resolutio alia realis, & rationis. Est autem hæc resolutio duplex, quædam realis, quædam rationis: realis est quæ in ipsis, fit rebus, actione in ipsis realiter existēte, vt qn̄ uere mixtū in elementa resoluitur, qn̄ totū in particulas secat: resolutio rationis est, quę ipsis reb. accidit, nō quidē actione existēte in ipsis, sed intellectus operatione; vt enim mixtū sui corruptione in elementa realiter resoluitur, ita intellectus sua consideratione mixtum in elementa redigit, talisque resolutio rationis dicitur.

Resolutio rōnis duplex. Mathematica, & Logica. Hęc resolutio rationis duplex est, altera Mathematica, altera Logica; Mathematica est qua propositā conclusionē in proprias causas, per quas demonstretur, reducimus; ut nihil aliud sit talis resolutio quā inquisitio, & perscrutatio quædam causarū illius conclusionis: sicut in Moralibus, cōsultationes sunt inquisitiones mediorū ad res faciendas, vt docet Aristoteles 3. Etícho. c. 3. ex quo patet, hāc resolutionē non esse demonstrationē; demonstratio. n. per causam effectū monstrat, resolutio vero posito effectu, causam indagat; resolutio tn̄ ipsi demonstrationi deseruit, vt docet Eustrat. in prolog. 2. Poster. talis resolutio Mathematica dicitur, nō ꝙ solus Mathematicus ea utatur, cū & aliæ sciētię ēt in proprias causas conentur sua redigere, sed quod Mathematici frequentius, & clarius id efficiant.

Quid

Quid resolutio rationis Logica, & quotuplex.

Logica resolutio, quãuis multiplex sit, vt 1. Prior. diximus, tamen quãtum ad rem spectat, duplex est, altera vniuersalis, altera particularis, vniuersalis est, qua conclusionẽ aliquam in figuras quasdam, & modos quibus est syllogizanda, redigimus; ab his .n. tanq̃ à principijs illationis dependet: similiter eadem resolutione reliquas argumentationis species in syllogismum, vt cuius vi innituntur, resoluimus, & ipsum etiã syllogismũ in duas propositiones, & in tres terminos reducimus. Resolutio vero particularis est qua ꝓpositam conclusionem, figura, & modo iam suppositis, in præmissas, & principia quædã necessaria, & quæ ipsius causam importent, reducimus; quæ quidem resolutio maxime deseruit Mathematicæ resolutioni, hęc enim in causam resoluit effectum. Logica vero particularis præmissas necessarias secundũ causas disponit, & quærit. Possumus enim in syllogismo aliquo duo considerare, & illationẽ quandam, qua conclusio ex præmissis infertur, & probationem etiam, qua conclusio per principia necessaria, & per suas causas probatur: vnde dupliciter resoluimus conclusionẽ, & in principia inferendi, nempe in figuras, & modos, quæ resolutio à Latinis dicitur resolutio formæ, à Græcis resolutio syllogismi simpliciter: & in principia probantia, nõ vtcunque, sed necessario, & per causam, quæ resolutio à Latinis dicitur, materiæ, à Græcis particularis, illa resolutio prior est, cum sit formæ, & communior, hæc posterior, cum sit materiæ, & particularis, vnde fit, vt pars Logicæ, qua communis resolutio traditur, liber Priorum dicatur; pars vero qua particularis continetur, liber Posteriorum.

Concl. quæst. Hæc igitur inscriptionis huius ratio; de resolutione posteriori, i. de modo inquirendi principia necessaria, & præmissas, quę causæ sint, per quas conclusio est demõstranda, ac in eas resoluenda. Hic autẽ oportebit vnũ adnotare, has partes Logicæ resolutiuas dici, non ꝙ ipsę resoluendo procedant: sed ꝙ resoluere doceant iuxta duos hos resolutionis modos: cum autem resolutio non fiat nisi composito, vel eo ꝙ resoluendum est precedente: hinc fit vt illæ partes Logicæ ostendant quod est resoluendum, nempe conclusionem, aut syllogismum, & ea in quæ ista sunt resoluenda.

Dubium. An hi lib. aliqua ex parte sint compositiui.

Dubitatur, An hi libri aliqua ex parte cõpositiui sint, & nõ semper resolutiui. Respondet Philop. & Bura. 1. Priorũ in his aliquid compositionis contineri: nam in libro Priorum docemur syllogismum componere; in libro vero Posteriorum demonstrationem: tamen quia potior est resolutio, & difficilior, idcirco libri resolutiui dicuntur. Aliorũ senten.

Mihi aliter videtur dicendum, nempe hos libros docere conclusionem propositam in præmissas, quibus inferatur, resoluere, quod simpliciter syllogizare dicitur, & conclusionem etiam in præmissas necessarias resoluere, quod est demonstrare: & quia hęc tradi non potuerunt quin prius, quid syllogismus, quid demonstratio esset, explicaretur, propterea ista in his continentur: hoc tamen non est componere, sed ea ostendere, in quæ resolutio facienda est. Fatendum est tamen cum ex resolutione nota fiat compositio, eadem arte nos doceri, & resoluere, & componere, sed illud prius. Propri. opinio.

QVAESTIO III.

De diuisione Logices in partem Iudicatiuam, & Inuentiuam.

Est aliud dubiũ, in quo elaborauerũt multi, qua ratione hæc pars Logicæ Analytica iudicatiua dicatur, Topica vero inuentiua.

Ad quod aliqui respõderunt non tam vere, quam subtiliter, nempe Topicam argumentari ex signis quibusdam, Analyticam vero ex causis: & quia signa ad inuentionẽ, causæ ad resolutionem spectare videntur, inde ad Topicam inuentio, ad Analyticã resolutio, & iudicium spectat: sed hoc postea quã quod leue est, non satisfacit, nam pars prior Analytica cum non per causam syllogizet, non esset iudicatiua, quod falsum est. 1. Aliorũ sent. Refellitur ea sẽtentia.

Alij respondent in Topica, & Analytica esse inuentionem, & iudicium, liber .n. Priorum medium syllogizandi inuenit, & de inuẽto iudicat: & Posteriorum liber docet etiã inuenire medium, nẽpe causas, & præmissas, 2. Sent.

& de

& de eisdem iudicare, an ita sint, & demum liber Topicorum docet inuenire probabilia, & de ipsis, an talia sint, iudicare: tamen quia in parte Analytica difficilius est iudicare, q̃ inuenire, iudicatiua dicitur: est aũt difficilius iudicare, nã conclusionis demonstrandæ vnũ est medium, quia non nisi necessariũ demonstramus, non.n. vtraque pars contradictionis demonstratur: ad illud innumeras habes leges, & conditiones, propterea inuentio est facilis, quia est vnius, iudicium difficile, quia multa debet habere: at in Topica facilius est iudicare, quia considerat probabile, quod facile examinatur, sed difficilius est inuenire, quia oportet vtramq; contradictionis partẽ probabiliter ostendere, ac propterea à principaliori inuentiua dicitur. Hæc sententia habet aliquid apparẽtiæ, sed patet fundamẽto.

8. Sent. Alij respondent aliter, Topicum, & Analyticum esse inuentiuum; nã præmissas vterque quærit ad conclusiones probandas, interest tamen inter vtrumque, nam Demonstrator solum verum probat, & à falso separat; at Topicus uerum à falso non discernit, cum solum probabile consideret, quod aliquñ uerum, aliquando falsum esse potest, ideo alter iudicatiuus, quasi discretiuus ueri à falso dicitur, alter solum inuentiuus manet.

Propria auctoris opi. Dicendum est meo iudicio, primo, duas esse argumentationis partes, alteram habentem se, vt materiam, nempe propositiones ipsas, & terminos rerum significatiuos, alteram ut formam, dispositionem nempe secundum figuram & modum: unde qui argumentationem aliquam componere uult, opus habet quærere hæc duo, & formam, & materiam aliquam quæcunque sit.

2. Fund. Secundo, inuenire non esse aliud quam occultum, siue ignotum inquisitione aliqua manifestum, & notum facere, vt exẽplo eorum, qui inueniunt aliquid comprobari potest: iudicare vero est assensu, vel dissensu rẽ sic, vel aliter se habere, cognoscere: verbi gratia inuenimus rem, dũ vario discursu tãdem in eius cognitionẽ deuenimus; iudicamus; dũ talem qualem quærebamus, consideramus.

3. Fund. Tertio, ignoranti argumẽtationem opus esse prius duplici inuentione, similiter duplici iudicio, oportet.n. materiam inuenire, ex qua confici debet argumentatio, similiter de ea iudicare, an talis sit, qualem quærebat; oportet præterea formam, quæ eam disponat inuenire, & qualis forma sit indicare: his enim omnibus absoluitur argumentatio: atque ad Logicum aliqua spectant, qui argumentationem docet: dico aliqua, quia materia non est negotij Logici, non enim res considerat, sed formam argumentandi ipsis applicat.

4. Fund. Quarto, inuenire argumentandi formas nõ esse ipsius Logicæ artis, cum sint ante ipsam, nam idest inuenire Logicam, sed artis est ipsas formas inuentas docere, probare, & declarare, & rebus applicare, quod totum ad iudicium pertinet: propterea liber Priorum formæ iudicatiuus dicitur; similiter inuenire res, seu terminos, quibus forma applicatur, non Logici, sed aliarum scientiarum, seu habituũ, qui res considerant munus est: ea tamen secundum propositiones ordinare, & an tales sint quales petuntur dignoscere, hoc est iudicare, & ad Logicum spectat.

5. Fund. Quinto, materiam hanc esse triplicem, necessariam, probabilem, apparentem, in quarum singulis est inuentio, & iudicium proprium. Omissa apparenti, de qua dicemus postea, necessariam ad librum præsentem, Topicam, seu probabilem ad libros Topicorum referri certum est. Cum autem inuentio non sit Logici, sed iudicium materiæ necessariæ, inde lib. Poste. iudicatiuus dicitur, quia nihil ex hoc Logico, præter ipsum iudicium accedit, dices, eodem modo liber Topi. iudicatiuus dicitur, cum inuenire probabile, non sit Logici, sicut nec inuenire necessarium, vt diximus: Respon. esse ualde diuersam rationem.

Vltimo ergo maxime aduertẽdum, quod Logicus, vt Logicus purus est, nullam rem contemplatur, sed tantum res alio habitu cognitas ordinat secundum formam argumentationis, aut diuisionis, aut definitionis, aut enunciationis, aut alterius similis: quapropter antiqui Stoici, & Plato, Logicam à reliquis scientijs non separabant, sed coniunctam eis addiscebant, vt dicit Philop. 1 Priorum, in principio: hinc est quod Dialecticũ scientem, ac Metaphysicum vocabant, vt videre est apud Plot. 1. Aenea. lib. 3. cap. 4. At Peripatetici eam separarunt, ac prius ipsam puram addiscebant: postea scientias, vt docet Arist. 2. Metaph. c. 3. stultum est (inquit,) simul scientiam, & modum sciendi discere.

(Hoc idẽ Alb. c. 1. huius libri, & li. 1. Meta. cap. 5.)

(Id refert Orig. super Cãt. hom. 1.)

Cum igitur res quædam sint necessariæ,

qua-

quarum scientiæ sunt; quædam probabiles, quarum sunt opiniones, quæ solo intellectu absque habitu sæpe producuntur, Logica à rerū necessariarum cognitione fuit seiuncta omnino, ac illarum cognitio fuit scientijs reseruata, at a cognitione probabilium non fuit prorsus abiuncta, immo cum illa sub nullo habitu comprehendantur relicta fuerunt Dialecticæ; hinc est quod sæpe clamat Aristo. Dialecticam considerare quid in vnaquaque re sit probabile, non quod talis cognitio ipsius propria sit, sed illi relicta est; Hinc fit quod Topicus maximas habet reales, quibus vtitur, sed ut probabiles sunt. Ex hoc apparet inuentionem probabilium, Logicam esse, ac ob id liber Topic. inuentiuus dicitur; non sic de necessario, in quo solum Logicus iudicio utitur: & hoc est admodum memoriæ mādandum, est enim ianua multarum veritatum, quæ in Logica occurrunt.

Respon sio ad quæst.

QVAESTIO IIII.

De ordine horum librorum.

Ex his quę proposuimus superius tertium erat ordo, quo nēpe loco hic liber sit ad discēdus: sermo enim est de ordine doctrinæ, hic autē doctrinæ ordo triplex esse potest, vt constat ex Aristotele uarijs in locis, primus est secundum necessarium, quando unum in doctrina prius altero traditur, quia hoc sine eius cognitione haberi nō potest, quo pacto multi ex grauioribus Aristot. interpretibus 1. de anima docēt cognitionē, & scientiam de anima præcedere scientiā de animalibus, quia animalia absq; animæ cognitione cognosci nequeunt. Alter est ordo secundū notius, quando id præmittitur, quod est notius, licet ex eius cognitione alterum non dependeat, quo pacto liber, Metheor. præmittitur libris de anima, quia mixta illa Metheorologica notiora sunt. Tertius est secundum dignius, quando id præmittitur, quod dignius est: quo pacto Aristo. 2. de anima ante posuit visum reliquis sensibus, quia dignior erat, & nobilior.

Triplex ordo doctrinæ.

Hoc igitur supposito petimus quo ordine liber hic alijs sit anteponendus, uel postponendus: & nulli dubium est librum Priorum præcedere ordine doctrinæ, propter necessitatem, & quia notior est, cuius rei ab auctoribus triplex in hoc prologo ratio reddi solet: prima est, notiora sunt prius tradenda minus notis, sed syllogismus in communi notior est demonstratiuo, quia est vniuersalior, vniuersaliora autem notiora nobis sunt, ergo liber Priorū, qui de syllogismo in cōmuni est, debet antecedere. Et hæc ratio est ēt ipsius Aristot. 1. Priorum cap. 4. Altera ratio est: Rectus, & necessarius doctrinæ ordo poscit, vt passiones prius de ꝓprio, & immediato subiecto demonstrentur, quā de mediato, ergo subiectū immediatum prius est tradendum: declaro antecedens, mobile est passio quædam primo corpori naturali inhærens, mediate uero, & secundario elemento, cœlo, alijsque corporibus: talis passio recto doctrinæ ordine necessario prius de corpore naturali, quam de hoc, uel illo corpore demonstranda est; sequitur ergo vt necessario antecedit corporis naturalis doctrina. Hoc igitur supposito, sequitur argumētū, inferre est passio tradenda de demonstratione, hæc aūt immediate competit syllogismo, prius ergo de syllogismo est ostendenda, ob idque syllogismi doctrina antecedit. Tertia ratio est: quia nisi cognitio syllogismi in communi præcederet, idem multoties inutiliter repeteretur, nam in demonstrationis doctrina oporteret explicare ea, quæ insunt ratione syllogismi in communi, & eadem iterum repetere in syllogismo Topico. & hęc est ratio, qua Arist. 1. de partibus c. 1. ostendit communia particularibus esse prius tradenda; nemo igitur de hoc dubitabit.

1.Rō.

2.Rō.

3.Rō.

Dubiū tn̄ est de libris Topicorū, & Elenchorum an huic sint anteponendi. Philopo. & Auic. quorum ēt meminit Auerro. in hoc prologo, asserunt librū Topicorū immediate sequi librū Priorū, & huic nostro esse anteponendū. Et aū. una ratio Philoponi; qn̄ intellectus ad aliquā veritatē capiēdā disponitur, prius rationibus probabilibus, quā demōstratiuis pparatur, ergo cognitio, & doctrina probabiliū quę Topica est, antecedere debet doctrinā demonstratiuā; antecedens est notissimū: est. n. hic mos communis, & præsertim Aristot. qui prius ueritatē rei probabiliter, & dialectice exagitat, quam demonstratiua conuincat. Altera est ratio Auicennæ: communiora sunt præmittenda, sed probabile est superius necessario, quod uocat intelligibile, nam omne necessarium est

Dubiū.

Sententia Philopo. & Auic.

Probatur sententia Philoponi.

1.Rō.

2. Ratio. probabile, non tamen omne probabile est necessarium: præmittenda ergo est doctrina probabilium: Circa librum Elench Philop. docet esse postponendum libris Posteriorum, quia sunt de syllogismo deceptorio, prius autem oportet doceri veritatis instrumenta, quam erroris.

Refellitur ista Philop. Hæc opinio non est recipienda, imo asserendum est, cum Alex. 1. Elench ca. 4 & Albert. hoc libro, tract. 1. cap. 1. & S. Thom. atque etiã Auerr. in hoc Prologo, & reliquis, librum Posteriorum immediate coniungi cum libris Prior. & profecto non debet quis dubitare hoc esse de mente ipsius Aristot. vt diximus 1. Prior. cap. 4. ubi se uelle demonstrationem tractare præposuit a syllogismo tamen inceptrurum, quia communior erat, post syllogismi igitur cognitionem immediate demonstrationis doctrina sequitur.

Rõ qua pbatur auctoris sñia. Ratio autem huius ab auctoribus in præsenti multiplex assignatur, qui non solum dignitate, sed etiam cognitione, & necessitate hunc librum esse anteponendum probatur: imperfectum non cognoscitur, nisi ex perfecto; sed Topicus syllogismus, est quid imperfectum, demõstratio vero perfectũ, ergo huius cognitio anteponenda est: maior est certa, quia imperfectio est aliqua priuatio, quæ sine positiuo cognosci nequit: nullus .n. quid cæcitas, quid tenebræ, quid mors cognoscet, nisi visum, lumen, & vitam præcognoscat: minor ostẽditur ex effectibus ipsorum, nam Topicus syllogismus inducit opinionem conclusionis; demonstratiuus uero scientiam: at opinio est quædam scientia imperfecta, est enim cognitio incerta, & obscura.

Rõ confirmat. Potest etiam minor aliter explicari, & probari, propterea aduerte cum Alberto, & S. Thom. in prologo, tres esse rationis, & intellectus processus: primus quo ex necessarijs, & semper veris propositionibus deducit cõclusiones necessarias, ac semper veras, quas nõ cõtingit aliter esse, & hic processus est perfectissimus, cũ cognitionẽ discursiuã perfectissimã generet, nempe scientiã, talis est demõstratio; alter est processus ab isto deficiẽs, & imperfectus, quo intellectus, nõ ex necessarijs, & semper veris, sed ex his, quæ maiori ex parte vera sunt infert cõclusionẽ nõ semper verã, sed quæ aliter se habere possit, & talis est processus Topicus: tertius est, qui non ex necessarijs, aut probabilibus, sed apparentibus inducit conclusionẽ apparentẽ, & hic est imperfectissimus, efficit. n. deceptionem, sicut secundus opinionem. Cum igitur hi duo processus sint obliqui, & imperfecti, regulandi sunt ex perfecto: ob idque eius cognitio anteponi debet, eademq; ratione libri Topicorum antecedunt libros Elenchorum.

Soluit. 1. Phi. Ad argumẽtum primum Philopponi, Respondet Auerr. in præsenti, cõcedendo, prius oportere rationibus probabilius rem attingere, quam demonstratione ostẽdamus, negat tamen eundem ordinem obseruandam esse in eorum doctrina, immo prius oportet docere, necessaria, quorum sint demonstrationes, quam probabilia.

Soluit. 2. Auic. Ad secundum Auicen. etiam, Respondet Auerroes dupliciter, primo admittendo necessaria esse probabilia, non tamen sequitur vt doctrina probabiliũ sit præmittenda, quia in Logica nõ considerantur ipsa probabilia, aut necessaria, sed traditur regulæ ad cognoscenda probabilia, & necessaria, quæ sunt diuersæ inter se, nec aliorum regulæ in aliquo cum aliorum regulis communicant, & sic soluitur primo argumẽtum. Alterã etiam affert solutionem, nempe negando omnia necessaria esse probabilia: hoc enim falsum est, cum multa sint necessaria quæ sunt non probabilia, vt diximus lib. 1. Topicorum.

QVAESTIO V.

De modo procedendi.

Sequitur modus procedendi, hic autem facilis est, nempe, definitiuus, diuisiuus, inductiuus, & syllogisticus, eiusmodi enim instrumentis demonstrationis uarietã manifestat.

Dubiũ. Sed dubium est vnum, a quo uix aliqui se possunt expedire: num demonstratione vtatur circa ipsam demonstrationem: non enim fieri posse videtur antequam cognita sit demonstratio posse quemquam uti demonstratione, ob idque aliqui id negant, inter quos fuit Paulus Venetus, quod profecto est clarissime contra Aristotelem, qui cap. 2. huius libri, demonstratione probauit demonstrationem constare ex ueris, & primis, &c. quia facit scire, vnde a fine materiam probauit, quod est demonstrare: & hoc idem etiam sæpe facit; propterea dico sine dubio Aristotelem in inuestigandis his, 1. Opi. 2. Opi.

quæ

quæ ad demonstrationẽ exiguntur uti etiam demonstratione.

Atque ut hoc ex suo principio intelligatur, aduerte hominem solo intellectu absque alio habitu, & scientia sæpe syllogizare, & discurrere, & demonstrare, & rationibus, ac demonstrationibus acquiescere, licet earum naturam ignoret, quod docuit Arist. 1. Rhetor. ad Theodect. cap. 1. perfectè vero cognoscere hos discursus, & ratiocinationes perfectè facere Logicæ artis est, nec peruentũ fuit ad eorum cognitionem nisi eisdem rationibus naturaliter exercitis, & imperfectè cognitis, quod doctè dixerunt Philopo. & Albert. 1. Prio. c. 2. docentes in artib. & scientijs præsupponi notiones naturales. Iuxta hoc respõdeo, qui tradit doctrinam demonstrationis, cum iam demonstrationem cognouerit, poterit circa eam demonstratione uti, qui verò discit, talem demonstrationem recipit notione naturali, qua cognoscit esse rationem bonam, quamuis non cognoscat exactè naturam illius, quousque demonstrationem in uniuersum didicerit.

Quod si obijcias, quomodo demonstratio probat demonstrationem, nam seipsam probaret? dico. demonstratio quæ probat sumitur, ut instrumentum probandi, demonstratio quæ probatur tanquam obiectũ commune omnibus demonstrationibus: non repugnat autem ut idem probet seipsum diuersa ratione sumptum, s. ut instrumentum est, & ut sub eo quod probat continetur, quo pacto definitio definitionis seipsam definit. Obiectio, & resolutio.

De diuisione. 6

Superest ut de diuisione dicamus, & quidem in duas partes principales diuiditur hic totus liber, in priori sunt ea, quæ ad demonstrationem ipsam pertinent, in posteriori verò quæ ad ipsius medium, sub quo definitio est, & sufficiat ista generaliter diuisisse, quæ postea particularius sunt enarranda.

ARISTOTELIS STAGIRITAE,

PERIPATETICORVM PRINCIPIS,

Posteriorum resolutoriorum, Liber Primus.

SEVERINO BOETHO INTERPRETE,

SVMMA LIBRI PRIMI.

De demonstrationis essentia, conditionibusque ad eam requisitis. De differentia demonstrationum quòd, seu quia, & propter quid. Quæ figura aptior sit demonstrationi. De ignorantiæ speciebus, quæ in scientijs accidunt. Finitos esse demonstratiuarum propositionum terminos. De demonstrationum varijs speciebus, ac earum inter se comparatione. De varijs demũ Theorematibus ad demonstrationem conferentibus.

1

Omnem doctrinam, omnemque disciplinam intellectiuam ex præexistenti fieri cognitione. Quot sint præcognitionum modi, quæque ea quæ præcognoscuntur. Dubitationum solutio circa propositionem contingentium. Cap. I.

*Omnis doctrina & omnis disciplina * discursiua ex preexistente fit cognitione.*

*Manifestum autem hoc speculantibus in omnib. Mathematicæ namq; scientię per hunc modum * accedunt, & aliarum unaquæque artiũ. Cõsimiliter autem & circa * rationes, & quę per syllogismos, & quę per inductionẽ: ambæ.n.per ea quę precognoscuntur faciunt doctrinam: illæ quidem accipientes, tanquam à cognoscentibus, istæ uerò monstrantes uniuersale per id, quod manifestum sit singulare. Itidem & Rhetoricæ persuadent; aut enim per exempla, quod est inductio: aut per enthymemata, quod est syllogismus.*

Bifariam autem necessariũ est præcognoscere: alia namque quòd sunt præsuscipere necessarium: alia uerò quid est quod dicitur, intelligere oportet: alia autem ambo ut quod quidem omne, aut asserere, aut negare, uerum, quod est: trian-

* Verbũ hoc quod discursiua interpretatũ est, alij pressius syllogistica, alij latius intellectualis rõcinatiua cogitatiua, hic & alibi vertunt.

* al. perficiũtur.

* orationes aliqui vertunt.

triãgulũ verò quid hoc significat; vnitatem autem ambo, & quid significat, & quod est: non enim consimiliter horum vnumquodq; manifestũ nobis est.

4 *Est autem cognoscere, alia quidem prius cognoscentem, quorundam vero & simul accipientem cognitionem: ut quæcunq; sunt sub vniuersalibus, quorum habet cognitionem: quod enim omne triangulũ habet duobus rectis æquales præsciuit: quod aũt hoc, quod est in semicirculo, triangulum est,* * *simul inducens, cognouit. Quorundam enim in hunc modum disciplina est, & non per medium extremum cognoscitur: quæcunque iam singularia sunt, & non de subiecto aliquo.*

*A. l. simul dicens cognouit: Ita ut cõiunctim hæc uerba legantur hoc mõ legit Io. Gram. illud Th. & Auer.

Ante vero quam inductum sit, aut
5 *acceptus fuerit syllogismus modo quidem aliquo fortasse dicendum est scire, modo autem alio non.*

6 *Quod enim nesciuit si est simpliciter hoc quomodo sciuit quod duos rectos habet simpliciter? sed manifestũ quod ita quidem scit, quoniam vniuersaliter sit, simpliciter autem non scit.*

7 *Si vero non, quæ in Memnone, dubitatio continget, aut enim nihil addiscet, aut quæ nouit.*

8 *Non enim iam, veluti quidam nituntur soluere, dicendum, an ne nosti omnem binarium quod par est; aut nõ? asserente autem, attulerunt quendam binarium, quem non existimabat esse: quare neque parem. Soluunt enim, non dicentes omnem scire binarium parem esse; sed quæ sciunt quod binarius. Atqui sciunt quidem, cuius demonstrationem habent, & cuius acceperunt: acceperunt autẽ non de omni, de quo vtique noscant, quod triãgulum, aut quod numerus, sed simpliciter de omni numero, atque triangulo: nulla enim propositio accipitur talis, quod quem tu nosti numerum, aut quam tu nosti rectã lineam; sed de omni. Cæterum nihil puto, vetat, quod addiscit aliquis, est sic scire, est autem sic ignorare, absurdum enim, non si nouit quodammodo quod addiscit, sed si ita, vt inquantum addiscit, & sic.*

Vide 2. Prior. c. 16.

Omnis doctrina, et omnis disciplina.

ARistoteles optimus artifex omnia quæ de qualibet re proposita peti solent de demonstratione tradit, quærimus. n. primo, an res sit, deinde quid sit, tertio qualis sit, postremo quare talis sit, his enim scientia absoluitur. Atq; hæc quatuor demonstratione docet, quia multi negarunt demonstrationem esse negantes scientiã haberi de rebus, cũ caducæ, & mutabiles sint: quales fuerunt Heraclitus, Democritus, & alij. Alij asserentes nihil de nouo sciri, sed scientiã nostram non esse aliud quam recordationẽ, & reminiscentiam eorũ, quæ anima sciebat, qualis fuit Plato, ut quidam asserunt, hos remouet errores, docens, & sciẽtiam esse, ac de nouo fieri affirmans, ideoque demõstrationem esse: propterea statuit omnem doctrinam fieri ex præexistenti cognitione, atque postea intendit inferre ex ista, (vt notat Philop.) demonstrationem, quæ doctrina est, fieri ex præexistenti cognitione.

De sensu Propositionis.

Omnis doctrina, &c.

Sed dubium est de sensu huius celebratissimæ propositionis: quidam recentiores per doctrinam, & disciplinam, intelligũt quamcunque cognitionem intellectus, propterea enim additur illud verbum, intellectiua, ad excludendas cognitiones sensuum. Cognitio autem intellectus duplex est, altera simplex, seu incomplexa, in qua non est verum, uel falsũ, quã Auerr. in præsenti uocat secũdum uiam formationis, altera est cognitio cõposita, & cõplexa, in qua inest uerũ, aut falsum, quam uocat Auerr. secũdum viam uerificationis hæ aũt cognitiones sic se habent, ut nunquã

1. Opi. recentior

sit cōposita, quin simplex præcedat, simplex tñ esse potest, ut nulla alia simplex, aut composita præcedat in intellectu: non tñ esse pōt quin præcedat aliqua cognitio sensus, cū non contingat intellectū intelligere absque præcedenti sensus cognitione: quo supposito, secūdū horū sententiā sensus propositionis est, omnis cognitio intellectus fit antecedenti cognitione sensus.

Improbatur prima expositio. Hęc doctrina vera est, sed nō videt̃ ad mẽtē Arist. esse, non. n. simplices notitias intellectus quis doctrinas, aut disciplinas vocabit, sicut nec ipsas notitias sensuum exteriorum.

2. Sent. Themisti j. Aliarū fuit opinio asserētiū per doctrinā, & disciplinā intellectiuā esse intelligendam cognitionē cōplexā veritatis: hęc aūt duplex est, quędā prima, & immediata, quæ ex alterius veritatis cognitione non dependet, qualis est cognitio principiorum per se notorū; altera est veritatis cognitio, quæ ex altera pēdet, quæ discursiua dicitur, & hæc vtraque veritas semper præsupponit aliquā cognitionē: non. n. quis totū maius esse parte intelliget, quin prius quid totum, quid pars sit, cognoscat, & tūc dicūt illud verbū intellectiua addi ad excludēdas cognitiones sensuū, quæ & doctrinę dicūtur, vt patet in multis brutis, quæ discunt, & doctrinam aliquam capiunt.

Improbatur 2. Senten. Hęc sentētia nō est spernēda, est enim Themist. Philop. S. Thom. & doctrina uera est, sed non videtur admodum ad mentem Arist. nā non videtur de quacunque cognitione veritatis loqui, sed de discursiua, vt patebit: nihilominus tamen est sententia probabilissima.

3. Sent. Albe. & aliorū. Alia est sententia, quæ maxime mentem Aristotelis exprimit, nempe per doctrinam, & disciplinam intellectiuā intelligi veritatē discursiuam, quæ ratiocinatione, & discursu habetur: hoc enim illud verbū, intellectiua, Græcè significat, & tūc est sensus, omnis cognitio, vel omnis assensus, qui ratione, & discursu habetur fit ex aliquo alio antecedenti iudicio, nēpe pręmissarū, aut principiorum, aut antecedentis, ex quo illa discursiua cognitio deducitur: hæc expositio Auerrois, Albe. Linconiēn. Apollin. Pauli, & Aegidij: & mihi videtur ad mentem Aristotelis esse.

Not. 1. Circa verba aūt notare oportet cum Philop. & alijs, p doctrinā, & disciplinā eandē re cognitionē intelligi, nā eadem cognitio vt à magistro pcedit doctrina dicitur, vt vero à discipulo recipitur disciplina: attēde autē ex Linconiē non solum doctrinam, seu disciplinam dici quam à magistro uiua voce quis accipit, sed etiam quam ex scripturis. i. proprio labore inueniendo consequitur.

Aduerte pręterea per cognitionē intelligi non inuentionem, ut uoluit Alex. sed quid superius, nempe cognitionem tam discursiuam quàm non discursiuam, inuētam aut à magistro traditam, intellectiuam, aut sensitiuā, ut sit sensus doctrina. i. iudicium conclusionis haberi ex præexistenti cognitione, siue hæc sit alio discursu habita, siue immediate cognita, siue sit intellectus siue ipsius sensus. Not. 2.

Aduerte præterea, cū illa præpositio, (ex) dicat habitudinem termini, aut partium, aut materiæ, aut causæ efficientis, hic causam efficientem denotat, ut sit sensus, cognitio, seu assensus præmissarum faciunt doctrinam, seu assensum ipsius conclusionis, atque hæc est huius propositionis explicatio. Not. 3.

Manifestum autem hoc speculantibus, &c.

Inductione propositionem probat in omnibus artibus, & disciplinis, quæ ratione utūtur, nec hæc probatio est per exēpla, ut quidam ex recentioribus asserunt, sed est inductio, ut docet Auer. Philopo. Them. & alij.

Inductio igitur est, Primo in Mathematicis artibus, hæ enim doctrinam faciunt suarum conclusionum ex præcedenti cognitionē principiorum: & sub his disciplinis intellige alias scientias speculatiuas.

Secundò, inductio fit in alijs artibus, & per eas intelligit Them. artes operatiuas, licet id non placeat Auer. sed tñ uerum dicit Them. in his enim nō contingit ueritatem discursu consequi, nisi ex præexistenti cognitione, q̃uis Themist. explicet de ueritate non discursiua secū̃ suā interpretationē, ut diximus. Refellitur snīa Auer. de artibus operatiuis.

Tertiò in orationib. dialecticis. i. in ratiocinationib. probabilibus, quæ sunt syllogismi, & inductiones, in quib. fit doctrina. i. conclusionis, cognitio ex præcedenti cognitione: nam in syllogismo dialectico accipimus præmissas tanq̃ notas, & datas, in inductione uero in singularium cognitione doctrinā uniuersalis facimus: Hic nota dixisse syllogismos pluraliter, nam dialecticus de quo hic fit sermo, non solū unam partē contradictionis, sicut demōstrator, sed utrāq; probabiliter ostēdit, propterea syllogismos dicitur facere. Nota.

Vltimo

Vltimò, inductio fit in discursibus Rhetoricis, qui sunt enthymema, & exemplum, in quib. non fit doctrina consequutis, nisi ex pręcognitione antecedentis.

Vocat autem enthymema syllogismum, & exemplum inductionem, vt notat Themist. quia enthymema est imperfectus syllogismus, & exemplũ imperfecta inductio.

Sed non mihi admodum hoc placet, nam licet enthymema dici possit imperfectus syllogismus, cum syllogismo perficiatur: tamen exemplum cum nõ ad inductionẽ, sed ad syllogismũ reducatur, & in ipso perficiatur, non dicetur imperfecta inductio; exemplũ enim per singulare probat singulare, at inductio p singulare vniuersale. Propterea mihi videtur sensum Aristotelis esse, enthymema esse apud Rhetoricum, quod apud Dialecticum syllogismus, & exemplum, quod apud Dialecticum inductio, & hoc solum intẽdit Aristoteles, dũ vocat enthymema, & exemplum inductionem, & syllogismum.

5 *Dupliciter autẽ præcognoscere oportet, quædam enim, &c.*

Postquam Arist. omnem doctrinã ex præexistenti cognitione fieri docuit, nunc ea quę ante demõstrationem præcognoscere oportet, ac modos quibus præcognoscũtur, tradit.

Nota de Præcognitionibus aliqua.

Pro quorum intelligentia aduertendũ est, ea dici præcognita, quorum cognitio est necessaria demonstrationi, adeo vt demonstratio absque tali eorum cognitione non possit procedere, non tamen in ipsa demonstratione, sed extra cognoscũtur: modus autẽ cognitionis, quo hæc cognoscere necesse est, præcognitio dicitur, vt modo clarius explicabit; concurrunt. n. ad demõstrationẽ tria, quæstio quæ demonstranda proponitur, vt an aĩus sit immortalis, propositiones ex qbus est demõstranda quæstio, nempe omnis actus immixtus materiæ est immortalis, omnis animus est actus immixtus materiæ: ex his n. sequit, animus ergo est immortalis; tãdẽ principia quorum virtuti, & robori innituntur, & probant hæ propositiones, nempe impossibile est duo cõtradictoria esse simul vera, ex huius enim ueritate prouenit, ut illæ duæ propositiones illã quæstionẽ probẽt, aliter. n. illis cõcessis, si negaret conclusionem aliquis, negata conclusione sequeretur animum esse actum immixtum, & non esse actum immixtum, qđ fieri non potest, & talia principia demonstrationis dicuntur dignitates, quarum vsus clarius, & frequentius in mathematicis perspicitur.

Est secundo aduertendum, nõ omnia hæc tria demonstrationem componere, & constituere, sed duo priora, quæstio enim mutata forma fit conclusio, nam sub forma dubitandi quæstio est, sub forma vero assertionis illatę, est conclusio; præterea ipsæ propositiones intrinsecè demonstrationem componũt tanquam præmissæ, at dignitates extra demonstrationis compositionem manent, non enim eam formaliter componunt. Nota. 2

His duobus suppositis Arist. docet cũ quis aliquã demonstrationẽ facit, aut ea conuincitur, præcognoscere debere tria, duo ex parte quęstionis, vnum ex parte propositionum, in quęstione. n. sunt partes duę, pręd icatũ, quod à latinis passio, à Græcis quæsitũ, seu interrogatum dr̃, quod demonstrandũ de altera parte proponitur. quam Latini subiectum, Gręci datum vocant, ut in superiori quæstione, an animus sit immortalis; immortale, quęsitum, animus vero datum dicitur. Expositio.

In hac ergo quęstione, de dato, duo pręcognoscere, necesse est, nẽpe quid animus significet, & an sit, nisi. n. hęc duo iam de animo pręcognouerimus, nequaquã ad demonstrationẽ accedemus, nã quęstio hæc de illo supponit, est. n. sensus, supposito cognosci, quid animus significet, & animum esse, petitur, an sit immortalis, hoc enim est demonstrandũ.

De quęsito vero vnũ pręcognoscere oportet, nempe quid significet, vt quid per immortale significetur, nam ꝙ immortale sit, hoc ipsum in demonstratione cognoscitur, dum de subiecto demonstratur. Ex parte autẽ præmissarũ vnum oportet pręcognoscere, nempe dignitates: quæ extra demonstrationem sunt, his enim non præcognitis non fit demõstratio, opus autem est de his pręcognoscere an sint, i. veras esse, nã sicut an sit de re simplici, petit an ens sit, ita de cõplexo an sit, petit an verũ sit: patet ig. tria esse pcognita, datũ, seu subiectum, quæsitũ, & dignitatẽ, duas autẽ esse pręcognitiones, an sit, & qđ significet.

His suppositis, ad textus uerba accedamus, in quibus notare oportet per vnitatem intelligi subiectum, seu datum, per triangulum, quęsitum, seu passionem, per uerum est affirmare, vel negare, quamlibet dignitatem. Expositio.

Nec decipiatis existimans hæc ad vnam, & eandem demonstrationem pertinere, vnitas enim, & triangulus non ad eandem demonstrationem pertinent, sed aduersam, vt notat Philop. Alber. & alij, nam triangulus est primum quæsitum in Geometria, & vnitas primum datum in Arithmetica, dignitas verò illa omnibus est cõis demonstrationibus.

Dubiū. Dubitabis, nonne maiorem, & minorem oportet præcognoscere, cum conclusionis doctrina non nisi ex propositionum præcognitione fieri possit, quare ergo dignitatem solam præcognoscendam docet? aliqui sub dignitate etiam ipsas propositiones intelligendas dicunt, quod tamen non est ad Aristotelis mentem in hoc textu: propterea diligenter aduerte; hic intendit Aristoteles ea præcognita manifestare, quę in ipsa demonstratione non cognoscuntur, sed ante, cum in ea non reperiantur: cum autem duo sint quæ demonstrationem præcedunt, ad ipsam tamen necessaria, nempe dignitas, & quæstio, (hæc enim formaliter non faciunt demonstrationē, licet sint necessaria) hæc oportet præcognoscere: reliqua enim sicut propositiones, & conclusio vt conclusio est, in ipsa demonstratione cognoscuntur: ob id igitur talia præcognita assignauit.

Est autem cognoscere alia quidem.

Istum textum magnæ difficultatis esse, varia, & multiplex grauissimorum interpretum expositio comprobat. In medium adducam ea omnia quæ dicuntur, ex his n. vtilitatem decerpemus, licet ad mentem Aristotelis hæ omnes expositiones non sint. Latini fere oēs, hunc textum ita explicant, vt velit Aristoteles explicare, & docere quo ordine maior, & minor ante conclusionē præcognoscantur, in præcedenti. n. textu. (vt diximus in dubio præpositio) ipsi existimāt Aristotelem inter principia præcognita maiorē, & minorē cū dignitatibus, annumerasse; nunc verò inter has duas præcognitiones ordinem assignare intendit, qui talis est, ac duplici propositione continetur, quarū altera est maior, multo tēpore ante cognosci potest quam conclusio: potest enim quis ante scire omnem triangulum habere tres angulos, quam sciat hunc in particulari triangulum habere tres angulos: altera minor simul tempore cum conclusione cognoscitur, non enim stat quemquam scire hunc esse triangulum, quæ minor est, quin simul sciat habere tres angulos æquales duobus rectis, quæ erat conclusio. Notant tamen, licet simul tempore minor cū conclusione cognoscatur, prius tamen natura ipsam minorem cognosci, cum sit causa conclusionis. (1. Expo. Latinorum)

Ex qua expositione sumunt commune dictum tanquam hic traditum; Cognita maiori, & minori, simul tempore cognoscitur conclusio, & hoc dictum limitant, docentes esse intelligendum supposita cognitione consequentiæ bonæ, nisi enim bonam esse consequentiam cognoscamus, non opus est simul cognoscere conclusionem, & ita interpretantur Aristotelem, cum dicit, singularia cognoscimus inducentes, i. illa singularia quæ in minori cognoscūtur, quæ sunt vltima, idest, minores extremitates, absque altero medio, sed simul inducentes, & inferentes conclusionem cognoscimus: ita exponunt San. Tho. Aegid. Licon. Paul. Appoli. & alij cum his. Im pb.

Hęc quidem doctrina uera est, sed (pace eorum dicam) extra mentem textum Aristotelis: nam id quod de maiori dicūt etiam de minori dici potest, vt enim minori, cum maiori cognita statim cognoscitur conclusio: ita maiori cum minori posita cognoscitur conclusio: quod si dicas, maiori per se absque minori cognita, non cognoscitur conclusio; ita etiam dicam, minori absque maiori cognita non cognoscitur conclusio, & vtramque per se prius tēpore cognoscere possumus, quam ipsam conclusionem. Præterea, ista doctrina est generalis omnibus minoribus, vt quid ergo Aristoteles limitauit ad singularia, quæ non dicuntur de subiecto? præterea quia uerba textus non admittūt expositionem hanc, vt consideranti patere potest. 1. Expo.

Philoponus aliter locum interpretatur, vt Arist. velit in hoc textu ostendere inuentionem ēt fieri ex prę existenti cognitione, cum superius probatum fuerit de doctrina, & disciplina, quantum autem ex ipso Philop. conijci potest, per doctrinam intelligit ipse cognitionem conclusionis, quæ per aliud mediū habetur, siue a nobis inuentum, siue ab alio acceptum, per inuentionem aūt intelligit cognitionem singularium, quam per nos acquirimus ex aliquo vniuersali prius cognito, vt qui sciuit omnem triangulū habere tres angulos æquales duob. rectis, perspecto aliquo 1. Expo. Philop.

quo triangulo per sensum statim cum tres angulos duobus rectis æquales habere cognoscit; Et talis cognitio inuentio dicitur, & de hac dicit Arist. in præsenti quod fit ex præexistenti cognitione, nẽpe ex ipso vniuersali prius cognito, & non per medium aliquod, sed ex ipso sensu illud singulare esse oñ lente: at qa est alius modus, qui videtur esse ex pexistenti cognitione, nempe cum prius aliquid cognouimus, & rursus illud obliuione intercedente cognoscimus, quæ recordatio dicitur, hunc modũ Aristoteles in principio textus posuit, ut etiã explicaret omnes modos cognoscendi ex præexistenti: tamen vt vult Philop. ista nõ est cognitio, sed recordatio.

Improb. 1. Expo. Ista est sententia Philop. 1. quamuis admodum obscurè ipse loquatur, nec videtur admodum literę consona, nam Arist. non loquitur de cognitione illa, qua cognoscimus hũc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quam ipse Philop. inuentionem vocat, sed de hac cognitione sensus, qua hunc triangulum esse absque medio percipitur.

Themistius vero quẽ sequitur Auerr. multo aliter exponere vr; interpretatur. n. Arist. verè excipere duas cognitiones, quę videntur ex pręexistenti cognitione fieri, & non fiunt, altera est quæ est per recordationem, seu reminiscentiam, cum idem eodem modo quo ante cognouimus, obliti tamẽ fuimus, rursus cognoscimus, atq; hæc nõ propriè fit ex pręcedenti, cum sit eadem cũ præcedẽti, i. eiusdẽ rei, eodẽ modo cognitæ: & hoc est, quod dicit Arist. est quæ iã cognoscere prius cognoscẽtẽ, i. quædã cognoscimus, quæ ante cognouimus; altera cognitio est singularium, quorum vniuersale cognouimus, hæc. n. videntur ex præexistenti fieri cognitione, sed nõ fiũt; nam qui scit oẽm triangulum habere tres angulos ęquales duobus rectis, si postea videat triangulum hunc, tunc cognoscit eum habere tres angulos æquales duobus rectis, sed non totum ex præexistenti cognitione vniuersali, sed hunc triangulũ esse absq; præcedenti cognitione solo sensu percipit, sed hẽre tres angulos æquales duobus rectis, id nẽte, & ex præcedenti cognoscit: proinde statim docet Aristoteles, quo pacto ẽt illam conclusionem singularẽ partim ante cognoscamus, in verbis, quæ in textu sequuntur. Ista est expositio Them. quam obscure satis tradit Auerro. nec mihi displicet, maximè enim videtur textui, & sensui cõgruere, quamuis illa priora verba nõ sint exactè declarata, vt inferius videbim⁹.

Albertus, cap. 4. aliter videtur exponere, dicit. n. hic Aristotelem velle ostendere quo modo conclusiones vniuersales, & singulares cognoscamus: ac de uniuersalibus primo dicit; eas cognosci alia prius cognoscendo, idest earum cognitio procedit per præmissas quæ habeant medium proprium ipsarum, sicut quando hominem esse risibilẽ per animal rationale, aut per medium proprium hominis probamus: at singulares non possunt per medium propium probari, sed solum per applicationem communis, & vniuersalis, quod sensu fit: vt probamus hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non proprio medio, sed solum applicando vniuersale, i. cognoscendo illum esse triangulum: & hoc est quod Arist. dicit absque medio cognosci, i. sine medio demonstratiuo, sicut conclusio vniuersalis. Hæc sentit Albertus. 4. expo. Alb.

His propositis existimo Aristotelem sic esse exponendum, vt velit ostendere ea quæ in doctrina aliqua discursiua continentur dupliciter cognosci: docuerat enim ante ipsam demonstrationem præcedere cognitionem dignitatum, dati, & quæsiti: superest vt ostendat quomodo assentiamur his, quæ in ipsa demonstratione, seu doctrina discursiua continentur, ac docet aliqua esse quibus non assentimur nisi per aliquam rationem pręcedentem, vt quando præmissas sumimus vniuersales, & quæ præcedente indigent probatione, qualis est maior in hoc discursu, omnis triãgulus habet tres angulos æquales duobus rectis: iste est triangulus, ergo iste habet tres angulos æquales duobus rectis: & est qđ dicit, est cognoscere, idest aliqua cognoscim⁹ in discursu, alia cognoscentes, idest propter pręcedẽtem alium discursum. At vero aliqua sunt, in discursu, quæ non alias cognouimus, nec discursu pręcedenti; sed solum in illo eodem discursu inducentes cognouimus, & hęc sunt singularia; quia sub vniuersali maiori subsumimus, non enim sicut ipsa maior, per discursum cognoscuntur, sed sine medio, solo sensu, ut quod iste sit triangulus: nõ enim loquitur de conclusione, sed de minoribus sub uniuersali sumptis: & ista expositio iudicio meo est ualde notanda; maxime enim Aristotelem explicat, quod si hæc nõ placet, placeat expositio Them. posita. 5. Auct. expos.

5 *Antequam autem sit inducere.*

Cum præmissæ, quomodo cognoscantur in discursu proximè docuerit, nunc de ipsa conclusione loquitur, ac docet ipsam conclusionem antequã inducta, & illata sit, & quodammodo esse cognitam, & quodammodo non. Verba textus sunt notanda, dicit, antequam sit inductũ, aut acceptus syllogismus: nam cum iam minor est adhibita, siue particularis, siue singularis, quod uocat inductũ, vt quando sub illa uniuersali additur, iste est triangulus; siue uniuersalis, quod uocat acceptus sit syllogismus; ut in uera demonstratione, nullo modo ignoratur conclusio, immo perfecte scitur: antequã aũt minor addatur, & syllogismus perficiatur, si tamen uniuersales, ac maiores propositiones cõstitutę sunt, tunc partim scimus, & etiam partim, & aliquo modo ignoramus.

6 *Quod enim nesciuit si est simpliciter.*

Incidit declarare quomodo talem conclusionem aliquo modo sciamus, & aliquo modo ignoremus, idque docet in illa singulari dicens: ignoramus illam singularem in particulari; cum nesciamus illum esse triangulũ, at scimus uniuersaliter, dum scimus in illa maiori uniuersali illũ habere tres angulos: similiter de alijs conclusionibus, quas in præmissis scimus in uirtute, non autem in propria forma, & actu, quousque inferantur. Hęc est explicatio iuxta textum quæ cõmuniter habetur, & profectò auderem dicere, ista uerba sub interrogatione legenda, sic; Quod.n. nesciuit si est simpliciter, hoc quõ sciuit, qđ duos habeat rectos simpliciter? ac si dicat, nos in illo uniuersali simpliciter, & particulariter non scire illã conclusionem singularem, nam de quo ignoramus an sit, quomodo perfecte scire poterimus, habere tres angulos æquales duobus rect.? ac si dicat, non scimus perfecte, hunc triangulũ habere tres angulos quousque illum triangulũ esse sciamus: ac ob id, concludit in illa uniuersali maiori conclusionẽ, nõ actu, & in propria forma cognosci, sed uniuersaliter, & in potentia, & hic locus est notandus, quem doctè quidem Bur. sub interrogatione interpretatus est.

Si vero non Memnonis ambiguitas. 7

Ex modo quo partim sciamus conclusionem antequam sit inducta, & partim nesciamus, soluit duos cauillos, ut declarat Themist. & communiter omnes, alter est Memnonis apud Platon. in dialogo sic inscripto: hic enim probabat non posse cuiquam contingere scientiam per inuentionem, tali argumẽto, nam qui inuestigat, si scit id quod inuestigat, tunc non est inuenire, nec discere, cum iam id cognoscat; si uero non scit, frustra quærit cum etiam si illi occurrat, non sit deprehensurus.

Ad hoc autem respondendum est, nos quęrere, & inuenire ea quę sciueramus, & cognoueramus, in uniuersali tamen, & in uirtute: ignoramus autem in particulari, sic propterea id discimus: nec est absurdum, nec impossibile quemquam discere id, quod cognoscebat: nam cognoscebat in uniuersali, discit autem in particulari: incõueniens esset, si eo modo, quo sciuit postea disceret.

Vbi aduerte discrimen esse inter Platonẽ & Aristotelem: Plato enim dicebat non sciri quicquam de nouo, sed scire esse reminisci: Aristoteles uerò etiam docet prorsus conclusionem non sciri de nouo, sed eius cognitio in virtute præcessit: est autem inter hæc duo magnum discrimen; nam reminiscentia est, cognitio illius, quod ante eodem modo, & sub eadem forma cognouimus, obliuio tamen intercessit: & sic Plato existimabat nos scire de nouo: at illa cognitio vniuersalis, seu virtualis quæ præcessit, secundum Aristotelem, nec est quæ postea redit, sed primo rem in suo principio, & in vniuersali scimus, postea eam in particulari discimus. Nota 24

Non enim sicut quadam conantur. 8

Hic est alter cauillus, vt supra diximus, secundum Themist. qui est Sophistarum, volentium probare nos non scire, quia si sciremus, tunc esset scientia huius, omnis dualitas est, numerus par, quod concedendum est: tum autem faciebant sophisma, tu scis omnem dualitatem esse parem, hæc quæ est abscondita, & quam tu non cognoscis, est dualitas, ergo tu scis illam esse parem, quod est, falsum, nam cum nescias esse dualitatem,

non

non scies esse parem: reijcit solutionem quorundam: aliqui enim conuicti sophismate respondebant se non scire omnem dualitatem esse parem, sed omnem eam, quam scirent esse dualitatem: Aristoteles hoc reprehendit, ac dicit absque ulla limitatione fatendum esse omnem dualitatem seni esse numerum parem, cuius ratio est pulchra, nam quãdo demonstratio illius fit, absque vlla limitatione fit, nec præmissæ, quibus demonstratur limitantur ad has, aut illas dualitates, sed ad omnes; oportet igitur respondere, non scire nos hanc dualitatem distincte, & particulariter esse parem, quousque sciamus illam esse dualitatem: scimus tamen eam in communi, & vniuersali.

Alij fere omnes hunc cauillum posteriorem, cum eo qui Memnonis est coniungunt, ac vnum faciunt, & tunc sic debet continuari: nam aliqui respondebant ad prius argumentum, nos scire ea quæ ignorabamus: aduersus, quos erat argumentum probans nos scire, antequam inducta sit conclusio: nam si scis omnem dualitatem esse parem, etiam scies hanc quæ est in manu mea esse parem, quæ est conclusio, & tunc respondebant aliqui, quod superius diximus. Hæc circa capitis expositionem.

QVAESTIO I.

De ijs quæ in expositione textus dicta sunt.

1. arg. Vt magis quæ dicta sunt elucidentur, ut moris est nostri, aliquantulũ oportebit disputare; & hoc est argumen: primũ. Multæ sunt scientię ac doctrinę, quę non ex præexistenti sunt cognitione: ergo illa prima propositio est falsa: probatur antecedẽs: Angelorũ scientia est doctrina, & tamen non est ex præexistenti cognitione, nã à Deo simul cũ omnib. scientijs naturalibus creati sunt; præterea multa homines discunt quæ ignorabant, & non ex præexistenti cognitione, & iudicio.

2. arg. Secundo contra id quod dicitur oportere de subiecto, seu dato præcognoscere quid est, aut intelligitur de quid est rei, aut de q̃d est nominis: si dicas de quid est rei, videtur expresse contra textum, in quo sermo est de definitione nominis: si vero dicas intelligi de definitione nominis, tunc est diminutus Aristot. nam in demonstratione propter quid oportet præcognoscere definitionem substantialem subiecti, nam per eam demonstramus passionem de ipso.

Tertio contra id quod dicitur quæsito seu passione, supponimus quid significet, nõ tamen quia est, uidetur hoc falsum, non cognoscentes passiones cõuenire, & esse in suis subiectis, mouemur ad quærendas causas, & demonstrandũ, Philosophi.n. ex admiratione effectuum, & passionum quas experiebantur cœperunt philosophari, ergo ante demõstrationem oportet præcognoscere passionem esse, sicut de subiecto. 3. arg.

Quarto nõ est idẽ quia est subiectũ, & q̃ est dignitas, nam alterũ est incomplexũ, alterũ complexũ, ergo sunt diuersæ præcognitiones, & ita sunt plures quã duæ: immo quæstio an sit, & quia est, solum est de simplici, de complexo enim est qualis res sit. 4. arg.

Quinto non existente subiecto est de eo demonstratio, & scientia, ergo non debet de eo præcognosci an sit; probatur antecedens nam propositiones, quarum est scientia sunt sempiternę veritatis, quæ semper sunt ueræ, etiam si extrema non supponant. 5. arg.

Sexto non potest intellectus simul plura cognoscere, cum sit potentia finita: ergo non cognoscit simul maiorem, & minorem cum conclusione: nam si dicas posse intellectum simul illa tria cognoscere, licet non posset centũ; nunc demus quod intelligat simul omnia, quæ potest demptis duobus, tunc fiat syllogismus, clarum est, quod assentiet maiori, & minori, quia potest, sed non conclusioni, quia ultra iam non potest. 6. arg.

Septimo nullus est defectus illius syllogismi sophistarum, ergo responsio Aristo. nulla est. probatur antecedens, nam bene sequitur, scio omnem dualitatem esse parem, ista occulta est dualitas, ergo illam scio esse parẽ etiam in particulari: non apparet quis sit huius defectus. Hæc uidentur magis examinanda in præsenti. 7. arg.

Pro solutione primi notandum superiorem esse cognitionem doctrina, ac disciplina discursiua, nam doctrina, discursiua solum significat cognitionem, & iudicium rei quod aliquo discursu habetur unde nõ omne iudicium intellectus doctrina discursiua dicitur, cum iudicium principiorum per se notorum Ad 1.

non

non sit doctrina: non enim per discursum habetur, sed ipso lumine naturali absque ratiocin o illis assentimur: at, cognitio significat quodcunque iudicium siue sine discursu, siue cum discursu habeat, siue sit in intellectu, siue sit in sensu, qualis est iudicium singularium, & tunc est sensus: omne iudicium ex discursu aliquo procedens fit ex præexistenti cognitione, idest iudicio altero, siue hoc sit altero discursu habitum, siue absque ullo discursu, siue sit in intellectu, siue in sensu, nam multorum uniuersalium iudicium intellectus fit ex præexistenti iudicio singularis quod est in sensu: ex his soluitur argumentum primum scientia, enim Angelorũ non ex discursu aliquo habita, sed a Deo solo infusa est; præterea etiam ipsi absque discursu res intuentur propterea non dicitur doctrina discursiua, de qua solum dictum est ex præexistenti fieri cognitione.

Hoc idem dicimus de illis ueritatib. alijs, & iudicijs quæ absque discursu fiunt, quamuis multoties latet occult⁹ discursus, & præexistens iudicium. Cum enim credo alterius dicto, latet iudicium antecedens uiris cordatis esse credendum, & hoc frequenter accidit in his, quæ auctoritate dicentis, ratione alia non interueniente, recipiuntur.

Ad 2. prima solut. Ad secundum Caietanus contendit per qd est, intelligendã esse definitionẽ substantialẽ subiecti, hanc.n oportet præcognoscere, qd per eã demonstranda sit passio de ipso subiecto in demonstratione pp quid, quæ procedit per causam, nã in demonstratione, quia, qua per effectũ rẽ demonstramus nõ est opus definitione subiecti, ac ob id non opus est præcognoscere. Hæc sententia Caietani est contra omnes fere expositores Græcos, & Latinos, & contra ipsum textum Arist. ubi expresse loquitur de definitione nominis.

Nota differentiam inter definitionẽ noĩs, & rei. Oportet in hac re aduertere multum interesse inter definitionem nominis, & definitionem substantialem rei, nam definitio rei explicat rei ipsius naturam, resoluendo in omnes partes essentiæ: unde per talem definitionem rem cognoscimus cognitione, & conceptu distincto, quo conceptu cognoscitur res, & omnes partes essentiæ eius; at definitio nominis solum applicat significationem nominis ad rem significatam, iudicando quæ res sit quam significat, non autem rem ipsam ita explicat: ut naturam, & essentiam distincte manifestet, sed solum confuse eam dicit, quatenus, intelligatur esse quædam res ab alijs distincta, & separata, quomodo ad eas recipiunt res ipsas uocabulis expressas.

Ex quo fit primum discrimen, quod unius uocis possunt esse plures definitiones nominis, modis uarijs explicantes rem unam quã uox significat; at definitio rei una est, cum unicum sit genus proximum, & differentia per quæ res definitur. Primũ.

Est secundum discrimen: accidentia non habent perfectas definitiones rei, cum eorum essentia sit imperfecta, & ex substantia dependens: nec definiuntur absque substantia: quã definitionem Arist. 7. Metaph. c. 5. uocat per additamentum: substantia est quæ perfectam definitionem habet, cum non definiatur per aliquid extra genus suum: definitio uero nominis tam substantiæ, quam accidentis, perfecta est, cum nominum accidẽtis, & substantiæ significatio perfecta sit, & propria. Secũdũ.

Tertio differunt, nam uoces significantes res ueras, & naturales definiuntur definitione, etiam rei: at definitio nominis inest uocibus significantibus rerũ figmenta, & impossibilia, ut Chimera, infinitum, uacuum. Tertiũ.

Postremo differunt, nam complexa non definiuntur definitione rei, ut homo albus, cum non faciant unam essentiam per se, at definiuntur definitione nominis: nã si uestis significaret id quod hoc totum homo albus, posset definiri, ut dicitur 7. Metaph. c. 4. Quartũ.

His suppositis, circa harum definitionum declarationem, dico primo, in omni demonstratione, quæcunque sit, oportere præcognoscere de subiecto quid significet, & hæc est mens Aristo. in præsenti, ubi generaliter loquebatur. Dico secundo contra Caietanum, multæ sunt demonstrationes, potissimum propter quid, in quibus non opus est præcognoscere quid sit subiectum; & hoc perfecte patet, nam Astrologi demonstrant Lunam eclypsari per suam causam, & nesciunt quæ sit natura cœlorum & Lunæ; demonstrant multa Mathematici de figuris, de numeris, ignorantes naturas eorum: non ergo oportet præcognoscere naturam subiecti, sed rem significatam percipere. Dico tertio, neque in ipsa demonstratione, quæ fit aliquando per definitionem subiecti, ipsa definitio est præ- 2. Solutio auctoris.

præcognoscenda, nam quamuis ante conclusionem præcognoscenda sit, non tamen ante totam demonstrationem, imo in ipsa cognoscitur demonstratione, cum sit medium: Aristoteles autem loquitur de his, quæ extra demonstrationem præcognoscuntur, ex quibus

Ad 3. infertur, hic de definitione nominis, non de definitione rei Arist. loqui.

1. Fund. Ad tertium oportet distinguere scientiam, seu doctrinam esse in duplici differẽtia, quædam est, quam intentione cõsequimur, cum nimirum per nos ipsos speculantes, ex aliquibus notionibus ad ea, quæ erant incognita nobis peruenimus, quo modo scientiarum inuentores sunt adepti scientiam, & cognitionem rerum; quædam est scientia, quæ acquisitione habetur, quando ab alterius dictis, uel scriptis eorum, quæ ignorabat, aliquis cognitionem consequitur: hæ duæ scientiæ, nempe inuenta, & acquisita non differunt ex parte obiectorum, & eorũ, quæ sciuntur, sed ex parte modi inuestigãdi, & acquirendi; nam scientia quam habuit primus inuentor huius, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, eadem est specie cum ea quam nos habemus, cum sit eiusdem rei, & per eandem causam, sed ille per se causam inuestigauit, nos à magistro recipimus; sicut eadem est via, quam duo peragũt, alter ignorans, sed ducem habens, alter etiam ignorans, sed per se peragere intendens, vnde sicut hoc est difficilius illo, quia mens vagatur, & laborat studio certam viam consequendi, ita inuenire est difficillimum, & multis expositum erroribus.

2. Fund. Est præterea aduertendum aliam uiam obseruare eũ qui inuenit, aliã eum qui discit: qui inuenit semper à sibi notioribus incipit, & ab eis ad reliqua procedit ignota, siue illa sint priora, siue posteriora; at qui addiscit incipit frequenter etiam à notioribus natura, & prioribus, licet ei sint ignota cum sit doctor qui ea sibi manifesta faciat, neuter tamẽ dicitur scire quousque effectum per causam, & posteriora natura per priora cognoscat, hoc enim scire est rem per causam cognoscere.

3. Fund. Est præterea aduertendum discrimen esse inter res Mathematicas, & res Physicas, seu Metaphysicas, in Mathematicis enim causæ sunt nobis notiores effectibus, notius enim nobis est lineas omnes à centris, æqualium circulorum esse æquales, quam super datam lineam æquilaterum triangulum constituere, illud tamen est huius causa; at in naturalibus effectus sunt nobis notiores causis, quippe qui sensibiles fere sunt; similiter in Mathematicis quæ partim sunt Physicæ, ut in Astrologia, notius enim est eclypsim esse, quam interpositionem terræ, quæ illius est causa. Ex his fit, ut quamuis in addiscendo semper causæ præcedant effectus, & passiones, in inueniendo autem aliquando præcedant effectus, ut in Naturalibus, aliquando causæ, vt in Mathematicis.

His suppositis dico primo, in scientia acquisita, cum causam primo cognoscamus, ac per eam probemus effectum, seu passionem inesse subiecto, non opus esse præcognoscere effectum esse: dico secundo in inuentione Mathematica non etiam opus esse effectum esse præcognoscere, cum is per causam, quæ primo cognoscitur demonstretur: dico tertio in inuentione naturali effectum esse præcognosci, cum per eum indagemus causam: dico vltimo hoc non esse contra Aristotelem, qui docuit ad demonstrandum vniuersaliter nõ esse opus præcognoscere passionẽ esse, quod si aliquãdo præcognoscitur. i. in uia inuentiua, non autem in uia demõstratiua, de qua loquimur. Præterea non ita perfecte, & uniuersaliter præcognoscitur illũ effectum, seu passionem esse, sicut post demonstrationem, quod probatur ex eo, quod postquam cognouimus illum esse per inuẽtionẽ, iterum per causam eundem demonstramus. 1. Solut.

Ad quartum respondetur, non dubium esse, non eandem esse præcognitionem rei, subiecti, & dignitatis; nam sicut aliud est ens existẽs, aliud ens uerũ, ut dicitur 6. Metaphys. cap. 2. nec aliter quàm analogicè conueniũt; ita alia quæstio, & præcognitio unius, alia alterius: at quia unicũ est ens in utrũque diuisum, licet analogum, uox tamen una, & conceptus idem, unica est præcognitio, quia est utriusque; sicut quamuis substantia, & accidens analogicè sub ente contineantur, tamẽ una censetur quæstio, an sit, de substantia, & accidenti, nec instantia ualet, nam quando de aliquo subiecto accidens petimus, dicitur quæstio qualis sit, at quando de toto complexo per modum unius sumpto, quærimus, est quæstio simplex an sit: dices, quare ergo non petimus de dignitate, quid sit? Ad 4.

Respon.

Respŏdet Caietanus dupliciter; primo, quia non habent complexam definitionem rei: secundo, quia nec habent secundum se definitionem nominis, nam significatio complexi est significatio partium, non sua; sed neutra solutio placet, non prior, quia vt diximus, hic nō de definitione rei sermo est, sed de definitione nominis; non posterior, quia licet significatio complexi pendeat à partibus, tamen modo alio significat complexum; propositio enim modo compositionis, & diuisionis rem significat, & hoc poterit explicari nominis definitione. Propterea dico significationem dignitatum esse notissimam cuilibet etiam addiscenti scientiam, cū vocabulorum illorū significatio sit communis, & vulgaris: Propterea nō curat Aristoteles explicare per se hanc præcognitionem, sed cum ea quæ est, an sit, coniunxit: at significationes subiectorum, & passionum non ita patent, cum sint particularia, & propterea in his separatur quæstio, & præcognitio, an sit, & quid sit.

Ad quintum. Ad quintum respondetur, præcognoscere subiectum esse, est præcognoscere subiectum existere, non quòd in præsenti modo existat, sed temporibus à natura statutis, quo pacto scientia de fulgure, uento, ecclypsi, quę dicūtur esse, quod suis temporibus existant, quāuis aliqua alia omni tempore existant; sed an propositiones essent ueræ, etiam si nullo tēpore existant, alibi dicemus.

Ad sextum. Ad sextum respondent sensum illius, maiori, & minori cognitis simul cognoscitur conclusio, esse, si quis assentit maiori, & minori, tales assensus, necessario efficient assensum conclusionis absque nulla mora. Quod si petas, an quando aduenit assensus conclusionis maneant alij assensus, respondeo pro præsenti manere, nec est inconueniens aliquibus simul varijs assensibus essentiis, cum sint per modum vnius: Ad instantiam dico in illo casu, si quis assentitur maiori, & minori, etiam assentietur conclusioni, sed propter necessitatē huius assensus intellectus perdet aliquē assensum ex alijs octo quos habebat.

Ad septimū. Ad septimum. Respondetur Aristotelem non assignasse defectum illius syllogismi, sed concedit conclusionem de scientia in uniuersali loquendo: at si inferatur de scientia particulari, & in propria forma, tunc dicendum est uariari appellationem uerbi, cum modo uniuersali, modo significationem particulari, & singulari applicet. Alij dicunt maiorem esse modalem compositam, sub qua non licet singularia sublumere, cum per suā de inesse regulanda sit immediatè. Sed hæc de hoc capite sufficiant.

Quid sit Scire, quid Demonstratio, quæ conditiones ad eius propositiones requirantur. Quid sit propositio, Immediatum principium, ac eorum species. Propositiones magis quàm conclusionem, credēdas esse. Cap. II.

1 *Scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cum causam existimamus cognoscere, propter quā res est & quod illius causa est, non contingere hoc aliter se habere.*

2 *Planū igitur, quod tale aliquid scire est: namque, & non scientes, & scientes illi quidem existimant ipsi sic se habere, scientes verò, & habent.* a. Lipsū.

3 *Quare cuius simpliciter est scientia, hoc impossibile aliter se habere. Si igitur, & alter est sciendi modus, posterius dicemus.*

Dicimus aūt, & per demonstrationē cognoscere: demonstrationem vero dico syllogismū scientialem: scientialem autem dico secūdum quem eo quod ipsum habeamus scimus.

4 *Si itaque est ipsum scire, quale posuimus, necesse & demonstratiuam scientiam ex veris esse, & primis immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis.*

5 *Sic enim erunt, & principia propria eius quod demonstratur: syllogismus. n. erit, & sine his, demonstratio autem non erit, non enim faciet scientiam.*

6 *Vera quidem igitur oportet esse: quoniam non est non ens scire, vt*

quòd

quòd diameter commensurabilis.

7 *Ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam non sciet non habens demonstrationem ipsorum: scire .n. quorum demonstratio est, non secundum accidens, habere demonstrationem est.*

8 *Causas quoque, & notiora oportet esse, & priora, causas quidem quoniã tunc scimus, quando causam cognoscimus: & priora, siquidem causæ: & præcognita, non solum altero modo, eo quod intelligantur; sed & eo quod cognoscatur quod sunt.*

Priora verò sunt, & notiora bifariam: non enim idem prius natura, & ad nos prius, neque notius, & nobis notius. Dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius. Sunt autem longissime quidem ipsa maximè vniuersalia, proximè verò ipsa singularia: & opponuntur hæc sibi inuicem.

9 *Ex primis autem est quod ex principijs proprijs: idem * enim dico primum, & principium.*

*al. idẽ autẽ est.

10 *Principium autem est demonstrationis propositio immediata. Immediata verò, qua non est alia prior.*

11 *Propositio autem est enunciationis altera particula, vnum de vno.*

12 *Dialectica quidẽ quæ similiter accipit vtramuis; Demonstratiua vero, quæ determinate alteram, quoniam veram.*

13 *Enunciatio autem contradictionis vtrauis particula: Contradictio uero oppositio, cuius non est medium secundum seipsam. Particula autem contradictionis, quæ quidem aliquid de aliquo, affirmatio; quæ uero aliquid ab aliquo, negatio.*

Immediati uero principij syllogistici, positionem quidem dico, quam non est monstrare, neque necesse habere docendum quempiam: quam autem necesse est habere docendum quempiam, dignitatem: sunt enim quæ iam talia, † hoc enim maxime in talibus consueuimus nomen dicere. Positionis uero, quæ quidem accipit utramlibet particularum enunciationis, ut dico esse aliquid, aut non esse aliquid, suppositio: quæ uero sine hoc, definitio: definitio enim positio quidem est: ponit enim Arithmeticus unitatem indiuisibilem esse secundum quantum: suppositio autem non est: nam quid est unitas, & esse unitatem non idem. 14

† Aliq codices ã antiqui addunt hæc verba, quæ è domo discens promit ẽ n vnũ quãque sciẽ ã, & ita videntur legere Themi. & Ioan. Gram.

15 *Quoniam autem oportet credere, & scire rem, eo quod talem habemus syllogismum, quem uocamus demonstrationem: est autem hic eo quod hæc sunt, ex quibus est syllogismus: necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quæ iam, sed magis, semper enim propter quod est unumquodque, illud magis est, ut propter quod amamus, illud amicum magis. Quare siquidem scimus per prima, & credimus, & illa scimus, quæ & credimus magis, quoniam per illa posteriora.*

Vide 2. Meta. tex. 4.

Fieri autem non potest ut credat magis ijs quæ scit, qui non est, neq; sciens, neque melius dispositus, quam si esset sciens. Accidet autem hoc, nisi aliquis præcognoscet per demonstrationẽ † credentium, magis enim necesse est credere principijs, aut omnibus, aut quibusdam, quam conclusioni. 16

† Alex. exponit credentium, pro creditorum.

Habiturum autem scientiam, quæ est per demonstrationem, non solum oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quam ei quod monstratur: 17

Nota.

sed quas solum opinantur esse causas: at sapientes habent causas, quas opinantur esse causas, & verè sunt, vterque tamen se scire opinatur. Hoc est enim commune scienti, & nescienti, quia vterque opinatur se scire, cum causam habet, licet præter opinionem sapiens etiam verè sciat, rusticus vero non.

2 *Quare cuius simpliciter est scientia, & hoc impossibile aliter, &c.*

Sic expositionem Latinorum obseruamus. Aristoteles ipsum scibile obiectum sciētiæ definit, ut sit sensus; illud scitur quod aliter se habere non potest, idest quod simpliciter est necessarium, & omni tempore, vt homo est risibilis, triāgulus habet tres angulos, uel quod est necessarium ex suppositione causæ, vt posita terræ interpositione necessaria est ecclypsis, & tunc illud, quare, non illatiuum, sed continuatiuum sermonis legunt. At mihi magis placet expositio Auerrois, vt ex probatione præcedenti velit Aristoteles inferre non posse alio modo scientiam alicuius haberi, quam prædicto, nempe per causam: & huic subnectit, si aliquis alius est sciēdi modus posterius dicetur, qui nempe modus non fit per causam. Auerroes per hunc modum intelligit definitionem, secundum quam rem incomplexè scimus, de qua tractaturus est libr. 2. Posteriorum, sed melius mihi uidētur exponere Themist. & Philop. vt per hunc sciendi modum intelligat cognitionem principiorum immediatorum, quæ nō fit per causam, sed ex seipsis cognoscuntur ipsa, quamuis non præter mentem Aristotelis, possemus & exponere per hūc modum intelligi demōstrationē, Quia, nēpe scientiā quę ab effectu sumitur, de qua 1. Post. c. 10. agit.

3 *Dicimus autem scire, & per demonstrationem, &c.*

Aliqui Latini hanc uersionem considerantes existimarunt hanc esse aliam descriptionem ipsius scientiæ, nempe scire est per demonstrationem intelligere: at iste sensus est præter sensū Aristotelis: Græce enim nō habetur, nisi per demonstrationem cognoscimus, ac si vellet Aristotel. dicere postquā quid sit ipsum scire explicui, uolo te intelligere demonstratione non scire, & ipsam esse scientiæ instrumentum, & modū; oportebat enim ut ipsam demonstrationem coniungeret cum suo fine, cum demonstrationis declarandæ causa ipsum scire definierit. Posses aūt dubitare quæ est illa demonstratio per quam cognoscimus, respondet esse syllogismū sciētificum, idest quē habentes, scimus. Nota causam finalem, & per talem causam definitionem, scilicet demonstratio est syllogismus faciens scire, idest per quem habemus causā rei ueram, vt exponit Auerro. non causam cognitionis solam, aut causam fictam, ut per reliquos syllogismos fieri solet.

Si igitur est scire, vt posuimus. 4

Hæc est secunda capitis particula, in qua Aristo. ex ipso scire colligit qualis sit demonstratiua scientia, quæ demonstratione habetur, ac subinde quid sit ipsa demonstratio, dicit igitur, si tale est scire quale dictum est, profecto demonstratiua scientia est ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis, unde sumitur definitio materialis demonstrationis a fine demonstrata: demonstratio est syllogismus procedens ex ueris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis. Aduerte autem hic per scientiam demōstratiuam intelligi posse ipsum scire, quod est effectus demonstrationis, idem notat Alber. tract. 2. cap. 2. & Lincon. dicentes, ex, posse sumi pro causa materiali, & etiam effectiua, secundum quod per demonstratiuam scientiam possumus intelligere, aut demonstrationem, aut scientiam demonstratione acquisitam, melius autem interpretabimur, ut per eā intelligatur ipsa demōstratio, quæ sciētiā efficit, & ipsius est uia, & modus: singulas huius partes postea Aristo. discutere incipit.

Sic enim principia erunt propria eius, &c. 5

Græci, & Latini exponūt hic Arist. satisfacere cuidā obiectioni: nā vt sit sciētia alicuius debet ex causis propriis, nō ex generalibus, & communibus procedere: non enim scit, nisi qui causam propriam tenet: unde non scit hominem respirare qui ob id scit, quia animal est, nisi sciat, quia pulmonem

habet, hæc enim est propria causa: oportebat igitur dicere demonstrationem procedere ex proprijs: ad hoc uelut respondens dicit, si demonstratio ex his quæ dicta sunt procedit, etiã ex proprijs procedet, uera enim prima, & cætera erunt & propria. Auerroes aliter exponit, et melius, vt dicat Aristoteles, sic erunt propria eius quod demonstrandũ est, id est si uera sunt principia, & propositiones similiter primæ, priores, notiores, & causæ, erunt, propriæ, idest accommodatæ, & aptæ ad demonstrandum: quasi dicat, si aliter sese habuerint, non per eas quicquã monstrabitur, quamuis syllogizari possit, ac propterea subiunxit. Syllogismus quidẽ erit & si non ex his procedat, non tamen demonstratio. Nota ex Themistio posse syllogismum procedere ex falsis, & ex his verũ inferre, sequitur enim, oĩs lapis est animal, oĩs homo est lapis, ergo omnis homo est animal, non tñ demonstratio: præterea posse syllogismum procedere ex effectibus, non tñ demõstrationẽ, vt omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est animal rationale: præterea potest syllogismus ex causis non proprijs procedere, nõ tñ demonstratio, ut si Chirurgus probaret vulnus circulare difficilius curari, quia figura rotunda habet latera distantia, cum sit capacissima, non esset hoc demonstrare, quia causa est geometrica, non ipsius propria, potest igitur syllogismus esse. licet ex his nõ ꝓcedat.

6 *Vera quidem igitur oportet esse.*

Incipit singulas definitionis partes discutere, ac primo quod procedat ex ueris, ratio est, quia quod non est, non scitur, idest, ut dicit Philop. falsi non est scientia, ut diametrũ esse commensurabilem costæ, quia id falsum est: dices, vnde sequitur, quia scientia est uerorum, propterea demonstrationem est veris procedere: nonne ex falso etiam infertur uerum, vt superius diximus? dico, verum quidem ex præmissis falsis sequi quantum ad uim illatiuam, & propter syllogismi dispositionem, sed non sequitur quantum ad uim probatiuam, & tãquam ex causa, quia quod non est quo potest esse causa, aut probare id quod est? cum igitur in demonstratione non solum insit uis probatiua quæcumq; præter illatiuam, sed etiã probatiua per causam rei: non poterit in ea uerum, nisi ex uero procedere, & ita docet Arist. lib. 2 Priorum, cap. 2. vbi hæc ipsemet fatetur de demonstratione.

Ex primis autem, & indemonstrabilibus. 7

Partem aliam definitionis explicat, nempe quod procedat ex indemonstrabilibus, sensus, est, quoties aliquid demonstrandum proponitur, tales propositiones adducendæ sunt, ut ipsæ iam alia demonstratione non egeant: quod si aliquando accideret per propositiones demonstrabiles demonstrare, non erit perfecta demonstratio, quousque hæ per indemonstrabilia tandem demonstrentur, & hoc est, quod dicit, quod non sciet, qui ipsorum demonstrationem non habet; sensus est, non quod ipsa demonstrentur, sed qui ipsorum demonstrationem non habet, i. qui per ea non demonstrat. Vbi aduerte, hic non negare Aristot. eam esse demonstrationem, quæ per demonstrabilia, ut male putauit Auerr. probat, est enim ista demonstratio, animum esse impassibilis substantiæ, quia est immortalis, licet demonstretur etiam esse immortalis, sed non erit ista perfecta demõstratio, quousque, illæ per vltimas demonstrentur, quæ iam amplius non ualeant demonstrari, quæ expositio est D. Tho. & Philop. & hoc patet ex Aristo. 1. Top. c. 1. vbi dicit, demonstrationem procedere ex primis, & ueris, aut ex his quæ per prima, & uera fidem sumpserunt: quo in loco illam esse demonstrationem fatetur, quæ ex demonstrabilibus procedit, cognitis tamen, & per indemonstrabilia demonstratis: probat autem Aristot. quod opus sit per indemonstrabilia tandem demonstrare, virtualiter autem est hic supplendus discursus: non scitur conclusio nisi sciantur præmissæ, sed præmissæ cũ demonstrabiles sunt, non sciuntur nisi demonstrentur, nec illæ nisi per prima, & immediata, ergo non cõtingit sine his demonstrare perfectes minorem probat, quia scire demonstrabilia est ipsorum habere demonstrationem, ergo propositiones demonstrabiles sine demonstratione non sciuntur, dixit autem sciri, quæ demonstrationem habent, nam quæ non demonstrari possunt, sicut ipsa prima absque demonstratione sciuntur.

Dubitabis, quare dixit prima, & indemõstrabilia? Philop. duas adfert solutiones, quas possimus ad vnam reuocare, quia nempe

sunt

sunt aliqua prima, sed non indemonstrabilia, ut animum esse immortalem est prius, q̃ esse impassibilem, sed non est illud indemonstrabile. Præterea aliquid est indemonstrabile, sed non est primum, nam vestem esse candidam, indemonstrabile est, cum sit per accidens, & non est primum: propterea Aristot. vtrumque coniunxt, melius tamen est si dicamus per primum intelligi principium, vt ipse Aristotel. paulo inferius dicit, & tunc cum Buran. oportet legere absque coniunctione, scilicet ex primis indemõstrabilibus.

Dub. 2. Dubitabis quid per ista prima indemonstrabilia oportet intelligere. Themist. Alber. & Philop. intelligunt dignitates ipsas, quæ proloquia, & prosata dicuntur, hæc enim sunt prima, ex quibus demonstrationes procedunt, & in quibus sistunt, & finiuntur: at quamuis hoc probabile sit, possumus melius cũ Auerroe intelligere ipsas propositiones, quæ in ipsa demonstratione sumuntur, quæ primæ sunt, cum iam amplius non valeant demonstrari, & profecto uidetur esse hæc mens Arist. qui loquens de primis, dixit, non sciri, nisi quæ per hæc demonstrantur, sed per dignitates nõ fit demõstratio, sunt enim principia extrinseca, ergo non de his oportet intelligere: præterea quia paulo post explicans quid per prima intelligat, dicit, principia propria, sed dignitates sunt communes plurib. demonstrationibus, ergo non de his loquitur in hoc uerbo.

Causas quoque, & notiora oportet esse, &c.

Prosequitur probare reliquas definitionis partes, & quia duæ sequẽtes ex vltima pendebant, incipit eam probare: nempe quòd procedat ex causis; cũ enim demonstratio faciat scire, & scire sit rem per causam cognoscere, sequitur eam procedere ex causis, & ex hoc patet, quòd & procedat ex prioribus, nã causæ priores sunt effectu subdit debere esse notiores non solum altero modo, idest quantũ ad quid significãt, sed & quãtũ ad quia sunt, ut exponunt Philop. & Themist. non enim solum propositiones oportet cognoscere, & apprehendere quid significent, sed & quòd sunt ueræ iudicare, in quo loco apparet id quod supra diximus contra Caietanũ, cõplexa habere nominis definitionem, apparet & contra Themist. non hoc esse intelligendũ de dignitatibus, nam de his solum quia sunt, oportet intelligere, vt superius dictum est.

Dubitabitur, cum dictum fuerit demonstrationem procedere ex primis, superfluum videtur addere ex prioribus. Phil. Resp. per propria hic intelligenda esse proxima, ea enim sunt causæ priores quæ proximæ sunt, & propinquæ effectui: at hoc non uidetur correspondere mẽti Arist. nam in textu per hoc, quòd propositiones sunt causæ, probat debere esse priores, quæ probatio esset nulla, si per priores proximas intelligeret: nõ enim sequitur si est causa, quòd si proxima. Alb. Resp. & secundum expositionem Them. etiã oportet dicere, quòd non de eodem dicũtur illa duo: scilicet prima, & priora, sed prima dicuntur dignitates, & proloquia ex quibus procedit demonstratio: at dicuntur priores, propositiones ex quibus tanquam præmissis demonstratio cõsi citur, & est bona solutio, tñ scdm expositionẽ nostram dubium non est, nã per primũ intelligabamus principiũ. Dubiũ.

Priora autem, & notiora dupliciter sunt.

Cum propositiones priores, & notiores ostendisset, quia id multipliciter euenire potest, nempe ut aliquid sit prius, & notius distinguit, sunt enim quædam notiora, & priora natura, quædam notiora, & priora nobis, non enim hæc eadem sunt, sed opponunt, priora, & notiora natura sunt vniuersalia, quæ a sensu remota sunt, priora vero, & nobis notiora sunt singularia. Hic textus est obscursus satis, occurrunt enim aliquot circa ipsum dubia.

Primum, quomodo hic vniuersalia notiora natura asserit, cum 1. Physic. 1. uniuersalia nobis notiora doceat? Dubiũ 1.

Præterea, quomodo hic opponi notiora nobis, & natura dicit, cum 1. Physi. cap. 7. eadem esse tradat. Dubiũ 2.

Præterea, qua ratione ista distinctio assignatur? non enim uidetur quid ex ea colligi possit. Multæ sunt sententiæ, quæ mihi videtur dignę, ut proponantur, vt una, aut altera eligi possit; prius tamen terminos priores nobis, & natura intelligere oportebit. Dubiũ 3

Aduerte igitur, quemadmodum natura non simul producit omnia, nec simul omni- 1. Fund.

bus dat esse, sed ordinem quẽdam obseruat, vt quibusdam prius, quibusdam posterius det esse, atque hic ordo naturæ dicitur; ita noster intellectus non simul per se omnia cognoscit, sed quædam prius, quædam posterius cognoscit: atque cum non eundem obseruet sẽper ordinem, quẽ natura fit vt aliud sit prius natura, aliud nobis: priora natura sunt quæ prius esse sortita sunt, qualia immaterialia respectu corruptibilium, causæ respectu effectuum, partes respectu totius, simplicia respectu compositorum ex eis: priora vero nobis sunt quæ occurrunt prius nostræ cognitioni, sicut sensibilia priora immaterialibus, composita simplicibus, totum partibus, & aliquando effectus causis: Hinc est quod illa dicuntur notiora natura, idest ex se prius cognoscibilitatem sortita, cum enim prius habuerint esse, inde cognoscibilitatem, si non esset defectus ex parte nostra, qui alligati sensibus magis natura posteriora cognoscimus.

1. Expo. Hoc igitur supposito est prima expositio Auerr. per singularia oportere hic intelligere cõposita sensibilia, & quæ eis proxima sunt, at per uniuersalia ipsas causas, & causas causarum, quæ ob id vniuersales dicuntur, quia multos effectus producũt, sicut materia, forma, primum ens, & ita interpretatur vniuersalia longinqua a sensu, nam causæ occultæ sunt, composita vero sensibilia proxima sensui pp eorum accidentia, quæ sensu percipiũtur, nec hic locus contradicit alteri 1. Physi. hic enim est sermo de uniuersalibus in prædicãdo, quæ nobis notiora sunt. Hæc expositio probabilis est, possumus etiam sedm ipsius doctrinam respondere ad secundum dubium: qũo 1. Physi. dicit, eadem aliquando esse nobis nota, & natura, enim intelligendum est de causis mathematicis, quæ notiores sũt effectibus: hic vero locus est de causis sensibiliũ, quæ ignotiores sunt nobis effectibus, quæ omnia capite præcedenti explicuimus.

2. Expo. D. Tho. uerior. At S. Thomas, & Aegid. cui videtur consonare etiam Themistius, aliter exponunt. Propterea aduerte per vniuersalia hic uniuersalia in prædicando intelligi, per singularia vero indiuidua sensibilia: possunt autem vniuersalia dupliciter comparari, aut ad ipsa singularia indiuidua, aut inter se, secundum quod vnum est magis vniuersale altero, tunc dicitur primo, si vniuersalia ad indiuidua comparentur, & loquamur de cognitione nostra in communi, siue sit intellectiua, siue sensitiua, indiuidua, & singularia nobis sunt notiora: patet, quia prima cognitio nostra est sensus, qui incipit a singulari, vniuersalia nãque ab intellectu post sensum percipiuntur: & hoc est quod hoc loco Arist. voluit, ut verba manifestant: dicitur secũdo si uniuersalia inter se comparentur, tunc vniuersaliora nobis sunt notiora, & hoc docet 1. Physi.

Ad 1. dub. & 2. dub. Ex hac expositione soluitur secundum dubium, & pariter primum: Respondetur enim 1. Physic. dici aliquando eadem nobis, & natura esse notiora simul, propter Mathematicas causas, vt diximus, hic autem dicuntur opponi relatiue, nempe singularia, & vniuersalia, vt per opponi possumus intelligere diuersa esse, & non eadem.

Ad. 3. Ad tertium dicitur, ad hoc Aristotel. hæc distinxisse, vt ostenderet demonstrationem non ex singularibus, quæ nobis notiora sunt, procedere, sed ex notioribus natura, nẽpe ex vniuersalibus, nec hoc impedit quo minus ex nobis, & natura notius possit demonstratio procedere, cum & vniuersaliũ quædã nobis nota sint. Hæc expositio mihi magis placet.

Ex primis autem est, quod ex proprys. 9

Regreditur Aristoteles, vt verbum illud primis, explicet ac declaret, dicitq; per prima intelligi propria: vbi nota, adiunxisse propria, vt indicaret non quæcunque prima se dixisse; sed quæ propria, & particularia sint conclusioni demonstrandæ, quales sunt immediatæ præmissæ, ut diximus. At si per prima dignitates intelligamus, tunc additum propria, vt intelligamus dignitates esse communes multis demonstrationibus, & non esse usui singulis, nisi limitentur secundum terminos particularium demonstrationum, vt dicitur 11. Meta. c. 3. & nos dicemus inferius: quam expositionem tetigit Auerroes.

Est autem principium demonstrationis. 10

Hæc est tertia capitis pars, in qua describit fere omnia demonstrationis principia: & quia primũ, i. principiũ interpretabatur, definit quid principium si dicens, principium est demonstrationis propositio immediata, & iterum immediata est, qua non est altera prior. Alber. distinguit immediatam

propositio-

propositionem, & respectu conclusionis, & respectu propositionum, illa est immediata respectu conclusionis, quæ proximum causam continet illius, ita vt non sit alia propinquior, sicut immortalem esse animũ est proxima causa, quòd sit impassibilis. Ea autem immediata respectu propositionum, quæ causam dicit, quæ vlterius per aliam antecedentem nõ potest demonstrari, sicut dignitates, & propositiones in quibus definitio de definito prædicatur. Dubitat uero Albertus, quo modo hic sumatur, sed dubium non est quin modo posteriori, nempe pro ea quæ indemõstrabilis est: hæc enim principium dicitur. Aduerte ex Themistio, non sat fuisse dixisse, est propositio immediata, sed addere oportuit demonstrationis: nam sunt immediatæ aliæ, ut vestis est candida, quæ principiũ non est, quia ad demonstrationem non est apta, quod contingens sit, & sensu videtur.

11 *Propositio est enuntiationis altera pars.*

Quia principium per propositionem descripserat, nunc propositionem descr.bit, est autem propositio enuntiationis altera pars, vnum de uno. Notat Auerr. & Philop. discrimen inter hæc tria, enunciatonem, quæstionem, & propositionem, & addere possumus conclusionem; enuntiatio dicitur oratio rem vere, aut falso significans, nec alteri quam rebus comparatur: at quæstio est enuntiatio per modum interrogationis proposita, quæ iam probata dicitur conclusio: propositio vero dicitur, vt est præmissa, seu principium, ex quo aliquid probatur: vnde enuntiatio superior est his, omnes enim verum, ac falsum significant, ac propterea hic dicitur propositio vna pars, idest una species enuntiationis, additur unum de vno, f. significans, propter eas, quæ ex æquiuocis conficiuntur, quæ plures enuntiationes potius, quàm enuntiatio dicuntur. vt diximus in libro Periermen.

12 *Dialectica quidem est similiter accipiens.*

Duas propositionis species constituit, dialecticam, idest topicam, & demonstratiuam; dialectica est accipiens similiter quãlibet, f. partem enuntiationis: ac si dicat est propositio, siue vera, siue falsa, siue affirmatiua, siue negatiua: dicit accipiens, quia dialecticus cũ probabiliter procedat, ac ex probabilibus syllogizet, petit a respondente propositiones aliquas, ex quibus procedat; ac propterea dicitur accipiens: dicitur similiter, quia Dialecticus, non magis vnam partem, quam alteram eligit, dummodo probabiles sint. Hinc apparet natura syllogismi dialectici, ꝓcedit enim ex quibuscunque propositionibus tam veris, quam falsis, dummodo probabiles, sint, præterea probat quamcunque partem quæstionis, dummodo sit probabilis: statim definitur propositio demonstratiua, nempe enunciatio, quæ ad vnum est determinata, nempe ad verum: ac si dicat, demonstratiua propositio non est quælibet, siue uera, siue falsa, sed quæ vera est, & necessaria, vnde colligitur natura demonstrationis, non enim ex quibuscunque procedit, sed ex veris, & necessarijs, nec probat quamcunque quæstionis partem, sed ueram, & necessariam.

Enunciatio autem contradictionis qualibet. 13

Describit enunciationem, quam in descriptione propositionis sumpserat; est autem enuntiatio contradictionis, vtraque pars; idest oratio, tam affirmatiua, quàm negatiua: non quod simul vtraque pars dicatur oratio, vt vult Paulus Venetus; sed quælibet per se, explicat autem singulas partes; primum contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se: dicitur oppositio, quia in contradictione sunt duo extrema repugnantia, sicut in alijs oppositis, dicitur, cuius nullum est medium, nam alia opposita habent medium in proprio subiecto, vt album nigrum habent fuscum, aut in extraneo subiecto, nam lapis non est cæcus, nec videns, nec sanus, nec æger: at cõtradictoria nullum medium habẽt, nam de quolibet est verum, aut affirmare, aut negare. Vide caput de oppositis, in quo diximus multa de his; dicitur ſm se, quia reliqua opposita fundãtur in cõtradictione, nam unum oppositum dicit virtualiter alterius negationem, & ex hac parte mediũ non habent, at id non sedum se, sed vt ad contradictoria reducuntur: at ipsa cõtradictoria secundũ se medio vacant: statim partes contradictionis explicat, nempe affirmatio, quæ aliquid de aliquo enuntiat, negatio vero quæ aliquid ab aliquo diuidit.

54 *Immediati autem principij syllogistici.*

Hæc est quarta pars capitis, in qua immediata principia demonstrationis, quæ hactenus in tertia parte descripserat, diuidit: est enim duplex principium, & quod non est demonstrare, nec est necesse præhabere docendum, & hoc positio dicitur, & et quod non est demonstrare; tamen, est necesse præhabere docendum; in cuius gratiam aduerte, in demonstratione non contineri ea omnia, quæ ad generandā scientiam sunt necessaria, sed opus est ut animus dispositus sit alijs et principijs, vt demonstratio in eo scientiā faciat: sunt autem hæc principia in duplici differētia, quædam, quæ absq; vlla demonstratione cognoscuntur, sed solum lumen naturale ea docet esse vera, adeo vt si semel quid significent apprehenderimus, statim illis acquiescamus, & hæc dignitates dicuntur, & communes animi cōceptiones, sine his enim non fit demonstratio, ipsæ tamen absque demonstratione cognoscuntur.

Dubiū. Dices, quare necesse est vt hęc cognoscantur antequā scientiā doceamur? Respon. cū Philop. quia sunt per se notæ, & nō opus est arte, aut magistro exteriori, vt eis assentiamur, sed lumen intellectus nostri solū est magister, ac ob id cum tali cognitione ad artes discendas accedimus: & est optima respōsio, possumus tamen respondere aliter: pp quod aduertere oportet, has dignitates, vt plurimum consisti in materia vniuersaliori, quam sit ea, quæ artes particulares tractant: nam omne totum est maius parte, & similia non solū rebus geometricis, sed etiā alijs insunt, propterea non est illius artis hæc docere: dices cuius igitur erunt artis? Resp. Arist. 11. Meta. c. 3. & 4. Meta. c. 3. id esse Metaphysici, qui communia tradit.

Dices, ergo non poterimus accedere ad artes alias, quæ his indigent principijs sine Metaphysica? dico, & nota, nullæ artes habēt res ita sibi proprias, quin aliquibus earū absque vlla arte possimus assentiri hoc tñ non obstat, ut illius artis sint, ita se habent hæc principia, q̄ ad Metaphysicā pertinēt, licet sine Metaphysico habitu cognoscātur pfecte.

Ex ijs fit manifesta definitio dignitatum, nempe principium, quod non est demonstrare, sed est necesse præhabere docendum. Alia sunt principia ex quibus demonstrationes procedunt, sunt tamen magis peculiaria, quæ positiones dicuntur, ut a puncto in punctum linea duci potest, in quolibet centro circulum describere. Hæc autem principia in tribus differunt a dignitatibus, dignitates enim nunquam demonstrari possunt, at positiones non demōstrantur in illa scientia cuius sunt, possunt tamen in alia scientia demonstrari, præterea dignitates sunt communes pluribus artibus, at positiones sunt ex materia peculiari illius artis: ac propter hæc duo definit eas Arist. esse principia, quæ non demonstrantur, nec necesse est præhabere docēdum: nam propria ars quælibet declarat. præterea dignitates nulla uia oportet probare, at positiones probantur, licet nō demonstratione, inductione tamen aliqua, & exemplo manifestantur, cum non statim ex terminorū apprehēsione cognoscantur, sicut dignitates. Hęc igitur principia hic Arist. manifestat, ex quibus demonstratio procedit.

Statim positionem subdiuidit in eā, quæ propositio est, & rem esse, aut non esse significat, & hæc suppositio dicitur, & eam quæ nō significat rē esse, aut non esse, & hæc definitio est. definitio enim non est propositio, est tamen positio, nam in scientijs ponuntur definitiones subiectorum, & eorum de quibus tractant tanquam principia? nā in Geometria ponuntur definitiones lineæ, puncti superficiei, & aliorum in Arithmetica ponitur definitio vnitatis, scilicet quod est indiuisibile secūdum quantitatem. Hic aduerte, inter suppositiones esse præmissas demonstrationis cuiuslibet, quæ supponuntur ad scientiam conclusionis, sicut suppositiones aliquæ communes in scientijs supponuntur ad scientiam multarum demonstrationum.

Hic de dubium, quomodo Aristotel. definitionem vocat positionem, cum positio, sit principium, & principium propositio, at definitio non sit propositio. Themist. dubium hoc proposuit, sed alijs discutiendū reliquit, forsan quia existimauit Arist. in hoc dormitasse. Albertus respondet, docendo, non omnem positionem esse propositionem, sed nō respondet ad Aristo. qui positionē principiū dixit, principium uero per propositionē definiuit. S. Thomas respondet definitionem quidem secundum se non esse propositionem, sed ea cognita, facile esse propositio- Dubiū.

nem

uem constituere. Philopon. respondet sumēdam definitionem applicatam cum definito, quod in propositione fit, ac ob id definitio propositio dicitur: at quia Aristote. dixit, non significare esse, aut non esse, explicat talem propositionem definitionis non prædicare aliud esse prædicari de subiecto, sed idē prorsus, ac ob id dicitur non significare esse, vel non esse. Auerroes eandem admittit definitionem sumendam cum definitio, quod in propositione fit, sed dicitur non significare hanc propositionem esse, aut nō esse, idest existere, quia re vera istæ definitiones, quæ positiones dicuntur sunt nominis, definitiones vero nominum, etiam si cum definito propositionem faciant non ponunt rem esse, aut non esse, sed significationem manifestāt: hoc intellige, frequentius ita esse, nam etiā definitiones rei positiones dicuntur: quælibet enim scientia definitionem sui subiecti non demonstrat, sed supponit, & ita tollitur omnis contradictio.

25 *Quoniam autem oportet credere.*

Hæc est vltima capitis pars in qua Arist. probat id quod superius dixit, nempe propositiones esse notiores conclusione, & probat primo cognosci, postea cognosci magis, & eandem cognitionem propositionem aut esse scientiam, aut aliud genus cognitionis melius quam scientiam: argumentū aūt huiusmodi est, quia demonstrationē tenemus, & cognoscimus, scimus rē, sed demōstratio est propositiones ipsæ, ergo quia tales propositiones cognoscimus, & rem, & conclusionē scimus: secundo, his propter quæ alijs credimus, magis credimus: sed propter propositiones, vt probatum est, conclusioni credimus, ergo præmissis magis credimus: maior patet, propter quod enim unūquodq; tale est, & illud magis est. Hic aduerte Arist. dixisse, quod oportet omnibus, aut quibusdam propositionib. magis assentire, quia ut notat Philop. aliquando accidit propositiones esse demonstrabiles iterum, & tunc est scientia illarum, sicut, & conclusionis, cum per aliud cognoscantur, quamuis ut bene dixit Albertus, quatenus per illas ꝓpositiōes ēt si demōstrabiles aliis assentimur, magis eis assentimur.

26 *Non potest autem credere magis, quæ non scit.*

Hic Arist. probat propositionum cognitionem aut esse scientiam, aut aliam meliorem cognitionem quam scientiam, & hæc litera est corrupta, cum non sit ita Græce: oportet enim sic legere: fieri non potest vt credat magis quæ scit: sensus est, non potest quis magis assentire propositionibus quas nec scit, nec earum habet aliam meliorem cognitionem, quam conclusioni, quam scit: cum igitur magis propositionibus assentiatur, quam conclusioni quam scit, præmissarum profecto habebit aut scientiam, aut aliam meliorem cognitionē, & hoc intellige de dignitatibus, & alijs principijs.

Aduerte tunc principiorum haberi scientiam, cum demonstrabilia sunt, & per causam cognoscuntur: cum uero indemonstrabilia sunt, illorum cognitio uocatur intellectus, qui est præstantior quam scientia.

Postea subdit illud absurdum, nempe assentire magis ijs, quæ nescimus, quam ijs, quæ scimus sequi, nisi quis propositionum ipsarum habeat talem cognitionem, quam diximus: sunt autem uerba, (nisi aliquis præcognouerit per demonstrationem credentium) idest nisi quis ex illis, quæ per demonstrationem credunt, præcognouerit idest propositiones sic cognouerit: at melior est sensus si sic interpretemur, nisi aliquis cognoscat ea per quæ in demōstratione credimus, nempe propositiones, nam licet ille genitiuus, credentium, sit Græce, tamen significat fidem facere, nempe πιστευόντων.

Debentem autem habere scientiam. 17

Concludit eum qui scit non solū propositiones habere notiores cōclusione, sed præter propositiones nihil debere habere notius, q̃ oppositas propositiones (ex quibus fit syllogismus cōtrarius demōstrationi, qui dicitur syllogysmus ignorantiæ) esse falsas, nā qui scientiam habet non potest mutari aliqua ratione opposita demonstrationi, & hæc circa capitis expositionem.

QVAESTIO I.

Circa ea quæ secundo capite continentur.

Aduersus ea, quæ in textu docentur occurrunt aliquæ difficultates, & argumenta, 1. argu primo contra definitionem ipsius scire: nam cum definitio per genus, & differentiam rei debeat assignari, nullum genus, nulla differē

tia in eiusmodi definitione apparet, ac ob id non uidetur esse bona.

2. arg. Secundo tunc inquit, scimus, cum causas cognoscimus, & ex causis ad effectus procedimus Angeli perfecte sciunt, & tñ non per causas cognoscũt, cũ non sint discursiui, nec ex cognitione causarũ ad effectuũ cognitionẽ pcedant, sed simul vtrumq; cognoscant.

3. arg. Tertio contra id quod dicitur per demonstrationem nos scire; demonstratio non ostẽdit medium esse causam conclusionis, sed solum procedit ex causa ad scientiã, at non sat est cognoscere causam, sed ꝙ illius est causa, ergo per demonstrationem non scimus.

4. arg. Quarto multæ sunt demonstrationes potissimæ, quæ ex causis non procedunt, ergo videtur diminuta definitio: probatur antecedens, nam de Deo demonstramus esse infinitum: quia est actus purus, & unum attributum per aliud, & tamen in ipso Deo non est aliquid quod sit causa, aut effectus

5. arg. Quinto, si demonstratio semper ex causis pcedenti, semper ex notioribus natura esset, sed notiora natura sunt sæpe ignota nobis, ergo ex ignotis nobis, procedet, nõ ergo esset instrumentum scientiæ nostræ; non enim quis ex ignoto ad ignotius procedit.

6. arg. Sexto non videtur esse vlla propositio immediata, ergo non bene per immediatã propositionem definit principium; probatur antecedens, si enim aliqua esset, maxime ea in qua definitio de suo definito prædicatur, sed hæc non est, cum possit demonstrari per aliã definitionem, finalem enim per materialem demonstramus, & e contra.

7. arg. Septimo assẽsus præmissarũ est causa necessaria assẽsus cõclusionis, seu causa necessaria nõ impedita producit effectũ sibi ęqualẽ, ignis.n. ignẽ æqualẽ producit: ergo assẽsus cõclusionis erit æqualis assẽsui premissarũ.

8. arg. Octauo illa maxima, propter quod vnũquodq; tale, & illud magis, est falsa, ergo ex ea nihil probatur, patet antecedens, nõ enim sequitur, ego deambulo propter sanitatem, ergo sanitas magis deambulat: & homo inebriatur propter uinum, ergo vinum magis inebriatur. Hæc sunt præcipua dubia.

Primũ fun. scire, dup. sumitur Circa primũ est notãdum, scire pupliciter sumi, uno mõ cõmunissime, pro quacumque cognitione, siue clara, siue dubia, siue certa, siue incerta; quo mõ quicquid cognoscimus dicim. sc. scire: altero mõ sumit. strictus, pro cognitione clara, & euidenti rei, quæ dicitur compræhensio.

4. grad. compręhensionis. Huius secundæ scientiæ quatuor sunt gradus, vt notat Albert. tract. 2. cap. 1. & Lincon. super hoc caput; primus est scientiæ impropriẽ dictæ, pro quacumque clara, & euidenti cognitione rerum contingentium: dicimus.n. scio hominẽ currere, dũ uideo, scio ẽt, quæ sensu dignosco: sed ista, licet euidens sit, proprie tamen non est scientia, cum nec sit per causam, nec res sint stabiles.

2 Secundus gradus scientię est proprius pro cognitione rerum, quæ plerumque sunt per suam causam; vt scimus in hyeme pluuias esse, tonitrua in autumno, licet id aliquando deficiat: ac propterea non est eorum perfectissima scientia.

3 Tertius gradus est magis propriæ scientię pro cognitione rerũ simpliciter necessariũ, duæ sp ita se habent, qualia sunt principia immediata, & per se nota: non tñ hæc scẽtia est per causam, cum illa nõ habeant causam.

Vltimus gradus est scientiæ proprijssimæ pro cognitione rei simpliciter necessarię per suam causam, & hoc scire est, quod præsertim hic consideratur, & describitur; quamuis etiam latius definiri possimus dicere, pro cognitione rei simpliciter necessariæ, aut quæ plerumque est per suam causam.

2. fund. Est secundo aduertẽdum ex Aegidio tres esse rationes, per quas scientia perfecta rei debeat esse per causam, quando talis res causas habet; prima est ex parte rerum, quæ sciũtur, cum enim scientia sit perfecta cognitio esse ipsarum rerum; esse autem rerum a suis causis pendeat, & procedat, ob id sciẽtia causas rerum cognoscimus, aliter enim esse earum perfecte nõ cognosceretur: Secunda est ex parte intellectus, qui sumit cognitionem ab ipsis rebus, at res a suis dependent causis, ideo, & intellectus noster in sua perfecta cognitione a causis dependet, & ad causas cognoscendas inclinatur; tertia est ex parte obiecti intellectus, quod est verum ipsum transcendentale, sed rei ueritas consistit in adæquatione, & similitudine ad suas causas, ergo intellectus hoc uerum perfecte non cognoscet nisi ex causis. 1. ratio. 2. ratio. 3. ratio.

3. Fund. Ex tertio aduertendum hanc scientiæ definitionem esse nominis, ut omnes fatentur, non tamen adeo est nominis, quin per eam ipsam etiam rem possimus intelligere,

definitio

definitio enim rei hæc est, scientia est cognitio vera certa, & euidens, ex proprijs causis rei genita: cognitio loco generis est, vera, ad excludendos errores, certa, ad excludendam opinionem, quæ est incerta, euidens, ad excludendam fidem, quæ cum sit uera, & certa est obscura, ex causis, ad excludendam cognitionem principiorum, quæ vera, certa, & euidens est, sed non per causam. Hæc omnia in illa definitione Arist. sunt; nam dicitur cognoscere, & per causam, & quod res est, in quo manifestatur veritas, & non est aliter se habere certitudo, & quod illius causa, claritas, & euidentia: Ex his respondetur ad primum, non esse in definitionibus nominum genera, & differentias, talis autem est hæc definitio: at quia simul explicat rem, ideo virtualiter genus habet, & differentiam, vt diximus.

Ex dictis soluit primum.

Ad 2. Ad secundum respondetur, & est maxime notanda solutio, aliud esse scire, aliud per demonstrationem scire. Scire solum dicit hoc, vt rem, & causam rei cognoscamus applicando; at scire per demonstrationem est, non solum rem, & causam cognoscere, sed ita, ut p cognitionem causæ ueniamus in cognitionē effectus; vnde scire per demonstrationem superaddit modum sciendi, qui est per discursum, & demonstrationem, qui modus est instrumentū sciendi; ipsa tñ ratio scientiæ in cognitione rei, & causæ consistit: & hæc est in Angelis, licet nō per talem modū nempe discurrendi, ob idque Angeli habent perfecte scientias, & sciunt, licet nō per cognitionē causarum in effectuum cognitionē deuenerint sicut nos, nam hic est modus sciendi, non scire, nempe ipsum discurrere: & sic soluitur argumentū scdum, & nota solutionē.

Aliud scire aliud per demonstrationem scire.

Ad 3. solutio aliorum. Ad tertium aliqui voluerunt particulam causalem addendam in maiori, & conclusione, vt dicamus, omne animal rationale est risibile, quia est animal rationale, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, quia est animal rationale, sed ista opinio non consonat Aristotel. nullus enim in scientijs talium demonstrationum est vsus, & talis opinio procedit, eo quod demonstrationes paucas habemus potissimas, in quibus experiemur non esse opus tali additione, propterea dico demonstrationem ostendere causam, & ipsum effectum: ex ipsa tamen cognitione causæ statim cognoscimus illam esse illius effectus, & non posse aliter se habere: habet enim hoc causa, ut ipsius cognitio perfecta simul etiam claudat applicationem ad effectum, non ergo opus est addere, cum ipsa cognitione principiorum cōpræhēdatur, & per hoc soluitur argumentū.

Solutio uerior.

Ad 4. Ad quartum respondetur admittendo illas esse demonstrationes; & eiusmodi sæpe fiunt in Metaphysica, tamen per causam non solum oportet intelligere causas illas quatuor physicas, sed rationes, & conceptus quosdam obiectiuos, qui se habent per modum causarum: ex quo soluitur argumentū.

Ad 5. ex The. Ad quintum Themist. hoc 1. c. 4. dicit demonstrationem procedere ex notiorib. natura, nec se submittere ad mensuram ingenij nostri, sed rectam tenere naturæ uiam: sed ista sententia non uidetur soluere dubiū, propterea dico semper demonstrationē procedere ex notioribus natura, cum ex causis procedat: similiter procedit ex notioribus nobis, nā in Philosophia, in qua causæ sunt ignotæ nobis, effectus vero notiores, non demonstramus effectus per causas, nisi cum causę notiores sunt effectibus: sunt enim effectus quidam, per se noti, alij vero occulti: in per se notis causas indagamus, per quas indagatas, & notas alios effectus nobis occultos demōstramus, & hoc est ualde notandum: unde semper & ex notioribus nobis procedimus, uel quia ipsa sūt simul natura, & nobis nota, uel quia aliqua uia prius ea nobis nota fecimus.

Reijcit solut. Themi. Solutio uera.

Notandum ualde.

Dub. cōtra solutiones. Dices, quid, cum per eosdē effectus indagamus causas, quos iterum, per causam indagamus, & demonstramus, uidetur enim inutilis regressus, quod causa non sit notior, cū ab eodem effectu sumpserit cognitionem.

Solutio Auer. Auerroes has demonstrationes dicebat ostēdere propter quid ipsius effectus, sed non esse ipsius, cum primo sit cognitum esse, 2. cœli com. 35. & 8. Phy. com. 63.

Soluit melius. At tu aduerte admodum, licet effectu indagemus causam, tamen per causam illum eundem effectum multo perfectius cognoscimus, ante enim experientia aliqua particulari, non per causam uniuersaliter, & immutabiliter illum cognoscimus, propterea non est inutilis iste regressus. Præterea licet ab effectu inceperimus causam indagare, tamen illi inuentę firmius adhæremus, & illius cognitio multo maiorem claritatem in nobis facit ex ipsius speculatione

tione prouenientem: vnde notior est effectu, non.n. illius cognitio tota ex effectu prouenit, quãuis ex eo sit orta: vnde tres sunt hic cognitiones, prima imperfecta effectus, per q̃ ad secundã causæ cognitionẽ perfectã deuenimus, & per hãc ad tertiã eius effectus pfectã cognitionẽ regressi sumus. & hoc nota.

Ad 6. Ad sextum Respon. duplicem esse propositionem immediatam, alteram simpliciter, quæ nullo modo potest demonstrari, quales sunt dignitates, & per se nota, alterã secũdũ quid, quæ in aliquo genere demonstrari nõ potest, licet in alio demonstretur: tales sunt definitiones, quæ per causas assignantur: nã licèt propositiones earum per diuersum genus causæ demonstrentur, tamen secundum idem genus non demonstrantur.

Ad 7. Ad septimum Respon. semper verum esse magis assentiri præmissis, quàm conclusioni, cum conclusio non nisi ex præmissis cognoscatur, nam si conclusionem non solum ex præmissis, sed etiam alia via, experiẽtia nempe, aut fide teneremus, magis conclusioni quam præmissis, assentiremus; cum vero propter solas præmissas credimus, clarior est assensus præmissarum, quamuis non possit semper distingui iste claritatis excessus; nec argumentum conuincit, nam quando causa est vniuoca, & eiusdem speciei effectũ æqualem producit; at quando est diuersæ speciei, non producit æqualem, sicut sol non producit solem: cum igitur cognitio principiorum sit alterius speciei, est enim sine medio absque causa, cognitio uero conclusionis per medium, & causam, præmissæ similem effectum non producunt in æqualitate.

Ad. 8. Ad octauum omissis aliorum sententijs, ista propositio, propter quod vnumquodq; tale, & illud magis, quadrupliciter est limitanda: primo, quando idem prædicatum inest vtrique uni propter alterum: vnde non valet, deambulo propter sanitatem, ergo sanitas magis deambulat, non enim vtrique deambulare inest, & ita declarat Philop. secundo, vt tale prædicatum suscipiat magis, & minus, aliter enim non valebit, unde nõ sequitur. Ego sum risibilis, quia homo est risibilis, ergo homo est magis risibilis; nec Valet Petrus est homo propter patrem suum, ergo patre est magis homo: & ita limitat Albertus; tertio vt sit in rebus positiuis, nam in effectibus priuatiuis non valet, non enim sequitur Petrus est paruus propter patrem, ergo pater est magis paruus; propter Deum non diligo mundum, ergo magis non diligo Deum; ita limitant Doctores Louanienses; quarto, vt sint diuersa prædica taaliter non valet, ut video propter oculos, ergo oculi magis uident nõ sequitur, nam non aliud est uidere meum, & oculorum.

Limitatur propter q̃d vnumquodq; &c.

At profectò si rectè perpendamus, sub prima limitatione reliquæ clauduntur: quando enim aliquod prædicatum inest multis, vni propter alterum, tunc magis, aut perfectius in est alteri: cum igitur credamus præmissis. & conclusioni, huic autem propter præmissas, magis credimus præmissis, & per hoc soluitur argumentum. Est autem aduertendũ cognitionem conclusionis dici scientiam, præmissarum vero immediatarũ, & dignitatum intellectum, non ut potentiam significat, sed vt cognitionẽ quandã taliam principiorum, & habitum significat 6. Ethic. c. 6. at cognitio conclusionis simul & præmissarũ sapientia, ut dicitur lib. 1. mag. mor. cap. 35. quamuis sapientia in alia significatione etiã scientiam rerum altissimarum significat, qualis Theologia super naturalis, & Metaphysica inter naturales, vt dicitur 1. Metaph. c. 2. & hæc pro capitis disputatione sufficiãt.

Opinionum confutatio, & eorum qui omnino demonstrationem tollunt, & eorum qui omnium demonstrationem esse ponunt. Cap. III.

Nonnullis quidem igitur, eo quod oportet prima scire, non uidetur scientia esse: quibusdam uero esse quidem, verum omnium demonstrationes esse: quorum neutrum, neque verum, neque necessarium. 1

Qui quidem enim supponunt nõ esse omnino scire, hi in infinitũ existimant reduci, tanquam non scientes posteriora per propria, quorum non sunt prima: rectè dicentes: impossibile namque infinita pertransire. Si vero stant, ac sunt principia, hæc esse ignota: cum demonstra- 2

monstratio de ipsis non sit, quod dicũt esse scire solum, si vero non est prima scire, neque quæ ex his esse scire simpliciter, neque proprie, sed ex suppositione, si illa sunt.

3 Alij autem ipsum quidem scire confitentur, per demonstrationem enim esse solum sed omnium esse demonstrationem nihil prohibere, contingere enim circulo fieri demonstrationem, & ex ijs quæ ad se inuicem.

4 Nos vero dicimus, neque omnem scientiam demonstratiuam esse, sed eã, quæ immediatorum est indemonstrabilem. Quodque hoc sit necessarium manifestum: si.n. necesse quidem scire priora, & ex quib. demonstratio, stant autem aliquando immediata, hæc indemõstrabilia necesse est esse.

5 Hæc igitur ita dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus.

6 Circuloque quòd impossibile demonstrare, simpliciter planum: si quidem ex prioribus oportet demonstrationem esse, & notioribus, impossibile enim est eadem eisdem simul priora, & posteriora esse. Nisi altero modo, ut alia quidem ad nos, alia uero simpliciter, quomodo inductio facit notum. Si vero sic, non esset vtique simpliciter scire bene definitum, sed duplex: aut non simpliciter altera demonstratio, quæ fit ex nobis notioribus.

7 Accidit autem dicentibus circulo demonstrationem esse, non solum quod nunc dictum est, sed nihil aliud dicere, quam quod hoc est, si hoc est: sic autem omnia facile monstrare. Manifestum autem, quòd hoc contingit tribus terminis positis, per multos namque aut paucos reflectere dicere, nihil differt: per paucos autem, aut duos. Quando enim A. existente, ex necessitate sit B. hoc autem ipsum C. A. existente erit C. si itaque A. existente, necesse est B. esse: hoc autem existente ipsum A. hoc enim erat circulo: Ponatur A. in quo C. dicere igitur, B. existente, A. esse, est ipsum C. esse dicere, hoc autem, quoniam A. existente ipsum C. est: C. autẽ ipsi A. idem. Quare contingit dicere circulo asserentes esse demõstrationem, nihil alterum quam quod A. existente, A. est, sic autem facile est omnia monstrare.

8 Verum neque hoc possibile, præterquam in ijs, quæcunq; se inuicem consequuntur: quemadmodum propria. Vno quidem igitur posito, quod nunquam necesse est aliquid esse alterum, monstratum est. Dico autem vno, quod neque termino vno, neque positione vna posita: ex duabus autem positionibus primis, & minimis contingit, siquidem & syllogyare. Si igitur & A. sequatur ex ipso B. & C. & hæc ex se inuicem. & ex ipso A. sic quidem contingit ex se inuicem monstrare omnia petita in prima figura: quemadmodum monstratum fuit in ijs, quæ de syllogismo: monstratum autem est & quod in alijs figuris, aut non fit syllogismus, aut non de acceptis. Quæ uero non contra prædicantur, nullo modo est monstrare circulo; quare; quoniam pauca talia in demonstrationibus, manifestum quòd vanumque, & impossibile est dicere ex ijs, quæ ad seinuicem, demonstrationem esse, & propter hoc omnium contingere esse demonstrationem.

1 *Nonnullis quidem igitur, &c.*

Intētio Arist. ARist. in hoc capite euellit duos errores quorundā, procedētes ex his, quę dixerat in ultima parte capitis, nempe principia, & pręmissas sciri, & earum scientiā esse cum per eas conclusioni assentiamur. Ex hoc aūt aliqui existimantes nihil sciri, nisi per demōstrationem, asserebant non posse scientiam esse. Alij idem arbitrātes, esse quidem existimabāt scientiam, sed circulum esse in demōstrationibus, nempe per conclusionem præmissas, & per præmissas conclusionē demōstrari, vtrumq; aūt inquit Arist. s. scientiam non esse, aut circulum fieri, nec est uerū, nec necessarium, i. non est uera snīa, nec rationes aut probationes habet necessarias, Latini sic exponunt: at melius possemus dicere, non est necessarium, i. non necessario sequitur ex eo quod principia sciamus.

Dubiū Philop. Dubitat Philop. cum quæst. Quid sit, postponenda sit, quæstioni, An sit, qui fiat ut Arist. definita demōstratione, modo disputet, an sit, nempe contra priores, qui scientiam, & demonstrationem de medio auferebant.

1. Resp. quorundam. Respondet quęstionem quid nomē significet, anteponendam quæstioni, an sit, quando nomen obscurum est, quod fecit Arist. Phys. ubi primo quid uacuum, i. quid significet, postea an sit, disputauit secus esset de definitione, quid res sit: hæc est enim post

Reiidit. 1. Resp. ponenda. Hæc snīa mihi non placet: supponit. n. definitionem nominis esse eam, quæ data est de demonstratione, quod tñ est falsum: est. n. definitio rei, & per materiā, & ēt altera, q̄ datur per finē, cū præsertim nullibi aliā demōstrationis definitionē habeamus.

2. Resp. Lincon. Lincon. Resp. hoc caput non esse de necessitate huius libri, q̄a non pertinet necessario ad artē errores repellere, est tñ id de artis perfectione: sed hoc dictū non tollit difficultatē.

3. Sol. aliorum. Alij, et bene, dicūt quęstionē an sit, aliquādo post poni sed per accidens, nempe cū dubia, an sit res oriūtur, ex ipsa definitione rei, ut accidit in præsenti; nā isti auferebant demonstrationē, propterea quod ex præmissis notioribus deberet procedere: & mihi responsionis doctrina placet, licet hoc dubiū alienū

4. Snīa auctor. uideatur ab instituto ipso Arist. nam hic non de demonstratione vr̄ tractari, sed de scientia, q̄ isti auferebant de medio, quamuis crediderunt non esse scientiā sine demonstratione, ideoq; simul demōstrationem auferebāt de scientia tñ sermo est, quæ in capite præcedenti definitione nominis definita est, vt diximus. & forsan hoc voluit significare Phil.

Qui quidē enim supponunt nō esse, &c. 2

Incipit in particulari vtrumq; errorē explicare: illi enim, qui sciētiā negabant, sic argumentabantur, non scimus conclusionē, nisi sciamus præmissas; sed scire nō possimus præmissas, nisi alia demonstratione, ergo nō scitur conclusio nisi demonstratis præmissis. Iterum hæ præmissæ non sciuntur, nisi sciātur aliæ præmissæ, per quas demonstrātur, hæ aūt iterum per demonstrationē sciuntur, sicq; consequenter procedimus in infinitū, nec ad vltimas peruenire est, quæ sciantur, cum iterū demonstratione opus sit, ergo nō erit scientia posteriorū conclusionū, nisi tñ ex suppositione, nempe supposito q̄ præmissæ sciantur: tñ re uera non est absoluta scientia, cum in processu infinito non detur vltimū, in quo bené profecto dicunt, nempe q̄ in processu infinito non sit vltimum, & quod nisi sciantur priora, non scientur posteriora. 3. Solu.

Alij aūt ipsum quidem scire, &c. 3

Alij scire esse fatebantur, tñ eundē errorē tenentes, nihil sciri nisi demonstratione, affirmabant contingere circulum in demonstratione, nempe quod sit peruenire ad vltimas p̄missas, & non in infinitū p̄cedere: hæ tñ vltimæ iterum circulo per priores conclusiones demonstrabantur, & sic erat scientia, & per demonstrationem, sed circularem.

Nos autem dicimus neque omnem scientiam. 4

Reijcit Arist. eōem illorum errorem, existimantium, nihil sciri, nisi demonstratione, ac dicit, non oēm scientiā esse per dmōstrationem, sed esse scientiā indemonstrabilem ac si diceret, non oīa, quæ scimus, per demōstrationem scimus, sed peruenimus ad aliqua prima, q̄ scimus, quidem sed non alia demōstratione; & hoc patet, nam in discursibus cōclusionem cognoscimus, præmissis cognitis, sed dantur præmissæ, & principia, quæ prorsus immediata sunt, nec demonstrari ualēt, ut patet de dignitatibus, & multis alijs p̄positionibus, ergo taliū cognitio, & sciētia erit, & non per demonstrationem ullam aliam.

Et hoc igitur sic dicimus.

Quo explicent pleriq; latini philos. Reperit suam in hoc sententiam, dicens, hoc sic dicimus, idest de hoc nos ita sentimus, nec solum esse scientiam, sed esse quoddam principium scientiæ, quo terminos cognoscimus: sensus horum, verborum secundum plerosque Latinos est, esse quendam habitum, & cognitionem in nobis ipsorum principiorum, & dignitatum quæ cognoscuntur ex sola terminorum apprehensione, absque vlla demonstratione: atque tales dignitates vocantur principium scientiæ. Philop. per hoc principium intelligit Deum, cuius lumine intellectus noster illustratus, cognoscit terminos, idest intelligentias, quæ sunt vltima in cognitione. At melius mihi videtur locum intelligere Themistius, qui per principiũ intelligit intellectum nostrũ, per terminos, subiectum, & prædicatum propositionum, ut sit sensus, non solum est sciẽtia, sed est intellectus, & potentia, principiũ scientiæ, quo solo intellectu absq; demõstratione, quid extrema significent, intelligim⁹, & ex tali sola apprehensione tales propositiones scimus absque vllo alio discursu.

Quomodo phi. — Quomodo Th. quẽ seq tur auctor.

Notã. Nota tamen ex Alberto tract. 2. c. 6. quẽadmodum visibilia sunt in duplici differentia, quædam, quæ non proprio lumine videntur, sed externo indigent, sicut colores corporum opacorum, qui non nisi solis lumine, aut alterius luminosi extrinseci videntur; quædam vero alia proprio lumine videntur; sicut luminosa ipsa, & aliqui vermes & lapides; ita propositiones sunt duplices, quædam quæ non statim cognoscuntur veræ quantumcunque quid subiectum, quid prædicatum sit, apprehendatur; sicut multæ propositiones, quæ probatione indigẽt: quædam uero sunt, quæ statim simul, atque subiectum, & prædicatum apprehendimus, eas absque vllo alio discursu cognoscimus, quales sunt dignitates, & hæc dicuntur propositiones per se notæ, & scientiarum principia, & de his loquitur Arist. dum dicit, intellectu solo apprehendente terminos cognosci: cum primum enim, quid totum, quid pars significet apprehensum est, statim totum maius esse parte dignoscitur.

Duplex proposi. tio per se nota secũdũ D. Tho. S. Thom. distinguit duplicem propositionem per se notam: existimat enim idem esse immediatam propositionẽ, & per se notam: Est autem quædam immediata quæ caret medio, quo demonstretur, & termini illius sunt omnibus noti, vt omne totum est maius parte, & similes, & has uocat per se notas secundum naturam, & sed'm nos: quædã uero sunt quidem immediatæ, non tñ res illæ sunt omnibus notæ, sicut propositiones, in quibus definitiones de definitis, seu passiones de suis proximis causis prædicantur, & hæ dicuntur per se notæ secundum naturam tantum, vtraque tamen propositio est per se nota, & de his est sermo in præsenti.

Mihi magis uidetur Aristotel. sensisse de principijs per se notis secundum nos, & naturam in præsenti textu, ut Græci, exponunt, ita ut non omnis immediata sit per se nota, sunt enim immediatę aliquę, nempe multæ demonstrationum propositiones, quę inductione colliguntur, ut docet 2. Poster. cap. ultimo, & dicuntur principia scientiarum, ut dicitur 1. Metaph. c. 1. quæ tamen non per se ex ipsis terminis cognoscimus.

Circulo autem quod impossibile sit, &c.

Tripliciter pb. nõ esse circulũ ĩ demõstrãdo. Triplici argumento probat, Arist. circulum non posse fieri in demonstrationibus; primum est, ex eo, quòd demonstratio ex prioribus, & notioribus procedit: si autem esset circulus, sequeretur, quòd idem esset prius, & posterius, notius, & ignotius, quod fieri non potest: & patet, nam præmissę hæ sunt priores, & notiores conclusione, si iterum per conclusionem eandem præmissas demonstras, ergo iam conclusio erit prior, & notior, cum facta sit præmissa demonstrationis: erunt igitur præmissæ notiores, & ignotiores, priores, & posteriores illa conclusione: Quòd si dicas, non est absurdum, fieri enim potest ut aliquid sit prius natura, & notius, tñ posterius, & ignotius nobis, qđ fit in inductione, nam singularia nobis notiora, & priora sunt, per quæ probamus uniuersale, qđ notius est, & prius natura. Aduersus hoc instat Arist. nam si in circulo procedimus ex notioribus solum nobis, iam non est demonstratio, nec facit sciẽtiam: uera. n. demonstratio ex notioribus natura procedit, quod si isti, qui circulo demonstrant, solum asserant in regressu procedere ad probandas

bandas præmissas ex nobis tantum notioribus, hæc demonstratio non est, nec scientiam facit simpliciter, nisi velint, alium modum scientiæ ponere, qui non est per causam, & per priora natura, quod falsum est: quæ enim demonstratio ex nobis tantum notioribus est, non est simpliciter demonstratio: & quamuis per modum interrogationis hæc verba Arist. referantur, sunt tamẽ assertiuè intelligenda.

7 *Accidit verò dicentibus, &c.*

Hæc est secunda ratio, qua Arist. eundem repellit errorem, nempe si circulo contingeret vti, fieret, vt idem per idem demonstraremus, quod falsum est, esset autem tunc satis leue, cuncta demonstrare, scilicet hoc est, quia hoc est: Hoc autem probatur sumendo tres terminos, nihil enim refert in tribus, aut pluribus, aut paucioribus loqui: idem enim sequitur inconueniens ex circulo, sint termini; A. B. C. tunc supponit Aristotel. istum esse bonum argumentandi modum, quia A. est, B. est, & quia B. est, C. est, ergo de primo ad vltimum, quia A. est, C. est: nam si B. sequitur ex A. quidquid sequitur ex B. sequitur ex A. & cuius est causa B. eius etiam est causa A. quod enim sequitur ex consequẽti, sequitur etiam ex antecedenti, & cuius est causa consequens, etiam est causa antecedens, quod est causa consequentis, tunc sumamus circulum in duobus terminis, quia A. est, B. est, per circulum valet regressus, quia B. est, A. est, argumentor igitur, quia A. est, B. est, & quia B. est, A. est, ergo de primo ad vltimum, quia A. est, A. est. Hoc significat illud, quod Arist. dicit, ponatur A. loco ipsius C. idest quemadmodum ex ipso B. inferebatur C. ita & infertur A. ergo sicut C. inferebatur ex A. quia ex eo inferebatur B. ita & A. quod infertur ex B. inferetur ex codẽ A. ex quo ipsum B. infertur: vnde ex seipso inferetur, & tantum demonstrare continget idẽ per idem, quod falsum, & absurdum est.

8 *At verò neque hoc possibile.*

Hoc est tertium argumẽtum, quo circulũ in demonstrationib. reijcit, supponit vnum, quod dicit osteulum esse primo Prio. cap. 2. ex uno termino, aut una posita propositione nihil inferri necessario, sed opus esse tribus terminis, et duabus propositionibus minimis, idest non paucioribus: Ex his autem necessario sequitur alterum, & probat, siquidem cõtingit syllogizare, idest, ex his fit syllogismus qui necessario infert, ergo ex duabus propositionibus, alterum potest inferri necessario: modò est argumentum, si circulus est in demonstrando, cũ demonstratio sit syllogismus, opus est tribus terminis, & duabus propositionibus, nempe, A. B. C. sed circulus in his non põt esse, nisi sint oĩa conuertibilia, cõuerti igitur debent, A. B. C. adinuicẽ, tunc sic, ex tribus terminis conuertibilibus non fit syllogismus, nisi in primo modo primæ figuræ, ergo oẽs demonstrationes debent fieri in illo primo modo, aliter non esset circulus. Præterea essent in terminis conuertibilibus, alias non posset circulariter syllogizari: fit enim circulus, quando cum conclusione, & conuertente maioris inferimus minorem, vel cum eadem conclusione, & conuertente minoris inferimus maiorem vniuersales aũt propositiones affirmatiuæ non possunt vniuersaliter conuerti; nisi quãdo termini sunt æquales, & conuertibiles. Ex his cõcludit argumentum vanum esse asserere, omnium esse demonstrationes, & circulum in oĩbus contingere, cum non id fit, nisi in vno modo primæ figuræ, & id in conuertibilib. multo uero plura sint, quæ demonstrantur.

Hic oportet notare uerba illa, quod in secunda, & tertia figura non est circulus, aut non de acceptis: explicant D. Thom. & fere omnes, ob id in his duabus figuris, non esse circulum, quia cum in secunda, vna præmissa sit negatiua, altera affirmatiua, conclusio uero negatiua, si volumus circulo syllogizare affirmatiuam, fiet syllogismus ex puris negatiuis, qui inutilis est. In tertia vero cum conclusio sit particularis, præmissæ uero, aut vniuersales ambæ, aut vna particularis, non poterit syllogizari circulo nisi particularis, non vniuersalis, aliàs enim esset argumentari ex puris particularibus, aut inferre conclusionem vniuersalem ex præmissa particulari; propterea in his figuris non est circulus: at quia aliqua præmissa syllogizatur nempe negatiua in secunda figura, particularis uero in tertia, propterea addit Arist. si circulus sit, non de acceptis sit. Exponunt ergo, non de acceptis, omnibus, i. licet circulus detur, nõ tamen ambæ præmissæ

syllo-

syllogizatur circulariter. Quamuis possimus exponere, licet in secunda aliquando utraq; circulariter syllogizetur, hoc fit, mutando negatiuam in propositionem hypotheticam, vt dixit libro secundo Prior. c. 6. & illic declarauimus: sed hic circulus non est, cum nō fit in eisdem propositionibus, sed mutatis, propterea dixit, si circulus fit, non de acceptis fit. Hæc est huius capitis expositio.

QVAESTIO I.

De regressu demonstratiuo.

Explicatur titulus.

Dubitatur. An sit regressus in demonstratione: circa quod oportet aduertere, regressum uocari illum syllogismum, quo probamus conclusionem, qua ante ipsius præmissas probaueramus, vt si quis per interpositionem terræ probet Ecclypsim, per quā cognouimus ipsam interpositionem; talis regressus etiam dicitur syllogismus circularis: difficultas autem non est in eo, an præmissæ sint talis causa conclusionis, qualis est conclusio præmissarum: hoc enim fieri non potest, & hoc impugnat Aristoteles; nec est difficultas, an in diuersis generibus causarum possit esse circulus, & regressus in syllogizando, cum id manifestum sit, nam demonstrationem ex veris, & primis &c. esse probamus, quia facit scire, & econtra facere scire, quia ex ueris &c. constat, ostendimus syllogizando; nec etiam est difficultas, an syllogismi circulus fiat inter causam, & effectum, cū sit etiam manifestum, causam per effectum, & iterū eundē effectum per causam eandē syllogizari aliquādo posse; sed difficultas est, an cū talis regressus sit syllogisticus, sit aliqua probatio, & per talē regressum probemus, & cognoscamus.

Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi potissima hæc est, quia cum præmissæ huius regressus sint probatæ prius per talem conclusionem, non possunt esse ipsa notiores, & tūc syllogismus inutilis erit, cum non ex notioribus procedat.

Respōs. Auerroistarum.

Ad hanc difficultatem respondent iuniores, distinguentes duplicem demonstrationē propter quid, ex Auerroe 2. cœli comm. 31. & 8. Phys. comm. 65. alteram, quæ est causa, & esse, idest per quam ostendimus causā effectus, & simul probamus effectum esse: at potē cum a causis notioribus nobis ad effectus occultos procedimus, hæc est potissima demonstratio, alteram, quæ solum ostendit effectus causam, sed non ipsum esse; & talis est demonstratio tantum causæ, quę fit, cum effectum primo cognouimus, ac per eum indagauimus causam, & sic admittitur regressum fieri a causa ad effectum cognitū prius quantum ad esse, sed regressus ostendit causam secundum quam ignotus erat effectus.

Refellit sentētia Auerr. & proponitur uera sententia S. Tho. & aliorum.

At quamuis ista sententia non sit spernēda, aliter mihi videtur posse respōderi, & magis ad mentem Aristot. ex sententia potissimum D. Tho. 4. cœli. 59. ubi elegantissime etiam defendit Alexandrum aduersus Simpli. & explicat totam uim regressus demonstratiui. Dico, igitur, omnem demonstrationem probare effectum esse, & simul illius ostendere causam, quod absque ulla distinctione concessit Themist. 2. Posterio. cap. 2. propterea aduerte, quod supra diximus, quamuis existentia effectus cognoscatur ante causā, id fit imperfecte, & particulariter; at postquam demonstratio accedit eum uniuersaliter cognoscimus, & certius, ac clarius, quod docuit expresse Arist. 1. Post. c. 24. ubi dicit, ēt, si uideremus, triangulū habere tres angulos, adhuc demōstrationē quæreremus, quia id non cognosceremus uniuersaliter nisi demonstrotione, propterea sp demonstratio effectū esse probat, licet cū discrimine: nā aliquādo præcessit aliqua cognitio imperfecta effectus: dices si illa cognitio effectus fuit imperfecta, & particularis, cū per eā peruenerimus in causam, & cognitio causæ erit imperfecta; dico, nō ita esse, nā illa cognitio effectus fuit uia ad causam inueniendā: sed ex ipsa causa inuenta, & alijs intellectus speculationibus perfectius cognoscimus causam, adeo ut per eam regrediamur ad effectū uniuersaliter cognoscendum, quod ignotum erat ante causam: & hoc de regressu sentio.

Demonstrationis propositiones veras esse, veritate necessaria. Quid sit id, quod dicimus, De omni, quid per se, quid vniuersale. Cap. IIII.

Quoniam autē impossibile aliter se habere, cuius est scientia simpliciter, necessariū utique fuerint id esse scibile, 2

bile, qđ est secđm demonstratiuam scientiã: demõstratiua aũt est q̃ habemus, eo qđ habemus demonstrationem: ex necessarijs igitur syllogismus est demonstratio. Accipiendũ igitur ex quibus, & qualium demonstrationes sunt.

2 Primo aũt determinemus, qd dicim' de oĩ, & quid per se, & qd vniuersale.

3 De omni quidem igitur hoc dico, quod si vtrique non in aliquo quidem, in aliquo autem non: neque aliquando quidem, aliquando autem non; vt si de omni homine animal, si verum hunc dicere hominem, verũ & animal, & si nunc alterum, & alterum, si in omni linea punctum, consimiliter. Signum autem, & enim instantias ita ferimus, tanquam de omni interrogati, aut si in aliquo non, aut si aliquando.

4 Per se autem, quæcunque & insunt in eo quod quid est: vt triangulo linea, & lineæ punctum, substantia namque ipsorum ex his est, & in oratione dicente quid est, insunt.

Et quibuscunque inexistentium ipsis, ipsa sunt in oratione, quid est declarante; quemadmodum rectum inest lineæ, & circulare, & impar, & par numero, & primum, & compositum, & æquilaterum, & altera parte longius; & omnibus his insunt in oratione quid est dicente; ibi quidem linea, hic autem numerus. Cõsimiliter autem & in alijs talibus singulis per se dico.

5 Quæcunq; aũt neutro mõ insunt, accidentia: vt musicũ, aut albũ animali.

6 Amplius, quod non de subiecto dicitur alio aliquo, vt ambulans alterum quid existens, ambulans, & albũ; substantia uero, & quæcunque hoc aliquid significant: non alterum quid existentia, sunt, quod sunt. quæ quidem igitur non de subiecto, per se dico: quæ autem de subiecto, accidentia.

7 Amplius autem alio modo, quod quidem propter ipsum inest vnicuique per se: quod vero non propter ipsum, accidens: quemadmodum si ambulãte fulgurauit, accidens: non enim propter ambulare fulgurauit, sed contingit, dicimus hoc: si autem propter ipsum per se: vt si quid iugulatum interijt, & secundum iugulationem, quoniam propter iugulari, sed non accidit iugulatum interire.

Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, vt insint prædicatis, aut illa insint subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate: nõ.n. contingit nõ inesse aut simpliciter, aut opposita. vt lineæ rectũ, aut curuum, & numero impar, aut par: est.n. contrarium, aut priuatio, aut contradictio in eodem genere, vt par, aut impar in numeris inquantum sequitur: quare si necesse asserere aut negare, necesse & per se inesse. Quid igitur de omni, & per se, determinatum sit hunc in modum. 8

Vniuersale aũt dico, quod vtique, & de oĩ sit, & per se, & secundum q ipsum. Manifestũ igitur quòd quæcũq; vniuersalia ex necessitate insunt reb. 9

Per se autem & secundũ q ipsum, idem: vt per se lineæ inest punctum, & rectum, etenim secundum quod linea, & triangulo secundum quòd triangulum, duo recti: etenim per se triangulũ, duobus rectis æquale. 10

Vniuersale autem est tunc, quando in quolibet, & primo monstretur; vt duos rectos habere, neque figuræ est vniuersale, quamuis est mõstrare de figura quòd duos rectos habet, sed non de qualibet figura, neq; vtitur qualibet

figura monstrās: quadrangulum enim figura quidem est, non habet autem duobus rectis æquales. æquicrus vero habet quidem quodcunque duobus rectis æquales, sed non primo, sed triangulum prius. Quod igitur quoduis primum monstratur duos rectos habens, aut quodcunque aliud huic primo inest uniuersale, & demonstratio per se de hoc uniuersaliter est, de alijs uerò quodammodo non per se: neque de æquicrure non est uniuersaliter, sed in plus.

1 *Quoniam autem impossibile est, &c.*

Cum demonstrationem ex ueris docuisset esse, nunc ut dicit Themi. ex quibus veris procedat, explicare intendit, non enim ex quibuscunque, sed ex necessarijs demonstratio est: at quia adhuc necessarium multiplex est, quale debeat esse, hoc capite explicat, ideoque explicat quid sit dici de omni, quid per se, quid uniuersaliter: hæc n. ad necessarii cognitionem opus sunt; probat autem ante omnia demonstrationem esse ex propositionibus necessarijs, quia id quod demonstratur, & demonstratione scitur, est necessarium: at necessarium non demonstratur nisi ex necessariis, quamuis syllogizare possit, ut dicitur 2. Prio. cap. 2.

Argumentatur igitur Aristot. hoc pacto, quod scitur, aliter se habere non potest, ergo quod demonstratiuè scitur, est necessarium, nam id necessarium est, quod aliter se habere non potest, & argumentum est a superiori ad inferius ex parte subiecti, nam sciri superius est ad sciri per demonstrationem: ex parte uero prædicati, a definitione ad definitum, nam non posse aliter se habere est definitio necessarij; tunc ulterius procedit argumentum, quod scitur demonstratiuè est necessarium, & tale est, per quod demonstratio fit, ergo talis demonstratio est ex necessarijs, infert oportere accipere, ex quibus, & qualibus sint demonstrationes, dicit ex quibus, propter propositiones: dicit ex qualibus, propter quæstionem, circa quam est demōstratio, nam omnia necessaria sunt, primo tamen tria illa, quæ diximus, proponit explicaturum.

De omni quidem igitur hoc dico. 2

Explicat, id prædicatum dici de omni, quod omnibus inest inferioribus subiecti, ut animal de equo, & hoīe, quia omnib. inest in diuiduis, & omni tpe, & hoc negatiuè explicat dicendo, qđ prædicatum non sic inest, ut quibusdā subiecti inferioribus insit, quibusdā non: uel aliquando insit, aliquando non, sed omnibus debet inesse, & omni tempore. Exempla ponit in his propositionibus, omnis homo est animal, & omni lineæ inest punctum: probat autem tale esse dici de omni, nam cum instantias ferimus, idest cum redarguere uolumus propositiones non de omni dici, dupliciter instamus, aut si non de omnibus dicitur prædicatum, aut si non omni tempore; signum igitur, est utrumque esse necessarium ad propositionem de omni.

Quid sit prædicari de omni.

Nota ex Themist. c. 9. & D. Tho. Aliud esse dici de omni in libris Priorum, quod ad syllogizandum requiritur, quod uocant, aliqui, prioristicū, aliud dici de omni in libris Posteriorum, quod ad demonstrationem requiritur, quod uocant posterioristicum: in illo enim solum uniuersalitas in inferioribus subiecti sat est, in hoc uero ulterius opus est vniuersalitate temporis, sed profecto declaratione indiget Themist. nam ad syllogizandum tantum, non opus est quod prædicatum insit omnibus inferioribus subiecti, cum etiam ex falsis syllogizetur, sed sat est quod uniuersaliter enuntietur: unde tale dici de omni consistet in eo, quod uniuersaliter prędicatum denotat inesse subiecto: at in libro isto, quod enuntietur opus est, & etiam quod uerè insit, & omni tempore, sicut in libro Topicorum requiritur, quod probabiliter insint, in libro uero Elenchorum quod apparenter, & hoc nota. Dices nonne etiam est dici de nullo in hoc libro? dico esse quidem, nempe quod de nullo inferiori subiecti dicitur omni tempore, tamen quia ex affirmatione facile constat, & uel quia affirmatum est præcipuum, & frequentius, illud prætermissum est.

Dici de omni duplex, prioristicum, & posterioristicū.

Per se autem sunt, quæcunque sunt in eo. 3

Quid sit prædicatum per se. Primus modus prædicandi per se.

Explicat modo, quid per se dicatur, ac in quatuor modos distinguit, primus est, prædicata quæ sunt, de definitione quidditatiuæ subiectorum per se prædicantur de ipsis, ut linea per se de triangulo dicitur, nam est de ipsius definitione, triangulus enim est figura plana tribus lineis terminata: similiter punctum est de definitione lineæ, est.n. linea magnitudo, cuius extrema sunt duo puncta: itaque ad istum modum pertinent omnia prædicata, quæ sunt aut definitiones subiectorum, aut partes definitionum, ut genera, differentiæ, & horum partes. Notat autem Themist. quæ dicuntur per se hoc modo includere de omni, vt sit sensus, illa dicuntur per se, quæ cum sint de omni, sunt etiam de quidditate subiecti; nec oportet hic sentire cũ Paulo Veneto, qui non solum propositiones has, sed earum conuertentes ad hunc modum reducit, vt animal est homo, rationale est homo. Alij etiam identicas, & disparatas reducũt: quæ oĩa sunt præter mentem Aristotelis, qui solùm de proprijs propositionibus, & naturalibus prædicationibus, quales ad demonstrationem sunt aptæ loquitur.

Et quibuscunque eorum, quæ insunt. 4

Secundus modus prædicandi per se.

Secundus modus est eorum, quæ sic insunt subiectis, ut de eorum definitione sint ipsa subiecta, quales sunt passiones propriorum subiectorum, quæ per se inesse dicuntur. Notant hic Philopo. & Themist. & bene, quod primus modus est prædicandi per se, iste inhærendi per se, propterea dicunt ista, quæ per se inesse dicuntur, esse accidentia. Notant etiam ijdem authores hunc modum non includere necessario dici de omni, nam potest accidens dici per se, quamuis nõ omni insint. vt simum inest naso, & grammaticum homini. Huiusmodi Arist. ponit quatuor exempla, primũ de curuo, & recto, hæc enim per se insunt lineæ, ac per eam definiuntur, nam rectum est linea, cuius extrema non egrediuntur a medio, curuum est linea, cuius extrema egrediuntur a medio; alterum exemplum est de pari, & impari, quæ per numerum definiuntur, ut notum est; tertia de primo, & composito, hæc enim insunt etiam numero.

Dubiũ. Expositio Philo. & Albert.

Sed dubitabis, quid per hæc intelligere oportet? Philop. & Albert. per numerum primum intelligunt eum, qui non est ex alio numero cõpositus, qualis est solus binarius, per compositum verò intelligunt quemcunq; alium numerum: at melius cum Alex. quem hic refellit Philop. & cum D. Tho. dicamus, numerus primus est, qui sola vnitate mensuratur, quales sunt binarius, ternarius, quinarius, & alij, compositus uerò est, qui alio numero mensuratur, ut nouenarius, qui ternario mensuratur, & similes alij multi.

Expos. verior Alexan. & D. Thom.

Quartum exemplum est æquilaterum, & altera parte longius. Hæc Alexand. dicit esse passiones figuræ. Philop. verò melius attendens Arist. in his exemplis, non aliã subiecta ponere, quàm lineam, & numerum, hæc duo posteriora etiam numeris attribuit, nam & numeri aliqui sunt æquilateri, aliqui altera parte longiores, ut docent Arithmetici: quamuis possimus pro Alexandro dicere, quòd ista sunt quidẽ in numeris, sed vt numeri faciunt figuras; vel quod non ascribantur numero, sed lineæ, nam hæc per lineam definiuntur, æquilaterum enim est habens lineas æquales omnes, altera parte longius habens inæquales lineas, & ita figuræ competunt, quæ ex lineis fit. Auerro. sumens ista duo in vniuersali dicit, esse passiones habentis latera; sed constat Aristotelem non hæc duo in uniuersali, sed ut numeris insunt, considerasse, & bene dicit Philop.

Explicatur. Quartũ exẽplũ Arist. secundum Philop.

Reijcitur & explicatur Auer.

Quæcunque uero neutraliter sunt. 5

Themist. asserit hunc esse modum tertium per se, secundum quem accidentia dicuntur immediatè inesse alicui subiecto, vt color per se, id est immediatè inest superficiei, mediatè verò, & per accidens substantiæ quem modum Arist. assignauit 5. Met. cap. 18. sed profectò ista expositio non quadrat textui, vt satis clarè indicant exempla, album nempe, & musicum insunt animali, hæc autem non immediatè inhærent: propterea cum Philop. D. Tho. & reliquis dicamus, ut uelit Arist. docere reliqua prædicata, quæ nec sunt de subiecti definitione, nec subiecta de eorum definitione, non esse per se, sed per accidens dici, quo pacto album, & musicum per accidens animali insũt, non enim de ius definitione sunt, nec animal de eorum definitione: & non sumpsit hominem, nam tam musicum per se illi inesset, cum homo sit de definitione musici.

Expositio Themistij.

Reijcitur expositio Themist. Explicatur secundũ Phil. & D. Tho.

An-

6 *Amplius quod non de subiecto, &c.*

Tertius modus per se.

Tertius modus, ut explicant Themist. D. Tho. & Philop. quos cæteri sequuntur est per se existendi, ut illa dicantur per se, quæ per se existunt, quod Themist. Philop. putant solum conuenire primis substãtijs, hæ enim per se existunt, secundæ enim, & accidentia iu primis existunt, licèt cum discrimine; nam secundæ substantiæ sunt de natura primarum, non autem accidentia.

Dub. an id tantũ conueniat primis, uel tantum secũdis substantijs.

Aliter etiam exponit Philop. ut secundæ substantiæ dicantur etiam per se hoc modo tertio, quia non dicuntur de subiecto, i. non sunt in subiecto, vult enim, ut per dici de subiecto, intelligamus esse in subiecto. Sed sine dubio dicendum est hic illa dici per se, quæ substantiæ sunt, siue primæ, siue secundæ, cum neutra inhæreat, nec oportet mutare uerbum Arist. nam non dixit quæcunque de subiecto dicuntur, sed quæ de subiecto alio, idest diuerso dicuntur, & quod uerum subiectum sit, quod etiam secundis inest substantijs, quæ non de subiecto alio quodam dicuntur, sicut accidentia, album, ambulans, ac propterea per se dicuntur. Et hoc notauit, & bene Alber. Mag. hoc tract. 2. c. 9. & sic notus est tertius modus.

7 *Item alio modo quod quidem propter ipsum, &c.*

Quartus modus per se.

Quartus modus, ut bene notant Græci, & D. Tho. cum cæteris, non est prædicandi, sed est inter causam potius, & effectum licet & fiant prædicationes; primus. n. modus fuit per se prædicandi; secundus per se inhærendi; tertius, per se essendi; quartus, per se causandi: ut accuratius cęteris explicat D. Tho. ille enim effectus est per se alcuius causæ, q̃n propter ipsum est, vt interire secundum iugulationem est per se effectus iugulationis: dicit interire secundum iugulationẽ, ut uerbum sumatur pro morte illa, quæ ex tali causa sequitur: similiter, domificium est per se effectus domificatoris: at quando effectus non propter illud est, per accidens esse dicitur, ut ambulanti accidit coruscatio, non. n. quia ambulauit, coruscauit, similiter accidit fodienti uineam inuenire thesaurum: hoc igitur est per se quarto modo, quod propriè ad causam, & effectum refertur, & hoc est de modis per se, in quo nota est Philop. & Themist. & D. Tho. ad initium lectionis 9. non omne de omni esse per se, nam cignus est albus, coruus est niger, de omni quidem sunt, non tamen prædicata per se prædicantur primo modo, nec per se insunt subiectis, cum nec de eorum definitione, nec ipsa de accidentium talium definitione sint, ut patet, omni tamen, & semper insunt. Aduerte etiam alios esse modos dicendi per se, ut patet, ex 5. Metaph. c. 18. tamen isti uidentur magis pertinere ad negotium præsens, quamuis nõ omnes ad demonstrationem apti sint, tertius enim non est prædicandi, propterea non est ad demonstrationem.

Quæ ergo dicuntur in simpliciter scibilibus. 8

Expositio D. Tho.

Secundum ferè omnium sententiam, hic Arist. explicat, qui modi sint ad demonstrationem apti, quamuis non omnes æqualiter exponant. S. Tho. & alij ex Latinis de secundo intelligunt; hæc enim est conclusio, quæ scitur simpliciter, nempè in quo de suo subiecto passio prædicatur, & ad hãc utimur quarto modo, nempè in quo passionem de definitione, quæ causa est, prędicamus; vt ad demõstrandum hominem esse risibilem, sumimus animal rationale esse risibile. Aliter exponũt alij; & si ea colligamus in quibus penè oẽs alij conueniunt (ut interim omittamus peculiaria dissidia Them. Philop. & Auerr.) hæc illorum est sententia; uelle Aristot. duos modos enarrare, primum, & secundum; horum enim est usus ad demonstrandum, & litera istis uidetur fauere, quam aliqui sic uertunt: quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, ut insint prædicatis, aut illa insint subiectis; i. hæc sunt, quę simpliciter ad scientiam opus sunt: quamuis hæc uerba non sint ita expressa in Græco sermone. Boetius vertit ad literam sic: sicut esse prædicatis, aut inesse, illi enim duo infinitiui, esse, & inesse, sunt Græce eiusdem uerbi, sed alter est actiuus, alter passiuus: ac si diceret, quæ sic sunt per se, ut existant in prædicatis, i. sint de eorum definitione; qui modus est secundus, & hoc est esse in prædicatis: uel quæ sic sunt, ut ita loquar, ut existãt à prędicatis, idest prædicata sint de eorũ definitione, qui modus est secundus, & hoc est prædicatis inesse: est

enim infinitiuus passiuus. Ex hoc patet hos duos modos esse ad demonstrationem aptos.

Dubit. an quartus modus per se inseruiat demonst.

Dubitabis forte de quarto, nam vtimur eo in demonstratione, ut si dicas, appetenti uindictam sanguis ebullit circa cor, iratus uindictam appetit, ergo irato ebullit sanguis: maior enim est in quarto modo, nam effectus prædicatur de causa propria. Respondet Philop. modum quartum non esse ad prædicationem, sed ad causalitatem, propterea vtilis est demonstrationi, quæ ex causa procedit, sed non componit ipsam. Quòd si dicas, fiunt prædicationes s'm ipsum, ergo demonstrationē cōponit: r̃ñdet modus posse dici illas prędicationes esse uẽ in primo, aut secūdo modo, nam ille non est modus prædicandi.

Sententia Philop.

Expositio Aucto.

At quamuis ista sit expositio cōis, & non spernenda, possemus Arist. interpretari, ut uelit hic ostendere, quando hi duo modi, nempe primus, & secundus ad demonstrationem simpliciter apti sint, id autem fieri, qñ sunt propter ipsum, & sunt ex necessitate, non n. semper primus est propter ipsum, ut qñ genus, & differentia remota prædicantur, ut homo est sensibilis, homo est substantia, non. n. his ad simpliciter demonstrandũ utimur; similiter non semper secundus est ex necessitate, ut nasus est simus, linea est curua, tunc autem ad demonstrationem apta hæc sunt, cum & s'm se, seu propter ipsa, & ex necessitate sunt: at quia dubium videbatur, quando secundus modus ex necessitate sit, id duplicat dicendo, quando tales passiones cum oppositione prædicamus, ut linea est recta, uel curua, numerus est, par, vel impar; sic enim hæc ex necessitate sunt; & probat, nam ista simul iuncta sunt sicut priuationes, aut contraria, aut contradictoria respectu proprij subiecti, quæ necessario sub disiunctione affirmantur. Nota literam par, aut impar, in numeris secundum quod sequitur; Græcè enim est par, aut non impar, ut sit sensus in numerus idem est, dicere, quantum ad consecutionem, par, & impar, seu nō impar, & impar, ut ergo impar, uel non impar necessario de numero prædicantur, ita etiam par, & impar: sic igitur explicatum est quid de omni, quid per se sit.

9 *Vniuersale autem dico, &c.*

Explicat tertium nempe uniuersale, tunc autem est uniuersale, cum non solum de omni, & de per se, sed etiam secundum quod ipsum est, alicui inest; id autem inest alicui secundum quod ipsum est, cum illi primo inest, & immediatè, ut risibile inest homini, & habere duos rectos triangulo; est enim per se homo sensibilis, sed non secundum quod ipsum, quia non ut homo, sed ut animal, est sensibilis: tale igitur uniuersale est necessarium, idest hoc est necessarium, quo in demonstratione utimur; non enim quodcunque necessarium ad demonstrationem aptum est, sed quod est uniuersale.

Quid sit prædicatũ uniuersale.

Per se autem & secundum quod ipsum, &c. 10

Soluitur cōtradictio in Aristot.

Modo id quod per se est, secundum quod ipsum asserit esse, in quo apparet contradictio quia uidetur discrimen inter ista assignasse, imo differunt, ut notat Teoph. aliquid enim est per se, quod non secundum quod ipsum & uniuersale, ut diximus, & ita est. sed respondet Philop. non idem prorsus esse per se, & secundum quod ipsum: habent enim se, ut superius & inferius, ut notat D. Thom. omne enim secundum quod ipsum est per se, non econtra: hic autem uoluit Aristot. docere in aliquibus idem esse per se, & secundum quod ipsum: quamuis possimus dicere idem prorsus esse per se, & secundum quod ipsum, & quod ad uniuersale requiratur aliud, nempe quod insint primo, quod postea subiungit.

Vniuersale autem est tunc, &c. 11

Explicat quid vniuersale sit exactè, nempe cum aliquid primo inest, ut habere tres angulos inest quidem figuræ, sed non secundum quod ipsum, cum non omni insit: similiter inest Isocheli, sed non primo, cum non soli, triangulo aũt inest primo, & uniuersaliter, & huius est demonstratio tanquã uniuersalis, quæ potissima est demonstratio, in qua passio cum subiecto conuertitur, ut notat Philop. reliquæ non sunt potissimæ demonstrationes, in quibus passio cum subiecto nō conuertitur. Hæc de interpretatione huius Capitis Quarti.

QVAE

QVAESTIO

Quomodo accidentia definiantur per subiectum.

VNum oportet hic adnotare circa modum secundum, quo accidentia per sua subiecta definiuntur: accidentia sunt in duplici differentia, quædã quæ consequuntur aliquod subiectum specificum, nec ad aliud se extendunt, intra unam speciem semper conclusa, sicut risibile, grammaticum, quæ soli insunt homini: quædam alia subiectum commune consequuntur, & genericũ, ac multis speciebus insunt, vt color, quantitas, albedo, omnia autem accidentia a subiecto, aut vno, aut altero modo dependent; ut enim nunquam per se existunt, nisi in subiecto, ita neque eorum natura est absque depẽdentia a subiecto: illa, quæ a subiecto peculiari dependent, habent se in duplici differẽtia, quædam ipsam naturam specificam secundum se consequuntur, vt risibile, disciplinabile, hominis naturam secundum se respiciunt, quædam naturam illam quidem specificam consequuntur, sed non absolutè, nisi in dispositione aliqua determinetur, ut simitas sequitur nasum, non absolutè, sed cum quadam dispositione.

Hinc oritur latum discrimen inter ista, quæ enim consequuntur naturam secundũ se vniuersaliter ei insunt, ut risibile homini: quæ uero naturam cum dispositione, non semper vniuersaliter, nisi in his, in quibus natura sic est disposita, vt simitas, cæcitas, crispitudo. Præterea quæ sequuntur naturã secundum se simplices passiones sunt, ut risibile, disciplinabile, quæ vero naturam dispositam multæ sunt, & sub disiunctione, de natura vniuersaliter prædicantur, quia uariæ sunt dispositiones, ut nasi passiones, sunt simitas, aquilinitas, & reliquæ quarum singulæ non vniuersaliter de naso prædicantur, nisi simul cum disiunctione: tamen, re vera, singulę habent suam determinatam dispositionem in subiecto illo distinctam ab alijs, quæ simul cum illa specie posset dici adæquatum subiectum illius: cum tamen non inueniatur nomen, sumimus pro proprio subiecto speciem communem; & hoc docet Auerr. hic dicens, par per numerum definiri, non per subiectum proprium, sed per genus subiecti: similiter impar, nam adæquatum subiectum est illæ numerus, qui solum pares, aut solum impares continet, quod non est nominatum, hoc autem, quod dictum est de his, quæ consequuntur speciẽ, dicendum prorsus de his, quæ genus consequuntur: quędam enim naturam ipsius communem respiciunt, & hæc uniuersaliter insunt, & simplicia sunt, vt quantitas corpus ipsum sequitur, color mixtum, & reliqua: quædam non genus absolutè, sed cum dispositione, & hæc uaria sunt, secundum uarias dispositiones, ut albedo sequitur quidem corpus taliter dispositum, nigredo, & reliqua similia, quamuis aũt multa sint, dispositiones tñ habent proximas determinatas singula.

Est autem discrimen inter hæc communia, & illa propria, & particularia, hæc enim cum uni tantum insint speciei, semper propria dicuntur: illa uero quamuis re uera, respectu suorum subiectorum etiam ꝓpria sint, tamen quia multis insunt communia dicuntur: Ex quibus fit unum notandum, quoties hæc tam propria quàm communia de suo subiecto prædicamus dicuntur per se: per se enim dicitur corpus est quantum, mixtum est coloratum, sicut homo est risibilis, & corpus est album, sicut nasus est, simus: at communia respectu aliorum subiectorum non per se dicuntur, non enim per se dicitur nisi est alba, coruus est niger. Sequitur etiam præterea, ut si exactè uelimus utraque accidentia definire, per sua subiecta definienda sint; ut enim simum per nasum, ita & album per corpus: licet hic sit notandum discrimen: cum enim in concreto ista definiuntur, per subiectum in concreto loco generis definiuntur, ut simus est nasus curuus, cum uero in abstracto, per subiectum in obliquo, loco differentiæ definiri oportet, ut simitas est nasi curuitas, quod qua ratione fiat, alibi est discutiendum. Nota discrimẽ.

Quot modis circa prædicatum uniuersale primum errare contingat: quoque modo ipsum uere cognoscatur.

Cap. V.

OPortet autem non latere, quod plerunque contingit peccare, & non

*non esse, quod mostratur primum vniuersale, secundum quod videtur monstrari vniuersale primum. Decipimur autem hac deceptione, quando vel nihil sit accipere superius præter * singulare.*

* Aliq. co.le.singulare; aut singularia, sed forte ea verba, aut singularia, addita fuere.

2 Vel si sit quidem, sed innominatum sit in rebus specie differentibus.

3 Vel contingat esse, vt in parte totũ, in quo monstratur, ijs enim quæ sunt in parte inerit quidem demonstratio, & erit de omni, sed tamen non erit huius primi vniuersaliter demonstratio, dico autem huius primi secundum quod huius demonstrationem, quando sit primi vniuersaliter.

Secundus error.

Tertius error.

4 Si quis igitur monstrauerit, quod rectæ non coincidunt, videbitur vtique huius esse demonstratio, eo ꝙ in omnibus est rectis, non est autem: si quidem non quoniam sic equales sit hoc, sed secũdum quod quomodocunque equales.*

Exemplũ tertij erroris.

* Aliq. ꝓpriè.

*5 Et si triangulum non esset aliud, quam equicrus, secundum quod æquicrus videretur vtique inesse. Et proportionale, quòd * & alternatim, secundum quòd numeri, & secundum quòd lineæ, & secundum quòd solida, & secundum quòd tempora: quemadmodum & monstrabatur aliquando seorsum; contingens vtique de omnibus vnica demonstratione monstrari. sed quia non sunt nominatum quiddam omnia hæc vnum, numeri, longitudines, tempora, solida, & specie differunt à seinuicem, seorsum accipiebatur: nunc autem vniuersaliter monstratur, non enim secundum quod lineæ, aut secundum quod numeri inerant: sed secundum quòd hoc, quod vniuersale supponunt esse.*

Exemplũ primi erroris.

Exemplum secundi erroris.

* Multi cod. nõ habẽt illud, &c.

6 Propter hoc neque si aliquis monstrauerit singulum triangulum demonstratione, aut vna, aut altera quod duos rectos habet vnumquodque equilaterum seorsum, & gradatum, & æquicrus: nondum nouit triangulum, quod duobus rectis, nisi sophistico modo, neque vniuersaliter triangulum, neque si nullum est, preter hæc triangulum alterum. non enim secundum quod triangulum nouit, neque omne triangulum, nisi secundum numerum, secundum speciem autem non omne: & si nullum est, quod non nouit.

Quando igitur non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter? Manifestum, quòd si idem esset triangulo esse, & æquilatero, aut vnicuique, aut omnibus: si autem non idem, sed alterum, inest autem secundum quòd triangulum, non nouit. 7

7 Quo pacto cognoscatur prædicatum vniuersale.

Vtrum autem secundum quòd triangulum, aut secundum quòd equicrus inest, & quando secundum hoc est in primo, & vniuersaliter cuius est demonstratio? Planum quod quando ablatis inerit primo: quemadmodum equicruri, eneo, triangulo inerunt duo recti. sed & quod sit eneum, ablato, & quòd equicrus. sed non figura, aut termino: sed non primis. Quo igitur primo? si quidem triangulo, secundum hoc inest & alijs, & huius vniuersaliter est demonstratio. 8

Oportet autem non latere, &c. r

Cum potissimam demonstrationem vniuersalis esse ostendisset, nempe cum passionem de primo subiecto demõstramus, nunc quando in hoc erremus, ostendit; nam accidit aliquando existimare nos demonstrasse vniuersale, & tamen non demostrauimus: ꝙ tripliciter docet accidere, primo quando est aliqua passio alicuius speciei, cuius non est nisi vnum, aut alterum indiuiduum, tunc de tali indiuiduo demonstrantes existima- r

stima-

stimamus vniuersaliter demonstrare, & non demonstramus, verbi gratia, si quis demonstraret, lunam ecclypsari, nempe hanc, quæ vna est, existimans hanc esse primum subiectum, cum vnica sit deciperetur, cum id illi, non vt hæc est, sed ut luna est, & secundum speciem insit.

2 *Vel si sit quidem, sed innominatum sit, &c.*

2.Error. Hic est secundus error, cum nempe aliqua passio inest multis speciebus propter aliquid commune, quod tamen innominatum est; tunc demonstrantes de illis, vniuersaliter credimus demonstrasse, sed non ita est, nisi de illo primo demonstretur. v.g. progredi inest equo homini, & multis, non propter specificas rationes, nec quia animalia sunt, cum non omne animal progregiatur: inest tamen propter aliquid commune innominatum, tunc si de his aliquis, tanquam de primis demonstraret, deciperetur.

3 *Vel contingat esse vt in parte.*

3.Error. Tertius error est, cum demonstramus de aliquo toto, quod verè est, vt in parte, id est, quod est inferius illo, de quo demonstrandum est existimantes vniuersaliter demonstrasse, quia omnibus inferioribus illius inest. v.g. si quis de viuenti sensibili demonstraret, quod augetur, & crederet, se vniuersaliter demonstrasse, quia omni viuenti sensibili id inest, sed non demonstrat, nam id, nempe viuens sensibile est pars. s. in modo, respectu eius, de quo primo demonstratur, nempe viuentis, cui primo inest augeri, & nota admodum hanc esse deceptionem, qñ totum sumimus cum parte, quæ vocatur pars in modo, & demonstrantes de illa parte existimamus demonstrasse primo.

4 *Si quis igitur monstrauerit, &c.*

Exempla errorum, & erroris tertij. Exempla eorum quæ dixit, proponit: incipit autem à tertio errore; si quis demonstraret nunquam concurrere de lineis rectis æque distantibus, crederet vniuersaliter demonstrasse, sed non demonstrat: nam licet omnibus rectis æquè distantibus insit, non tamen quia rectæ sunt, sed simpliciter, quia æque distante, siue rectæ, siue obliquæ, vt notat. Philop. siue etiam tortuosę sint, & nota istum errorem, est enim declaratio nostra, licèt exemplum Philop. etiam partim declaret. Circa literam nota illud verbum, Nisi quidem, esse legendum pro, si quidem non, vt sit litera absque parenthesi huiusmodi. Si quidem non, quoniam sic æquales, fiat hoc, sed quia quomodolibet æquales, & sic est sensus manifestus.

Et si triangulum non esset aliud. 5

Exemplum primi erroris. Exemplum primi erroris ponit, si nullus esset triangulus, nisi Isosceles, tunc de illo demonstrantes habere tres angulos æquales duobus rectis, existimaremus vniuersaliter demonstrasse, & non id est, cum non vt Isosceles est, talis passio ei insit, sed vt triangulus est. Secundi autem erroris exemplum est, si quis demonstret proportionatim commutari de numeris seorsum, aut de lineis, aut de tempore, vniuersaliter videtur demõstrasse, quia non est nominatum illud commune, propter quod talis passio eis accidat, tamen re vera non est demonstratio vniuersalis, non enim lineæ vt linea est, nec numero, vt numerus est id eis inest: hic aduerte commutatam proportionem eam dici, quæ, sicut se habet primum ad secundum, ita tertium ad quartum, & ita se habet primum ad tertium, sicut secundum ad quartum. v.g. sicut se habent ad quatuor, ita sex ad duodecim, ergo sicut se habent duo ad sex, ita quatuor ad duodecim. Exemplum secundi erroris. Aduerte illa verba. Nunc autem vniuersale monstratur, non mutanda esse, vt pro, Nunc, legamus, non, sed sic debent legi, & tunc notat. Philop. quod non dicit tempus, sed sensus est, nunc, id est, quando de illo superiori demonstramus, vniuersaliter demonstramus, quamuis possimus dicere, sensum esse, nunc quando illud uniuersale non apparet, tanquam uniuersale demonstramus, licet non ita sit.

Propter hoc nec si aliquis, &c. 6

Nota hic, quòd quamuis de omnibus inferiorib. nullo dempto, demonstremus passionem, adhuc uniuersaliter non cognoscimus, quousque de primo demonstremus, ut si de omnibus speciebus trianguli seorsum demonstraremus illam passionem adhuc secundum speciem non cognosceremus, omne. i. nondum ipsam rationem trianguli communem cognosceremus, & sic non esset demonstratio uniuersalis.

Quando ergo non nouit vniuersaliter. 7

Philop. uult Arist. hic exponere quando demonstrantes de omnibus inferioribus demonstremus uniuersaliter, & quãdo non, & dicit, quando superius non est aliud prorsus quam inferiora, tunc demonstrantes de inferioribus uniuersaliter demõstramus, quod in æquiuocis accidit, quando uerò superius est aliud quid, ut in uniuocis, non sufficit demonstrare de inferioribus; sed mihi uidetur Arist. probare, quod ille non sciat vniuersaliter, qui per inferiora scit, sed sophistico modo, quia si idem esset triangulum esse, & Isosceles, & reliquos esse, tunc quæ de omnibus inferioribus demonstrat, vniuersaliter demonstrat: at cum id non sit (alia est enim ratio superioris, & inferiorum) ob id non demonstrat simpliciter, & vniuersaliter; quod idem, quæ de inferioribus demonstrat.

8 *Vtrum autem secundum quod est triangulus.*

Regula ad cog. Prædic. primũ. Ponit regulam cognoscendi quãdo est subiectum primum, & duas partes habet: Alteram, quando semotis aliquibus a re, adhuc passio illis inest, talia semota non erant illius passionis subiecta prima, vt si triangulo æreo inest habere tres angulos, semoto æreo, adhuc manet passio etiam semoto æquicrure, nõ ergo erant hęc subiecta prima: Alteram, quando semotis aliquibus, passio aufertur, tunc illud, quo primo semoto proxime aufertur passio, est subiectum primum, v.g. ablato animali, & etiam ablato homine aufertur risibile, sed ablato animali, non aufertur primo risibile, sed ablato homine; homo igitur est subiectum primum: similiter ablata figura, aufertur habere tres angulos, sed non primo, sed quia aufertur triangulus; triangulus igitur subiectum illius primũ, & vniuersaliter, id est primum subiectum, & vniuersale, quo primum ablato aufertur passio.

Quõ sit intelligenda illa ablatio. Hanc ablationem oportet intelligere per intellectum, intellectione enim separamus. Nota pulchrã regulam ad res examinandas, qua vsus est capite de ad aliquid: nota literam: quo igitur primo. i. quo ablato aufertur primo habere tres angulos? Resp. quòd triangulo, nempe ablato, aufertur illa passio. Est. n. triangulus primum, & secũdum quod inest talis passio alijs inferioribus ipsius.

Dubiũ. An omne vniuersale demonst. sit de omni. Dubitatur hoc loco, nam sæpe demõstramus vniuersale, & illud nõ est de omni cum non omni tempore sit; Luna enim ecclipsatur, in hyeme sunt pluuiæ, & similes demonstrantur, non tamen sunt de omni, cum non omni tempore sint: Aliqui illas, vt aptitudinem dicunt, sumendas esse docent, quod falsum est, cum non secundum aptitudines demonstrentur, sed quod secundum actũ; propterea dicendum aliqua semper esse, & euenire, tripliciter contingit, quædam dicuntur semper esse, quia incessanter sunt, & continuo, vt hominem esse risibilem: quædam, quia temporibus a natura determinatis nunquam deficiunt, vt lunam ecclipsari, solẽ oriri, & occidere; quædam, quæ temporibus certis, & statuis plerumq; eueniunt, vt pluuias esse in hyeme, & similia: horum omnium est scientia, & demonstratio, vt docet Arist. 1. Post. c. 7. & 24. licet non in æquali gradu, & similiter sunt de omni. i. semper eueniũt. aut sunt: modo tamen, quo diximus; & hoc est ad mentem Peripateticorum.

Demonstrationem esse ex ijs, quæ sunt per se, ac Necessarijs, Cap. VI.

SI igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs principijs; quòd. n. scitur, non põt aliter se habere? per se uerò inexistentia necessaria sunt rebus: alia quidem enim in eo quòd est quid insunt: alijs autem, quę de ipsis prędicantur, ipsa insunt in eo quod est quid, quorum alterum oppositorum necesse est in esse. manifestum quod est talibus quibusdam sit vtique demonstratiuus syllogismus. omne enim aut sic inest, aut secundum accidens: accidentia verò non sunt necessaria. 1

Aut igitur sic dicẽdum, aut principiũ ponendum, ꝙ demonstratio est, et si demonstratum est, non potest aliter se habere. Ex necessarijs igitur oportet esse syllogismũ. ex veris quidem. n. est et non demõstrantẽ syllogizare: ex necessarijs verò non est, nisi demonstrantem hoc. n. iam propriũ demonstrationis est. 2

Signum

3 *Signum autem, quod demonstratio ex necessarijs: quoniam & instantias ita ferimus ad eos, qui existimant demonstrare, quod non necesse, si existimemus, aut omnino contingere aliter, aut sermonis vtique gratia.*

4 *Planum autem ex his, & quod fatui sunt, qui se existimant rectè principia accipere, si probabilis sit propositio, & uera: veluti Sophistæ, quòd scire est scientiam habere, non enim* * *quod probabile, aut non, principiũ est: sed* * *primum ipsius generis, circà quod monstratur, & verum omne proprium.*

* a. l. quoniã
* a. l. co quod.
* a. l. co qđ primum.

Quod autem ex necessarijs oportet esse syllogismum, manifestũ & ex his.
5 *Si enim qui non habet rationem eius quod est propter quid, existente demonstratione non est sciens: esse autem posset, vt A. de C. ex necessitate esset: B. uero medium, per quod demonstratum est, non ex necessitate: non sciuit propter quid: non enim est hoc propter medium. hoc enim contingit non esse, conclusio autem necessaria.*

6 *Præterea, si aliquis non sciuit nunc, habens rationem, & saluus, salua re, non oblitus, neque* * *prius sciuerat: corrumpi autem posset medium, si non est necessarium, quare habebit quidem rationem saluam,* * *salua re, non autem sciuit: neq; igitur prius sciuerat: si vero non est corruptum, contingit autem corrumpti, quod accidit, esset utiq; possibile, & contingens: sed est impossibile ita se habentem scire.*

* a. l. co. ad igit.
* a. l. saluus.

7 *Quando quidem igitur conclusio ex necessitate sit, nihil prohibet medium non necessarium esse, propter quod monstratum est: est enim necessarium, & non est necessarijs syllogizatum esse, quemadmodum & verum nõ ex ueris.*

8 *Quando autem medium ex necessitate, & conclusio ex necessitate: quemadmodum & ex ueris uerum semper. sit enim A. de B. ex necessitate: & hoc de C. necessarium igitur & A. ipsi C. inesse. Quando autem non necessaria sit conclusio, neque medium necessarium potest esse: sit enim A. ipsi C. non ex necessitate inesse: ipsi autem B. ex necessitate: & hoc ipsi C. ex necessitate: & A. igitur ipsi C. ex necessitate inerit: sed nõ suppositum fuerat.*

Quoniam igitur quod scitur demonstratiue, oportet ex necessitate inesse, manifestum, quod & per medium necessarium oportet habere demonstrationem, aut non sciet neq; propter quid, neque quod necesse est illud esse: sed uel existimabit non sciens, si suspicetur tanquam necessarium, quod non necessarium: aut neque existimabit, similiter, & si quòd sciat per media, & si propter quid, & per immediata.

Accidentiũ uerò nõ per se, q̃uo determinata sunt, ꝑ se, non est scientia demõstratiua: non.n. ex necessitate contingit monstrare cõclusionẽ, accidens nãq; cõtingit nõ inesse: de tali.n. dico accidẽte. 9

Atqui dubitare fortasse quispiam posset, cuius causa hæc oportet interrogare de his, si non necesse est conclusionem esse: nihil enim differt, si quis interrogatus quæcunque, postea dicat conclusionem. 10

Oportet autem interrogare, non tanquam necessarium sit propter interrogata: sed quoniam dicere necessarium illa dicenti, & uere dicere, si uere sint inexistentia.

Si igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs.

Iuxta Græcorum, & Arabum expositionem

nem Arist. probat demonstrationem cõstare ex his quæ sunt per se, sumit autem pro medio, quod ex necessarijs procedat, & in eo probando caput totum explet; sequendo igitur Themistij expositionẽ, facit hoc argumentum quæ sunt per se, sunt necessaria, demonstratio procedit ex necessarijs, ergo ex his, quæ sunt per se; Arist. minorem primo loco ponit, & probat, quia demonstratiua scientia non põt aliter se habere, ergo procedit ex necessarijs, & ita demonstratio est ex necessarijs; maiorem probat, quia quæ sunt per se, aut sunt de definitione subiectorum, aut subiecta de definitione ipsorum, sed hæc utraque sunt necessaria, quamuis enim aliquæ passiones per se non prædicentur necessario, tamen si cum oppositis sumantur, necessario prædicantur, vt diximus: At posset quis obijcere, ut notat Themist. illum syllogismum esse nullum, cum in secunda figura ex puris affirmatiuis procedat: ostendit illam maiorem esse exclusiuam, nempe tantum per se sunt necessaria, & tunc est bona consequentia, nam æquiualet huic, omnia necessaria sunt per se, & tunc syllogismus est in prima figura, probat autem sic: ea quę dicuntur, aut per se, aut per accidens dicuntur, at quæ per accidens sunt necessaria non sunt sola ergo per se, necessaria sunt, quod superius dixit, quæ numero modo insunt, accidentia sunt, & sic est clarus contextus.

Alb. c. 5. mouet dubiũ, & resp. in terminis conuerti bilib. licere qd idẽ est.

Dubiũ. Dubitat Themist. c. 14. nam aliquod per accidens necessarium uidetur, vt Cygnus est albus, coruus est niger. Resp. Themist. duplex necessarium alterũ simpliciter quod oĩbus quibus inest, necessario inest, qualia sunt per se, alterũ secũdum quid, quod non omnibus, quibus inest, necessario inest, qualis albedo, multis enim inest, quibus non necessario inest: ob id igitur talia non sunt necessaria, cũ solum ẜm quid necessaria sint.

Nota. Aduerte S. Tho. Ægid. Caietan. & alios aliter rationem hanc inducere; nempe vt velit Aristot. probare demonstrationem procedere ex necessarijs, & sumere pro medio quod procedat ex his, quæ sunt per se: tamen melius est ut sequamur, expositionem prædictam Græcorum, quamuis Philop. rationem non sub illa forma componat, sed existimet rationem esse hypotheticam, & necessariam, quamuis non reducatur ad formam syllogisticam; non enim, vt inquit ipse, omnis consequentia necessaria ad syllogismum reduci potest. At potior videtur expositio Themist. quam prius proposuimus, licet etiam possimus interpretari secundum expositionem Philop.

Aut igitur sic dicendum, &c. 2

Probat Arist. demonstr. procedere ex necess.

Incipit probare demonstrationem ex necessarijs procedere, & inquit, aut id sic dicendum, idest aut id simpliciter absque ulla ratione alia fatendum est, aut ad eius probationem supponendum, esse principium hoc, scilicet demonstrationem, idest conclusionẽ demonstrationis, esse necessarium, & quod demonstratur non posse aliter se habere; ex quo habetur primum argumentum, conclusio est necessaria, ergo procedit ex necessarijs, & probatur cõsequentia ex differentia, quæ est inter demonstrantem, & non demõstrantem; qui enim non demonstrat ex veris non necessarijs potest colligere, ut si dicas: omne ambulans est animal, omnis homo ambulat, ergo oĩs homo est animal: at qui demõstrat, ex necessarijs procedit, imo hoc demonstrationis est propriũ; & nota illud uerbũ literæ, aut, quo frequẽtius Boetius utitur, pro dictione exceptiua, nisi, vel, præter.

Signum aũt est, quod demonstratio. 3

2. ratio.

Hoc est secundum argumẽtum ex signo: omnes. n. qui contra aliquam demonstrationem instant, & non esse demonstrationem probare contendunt, sic procedunt, probantes quoniam non sit necesse, idest quod non ex necessarijs sit: siue re vera ita esse opinentur, siue gratia orationis tantũ, & disputationis id velint probare; & hoc mediũ assumunt, quod non sit ex necessarijs.

Planum autem ex his est. 4

Infert esse stultos qui existimant demonstrasse, dum ex ueris, & probabilibus procedunt; cum non probabilia sint demonstrationis principia, sed propria, & prima generi subiecto, de quo demonstratur, & hæc necessaria sunt; non aũt omne uerum, aut probabile est propriũ huiusmodi, & necessariũ.

Circa literam aduerte primo, illa uerba, quoniam scire, scientiam est habere, non eodem modo exponi, nam S. Thom. Ægid. & alij ea accipiunt, ita vt sint ratio stultitiæ illorum, qui est probabilibus procedentes demon-

demonstrasse se existimauit, ut sit sensus quoniam scire scientiam est habere, id est scientia autem est eorum, quæ aliter se habere non possunt.

Expositio Phil. & Lincon. At Philop. Auer. & Linco. illa intelligunt, ita, vt sint, quędam propositiones, vulgatæ demonstrationis, quam Prothagoras se facere existimabat; ea enim erat, scire est sciẽtiam habere, qui habet aliquid, scit quid illud sit, ergo qui scit, scit quid scientia sit; hæc enim, demonstratio non est, tantum.n. probabile illud est, qui habet aliquid scit quid illud sit, non est autem necessarium. Hæc expositio est magis literalis.

Nota. Aduerte præterea ad aliquam conclusionẽ posse adduci rationes in duplici differentia, quædam communes sunt, quædam propriæ: communes sunt, quę non per particularia principia subiecti illius procedũt, sed per communia, etiam alijs subiectis conuenentia: vt si velis probare hominem esse risibilem per cõmunia, sic dices, omne proprium inest suo subiecto, risibile est proprium hominis, ergo risibile inest homini: est ratio cõmunis, quę multis subiectis inest; per eam enim quęlibet propria possent probari: similiter si velis probare iustitiam esse bonam, sic probabis, à quo remouetur vnum cõtrarium immediatum, inest alterum, à iustitia remouetur malum, ergo est bona; ratio communis ista est, qua multa alia subiecta probantur. Proprię rationes sunt, quę ex peculiaribus subiecti principijs procedunt, vt si hominem esse risibilem probes, quia est animal rationale, & iustitiam esse bonam, quia est habitus tribuens cuique quod suum est.

Nota. Attende igitur demonstrationes semper ex proprijs procedere, & ob id dicitur, non omne uerum proprium est, nec demonstrationi aptum, sunt enim communia vera, probabilia, & aliquando necessaria, non tamen ex eis demonstratio fit, sed ex proprijs.

Quod autem ex necessarijs, &c.

3. rat. Tertium argumentum huiusmodi est; syllogismus, quo existente non scimus, non est demonstratio, sed per eum, qui ex necessarijs non procedit nõ scimus, ego non est demonstratio: probatur minor, quia non cognoscimus propter quid, & causam conclusionis necessarię, & ostenditur: sit conclusio, omne C. est A. necessaria, sint præmissæ, omne B. est A. omne C. est B. contingentes, poterit medium corrumpi manente conclusione, cum sit necessaria, & medium cõtingens, nõ est igitur illud causa, nam si causa esset, illo ablato auferetur conclusio, at conclusio est, non illud, non ergo tale medium est propter quid conclusionis: vnde concluditur, quod non est demonstratio conclusionis necessariæ, medio existente non necessario.

Amplius si aliquis nescit.

Quartum argumentum est, supponatur quod verum est, quatuor esse causas, propter quarum singulas ignoramus conclusionem aliquam, quam scimus; prima ipse homo moritur, & amittit scientiam illam, saltem eo modo, quo sciebat; altera, quando res ipsa mutatur, & non se habet sicut se habeat; tertia, quando obliuiscimur illius; quarta, quando perit ratio, qua illam cognoscebamus; at quando hęc quatuor sunt, absque dubio rem scimus, & non scire, est argumentũ, aliquid ex his deesse: tunc argumentor, habeat aliquis demonstrationem, quòd homo sit animal per medium contingens, quia omnis homo ambulet, tunc pete an sciat; clarum est, quod non, cum non sit medium: tunc est argumentum, manet iste viuus, manet res eadem.s. homo est risibilis, neque est oblitus, & ratio perseuerat, quia syllogismus adhuc est, & non scit, nec per eam ante sciebat, etiam medio non destructo: si enim illa esset ratio; sciret: cũ his ergo profecto ratio deest, quæ cum sit eadem, sicut per eam modo, semper per eam sciret, cũ eadem ratio maneat, quod si dicas medium nõ esse corruptum quando scit; potest tamen corrumpi sine dubio, quod accidit, & conclusio etiam erit contingens, sicut medium, hoc autem non est scire. 4. rat.

Cum igitur conclusio quidem, &c.

Explicat qualiter syllogizando necessarium se habeat, ac tria principia statuit: primum est: Nihil prohibet conclusionem esse necessariam, & medium contingens, per quod monstrata.i. syllogizata est, & probat, vt. n. verum ex non veris, ita & necessarium ex non necessarijs inferri potest: hoc intellige non de demonstratione, sed de syllogismo, quo ad illationem. Secundum principium, Si præmissæ necessariæ sunt, con-

conclusio necessaria erit probat ex principio dici de omni, si enim omne B. necessario est A. & omne C. necessario est B. etiam omne C. necessario erit A. Tertium, cum conclusio non est necessaria, præmissæ nō erunt necessariæ, hoc probat ex secūdo principio, detur enim conclusio non necessaria C. est A. præmissæ verò B. est. A. C. est B. necessariæ, tunc per secundum principium, si præmissæ sunt necessariæ, conclusio erit necessaria, & per se erat non necessaria, erit ergo necessaria & non necessaria, quòd est impossibile.

8 *Quoniam igitur quòd scitur demonstratiuè, &c.*

Concludit iam, vt notat Philop. nempe demonstrationem esse ex necessarijs, dicitque, cum id quòd demonstratiuè scitur sit necessarium, oportet vt sit ex necessarijs demonstratio, & per medium necessarium: aliter enim nec quia, nec propter quid. i. nulla demonstratione cognoscet, quare conclusio sit necessaria, nisi sciat nēpe per propositiones necessarias: sed si existimat propositiones esse necessarias, & non sunt, tunc opinatur se scire, & demonstrare, & re vera nesciet, quia non sunt necessariæ, si verò nō sunt necessariæ, nec existimat esse necessarias, tunc nec sciet, nec similiter opinabitur se scire: ac si in his dicat, adeo verum est demonstrationem ex necessarijs procedere vt nullus opinetur se demonstrare, & scire nisi simul ex necessarijs opinetur se demonstrare, quòd si non opinetur ex necessarijs procedere, non opinabitur se scire, quòd si opinatur esse necessaria, & non sunt, opinabitur se scire, sed non sciet, & hoc, siue procedat per media. i. mediata, siue per immediata, & propter quid. Aduerte per demonstrationem, quia, intelligere demonstrationem quæ ab effectu procedit, per demonstrationem propter quid, quæ à causa, de quibus inferius dicemus.

9 *Accidentium autem, &c.*

Quia accidentia aliqua necessaria videbantur, qualia sunt inseparabilia, quorum non est scientia, nec demonstratio, ne erremus, vt no. Them. & Philop. docet solius accidentis illius esse demonstrationem, quòd per se est eo modo qui definitus est c. 4. ac propterea dicit non esse scientiam illius qđ contingit non inesse, sub quo verbo etiam inseparabilia cōpræhendit, ad differentiam propriorum, & probat horum non esse scientiam, quia non sunt necessaria, quod postea discutiemus in fine capitis.

Atqui dubitare fortasse, &c. 10

Obijcit his, quæ dixit de accidentibus, si enim necessaria non sunt, nihil ex eis necessarium concludetur, vt quid igitur ex istis syllogizamus, & de istis respondenti interrogationes facimus, cum nihil magis ex interrogatis necessariū sequatur, quàm si quaslibet propositiones ad libitum sumeremus? & hoc significant illa verba: differt enim nihil, si aliquis interrogatus contingentia. i. quæuis, postea dicat conclusionem: vt bene interpretatur Philop. hic enim est sermo de Dialectico, qui ex probabilibus, & contingentibus procedit, ac de eis suas facit interrogationes, quæ videntur superflua, si nihil necessarium ex datis concludendum sit: circa literam nota illud, cuius causa hæc oportet interrogare de his, i. quare hæc accidentia petimus, vt per ea concludamus, & nostras faciamus conclusiones de his. i. de accidentibus eisdem, cum non sint necessaria.

Oportet autem interrogare. 11

Respondet circa accidentia nos vti interrogatione, nō vt quicquam necessarium cōcludatur, sed vt necessario concludamus, & ex datis, & concessis à respondente ipsum ad concedendam conclusionem conuincamus, & si concessa sunt vera, etiam ad conclusionē veram admittēdam compellamus, ac propterea non est inutile interrogare: in quo duplex necessitas vt notat Philopo. insinuatur, & illationis, seu secundum consequentiam, & similiter consequentis, seu secundum rei naturam. Est. n. aliud conclusionem esse necessariam: aliud inferri necessario, vt alibi diximus. Vult autem Arist. in hoc docere necessitatem demonstratiuam non solum esse secundum illationem; hæc enim in accidentibus etiam inuenitur, sed etiam absolutam quæ dicitur necessitas consequentis. Hæc de capite sexto.

QVAESTIO.

Circa Caput Sextum.

Aduersus ea quæ in textu continentur 1. Arg. est

est argumentum primum, dicit enim proprium esse demonstrationis ex necessarijs procedere: contra hoc argumentor, nã sunt syllogismi ex necessarijs procedentes qui tamen demonstrationes non sunt, ut patet in his quæ ex effectibus procedunt, ut cum animalia corruptibilia esse, ex eo quod senescãt probamus, & ignem esse, quia cineres sunt; similiter quando ex signis certis procedimus, vt lac habere, probat peperisse, & esse fructus, arborem floruisse cõuincit: hæc omnia necessaria sunt, tamen demonstrationes non sunt, cum non ex causis procedant, non ergo hoc demonstrationis est proprium.

2. Argu. Secundo contra ratiõnẽ tertiam argumentor, probat n. conclusionem necessariam nõ sciri propter quid per medium contingens; quia cum hoc possit non esse, non erit causa eius, qđ necessariũ est, hoc uidetur falsum, nam contingens põt esse causa necessarij, ut patet, si vulnus aliqđ letale infligatur equo, est causa, & contingens, quod equus nunquã amplius uiuat, hoc autem necessarium est, ergo contingens est causa necessarij.

3. Argu. Tertio ex illis quatuor quæ ad scientiam sunt necessaria uidetur ut non sit obliuio, necessarium non esse, nam si quis rationem habet, oblitus nõ est, nõ ergo oportet addere quod rationem habeat, & obliuio non sit: Imo vlterius videtur falsum quod scientia destruatur per mortem, cum maneat anima immortalis quæ scire possit.

4. Argu. Quarto uidetur contradictio expressa in dictis Aristo. hic enim dicit, quod nec quia, nec propter quid, per contingens possumus cognoscere necessarium, at 2. Prior. c. 2. dicit, per falsum, uerum colligi quia, sed non propter quid.

5. Argu. Quinto sunt accidentia, quæ non sunt per se tamen non contingunt separari, ergo falsum docet, quæ non sunt per se, contingere non inesse: probatur antecedens, de albedine quæ inseparabiliter inest cygno, ut nigredo coruo.

1. Fund. Circa primum oportet aduertere rationes quæ inferunt conclusionem necessariam se habere in duplici differentia, quædam simul probant necessariam conclusionem, & causam ostendunt propter quam est necessaria, & istæ sunt potissimæ demonstrationes, de quibus præcipuus sermo in præsenti est, quæ per proprias causas procedunt: quædam sunt quæ conclusionem necessariam probant, sed non dant causam quare necessaria sit: huiusmodi sunt illę quæ per causas remotas procedunt, ut omne animal rationale est uegetatiuum, oĩs homo est animal rationale, ergo omnis homo uegetatiuus. Similiter sunt illæ, quæ ab inferioribus ad superiora procedunt, ut omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Similiter sunt illæ, quæ ab effectu procedunt, ut omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo oĩs homo est animal rationale. Itẽ sunt illæ quæ a signo sunt, ut omne quod orbiculariter illuminatur, est rotundum, luna orbiculariter illuminatur, ergo est rotunda.

Nec existimes idem esse signum, & effectum, superius enim est signum, nã & causa signum dicitur aliquando, ut iris est signum pluuiæ, & causa materialis; similiter aliqua signa sunt quæ nec causa, nec effectus sunt propriè, ut lac habere, signum est quod peperit, & fructus habere, quod arbor floruit, quę nec causa, nec effectus, vnũ alterius dicitur. No. signum, & effectus differunt.

Aduerte secundo ex Aristot. 1. Rheto. ad Theod. c. 2. duplex esse signum, quoddam necessarium, & insolubile, quod Græce dicitur τεκμήριον, quoddam probabile, & solubile, quod dicitur non habere proprium nomen, illud insolubile, & necessarium est, quod semper infert signatum, nec deficere contingit, ut cineres, & fumus sunt signa necessaria ignis, & arteriam moueri inordinatæ, signum aduersæ ualetudinis, & hoc dicit pulcherrimum signum esse, & scientiam efficere in Rheth ad Alex. c. de signo. Illud necessarium non est, sed probabile, quod nõ indicat necessario rem, ut esse pallidum est signum probabile, quod aliquis fuerit timore perterritus, non necessarium, & hoc dicit inducere opinionem in Rhet. ad Alexan. Ex hoc signo clarum est fieri Topica argumenta: at ex illo signo necessario, quod aliqui signum necessarium, uestigium, & indicium uocant, argumenta trahimus dupliciter, uno modo, probantes rem contingentem, necessario tamen, quoties sub tali signo contingentia subsumimus, uerbi gratia, is habet febrim, cui arteria inordinatè mouetur, sed mouetur Socrati; ergo habet febrim; conclusionem contingentem ex necessario signo probamus, quia cum minori non necessaria 2. fund. duplex signum.

cessaria

cessaria coniungimus, quomodo Rhetorici utuntur etiam necessarijs; licet Quintilianus lib. 5. talia signa necessaria ab arte probabilium sine ratione reiecerit, & talia argumenta Topica sunt, nec ex necessarijs procedunt, cum non omnes propositiones necessariæ sint. Altero modo conclusionem necessariam probamus, cum etiã sub eis subsumimus necessarium, vt quod orbiculariter illuminatur, rotundum est, luna orbiculariter illuminatur, ergo est rotunda totum est necessarium, & de tali syllogismo a signo loquimur dicentes probare conclusionem necessariam, sed non dare causam, quare sit necessaria.

3. Fund. Aduerte tertio dubium esse, an hi syllogismi, qui non per causam propriam conclusionem necessariam probant, demonstrationes sint: si enim non sunt, quomodo ex necessarijs procedunt? si autem sunt demonstrationes quomodo non ex proprijs causis probant? Philo. 1. Poste. c. 3. con. 15. uocat eos syllogismos, qui ex huiusmodi signis necessarijs, & effectibus procedunt, demonstrationes coniecturales quasi non perfecte demonstrationes. Alex. 1. Topic. c. 1. dicit tales syllogismos posse dici demonstrationes, cum ex necessarijs sint: posse autem dici Topicos, quatenus dialecticus ex his, aut ex probabilibus procedit, sunt enim loca dialectica etiam necessaria, ut a definitione, a definito, a proprio, genere, & c. sed his dialecticus tanquam probabilibus utitur.

Soluitur 1. Argu. Mihi in hoc uidetur dicendum, oẽs illos syllogismos, præter eum qui à propria causa procedit, esse imperfectas demonstrationes, quas cõs uocat Aristo. quia, seu quod est, quasi declarantes, & probantes rem esse necessariam, non ostensa propria causa: & in hoc loco, cum dicit demonstrationis esse proprium ex necessarijs procedere, comprehendit vtrũque, tam quia, quam propter quid, & hoc patet, nam paulò inferius dicit medium contingens non posse esse conclusionis necessariæ, nec in ratione quia, nec propter quid, & sic soluitur argumentum primum.

Ad. 2. solu. Aegid. Ad secundum laborat Ægidius respondẽdo, adducit tres solutiones, prima ꝙ vulnus est causa solius mutationis, & corruptionis equi, quæ non est necessaria, cum iã transierit: dicit secundo, quod vulnus per accidẽs est causa mortis, quia non inducit corruptionem, sed generat formã cadaueris, & hæc nõ est necessaria. tertio dicit ꝙ nõ est necessarium, ꝙ equus sit semper mortuus, quia potest redire, nõ idem numero, sed idem specie, cum ex illius materia possit alius generari equus.

Solutio auctoris. Sed profecto in re facili non opus erat cumulare tot solutiones. dico igitur, aliud esse causam, rei, quæ est necessaria, aliud esse causam, quod sit necessaria, contingens facit rẽ, quæ est necessaria: vulnus. n. fecit equum esse mortuum, quod necessarium est postquam factum est, sed nõ est causa qđ sit necessariũ, nam ab alijs causis prouenit quod id necessarium sit, nempe, quia idem numero corruptũ non põt materiam eandem informare, uel quia idem tempus non potest restitui: per accidens ergo est contingens causa necessarij, non per se: cum ergo in demonstratione, non per accidẽs causas, sed per se indagemus nunquam contingens necessarium demonstrat: & sic soluitur argumentum secundum.

Ad 3. ex Ph. Ad tertium respondet Philop. solum tria annumerasse, nempe, rationem quod res sit, & subiectum sit, illud aliud sub his concluditur, & est probabile. At alij illud; nempe non esse oblitum, distinguunt ab alijs, &

Ex Aeg. tunc respondet Ægidius, ꝙ potest quis habere rationem conclusionis, & oblitus esse conclusionis, cum non illam rationem applicat conclusioni, licet uerum sit si rationem applicatã habet, non posse oblitum esse: vtraque expositio est bona, & textus quadrat.

Ad aliã partem arg. Ad aliam partem dico, non esse colligendum ex hoc textu, secundum mentem Aristotelis animam rationalem esse mortalem; quod falsum est, ut euidenter ex alijs locis Arist. suo loco deducemus, vtque docent Theop. Themist. Simpl. Philop. Ammo. & præstantissimi quique Aristo. interpretes: solũ. n. uoluit dicere, quod qñ homo moritur, licet maneat eadem scientia in anima, tamen iam est alius modus cognoscendi, quia non intelligit abstrahenda à phantasmate sicut quando erat in corpore, uel quod iam illa scientia non est hominis, cum homo sit compositum, quod moritur; scientia uero quantum ad substantiam, & cognitionem manet in anima, modo cognoscendi mutato.

Ad quartũ dicitur, quod dupliciter se habet per, quia syllogizamus, vno modo quantum ad illationem, & sic ex falso uerum inferimus, quod dicitur 2 Prio. altero modo quã tum ad probationem, & sic nullum falsum

uerum

verum probat, nec contingens necessarium, & hoc est, quod hic dicitur.

d 5. Ph. Ad quintum Philop. in præsenti duas adhibet solutiones, altera est, quod coruus potest separari à nigredine per intellectum, nō aūt homo a risibilitate: sed hęc solutio nō est exacta, nā sicut de natura corui non est nigredo ita nec de natura hoīs risibilitas; utrūque ergo subiectum potest ab accidenti separari.

Ex Th. Altera sol. est etiam Them. c. 17. quod albedo de se non est necessaria, & dicitur posse separari, quia nō omnib. quib. inest, necessario inest, & inseparabiliter; sed adhuc dubia est solutio, qa saltē respectu corui est necessaria, & de illo nigredo demonstrari posset.

Ex Ae. Aegidius dicit, aliter se habere passionē, aliter ipsum accidens inseparabile, nam subiectum accidentis huius, potest absque eo intelligi, & cum opposito coniungi sine implicatione, possumus. n. coruum album imaginari, nec erit repugnantia destruens naturam, at hominē absque risibilitate possumus intelligere, sed cum opposito risibilitatis minime, quia esset implicatio: & ita interpretatur, quòd tale accidens, contingat non esse, & nos supra Porphyrium ita sensimus.

Ex Al. At ad mētem præsentem Arist. existimo esse dicendum, cum Alber. tract. 2. c. 15. illa dici necessaria, quæ vel sunt de essentia subiectorum, vel subiecta sunt de natura ipsorū, qualia non sunt ista inseparabilia; quod si petas rationem horum, dicam, quia aliter non possunt de subiecto demonstrari, nam si albedinem de cigno demonstras, non nisi per aliquid albedinis demonstrabis; tunc, cum hoc etiam sit in cigno, & non sit eius natura, quo pacto de cigno demonstrabitur, nisi ipsa natura sit causa? nota ergo, quare non sit demōstratio eorum, quæ inseparabiliter insunt nisi p se sint, atq; hæc de quęstione hac satis sint.

Demonstrationem ex proprijs constare oportere, quia est ex ijs, & de ijs quæ sunt per se: neque licere ex alio genere transcendentem monstrare. Cap. VII.

1 Auerr. In media expositiōe *QVoniam autem ex necessitate insunt cira vnumquodque genus, quæcunque per se insunt, & secundum quod vnumquodque, manifestum, quod de ijs quæ per se sunt, sunt sciētiales demonstrationes, & ex talibus sunt.* in explanatione horū

Accidentia enim non sunt necessaria. Quare non necesse est conclusionem scire propter quid est, neque si semper esset, non per se autem: veluti per signa syllogismi, quod enim per se, non per se sciet, neque propter quid, propter quid autem scire est per causam scire. Propter ipsum igitur oportet & medium tertio, & primum medio inesse. 2 textuū usq; ad 66. seriē Arist. ratat qđ causam probet dubitandi.

Non igitur est alio genere transcendentem monstrare, ut geometricum arithmetica. Tria enim sunt, quæ sunt in demonstrationibus: vnum quidem, quæ demonstratur, ipsa cōclusio: hoc autem est, quod inest generi alicui per se: unum autem, dignitates: dignitates autē sunt ea, ex quibus: tertium, genus ipsum subiectum, cuius passiones, & per se accidentia declarat demonstratio: Ex quibus quidem igitur demonstratio contingit eadem esse: quorum autē genus alterum, quemadmodum Arithmeticę, & geometricæ, non est Arithmeticam demonstrationem coaptare ad accidentia magnitudinibus, nisi magnitudines numeri sint. Hoc autem vt contingit in quibusdā, posterius dicetur. Arithmetica uero demonstratio semper habet genus, circa quod demonstratio, & aliæ consimiliter. 3

Quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio transcendere, aliter uerò, quòd impossibile, manifestum, ex eodem enim genere necesse est extrema & media esse, namque si non per se, accidentia erunt. 4

Propter hoc geometriæ non licet mōstrare, quod contrariorum una est scientia, sed neque quod duo cubi, cubus: neque alij scientiæ, quod alterius. 5

Nisi

6 *Nisi quæcunque ita se habent inter se, ut sit alterum sub altero, ut perspectiua ad geometriam, & Harmonica ad Arithmeticen.*

7 *Neque si quid inest lineis, non secundum quòd lineæ, & secundum quòd ex principijs proprijs, vt si recta pulcherrima linearum: aut si in contrarium se habet ipsi circumferentiæ, non enim secundum quod proprium genus ipsorũ est, sed secundum quòd commune aliquod.*

8 *Manifestum autem, & si fuerint propositiones uniuersaliter, ex quibus est syllogismus, quòd necesse & conclusionem perpetuam esse huiuscemodi demonstrationis, & ut simpliciter dicam demonstrationis.*

Caput hoc exponit Theo. post octauũ in c. suis 18 & 19. qd nõ nihil reddit ambiguitatis. al. l. vniliter. al. eo ad talis al. ad propositiones.

9 *Non est igitur demonstratione corruptibilium, neque sciẽtia simpliciter, sed ita, sicut secundum accidens: quoniam non uniuersalis ipsius est, sed aliquando, & quodammodo.*

10 *Quando autẽ sit, necesse est alteram non uniuersalem esse propositionẽ, & corruptibilem; corruptibilem quidem, quoniam & conclusio, existens: non uniuersalem autem, quoniam hoc quidem erit, illud uerò non erit, in quibus est, quare non est syllogizare uniuersaliter, sed quod nunc.*

11 *Consimiliter autem se habet, & circa definitiones: quoniam definitio est, aut principium demonstrationis, aut demonstratio positione differens, aut conclusio quædam demonstrationis.*

12 *Eorum uerò, quæ sæpe fiunt, demonstrationes, & scientiæ, ut lunæ defectus, manifestum, quod secundum quod quidem tales sunt, semper sunt, secundum quòd uerò non semper, secundum partem sunt: quemadmodum autem defectu, consimiliter alijs.*

Co. Argy. non habet hæc verba.

13 *Quoniam autẽ manifestum, quòd unumquodque demonstrare non est nisi ex uniuscuiusq; principijs, si quod monstratur insit secundum quod illud, non est scire hoc. Etsi ex veris, & indemonstrabilibus monstratum sit, & immediatis. Est enim sic monstrare, quemadmodum Bryso quadraturam; secundum commune enim monstrant tales rationes, quòd et alteri inerit: quocirca & in alijs coaptabantur rationes non cognatis: igitur nõ secundum quod illud scit; sed secundum accidens, neque enim coaptari posset demonstratio, & in aliud genus.*

Vnumquodque autem scimus non se 14
cundum accidens, quando secundum illud cognoscimus secundum quòd inest ex principijs illius secundũ quòd illud, vt duob. rectis æquales habere cui inest per se, q̃ dictũ est, ex principijs huius.

Quare si per se & illud inest, cui inest, necesse est medium in eadem cognitione esse; si verò non, sed quemadmodum Harmonica per Arithmeticam. Talia autem monstrantur quidem similiter, differunt uerò, ipsum enim quòd alterius sciẽtiæ subiectum namq; genus alterũ: ipsum uerò propter quid superioris, cuius per se passiones sunt.

Quare & ex his manifestum, quod 15
non est demonstrare unumquodque simpliciter, nisi ex vniuscuiusq; principijs.

Sed horum principia habent com- 16
mune. Si vero manifestum est hoc, manifestum, & quod non est uniuscuiusque propria principia demõstrare, erũt enim illa omnium principia, & scientia illorum domina omnium.

Et namque magis scit, qui ex supe- 17
rioribus causis scit: ex prioribus enim sciuit, cum ex non causatis sciat causis, quare si magis sciuit, & maximè: & si sciẽtia illa esset, & magis, & maximè.

De-

19 *Demonstratio autem non coaptatur in aliud genus: nisi ut dictum est, geometrice in perspectiuas, aut mechanicas, & arithmetice in harmonicas.*

20 *Difficile autem est cognoscere, si scit, aut non: difficile est enim cognoscere, si ex uniuscuiusq; principijs scimus, aut non: quod est scire: existimamus autem, si habeamus ex ueris quibusdã syllogismum, & primis scire: hoc autem non est, sed oportet primis cognata esse.*

1 *Quoniam autem ex necessarijs, &c.*

Hoc capite duo præcepta demonstrationis traduntur, alterum, demonstrationem ex proprijs principijs subiecti procedere; alterũ, esse incorruptibiliũ, & eorum quæ mutari nõ possunt. Repetitur igitur initio capitis demonstrationẽ esse ex his, quæ per se sunt, vel quia id interruptum erat probando ex necessarijs esse, uel quia, ut notat Philop. adiungit aliud, ꝙ prius non dixerat, nempe demõstrationem esse ex necessarijs, proprijs, & peculiaribus cuiq; subiecto, de quo fit demonstratio: vnde Enthimema facit, quæ sunt p se, insunt ex necessitate cuique subiecto, & secundum quod tale est. i. propriè, & peculiariter, ergo demonstratio est ex his, quæ per se sunt, addenda est maior, ex talibus. n. necessarijs demonstratio fit, sicut superius dixerat.

2 *Accidentia enim non necessaria sunt, &c.*

Infert, qui per accidentia procedit, non scire propter quid, cum non sint necessaria, hoc autem iam superius declaratum est; immo, inquit, etiam si per ea, quæ semper insunt procedat, nisi sint per se, non demonstrat, nec scit causam & propter quid, sed quod est per se, id est conclusionem necessariam non scit per se, id est per causam; quales sunt illi syllogismi, qui per signa procedunt, hi enim non sunt per causam, nec demonstrant, quia non ex per se procedunt. Dices, quomodo fit hoc? nonne ille est a signo, & effectu, omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo, omnis homo est animal rationale? tamẽ ex his, quæ per se sunt, procedit: hic enim de signis necessarijs oportet intelligere, ut superius declarauimus. dico Aristotelem loqui generaliter, & de eo quod euenit communiter, vt talia signa necessario inferant, sed non per propositiones utrasque necessarias, & per se. vt plurimũ enim minores non sunt per se, vt si dicas, cui inordinatè mouetur pulsus, is febri laborat: Socrati inordinatè mouetur, ergo laborat; ac propterea dicit Aristoteles nõ ex per se procedere, quod ad demonstrationem est necessarium, nempe ut vtraque propositio sit per se, & ob id optimè concludit, oportet primum medio, & mediũ extremo pp ipsum, id est per se inesse, ac si dicat: utraque propositio debet esse per se in demõstratione: quod si aliquando id in signo accidit, id raro, & per accidẽs est; nec talis est ꝑpria demonstratio, cum non ex causis procedat.

3 *Non ergo est ex alio genere, &c.*

Proponit primum præceptum, nempe nõ licet demonstranti, transire genera & subiecta, idest non possumus passiones unius generis de alio demonstrare, nec demonstratione unius scientiæ conclusionem alterius scientiæ demonstrare, sed ex proprijs cuiusque principijs proprias passiones probare. Sunt autem tria in demonstrationibus, dignitates, & principia, quæ sunt fundamenta demonstrationum; est subiectum genus, de quo demonstramus; est passio quam uocant conclusionem, tanquam conclusam, & probatam de genere; inter hæc tria nihil prohibet dignitates esse easdem in diuersis scientijs; nam illa vulgata principia per se nota communia sunt Geometris, Arithmeticis, & reliquis: at passiones particulares sunt cuique scientiæ, sicut & subiecta, vt. n. numerus, & magnitudo diuersa sunt, etiam quæ eis accidunt; si enim eadem essent, similiter numerus, & magnitudo eadẽ essent: hinc fit, ut Arithmeticam demonstrationem non sit conuenire, id est applicare in accidentia magnitudinibus, id est ad probandas passiones magnitudinum, ut sit ratio hæc: scientiæ quæ habent diuersa subiecta diuersas habẽt passiones, non ergo passiones unius subiecti per principia alterius sciẽtiæ,

Præceptũ notandũ, quod nõ sit transcendũ de genere in genus.

quæ circa aliud subiectum est, probari possunt: at quia id aliquando licet, nempe cum scientiæ sunt subalternans, & subalternata, dicit se posterius hoc traditurum.

Dub. Dices, quare in demonstratione non annumerauit præmissas? dico hic per ipsam demonstrationem intelligere ipsas propositiones, & solum numerat ea, quæ extra demonstrationes sunt, nempe subiectum, & passionem in conclusione, & dignitates, quæ omnia demonstrationem non componunt, vt talia sunt, sicut fecit in Capite Primo.

4 *Quare autem simpliciter necesse est, &c.*

Ostendit scientiam vnam non demonstrare passiones alterius, nisi sit idem prorsus subiectum, aut aliquo modo idem, dicit hoc, quia quando subiectum vnum sub alio continetur, passiones superioris poterimus demonstrare de inferiori, ut passiones trianguli de Isoschele, passiones de homine, quæ sunt animalis; quando verò subiecta sunt prorsus diuersa, id non fit; & probat, quia cũ demonstratio ex his, quæ per se sunt procedat, medium, subiectum, & passio debent adinuicem conuerti, & propria esse, alter per se non essent: non ergo per medium alterius subiecti possumus passionem de alio subiecto monstrare, non enim essent tunc per se.

5 *Propter hoc Geometræ non est demonstare, &c.*

Exemplo manifestat vnam scientiam, quæ sunt alterius non demonstrare, geometra enim non demonstrat, contrariorũ eandem esse disciplinam, non enim talis cõclusio ex his, quæ Geometria docet, conficitur, est enim propria Metaphysici, & etiam Dialectici, qui, vt notat Philop. circa omnia vagantur; intellige tamen non demonstrando, sed probabiliter disputando. Alterum exẽplum est, Geometria etiam nõ demonstrat, quòd duo cubi faciant cubum, quia cubus non est materia geometriæ, quæ plana, & superficialia considerat, sed est Stereometriæ, quæ corpora, & solida speculatur, cubus autem corpus est, & ita exponit Philopon. & notat, quòd Aristot. intelligit per hoc, quòd duo cubi sunt unus cubus, id quod est duplare cubum, ut sit sensus geometria non demonstrat duplare cubum, sed Stereometria. Est autem cubus corpus omnium laterum æqualium, qualis tessera, seu taxillus: duplare verbo cubum est dare cubum, alium in dupla proportione ad primum, & hoc est, quod Stereometria docet: & Philop. ponit demonstrationem Apollonij, circa huiusmodi duplationem; at pace dicam, alius est sensus Aristot. quem egregię docet Albert. cap. 16.

Quòd ut intelligas, aduerte, quòd sicut Geometræ habent corpora cuba, ita & Arithmetici habent numeros cubos, qui ex bina multiplicatione super numerum quemlibet per seipsum resultant, vt ter tria ter, quæ sunt uiginti septem, est numerus cubus: bis duo bis, quæ sunt octo, & similes: est autem discrimen inter hos, & illos cubos, quod cubus Geometricus non facit cubum alteri additus, ut si taxillus supra taxillum ponatur, nõ fit cubus, sed trabs: at si cubus unus numerus multiplicet alterum, resultat cubus, ut octies viginti septem faciunt ducenta sedecim, quæ etiam sunt cubus: hinc patet, quod subtiliter posuit Aristot. exemplum in eo, quod proprium est Arithmetici, in quo insinuat, non solum quando prorsus non attinent res unius scientiæ ad alteram, non esse probandas ab illa, ut in priori exemplo, sed etiam quando uidentur eadem, sed non est eadem ueritas, Geometria enim de cubo etiam tractat; sed non ei inest id quod cubo Arithmetico inest. No. de solidis numerorum.

Sed aut quæcunque se habent ad inuicem. 6

Ostendit aliquando licere uni scientiæ probare quæ sunt alterius, quando nimirũ unius obiectum sub alterius obiecto est, quas uocant scientias subalternas, sicut se habet Geometria ad Perspectiuam, & Arithmet. ad Musicam. Nota circa literam, particulam, sed aut, loco exceptiuæ, nisi.

1. Conc. Aduerte ex doctrina communi tria requiri, vt duæ scientiæ sint subalternæ, primum est, quod subiectum unius sit sub subiecto, alterius, vnde Geometria non subalternatur Arithmeticæ, quia earum subiecta non sic se habent, ut unum sub altero sit, est enim una de numero, altera de magnitudine. Dub. Quid requiratur ad subalternationem.

2. Conc. Alterum est, quod unum subiectum sic sit inferius altero, ut non sit inferius quidditatiue, sicut species respectu generis, tunc enim non essent duæ scientiæ, nam eadem

est

est scientia generis, & speciei, ut animalis, & hominis. 4. Metaph. tex. 4. sed debet esse inferius accidentaliter per aliquam differentiam materialem, ut se habet linea visualis, de qua est perspectiua, & linea in communi, de qua Geometria est: & numerus sonorus, de quo est musica, & numerus, de quo Arithmetica, sunt enim inferiora accidentaliter.

Tertium, quod scientia quæ est de uniuersali, quę dicitur subalternans, probet principia particularia, eius quæ dr̃ subalternata: ita ut conclusiones uniuersalis sint principia particularis scientiæ, ut patet: nam musicus dicit sextam esse consonantiam imperfectã, non probat, Arithmeticus autem id probat, quia est proportio super partiens. Chirurgus dicit, vulnera circularia difficilius curari, nõ probat, sed Geometra, quia latera magis distant in circulo. In his igitur scientijs docet Arist. posse fieri transitum: sed hæc latius in fine expositionis capitis examinabuntur.

7 *Neque si aliquid inest lineis, &c.*

Docet non solum scientiam unam probare non posse cõclusiones alterius, sed quamque scientiam limitem habere ex eo, quod tales passiones considerare debeat, quæ suo subiecto insunt ſm eius principia propria: quæ uerò insunt, sed non ſm principia propria, alijs scientijs relinquẽda sunt, v.g. scientia de homine considerabit ea, quæ homini insunt secundum principia propria, ut homo est; ut quod sit discursiuus, admiratiuus, risibilis: quæ uero communiter insunt, relinquet; ut quod coloratus, quod quantus: similiter de lineis speculabitur Geometra, quod figuras comprænant, quod faciant angulos; quod uerò recta sit pulcherrima, autem contraria circulari, relinquet, & ea, quæ communia sunt, & non lineis, ut lineæ sunt, insunt: quæ doctrina est Arist. 4. Metaph. c. 1. & lib. 11. c. 6. ex his habes scientias de suis subiectis, quæ eis insunt per se, & proprie considerare, & per media, & rationes eis peculiares: hoc enim est ex proprijs procedere.

8 *Manifestum aũt est, si fuerint, &c.*

Demonstratio ex ppe- Hic continetur alterum præceptum, principale demonstrationis; nempe demonstrationem esse ex perpetuis, & incorruptibilibus propositionibus; quod patet, quia ex vniuersalibus procedit; uniuersalia autẽ insunt debet omni, semper, & per se, & secundum quod ipsum. Nota litteram cum dixisset huiusmodi demonstrationem, nempe quæ procedit ex uniuersalibus, esse ex perpetuis, uidebatur indicare aliam esse demonstrationem; propterea corrigit, dicendo, ut melius dicam simpliciter demonstrationis, quasi nulla sit alia uera demonstratio, nisi quæ, ex uniuersalibus procedit. Aduerte non esse aliud dicere demonstrationem esse perpetuorum, quam quod ueritates, quæ in demonstratione sunt, non mutantur, nec mutari possunt; semper enim triangulus habet tres angulos; nec ullo tempore succedet, & accidet, quod non habeat; similiter de alijs ueritatibus quæ sub scientia sunt, & demonstratione.

Non ergo demonstratio corruptibilium, &c. 9

Docet non solum propositiones esse incorruptibiles, sed quod nec conclusiones cõtingat corruptibiles esse, quarum scientia, & demonstratio sunt: nam corruptibilium non est sciẽtia, nec demõstratio, nisi sicut ſm accidens, & non vniuersalis: hoc dixit, nota Philop. & Themist. propter singularia, horum.n. est demonstratio mediata, quatenus sub uniuersali continentur: ac idcirco dixit, ut notat Philop. sicut ſm accidens, sed talis non est demonstratio propria, & per se, cum non sit uniuersalis; sed aliquando, & sic, idest pro tempore certo, dum enim iste triãgulus est, habet tres angulos, sed non semper est, sed nunc. Similiter Petrus est animal, non semper est: talium igitur non est simpliciter demonstratio, & scientia.

Cum autem ita sit, &c. 10

Ostendit, cum conclusio corruptibili est, unam saltem præmissam esse corruptibilẽ, nam si utraque necessaria, conclusio non esset corruptibilis: similiter non erit uniuersalis, nam si corruptibilis, hoc quidem erit, hoc autem non erit, ex quibus est, ac si dicat, si propositio corruptibilis est, non erit uniuersalis, quia singularia, in quibus uerificatur, quædam erunt, quædam non erunt, ut patet in hac, homo est ambulans, uel unum singulare,

gulare, vel multa, ex quibus est illa demonstratio, aliquo tempore erunt aliquo tempore non erunt, nō erunt ergo vniuersalia, hęc enim omni tempore sunt.

11 *Similiter se habet in definitione, &c.*

Idem quod demonstratione dixerat, nempe non esse corruptibilium, & de definitione tradit, non enim est definitio nisi perpetuorum, & probat, demonstratio est ex perpetuis, sed definitio non est extra demonstrationem, cum aut sit conclusio, aut principiū demonstrationis, aut sit ipsa demonstratio positione differens, ergo & definitio est perpetuorum. Nota usum definitionis in arte posteriorum non esse extra demonstrationem, ut superius diximus.

Prima expositio Auerr. Hęc uerba dupliciter exponūtur, uno modo ab Auerroe, 1. Animæ, com. 12 qui dicit triplicem esse definitionem: altera est passionis, ut risibile est aptum ad risum; altera subiecti, ut homo est animal rōnale; tertia est ex vtroq; cōgregata, ut animal rationale est aptum ad risum: illa quæ est passionis dr̄ conclusio, quia demonstratur per definitionē subiecti, quæ ob id dr̄ principium, ut omne animal rōnale est aptum ad risum, oīs homo est animal rōnale, ergo oīs homo est aptus ad risum; tota uero ex utraq; aggregatio dicitur demonstratio differens positione, quare uera omnia, ex quibus demonstratio cōficitur, cōtinet, & solū deest figura, & modus.

2. expo. melior Them. & D. Tho. Ista expositio est bona; sed altera est melior Philop. Them. B. Tho. est.n. triplex definitio, ut docet Arist. 1. Animæ. ca. 1. altera materialis, ut quæ iram sanguinis efferuescētiam circa cor definit; altera formalis, ad q̄ finalis etiam reducitur, ut ita est appetitus uindictæ; tertia ex utroque composita, ut ira est efferuescentia sanguinis circa cor, ob appetitum uindictæ: dicunt igitur quod cum materia sit infima causa, potius demōstratur per formalem, uel finalem, & ita conclusionis locū obtinet, illa uerò principij; at utraque est demonstratio positione differens, nō solū quia deest figura syllogismi, sed ut notant Græci, quia quod erat in conclusione, & ultimum in demonstratione, s. materia, est primū in definitione, dicitur.n. ita est efferuescentia sanguinis in corde ob appetitum uindictæ, & ista est expositio melior priore.

Eorum autem, quæ sæpe fiunt, &c. 12

Vt Them. Philop. & alij dicunt, & bene, respondet Arist. cuidam obiectioni, non.n. demonstratio perpetuorum vī esse, cum demonstremus lunā ecclypsari, & similia, quæ nō semper sunt rñdet hæc eo modo, quo ad demonstrationem pertinent, semper esse, demonstrantur.n. ad causas relata; & sic nunquā deficiunt, ut exponunt Græci, & Albertus, quāuis ista, uel illa in singulari non sint semper, sed s̄m partem, nempe singularia, quæ transeunt, & talium singularium non est per se demonstratio, ut notat Philop. est enim demonstratio per se ipsius uniuersalis.

Quoniam autē manifestum est, &c. 13

Regreditur ut ostendat ex proprijs vniuscuiusq; principijs esse demonstrandum, eo quod ex per se oporteat demonstrare, adeo vt quamus ex ueris indemonstrabilibusq; procedamus, si non ex proprijs, sed ex communibus procedimus, non sit scire per se, & simpliciter, sed secundum accidens, quomodo Brison procedebat demonstrando circuli quadraturam: argumentabatur enim sic quocunque datur maius, & minus, ei datur æquale, sed circulo datur quadratum maius, & datur etiam minus, ut patet, de his, quorum unum intra circulum, alterum extra descriptum est: ergo datur quadratum æquale circulo: hoc non est scire, sed per accidens, nam medium maius, & minus, est quid commune multis, debebat autem probare ex principijs proprijs quadrati.

Ita interpretes declarant Brisonis rationem, cuius nihil dixit Arist. propterea mihi dubium est, an illa fuerit, cum non solum ex communibus, sed ex falsis procedat; at Arist. ex ueris, & immediatis uidetur dicere processisse; dico ex falsis, nam illud principium, quo datur maius, & minus, datur ei ęquale, est falsum, ut docet Campanus, nam angulo semicirculi datur rectilineus maior, nempe rectus, & obtusus, & datur minor. s. acutus, numquam tamen datur æqualis: similiter ternario datur numerus alius maior alius minor, non tamen æqualis: sed satis nobis sit Brisonem ex communibus processisse principijs, propterea non demonstrasse, siue sit hæc, siue alia ipsius ratio, impertinens enim hoc est. Nota de syllogis. Brisonis.

Vnum

14 *Vnum quod autem scimus non secundum accidens.*

Explicat quando non secundum accidens scimus, & dicit tunc id esse, cum scimus passionem ex principijs proprijs, & proximis per quæ illi subiecto, de quo demonstratur inest, ut tūc scimus risibilem esse hoīem, cū per illa principia scimus, per quæ proximè inest homini, ut per aīal rationale; similiter triāgulum habere tres angulos scimus, non per accidens, cū ex proprijs principijs trianguli, pp quæ ei inest scimus, vnde tūc per accidens scimus, cū per aliquod accidens extraneum, uel per aliquod intrinsecum, commune tamen, & nō per proprium cognoscimus.

15 *Quare si per se, & illud inest.*

Iste locus est magnæ obscuritatis, quamuis uariè ad interpretibus exponatur, adducam tamen expositionem nostram, quæ mihi magis ad mentem Arist. & secundum veritatem consona uidetur.

Not. 1. Aduerte igitur primo duplices passiones posse probari de aliquo subiecto, quasdam proprias, quæ soli insunt, & secundum quod ipsum, vt de homine risibile, disciplinabile: quasdam communes, quæ ratione superiorum ei insunt, ut quòd homo sit sensitiuus, quòd vegetatiuus, quòd corruptibilis; quamuis harum passionum non sit demonstratio vniuersalis, sicut primarum, quādo ergo passiones priores demōstramus, oportet pro medio sumere principium proprium, & soli intrinsecum subiecto, cuius est passio, ut. n. passio soli inest, ita & illius principium soli inerit; cùm verò demonstramus passiones superiores, etiam principium superius sumemus, nam sicut passio non soli inest, ita nec principium: sunt enim syngenea: vnde demonstramus de homine risibile, per animal rationale, demonstramus verò vegetatiuus, per corpus animatum.

Not. 2. Aduerte secundo maximè, multas passiones subiecti subalternantis considerari de subiecto subalternatæ, vt de diatesseron, dicit Musicus, est proportio sesquitertia, & hoc prædicatum arithmeticum est. Perspectiuus similiter dicit, conum uisiuum esse angulum minorem recto, & tamen prædicatum geometricum est, & huiusmodi sunt multa; ex quo fit, cum istæ passiones non insint inferiori subiecto, nisi per superius, vt per id debeant demonstrari: vnde medium superioris erit sicut, & passio, quamuis ueritas conclusionis sit subalternatæ, quod Arist. uocat; quia pertinere ad subalternatam, propter quid uerò ad subalternantem.

Hoc supposito, veniamus ad literam; dicet, ad. ò uerum esse, vt per ea principia, per quę inest passio subiecto, debeat probari, vt si illud, nempe passio, per se inest, cui inest. i. proximè, & soli subiecto suo inest, per medium etiam in eadē proximitate debeat demonstrari: si verò non ita per se insit, sed sicut musica ad Arithmeticam. i. tanquam passio superioris inferiori inhæret, tūc per principium superius passionis illius debet demōstrari: quamuis differant demonstrationes hæ communes à proprijs, propriè enim ad eandem scientiam pertinent integræ, at hæ communes non sic, sed propter quid, seu medium est superioris scientiæ, cuius est passio: at ipsum quia. i. conclusionis ueritas, remota causa, erit inferioris, & subalternatæ. Expositio textus.

Quare ex his manifestum est, &c. 16

Cōcludit, simpliciter demōstrare nō cōtingere aliter, q̄ ex proprijs principijs: non. n. passionem particularem, & propriā subiecto probabis per cōmune medium, sed propriā proprio, cōmunē cōmuni; illius cū proprio principio passionem demonstrabis, quamuis vt diximus, non sit demonstratio uniuersalis illa, quæ passionem communem, et per suū principium concludit: est tamen demōstratio, & ea licet uti in subalternatis specialiter.

Sed horum principia habēt commune, &c. 17

Philop. D. Tho. Auerr. & alii, hæc uerba in hunc sensum exponūt, ut cum dixisse, demonstrationē perfectam ex proprijs procedere principijs, uelit docere hæc principia propria habere cōmunia alia principia, per quæ nulla scientiarū particularium demonstrat, cuius ratio est, quia ex communibus non ex proprijs procedere, quod fieri non potest: hæc autem communia sunt alterius scientiæ dominę, & reginę omniū aliarum.

Dubiū. Quæ sint principia, q̄ x ima, q̄

Dubitabis, quæ sunt ista principia propria, quæ sunt ista cōmunia, quæ est ista sciētia domina omnium? dico, duplicia principia distingui posse, quædam essendi, quędā cōta-

cognoſcendi: eſſendi ſunt illa, quæ dant eſſe rei, vt materia, & forma, & aliæ cauſæ dant eſſe corpori: cognoſcendi ſunt dignitates, & axiomata, & propoſitiones, quibus res cognoſcimus: Hæc autem vtraque ſunt in duplici differentia, quædam propria, quædā communia: propria eſſendi ſunt principia proxima, quæ dant eſſe rei, vt anima rationalis, & corpus tale, ſunt proxima principia hominis, & in Philoſophia naturali, materia, & forma ſunt principia corporis naturalis: principia uero cognitionis propria ſunt dignitates cuilibet ſcientiæ appropriatæ, dicit enim Geometra: ſi ab æqualibus lineis æquales lineas demas &c. & ſimiliter de alijs principijs: ſimiliter Arithmeticus habet eadem determinata ad numerum: communia uerò principia eſſendi ſunt, partes eſſentiales, & cauſę communes, vt eſſe actus, ſubſtantia, forma, potentia, quæ ſunt in eſſentia multarum rerum, & ab his dependet particularia; cognitionis autem communia ſunt illæ dignitates, nulli materiæ peculiari contractæ, vt ſi ab æqualib. æqualia demas &c. omne totum eſt maius parte; quodlibet eſt, vel non eſt; quorum veritati innititur veritas particularium, ſicut eſſe propriorum principiorum eſſendi depēdet ex communibus. propterea igitur Ariſt. dixit principia propria habere communia principia, intellige de principijs eſſendi cū Auerroe, & ſimul de principijs cognoſcendi cum Philop. nam de omnibus his principijs id dictum ueritatem habet: hæc autem ſcientia, quæ communia omnia conſiderat, tam eſſendi, quàm cognoſcendi Metaph. eſt. vt docet Ariſtot. 4. Metaph. c. 3. & lib. 11. c. 3.

18 *Et namque ſcit magis ex ſuperioribus, &c.*

Probat, ſcientiam hanc eſſe dominam ſic; ſcientia eſt, quæ ex prioribus cauſis procedit, ergo magis ſcientia, quæ adhuc ex ſuperiorib. & minus cauſatis eſt, ergo & maximè ſcientia, quæ ex ſupremis, & non cauſatis principijs eſt; talis eſt illa Metaph. quæ omnium communia principia conſiderat, ergo domina eſt, & maximè ſcientia.

19 *Sed demonſtratio non conuenit &c.*

Reiicit expoſitio Aue.

Auerroes hic docet Ariſtot. epilogare: ſed melius uidetur dicendum, quòd reſpondeat dubitationi, poſſet enim quis dicere, & petere, num hæc ſcientia domina per communia demonſtret propria ſcientiarum; reſpondet, id non eſſe: nunquam enim eſt tranſitus ab una ſcientia in alteram, niſi per modū ſubalternationis, vt paulo ſuperius dixit, & illic declarauimus, quod nō eſt in his principiis, cum ſint eadem, contracta tamen, vt poſtea declarabitur.

Difficile autem eſt cognoſcere, &c. 10

Difficultatem in indagandis proprijs cuiuſque rei principijs proponit, quod quidem ſcire eſt, cum non niſi per propria ſciamus; nos autem aliquando ex veris, & prius procedentes exiſtimamus demonſtraſſe, cū hæc non ſufficiant, ſed debeant eſſe principia propria, & ſyngenea. Notat Philop. difficile eſſe propria inuenire principia, quia particulares rerum naturæ ſunt admodum occultæ, ac idcirco earum principia propria, per quæ demonſtrare oportet, difficilè cognoſcuntur, atque hæc de Capitis expoſitione.

8

QVAESTIO I.

Circa Cap. VII.

1. Dubiū circa ſubalternationē.

OPortet ut ea, quæ hoc capite dicta ſunt illuſtremus: ac primū dubium ſit de illis tribus conditionibus, quas ſecundum communem opinionem ad ſubalternationē ſciētiarum neceſſarias aſſignauimus; prima enim, quòd ſubiectum vnius ſit ſub ſubiecto alterius, uidetur contra Ariſt. c. 10. huius libri, vbi docet, ſcientiam unam tradere ꝑ quid alterius, ac proinde erit ſubalternans, & tamen non eſt ſubiectum ipſius ſuperius; ut patet de geometria, quæ reddit propter quid medico, quare vulnera circularia difficilius curentur, & tamen Medicinæ ſubiectum, nēpe corpus humanum, non eſt ſub geometriæ obiecto, puta magnitudine.

2. argu.

Præterea contra ſecundum, quod ſit inferius accidentaliter, eſt argumentum; ſi eſſet inferius accidentaliter, eſſet pars in modo, & totū per accidens ſed de toto per accidens nō eſt ſciētia. 6. Met. c. 2. nec definitio. 7. Met. c. 4. nō igitur erit de eo ſcientia ſubalternata.

3. argu.

Contra tertiam eſt argumentum: ſi concluſio ſubalternantis eſt principiū ſubalternatæ, tunc peto, vel talis concluſio eſt ex terminis ipſius ſubalternatæ, uel non; ſi non,

Igitur non erit principium illius: si uerò est, ergo non poterit probari per medium superioris scientiæ, nam tunc esset superius, & passio non posset de eo uniuersaliter prædicari. v.g. dicit, Medicus vulnus circulare difficilius curatur, si medium est geometricum, nempe circuli partes maximè distant, non poteris demonstrationem facere, nam dices, cuius circuli partes maximè distant difficilius sanatur, circularis vulneris partes maximè distant; tunc illa maior est falsa, quia difficilius sanari non inest circulo in communi, quem solum sumit geometra.

Ad 1. Ad hanc difficultatē dico primo: si scientia aliqua dēt subalternari alteri, & ab ea accipere propter quid, dēt aliquo modo eius subiectum sub subiecto alterius contineri, contra Conciliat. differentia tertia; dico aūt aliquo modo, quia simpliciter nō est opus, v.g. simpliciter obiectum Medicinæ non est sub geometria, ut dicit Arist. tñ illud obiectum, cuius propter quid dat Geometra, est aliquo modo suo geometria, nempe vulnus circulare; similiter Astrologia accipit à geometria propter quid: propterea cęlum, de quo Astrologia est, aliquo modo sub geometria est, ut habet figurā, & dimensionem; & uniuersaliter nulla scientia reddit propter quid alterius subiecti, nisi sit aliquo modo sub suo subiecto, cum autem subalternata de suo subiecto totali accipiat propter quid, erit illud sub subiecto alterius, non enim scientia est simpliciter subalternata alteri ex eo, quod alicuius particularis subiecti conclusionis aliquando ab ea accipiat propter quid, cum subiectum commune, & totale non sit sub altero, & hoc docuit illic Aristot. nempe posse scientiam, propter quid, tradere alicuius conclusionis alterius, quando huius commune subiectum sit sub altero, tamen illud particulare sub eo erit, à quo sumit propter quid.

Ad 2. Dico secundo, meritò scientiam subalternatam habere subiectum cum illa differentia materiali, & accidentali: pro cuius declaratione aduerte; scientias in communi primò distingui penes diuersum modum cognoscēdi intellectus; modus autem cognoscendi intellectus est per abstractionem à materia, res enim abstrahendo intelligimus.

1. Fund. Triplex materia signata, sensibilis, intelligibilis.

Materia uerò triplex est, quædam, quæ dicitur singularis, & signata, hæc autem sunt proprietates, & conditiones indiuiduorum singularium; quædam est materia, quæ dicitur sensibilis, hæc autem est subiectum, cum accidentibus sensibilibus, & cū motu, & mutatione, in quibus uersātur hæ inferiores substātiæ; nō. n. sunt nisi cū his inuolutæ dispositionibus; tertia materia est, quæ dicitur intelligibilis, quę sunt quantitates, & dimēsiones.

Ex triplici materia triplex modus intelligendi, uel triplex abstractio.

Secundo nota; cum triplex sit materia, triplex est etiam intellectus abstractio, & triplex intelligendi modus: quædam. n. intellectus intelligit abstrahendo à materia singulari non tamen à materia sensibili, vt quando substantias has corruptibiles consideramus, in communi quidem, sed quatenus his substant mutationibus, & qualitatibus sensibilibus, consideramus enim hominem, leonem, animal, non puram substantiam, sed motibus, & mutationibus subiectam: quædam alia intelligimus non solum à singulari, sed etiam à materia sensibili abstrahentes ut res mathematicas; triangulum enim consideramus abstractum à materia sensibili, nō enim in ære, aut ferro aut ligno consideramus, sed in communi abstractum ab his omnibus subiectis, quæ dicuntur materia sensibilis: quædam alia intelligimus ab omni materia abstrahentes, vt quando ens, substantiam, intelligentiam, ut abstracta consideramus.

3. Fund. A triplici abstr. triplex scientia speculatiua.

Tertio nota, iuxta tres abstractiones, tria esse scientiarum speculatiuarum genera; primum est, Philosophia naturalis, quæ considerat res abstractas à materia singulari, sed nō à materia sensibili; alterum est Mathematica pura, i. geometria, & Arithmetica, quæ res tractant abstractas à materia sensibili, sed non ab intelligibili: nam triangulus, & figura in quantitate, quæ materia intelligibilis est, contemplatur; tertium genus est Metaphysica, quæ res ab omni materia separatas speculatur; uide igitur tria genera scientiarum secundum diuersum intelligendi, & abstrahēdi modum sumptum; sunt præter hæc quędam scientiæ, quæ cum de rebus, quæ abstrahi poterant à materia sensibili tractent, non abstrahunt ab ea, ut Perspectiua de linea uisiua, Musica de numero sonoro, hæc enim utraq;, & similes, de quātitate tractāt, & nō abstracta à materia sensibili, sed limitata ad visum, uel sonum; cum tñ lineæ, & numeri abstrahi ab his possint: tales dicuntur scientiæ mediæ inter Philosophiam, ac puram Mathematicam, ac subalternari vtriq;,

quamuis præcipuè Mathematicæ.

4. Fũd. Quid addat subiectum subalternatæ subiecto subalternantis. Ex quo elicere potes, cuius gratia hæc dicta sint; nimirum ut intelligeremus quare scientiæ subalternatæ addant in subiecto differentiam materialem; hoc autem est, quia scientiæ inter se genere non distinguuntur, nisi sit uarius modus abstrahendi à materia: cum igitur subalternans sit abstractior, oportet ut subalternata sit de subiecto contractiori, & hoc diligenter nota.

Hic solutio 2. arg. Per quod respondetur ad scdm; nõ. n. Perspectiuus habet pro subiecto totũ hoc, lineã visualem, esset. n. totum per accidens; sed lineam, ut est in visuali materia; ac si dicas, nõ speculatur quascunque lineas, sed eas, quæ in tali materia sunt: idẽ de alijs huiusmodi.

Ad 3. Duo genera passionum in scientia subalternata. Dico circa tertiũ; passiones in duplici differentia reperi in scientia subalternata, quasdam communes, quæ insunt subiecto illius non primo, sed à superiori deriuatæ, ut dum dicimus, conus est minor recto, diatesseron est proportio sesquitertia: hæc enim prædicata superioris scientiæ sunt. Quædam aliæ passiones sunt propriæ subiecto inferioris, tamen inferior non potest per medium proprium suum probare, ut, dicit Medicus vulnera circularia difficilius sanari, tota conclusio medica est, sed medium est geometræ; qñ ergo passiones sunt communes tunc per medium superioris scientiæ probantur, ut diximus in textu: at cum sunt peculiares, tunc per medium superioris probantur, contractũ tamen ad illud subiectum; ut medicus non sumet medium commune, latera circuli maximè distant, sed latera vulneris circularis, & dicet, vulnus, cuius latera maximè distant, difficile sanatur, vulnus circulare est vulnus laterum maximè distantium, ergo tale vulnus difficilius sanatur; per hæc possunt intelligi reliqua, & sic patet solutio argumenti tertij: & est notanda doctrina, non enim intelligere oportet, quod omnia principia subalternata debeant demonstrari in subalternante, cum oppositum experientia doceat, sed ad sensum expositum.

2. dub. principale circa totum. c. Alterum dubium est circa caput, uidetur enim quòd vna scientia etiam non subalterna demonstret conclusionem alterius, nam Philosophus demonstrat rotundum cœlum, similiter Astrologus; & diametrum esse asymmetrũ probat Arithmeticus, quia aliter numerus par esset æqualis numero impari; dico quod sicut una res uarijs rationibus ad diuersa prædicamenta, & ad diuersas scientias spectare potest, ita etiam eadem conclusio, & quæque scientia suis medijs eam demonstratibus: vnde Philosophus ostendit rotunditatem cœli per motum, Mathematicus uerò per æquidistantiam à centro. Ad illud de diametro dico, cum res Arithmeticæ, & geometricæ ex parte conueniant, cum Arithmeticus figuras etiam in numeris speculetur, aliquando propter communionem subiectorum, & rerum, quas tractant, etiam media sibi communicant, nec hoc est contra id, quod Arist. docet.

Tertium dubium est de Metaphysica, an probet scientiarum principia; ex hoc enim loco sumitur illud vulgare dictum, nulla scientia particularis sua probat principia, sed Metaphysici hoc munus est: dico pro præsenti, multæ scientiæ particulares sumuntur à Metaphysica; ex parte enim subiectorum indigent Metaphysica, stabiliente, ens, substantiam, accidens, quæ nisi essent, subiecta reliqua ruerent: Secundo indigent illius passionibus: sæpe enim de uno, de multis, de identitate, de diuersitate, de toto, de parte, & similibus scientiæ tractant, quæ metaphysica sunt: Tertio indigent, quia nullæ propositiones vllam uim probatiuam haberent, nisi uirtute principij quodlibet est, uel non est, ut alibi diximus. Quarto indigent, quia ueritates dignitatem peculiarium uirtuti vniuersalium innituntur, ut diximus in textu; & hoc sensu metaphysica dicitur probare principia aliarum scientiarum, quæ dum sua probat, simul alia probat: ut qui omne animal sensibile probat, simul etiam hominem sensibilem ostendit, licet non in propria forma: ita dum metaphysicus stabilit suas communes dignitates, & principia, stabilit inferiora, sed non in propria forma particulari ea demonstrat, immo nec sua semper demonstrat, nempe quæ per se nota sunt; sed à cauillis aliorum defendit, & contra negantes ea dialecticè, & ad impossibile reducendo inuehitur, ut dicit Simpl. 1. Physic. Atq; hæc satis de quæstione hac. 3. dub. qñ se habeat Metaphysica ad principia scientiarum.

Deinde

Demonstratiuarum scientiarū principia nonnulla esse cōmunia, nonnulla propria: quæque ea sint, & quo pacto præcognoscantur pariter & reliqua demonstrationem ingredientia. Cap. VIII.

1 Dico autem principia in vnoquoq; genere hæc, quæ quod sunt non contingit monstrare.

2 Quid igitur significant, & prima, & quæ ex his accipitur, quod autem sunt, principia quidem necesse est accipere, alia vero monstrare, ut quid vnitas, aut quid rectum, aut triangulum, esse autem vnitatem accipere, & magnitudinem, altera vero monstrare.

3 Sunt autem, quibus vtuntur in demonstratiuis scientijs, alia quidem propria vniuscuiusq; scientiæ, alia vero cōmunia: communia autem secundum proportionem: quoniam vtile vtiq; quātum in eo, quòd sub scientia est, genere, propria quidē quemadmodum lineam esse talem, & rectum: communia vero, vt si ab æqualibus ęqualia auferantur, quod æqualia sunt reliqua: sufficiens autem est vnumquodq; horum, quantum est in genere: idem enim faciet, & si non de omnibus acceperit, sed in magnitudinibus solum, Arithmetico autem in numeris.

4 Sunt autem propria quidem, & quę accipiuntur esse circa quæ scientia speculatur inexistentia per se, veluti vnitates Arithmetica: Geometria verò puncta, & lineas; hæc .n. accipiunt esse, & hoc esse horum autem passiones per se, quid quidem significat vnaquæque accipiunt; veluti Arithmetica quidem quid impar, aut par, aut quadrangulū, aut cubus: Geometria uero, quid * irrationale, aut refrangi, aut concurrere. quòd autem sunt, monstrant & per communia, & ex demonstratis, & Astrologia consimiliter.

Omnis enim demonstratiua scientia circa tria est, & quæcunque esse ponuntur, hæc autem sunt, genus, cuius per se passionum est speculatiua: & cōmunia, quæ dicimus dignitates, ex quibus primo demonstrant; & tertiū, Passiones quarū quid significat unaquęq; accipit. 5

Nonnullas tamen scientias nihil prohibet quædam horum despicere, ut genus non supponere esse, si sit manifestum, quod est: non enim similiter planum, quod numerus est, & quòd frigidum, & calidum, & passiones non accipere, quid significant, si sint planæ; quemadmodum neq; communia non accipit, quid significant: hoc quod est, æqualia ab æqualibus demere, quoniā notum: sed nihil minus natura tria hæc sunt, circa quod monstrat, & quæ monstrat, & ex quibus. 6

Non est autem suppositio, neque petitio, quòd necesse est esse propter ipsum, & uideri necesse: non enim ad extrinsecam rationem demonstratio, sed ad eam quæ in anima: quoniam neque syllogismus: semper enim est instare ad extrinsecam rationem, sed ad intrinsecam rationem non semper. 7

Quęcunque igitur monstrabilia existentia accipit ipse non monstrans, hæc quidem, si apparentia discenti accipiat, supponit, & sunt non simpliciter suppositio, sed ad illum solum: si verò, aut nulla inexistente opinione, aut & contraria inexistente, accipiat idem, petit. Et hoc differunt suppositio, & petitio ; est enim petitio, quod sub contrariū est ad discentis opinioni; aut quod aliquis demon- 8

demonstrabile existens accipiat, & vtatur non monstrans.

9 *Termini quidem igitur non sunt suppositiones: neque enim esse, aut non esse dicunt, sed in propositionibus suppositiones, terminos autem solum intelligere oportet: hoc autem non est suppositio: nisi & ipsum audire suppositionem aliquis esse dicat: sed quibuscunque existentibus, eo quòd illa sunt fit conclusio.*

10 *Neq; Geometra falsa supponit quēadmodum quidam asseruere dicentes, quòd non oportet falso vti, Geometram verò mentiri, dicentem pedalem non pedalem, aut rectam descriptam, non rectam existentem. Geometra verò nihil concludit, eo quòd hæc est linea quā ipse locutus est, sed quæ per hæc ostenduntur.*

11 *Præterea petitio, & suppositio omnis: aut vt totum, aut vt in parte: definitiones verò neutrum horum.*

12 *Formas quidem igitur esse, aut vnū aliquid præter multa, non necesse, si demonstratio erit: esse quidem igitur vnū de multis verum dicere necesse est, non enim erit vniuersale nisi hoc sit, si autē vniuersali non sit, medium non erit: quare neque demonstratio. oportet igitur aliquid vnum, & idem in pluribus esse; non æquiuocè.*

13 *Non contingere autem simul asserere, & negare, nulla accipit demonstratio, nisi oporteat monstrare, & conclusionem sic. Monstratur autem accipientibus primum de medio, quod verum, negare autem non verum. Medium aūt nihil differt esse, & non esse accipere: cō similiter autem & tertium si enim datum est, de quo hominem uerum dicere, si & non hominem uerum, sed si solum hominem animal esse, totum nō animal autem, non erit enim uerum dicere Calliam, si & non Calliam, tamen animal, non animal autem non. Causa autem, quoniam primum non solum de medio dicitur, sed & de alio, eo quòd est in pluribus: quare neque si medium, & idem est, & non idem, ad conclusionem nihil differt.*

14 *Omne autem asserere, aut negare demonstratio ad impossibile accipit: & hæc neq; semper vniuersaliter, sed quātum sufficiens est: sufficiens autem est in genere: dico autem in genere, vt circa quod genus demonstrationes fert, quemadmodum dictum est & prius.*

15 *Communicant autem oēs scientiæ sibi inuicem secundum cōia; communia autem dico, quibus vtuntur, tanquam ex his demonstrantes, sed non de quibus monstrant, neque quod monstrant.*

16 *Et dialectica omnibus, & si aliqua vniuersaliter tentet monstrare communia: vt quod omne asserere, aut negare: aut quod æqualia ab æqualibus aut talium nonnulla.*

17 *Dialectica verò non est ita determinatorum quorundam, neque generis alicuius vnius: non enim interrogaret; demonstrantem enim non est interrogare, eo quod oppositis existentibus non monstrauit idem: monstratum est autem hoc in ijs, quæ de syllogismo.*

1 *Dico autem principia in vnoquoq; genere, &c.*

De principijs demonstrationum, quæ necessaria per se, aut propria docuerat, esse sermo est in hoc capite, quod in tres partes diuiditur; in prima principia ipsa distinguit, ac quo conueniant, quoue differant, & inter se, & à principiatis ostendit: in secūda cōmunia prin-

principia ab alijs quibusdam separat principijs in particulari: in tertia quō quodam cōmuni principio vtamur in demonstratione monstrat: repetit aūt aliqua quę in proœmio dixerat, quia illic ęnigmaticè, vt inquit Phil. loquutus fuerat, uel quia illic non per se, sed vt doctrinam ex præexistēti fieri cognitione probaret, illa dixerat: nunc per se hæc docet.

Quæ sint principia in sciētiis.

Proponit igitur, quæ principia dicantur in scientia aliqua; illa nēpe, quæ non demonstratur esse; aduerte, non esse legendum sicut aliqui legunt, scilicet principia sunt, quæ cum sint non demonstrantur esse, idest sunt vera, & indemonstrabilia: iste.n. non est Aristotelis sensus, legendum.n.est, quòd sunt nō demonstrantur, idest principia sunt in scientia aliqua ea, quę non demonstrantur esse: Est autem hæc pulchra regula, principia dignoscendi, & scientia qualibet, & demōstratione, ea scilicet quæ talis scientia, seu talis demonstratio non probat esse, sed supponit: verbi gratia, supponit Geometra esse lineas, signa, idest puncta, Arithmeticus unitates, numeros, hæc dicuntur principia: similiter in qualibet peculiari demonstratione non demonstramus subiectum esse, nec medium, dicuntur principia: hoc autem non solum de simplicibus principijs, sed etiam de complexis, quales sunt propositiones, dignitates, & præmissę in demonstrationibus singulis: hæc enim omnia, vt non demonstrantur in scientia illa, vera esse dicuntur principia scientiæ, vt uero præmissæ in illa demōstratione, cuius sunt, & non demonstrantur, illius principia dicūtur: & uniuersaliter, quod in scientia, aut demonstratione, illic non demonstratur esse, sed supponitur id est principium, siue simplex, siue complexum sit.

2 *Quid quidem igitur significent, &c.*

Assignat, id in quo principia, & ea quorum principia sunt, conueniant; oportet autem per principia hic non solum complexa, sed etiam simplicia, uti diximus, intelligere, per ea uero, quę ex principijs sunt, seu per principiata, etiam complexa, quę conclusiones sunt, & incomplexa, seu simplicia, quæ sunt passiones, & quęsita; est ergo cōuenientia inter hæc, quod de omnibus oportet in demonstrationibus, & in scientijs supponere, quid significent: hæc enim non demonstrātur in scientijs, nec de principijs, nec de principiatis: at discrimen est, quod de principijs omnibus propter id oportet supponere, quod sint, si simplicia, quòd existant, si complexa, quod uera sint: at de principiatis id demonstramus; nam conclusionem ueram esse demonstramus; similiter ipsam passionem inesse demonstramus, non autem supponimus. Aristoteles ponit exempla in simplicibus principijs, & principiatis solum, nempe in subiectis, ut unitate, & magnitudine; in passionibus ut in recto, & triangulo.

Sunt autem quibus utuntur in demonstratiuis, &c. 3

Principia præsertim complexa hic diuidit in communia, & propria; cōmunia sunt, quę scientiam illam transcendunt, ut si ab æqualibus æqualia demas, restant æqualia: hoc enim pluribus inest scientijs: propria uero, quæ ex his, quæ in scientia tali sunt, constant, ut linea est magnitudo indiuisibilis secundum latitudinem; rectum est cuius extrema non exeunt a medio, hæc enim geometrica sunt. Posses dubitare, cum scientia ex proprijs procedat, quomodo principia habet communia? Respondetur non uti scientias his communibus, ut communia sunt, sed unaquæque scientia, & demonstratio ea limitat ad suam materiam, ad quam eis indiget, ut Geometra dicit, si ab æqualibus magnitudinibus æquales demas; Arithmeticus ad numeros contrahit, & singulæ demonstrationes ex suis terminis adaptant, nec propter hoc minor est uis illorum principiorū, cum semper sint, uera, & necessaria, & immediata: & propterea dicuntur communia secundum analogiam, quia ex eis unaquęque scientia accipit pro sua materia.

Sunt aūt propria quidē & hęc, &c. 4

Præter propria complexa, quæ assignauerat, incomplexū principium assignat, nempe subiectum, de quo accipimus quod sit, & quid significet, & hoc est quod dicit; Esse, & esse hoc; atque de tali subiecto demonstramus passiones, quæ ei per se insunt, & de his quid significent, supponimus. Posses dubitare, quare modo separate de simplici, & incomplexo principio loquitur? Dico, & hoc est aduertendum, hoc esse discrimen inter complexum, & simplex principium, complexum

xum enim in commune, & proprium distin guitur, at simplicia omnia propria sunt, ob id primo propria complexa cum simplicib. non coniunxit, sed cum communibus, po stea simplicia adjunxit: exempla ponit horũ, quæ nota sunt: irrationalis dicitur quãtitas, quæ alteri non communicat in parte aliquorum, vt diameter costæ, quæ passio geometrica est: inflecti verò dicitur eadem linea, qñ ab vno pũcto resilit, sicut pila; cõcurrere dicũtur duæ linæ, quæ coniunguntur in puncto.

5 *Omnis enim demonstratiua scientia, &c.*

Ostendit sufficienter de istis determinasse, cum non sit aliud in demonstratione præter passionẽ, & subiectum, quæ principium est simplex, & dignitates principia cõplexa. Dices, quid de conclusione? dico sub subiecto, & passione comprændi: dices, quid de præmissis? dico, sub dignitatibus esse, nã dignitates licet sub communi forma demonstrationem nõ componant, tamen limitatę, & contractæ, propositiones, & pręmissę fiũt, ex quibus demonstramus.

Dubiũ. Dices, nonne etiam ex propositionibus, quæ dignitates non sunt demonstramus? nõ enim semper Euclides ad dignitates recurrit; sed per ea, quæ demonstrata sunt, demonstrat alia. Dico ita esse, & hoc est, quod in pręcedentibus uerbis dixerat Arist. demonstrãt per communia, & per ea, quæ demonstrata sunt: at quia nullus perfectam habet demonstrationem, nisi ad illa indemõstrabilia perueniat: propterea dixit ex dignitatibus esse demonstrationem, sed addidit hoc, tanquã ex primis, quia etiam ex demonstrabilibus sunt demonstrationes, sed non tanquam ex primis, hæ enim dignitates sunt.

6 *Quasdam tamen scientias nihil prohibet &c.*

Soluit dubium ab Ari. Posset quis dubitare, an semper illa supponere necesse sit, respondet Arist. non opus esse semper, nam quando subiectum esse notum est, ut calidum esse, frigidum esse, non opus est supponere, sicut quando obscurum est, ut numerum esse: similiter de passione, cum enim nota est significatio, non opus est supponere, sicut nec de principijs illis, quæ dignitates sunt, supponimus quid significent, hoc enim notum est: quæ uero nota nõ sunt supponuntur, quod supra etiam nos diximus de principijs, & dignitatibus; concludit; siue supponantur ista, siue non, semper illa tria in demonstratione esse, dignitates, passionem, subiectum.

Non est autem suppositio. 7

Nota differimen īter quatuor genera principiorũ. Hæc est capitis secunda pars, in qua discrimẽ inter ista quatuor principia ponitur, dignitatem, suppositionem, petitionem, definitionẽ: dignitas est principiũ necessarium, non solum in se, sed quòd etiam omnibus videtur, & cognoscitur necessarium, ut quodlibet est, uel nõ est, & similia; hæc in lumine naturali ab omnibus cognoscuntur per se, absque alio medio; posses obijcere, non est oĩbus manifestum, qñ quidem negari põt, respondet Arist. verbo, & uoce posse negari, sed non intellectu, sm quẽ demõstrationes, & syllogismos mensurare oportet, nã rõnes exteriores, põt quis pro libito negare uoce, sed interiores nõ prohibito negamus: sunt igitur hæc principia nota, & ab oĩbus interius necessario concessa, quæ Albertus in præsenti iterũ cõparat visibilibus, quæ suo lumine videntur, vt superius ẽt diximus ex ipsomet.

Quæcunque ergo demonstrabilia. 8

Suppositiones, & petitiones declarat, hæc enim sunt demonstrabilia principia, quæ cũ demonstrari possint, non demonstrantur ab aliquo, sed sine demonstratione accipiuntur esse uera: differunt tamẽ, si enim ista discenti, idest ei, cui fit demonstratio, nota sunt, ac si essent demonstrata, dicuntur respectu illius suppositiones, quod sæpe accidit in argumentando; recipit enim qui respondet propositiones aliquas, absque probatione, quæ probari poterant, quia illi notæ sunt: si verò discenti nõ sunt notæ, uel quia non est unius opinionis, idest quia non scit illa, vel quia contrariè opinatur, & illa existimat non esse, tunc dicuntur petitiones, seu postulationes, quia demonstrator petit, ut modo admittat ea, ut demonstratio procedat, & postea probabuntur: in quo apparet differentia horum duorum, à dignitatibus, & inter se: à dignitatibus quidem, quia sunt dignitates indemõstrabiles, & omnibus per se notę, hæc verò demonstrabilia, & non omnibus nota:

nota; inter se uerò etiam suppositiones uidentur discenti, petitiones uerò non uidentur, utraque tamen recipiuntur esse absque demonstratione; cum demonstrari queant.

9 *Termini igitur non sunt suppositiones, &c.*

Definitio aliud est principium in demonstratione, quod quid sit notũ est; ob id, quid non sit potius explicat; non est igitur suppositio, nec petitio, quod duplici ratione probat, altera est: quia suppositiones significant esse, uel non esse, non autem definitiones; cujus ratio est; nã suppositiones in propositionibus sunt, suppositiones sũt propositiones, termini uero, & definitiones solũ intelligũtur, cum in simplici intellectus operatione sint, in qua non est propositio, sicut nec uidere, uel audire sunt propositiones, quia simplices cognitiones sunt. Philop. illa uerba suppositiones in propositionibus sunt, exponit in hunc sensum, ꝙ definitiones sumptæ in propositionibus, nẽpe de definitis enunciatæ, sunt suppositiones, ut homo est animal rationale, triangulus est figura tribus lineis terminata, & expositio est bona; mihi tamen uidetur prior melior: cõcludit Arist. suppositiones esse, ex quibus existentibus sequitur conclusio, eo ꝙ ipsæ sunt. i. sunt propositiones, per quas conclusio infertur, & probatur.

Quædam Notatu digna.

1. Nota. Sunt hic aliquot notanda, primũ est, ista tria, suppositionem; petitionem, definitionem, sub unico genere comprehendi, nempe sub positione, cuius meminit. c. 2. superiori, nunc tamen numerans ipsas species reliquit genus ipsum, nec hoc absurdũ uideri debet.

2. Nota. Est etiam notandũ, suppositiones, & petitiones esse in duplici differentia, quædã sunt demonstratiuæ, quædã dialecticæ; demõstratiuæ oẽs sunt necessariæ, & de his est sermo in præsenti, unde male docuit Philop. petitiones posse esse falsas, cũ hic dicat Arist. esse demõstrabiles: dialecticæ uerò, (petunt. n. & supponunt ẽt hi qui probabiliter disputant) possunt esse falsæ, sunt enim probabiles.

3. Nota. Tertio notãdum est, esse suppositiones in scientia, similiter petitiones, & in demõstratione peculiari in scientia suppositiones, & petitiones sunt suppositiones, quæ cum demonstrabiles sint, saltem in alia scientia supponuntur, uel ut notæ discenti, uel ut petitæ; deseruiunt tñ pro multis cõclusionibus illius scientiæ: sicut a puncto in punctũ lineã ducere, & similes: in demonstratione uero quælibet præmissæ, quæ in ea nõ demonstrãtur dicũtur suppositiones, aut petitiones in illa demonstratione: si. n. sunt notæ respondenti, suppositiones; si uero non, petitiones.

Tandem notandum est, cum Arist. dicit, suppositiones, & petitiones esse demonstrabiles, non intelligi semper esse demonstrabiles demonstratione propter quid, sunt. n. aliquæ suppositiones immediatæ, ut quando definitiones de definitis sumimus, sed dicuntur demonstrabiles, vel quia demonstrari possunt, uel non sunt ita notæ, quin aliqua ratione saltem a posteriori indigeant, & tamen absque tali probatione proponuntur. 4. Nota.

Neque autem Geometra falsa supponit, &c. 10

Posset quis dubitare, an supponere liceat falsa, ut quidam existimant Geometras falsa supponere in suis demonstrationibus, supponunt enim lineam bipedalem, quæ forsan est tripedalis, & lineam rectam, quæ curua est, & similia: respondetur non licere: nam Geometræ non utitur illis suppositionib. ut ex illis demõstrent, sed ut ostẽdant, ueras lineas, & ueras rectas: & ueras quantitates, per quas demonstrant, non ergo utuntur suppositionibus falsis, per quas demonstrant.

Amplius petitio, & suppositio, &c. 11

Hoc est alterum argumentũ, quo suppositionem non esse ipsam definitionem ꝓbat, suppositio. n. & petitio est uniuersalis, & in parte. i. particularis: at definitio nec uniuersalis, nec particulari dr̃, non. n. est propositio, cuius proprium est uniuersalem, uel particularẽ esse, non ergo est suppositio, aut petitio.

Species quidem igitur esse, &c. 12

Cum multa de uniuersalibus locutus sit, dubium esse posset, an cũ demonstrationes, & definitiones sint uniuersalium, opus sit, species, idest ideas ipsas uniuersales separatas ponere, unum. n. motiuum Platonis ideas constituentis hoc fuit, nempe quia scientiæ, & definitiones, quæ uniuersalium sunt, non aliter essent: respondet Aristoteles non opus esse ob demonstrationes, & scientias ideas

separa-

separatas ponere, sufficit enim naturam in ipsis singularibus constituere, quæ ualeat de multis uniuoce prædicari, non autem separatam, nisi per operationem intellectus: multa de vniuersalib. alibi diximus, ob id hic his supersedebimus: uide quæstionem proœmij super Porphyrium.

23 *Non contingere aũt idẽ simul, &c.*

Locus hic summe obscuritatis est ob defectum uerborum Arist. propterea rem, & sensum potius, quàm orationem, omnes Græci, Latini, & Arabes explanant; in sensu autem non plane omnes conueniunt, quorum expositiones, & sensus enarrare, prolixum, & inutile esset: summam ex his omnibus, quæ mihi magis ueritati uidentur conformia, & literæ Arist. cosonantia: addam autem, quæ uidentur singulis deesse, ac ipsum integrum contextum conabor exponere.

Duo igitur sunt principia vniuersalissima, quorum ueritati innituntur reliqua; alterum negatiuum, s. de nullo est uerũ affirmare, & negare: alterum affirmatiuũ, s. de quolibet affirmare, uel negare uerum est: his duobus, sicut & reliquis, demonstrantes utuntur limitatis, & coarctatis ad peculiarem materiam, quod quidem qñ, & quomodo fiat, in præsenti docet Arist. quæ est tertia pars capitis; de his. n. magis uidetur dubium, cum generalissima sint, quàm de alijs: incipit autem à negatiuo, & dicit, tunc tale principium in demonstrationem ingredi, cum talis est conclusio, quæ illo sic ingredienti indigeat; quãdo nempe de subiecto conclusionis enuntiamus aliquod prædicatum affirmando ipsum, & remouendo oppositum, ut si dicas, Callias est animal, & non est non animal.

Ad huiusmodi conclusionem demonstrandam oportet in demonstratione & sumi tale principium contractum; sumimus aũt sic, sumendo duos terminos contradictorios altero affirmato, altero negato, & remoto, ut in illa conclusione eàdem apparet: sic aũt in demõstratione sumi dẽt: ecce qñ liceat tale principium in demonstratione sumere, sed qũo, & quo loco in demõstratione eo utẽdũ, docet; sunt. n. tres termini in demonstratione, maius extremum nempe prædicatum in maiore, minus extremum subiectum maioris, medium. s. subiectum maioris, & prædicatum minoris, tale principium non in medio, non in minori extremo quod dicitur tertiũ, sed in primo, idest maiori extremo constituendum, est, & dices, omnis homo est animal, & non est non animal, Callias est homo, ergo Callias est animal, & non est non animal.

Dices quare non in medio, & tertio sumi debet? huic respondet Arist. quia est inutile prorsus ad talem conclusionem inferẽdam, nam etiam si oppositum medij sumeres absque negatione ipsius, adhuc sequitur cõclusio: similiter de tertio, nam etiam si dicas, omnis homo, & non homo est animal, & non est non animal, dummodo Callias sit homo tantum, sequitur Callias est animal; & non est non animal; similiter de tertio, et si enim non Callias sit homo, dummodo Callias sit homo, sequitur eadem conclusio. Dubiũ.

Dices tu; quare de medio, & opposito medij enunciamus maius extremum; de medio autem non enunciamus primum, & oppositum primi dicitur enim, homo, & nõ homo animal, at homo non dicitur animal, & non animal. Respon. quia maius extremũ est superius medio, non intelligas semper id esse in demonstratione, nempe quod sit superius, sed hoc est argumentum non posse tale principium esse necessarium in medio, quia si necessarium esset, semper esset, at cũ primum est superius, nõ licet; argumentum igitur est, non esse necessarium: idem dicendum de tertio: hunc crediderim esse integrum sensum Aristot. & valde notandum. Dubiũ.

Literã igitur ipsam exponamus, non contingere autem simul, id est istud principium: de nullo est verum affirmare, & negare, nullam demonstrationem ingreditur, nisi cum opus est demonstrare cõclusionem, sic, idest per illud principium, quod sit, cum id in cõclusione est; tunc autem in demonstratione accipi sic debet, accipientibus primum, idest maius extremum de medio in maiori quod uerum, negare autem non uerum, idest affirmando ipsum primum, & negando negationem primi, quæ falsa erat, non enim dicebatur homo est animal, & non animal; hoc enim falsum est: dicemus, ergo, homo est animal, & non animal: & remouere contradictorium primi est dicere, quod negare primum, non est uerum. Expositio.

Nihil differt. Hic probat nõ posse in medio illud esse, quia in medio, & minori extremo possumus oppositum medij sumere, etiam

etiam oppositum minoris extremi, dicitur enim homo, & non homo est animal, Callias, & nō Callias est homo: non igitur principium est necessarium, cum oppositum vere liceat sumere.

Nam, si datum est. Ostendit id exemplo quomodo sit inutile cum medio oppositum medij sumere ad cōclusionem inferendam, dicens, si datum est de quo hominem verum est dicere: id est, si detur, quòd Callias sit homo, & non hominem, verum, id est, licet verum sit quod non homo est animal, & non, non animal, dūmodo detur, sed si solum hominem, totum nempe hoc, homo est animal, & non non animal, erit enim verum, id est sequitur conclusio, Callias est animal, & non non animal, vt sit sensus, dommodo homo, sit animal, & non non animal, & Callias sit homo, sequitur, quòd Callias sit animal, & non non animal, siue etiam non homo sit animal, & non Callias homo.

Causa autem est. Reddit rationem cur id liceat in medio, nempe sumere ipsum, & oppositum, quia nempe maius extremum superius est, & contingit esse, cum enim conuertibile est id non licet: at maius extremū, & oppositum in nullo casu licet verè sumere, sed semper negando oppositum, vti diximus: postea concludit, nihil differre ad conclusionem duo opposita in medio sumere, & in tertio, non ergo est ibi tale principium necessarium. Hæc circa literam.

Quædam notatu digna.

1. Not. Sunt aliqua notanda pro perfecta intelligentia huius, primum, quando dicit Arist. oppositū medij posse sumi, vt, homo, & non homo est animal, non intelligas, quod in vtraq; propositione id liceat, nā minor, erit falsa, ut notat Auerr. s. Callias est hō, & non homo; sed sensus est, si in medio tale principium sumendum esset, nunquam mediū, & oppositū sumere liceret: at in maiori id fit, nō ergo in medio est ponendū id principiū.

2. Not. Aduerte secundo, non solum in maiori oppositum medij sumi posse; immo, vt notat Philopo. aliter sumi est impossibile, cum primum est superius, est enim falsum dicere, homo, & non non homo est animal, & non est non animal, cum multa, quæ sunt non homo, licet non omnia, sint animalia.

3. Not. Aduerte maximè tertio, quare Aristot. non ponat principium hoc in subiecto conclusionis, sed solum in prædicato, dicimus enim etiam, homo, & non non homo est risibilis: dico cum in subiecto est, non potest poni in demonstratione, nam esset consequentia mala, nec esse bona forma, cum detur antecedens verum, & cōsequens falsum, vt patet in hac, omne animal rationale est sensitiuum, omnis homo, & non non homo est animal rationale, non valet, ergo homo, & non non homo est sensitiuus.

Aduerte quarto cum Philop. tales demōstrationes, quæ cum hoc principio sumuntur non esse inutiles, quamuis id uideatur S. Thomæ: sunt enim, ut dicit Philop. multa, quæ apparent secundum opposita prædicari, vt elemēta esse corruptibilia, & non corruptibilia, quia corrumpūtur secundum partem, non corrumpuntur secundum totum: similiter cœlum esse in loco, & non esse in loco, quia secundum partes locum habet, non secundum totum, & alia huiusmodi, ex quibus quis posset existimare posse hæc opposita affirmari, aduersus quos possumus, & debemus sic oppositas monstrari conclusiones. 4. Not.

Aduerte quinto, quamuis istud exemplum Arist. non sit demonstratio propria, quia est de singulari, puta Callia, tamen possunt fieri multæ huiusmodi demonstrationes, vt si dicas, omnis actus habens eilem se est immortalis, & non non immortalis, anima rationalis est talis actus, ergo anima est immortalis & non non immortalis, & sic etiam in alijs fit. 5. Not.

Aduerte sexto cum Philop. cum audis cō tradictionem inter terminos, puta homo, non homo; animal, non animal, non intelligas contradictionem perfectam, hæc enim non nisi in propositionibus est, sed est quædam imperfectam contradictio, quæ dicitur secundum finitos, & infinitos terminos. 6. Not.

Commune autem, aut affirmare, &c. 14

Themistius, & Philop. voluit, ut postquā Aristot. probauit demonstrationi ostensiuæ deseruire illud principium, modo probet etiam deseruire demonstrationi ad impossibile. Diuus Thomas uerò, & alij hoc ad principium affirmatiuum referunt, vti diximus in principio: & quamuis utrunque sit uerum, & probabile, magis uidetur consonare literæ sententia D. Thomæ. est ergo Exposi. tiq The mist. & Philo.

sen-

Expositio verior D. Thom.

sensus, quòd hoc principium, de quolibet est uerum affirmare, aut negare, deseruit demonstrationi ad impossibile, sed debet contrahi ad materiam illius demonstrationis, sicut etiam dictum est de alijs principijs communibus.

Nota de syllogismo ostẽsiuo, & ad impossibile.

Propter quod aduerte ex li. 1. Prior. c. 21. & 23. esse duplicem syllogismum, ostensiuum, & ad impossibile, probamus enim aliquam conclusionem dupliciter, vno modo illam ueram ex ueris concludendo, vt qui hominem esse risibilem probaret sic: omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis: talis syllogismus, & probatio dicitur ostensiua: altero modo eandem conclusionem probamus ostendendo suum contradictorium esse falsum: cum enim contradictorium hoc, aut aliud sit uerum, si falsum ostenditur unum, probatur alterum uerũ, talis syllogismus, & probatio dicitur ad impossibile demõstratio.

Fit autem hoc modo: sumendo primum contradictorium conclusionis probandæ, puta, nullus homo est risibilis, si probanda est, homo est risibilis: secundo ex eo, cum alia propositione uera, inferendo conclusionem falsam in bona consequentia, ut cum sit illa bona consequentia, & conclusio falsa, necessarium sit aliquam præmissam esse falsam, quæ erit illius primæ cõtradictoria, nam altera coassumpta erat vera, sumitur enim sic: nullus homo est risibilis, omne rationale est risibile. Nullum rationale est homo in Cæsare, conclusio est falsa, ergo altera præmissa: non minor, quia est manifesta, ergo maior, quæ est contradictoria prioris; tunc tertio utatur principio contracto sic: aut omnem hominem nõ esse risibilem, aut aliquem esse risibilem verum est, sed nullum hominem esse risibilem non est uerum, ergo aliquem hominem risibilem esse verum est, in quo tertio processu utor hoc principio affirmatiuo cõtracto, & hæc est meus Arist.

15 *Cõmunicant autẽ omnes scientiæ, &c.*

Concludit scientias omnes communicare in illis principijs communibus, ut dictum est, nõ tamen in his, ex quibus demonstrant, nec quod demonstrant. i. non in subiectis, nec in passionibus, nec similiter in propositionibus ex quibus proximè demonstrant, nec in conclusione, quam demonstrant.

Tria genera cõmunia principiorum.

Vbi aduerte, communia principia esse in triplici differentia, quædam sunt communissima omnibus scientijs, & omnibus demonstrationibus, qualia sunt illa duo prædicta, in his vis omnis probatiua, & illatiua nititur, ut dictum est: quædam sunt cõia multis quidẽ scientijs, sed non omnibus, nec uniuersis demonstrationibus qualia sunt illa Mathematica, omne totum est maius parte: & similia quædam uni scientiæ propria, sed communia multis illius scientiæ demonstrationibus: ut in Philosophia naturali, motus est; in morali, omnes appetunt bonum; huiusmodi sunt multa in singulis artibus mathematicis: in præsenti sermo est de communissimis; in his enim solum omnes scientiæ conueniunt, in reliquis multæ, aut unius scientiæ uariæ demonstrationes, sed non omnes.

Quomodo principia cõmunia probent aliq. conclusionem.

Aduerte præterea hæc principia communia non per se conclusionem probare aliquam, nisi uel limitentur, uel cum alijs sumantur propositionibus; non enim semper formaliter sunt in demonstratione, sed virtualiter, ut non semper illa priora duo, & reliqua in demonstratione sunt secundum se, licet uirtus saltem priorum sit semper; Est enim similitudo, ut enim causæ naturales quædam sunt uniuersales, uarijs effectibus procreandis promptæ, ut sol, cœli, intelligentię, nihil tamen producunt eorum, & nisi adiunctæ particularibus causis; sol enim cum leone producit leonem, & cum equo equũ: ita similiter illa principia communia; non enim ipsa sola, nec particularia sola, sed simul vtraque probant, ac ob id dicuntur cõmunia secundum analogiam, & proportionem, quia sicut in hac scientia cum principijs huius producunt hanc conclusionem: ita etiam in alia scientia, & demonstratione producunt cum alijs particularibus principijs aliam conclusionem, ob id dicũtur principia analoga, & proportionalia respectu uariarum conclusionum particularium, quæ in varijs scientijs & demonstrationibus sunt. & hoc est maximè notandum. 16

Aduerte discrimẽ īter dialecticũ, & Metaphysicum.

Et dialectica quidẽ de omnibus, &c.

Duas scientias, ex communibus procedere docet, Dialecticam, & Metaphysicam, sed discrimen est inter vtrãque, Metaphys. cõia per communia probat, ac propterea demonstratione nititur, nam multa probat de ente per

per causas etiam communes, & sic ex communibus procedere non est contra id, quòd dictum est, solum hoc est traditum, quod propria non licet per communia procedendo demonstrare, & sic Dialectica procedit, ac ob id non demonstrat, sed probabiliter ratiocinatur, hic enim de Dialectica pro topica sermo est; vt Dialecticus probat amorē esse in cōcupiscibili per commune, quia ubi est unum contrarium, ibi est alterum, odium verò est in concupiscibili, ergo & amor; sic igitur procedit ex cōibus sed non demōstrat.

Dubiū. Dices, quomodo dicit quod Metaphysicus cōmunia illa principia demonstret, cum sint immediata? Resp. S. Tho. quē sequitur Aegid. ꝙ non a priori demonstrat, sed contra negantes conatur ostēdere, & declarare, & aliqua uia probare. Praeterea, quia de illis demonstrat passiones, s. ꝙ sint immediata, quod sint per se nota, & alia: unum fateor, quod mihi uidetur, multa principia per se nota habere causam, quis.n. negare poterit non esse causam, quod totum sit maius parte & multorum aliorum? sed quia sunt per se lumine naturali cognita, & non per causam, propterea immediata dicuntur: Metaphysici tū est per tales causas, si qñ occurrerit probare, & hoc est quod dixit sub forma dubitandi (si qua tentat monstrare communia) quia non id facit, nisi contra negantes ea, quod raro occurrit, sed hæc in secūdum librum Metaphysicæ reseruentur.

Soluitur ex D. Th.

57 *Sed Dialectica non est sic definitorum &c.*

Discrimen est dialecticæ ab aliis scientiis, quod non est unius generis definiti, sicut aliæ scientiæ sunt: aliqui dicunt, ꝙ quia est de argumentatione, quæ aptatur omnibus rebus, sed melius est, ꝙ nō sit generis vnius, id est topica non habet rem certam, & materiam, circa quam probabiliter disputet, sed circa quamcunque materiam, & rem probabiliter disputando uagatur. Præterea differt ab aliis scientiis, etiam à Metaphysica, ꝙ scientiæ unam partem determinant contradictionis, quam demōstrant, non.n. contradictoria simul demonstrari valent; at Dialectica utitur utraq; parte contradictionis, & utramq; probat topicè, ac ob id interrogatione vtitur, quæ fit de parte contradictionis utraque, quia vtramq; expositus est probare, de qua interrogatione dictum est in lib. de syllogismo, 1. Prior. cap. 1. atque hæc de Capite octauo.

Demonstratiuarum scientiarum esse interrogationes, & responsiones proprias, &c. Cap. IX.

SI verò idem est interrogatio syllogistica, & propositio contradictionis, propositiones autem secundum vnamquamque scientiam, ex quibus syllogismus secundum unamquamq; sciētiam: erit utique aliqua interrogatio scientialis ex quibus, qui secundum vnamquāque, proprius fit syllogismus. 1 2

Planum igitur, quod non omnis interrogatio geometrica fuerit, neq; medicinalis: similiter autem & in aliis: sed ex quibus, aut monstratur aliquid, de quibus Geometria est, aut ex eisdē monstratur Geometriæ, quemadmodū Perspectiua: consimiliter autem & in aliis: & de his quidem, & rationem subijciēdum ex geometricis principiis, & conclusionibus. 2 3

De principiis uerò non geometricis, & conclusionib. rationē non subijciendum Geometræ, inquantum Geometra: consimiliter autem, & in aliis scientiis.

Neque igitur omnem interrogationē unusquisq; scientificus interrogare debet: neq; omne interrogatū respondere de unoquoque: sed quæ secundū sciētiam determinata sunt. Si aūt disputabit cū Geometra, inquantū Geometra, sic manifestū quod bene, & si ex his aliquid monstret: si autē non, bene. Planū autem, quod neque redarguit Geometram, nisi secundùm accidens. 4

Quare non erit in non geometricis de Geometria disputandum: latebit enim prauè disputans: consimiliter 5

autem & in alijs scientijs se habet.

6 Quoniam autem sunt geometricæ interrogationes, sunt ne igitur, & non geometricæ? & iuxta vnamquamque scientiam, quæ secundum ignorantiam, qualemnam Geometricæ sunt? Et vtrum secundũ ignorantiã syllogismus, qui ex oppositis syllogismus, aut paralogismus.

*al. aliquã geo metricę sunt, ἐν ἅπασιν ubique rhythmo, & forma.

7 Secundum Geometriam verò, aut ex alia arte; vt musica est interrogatio non Geometrica de Geometria: contra alternas verò coincidere existimare, Geometrica quodammodo, & non Geometrica alio modo.

8 Duplex enim hoc, quemadmodum irrhythmicum: & alterum quidẽ non Geometricum, eo quòd non habet, quẽadmodum irrhythmicum: alterum verò, eo quod male habet, & ignorantia hæc, & quæ ex talibus principijs contraria.

9 In Mathematicis verò non est similiter paralogismus: quoniam medium est semper, quod duplex; de hoc enim omni, & hoc rursus de alio dicitur omni, quod autem prædicatur non dicitur omne.

10 Hæc autem sunt, ac si intellectione viderentur. In orationibus verò latet. nunquid omnis circulus figura; si verò descripserit, planum. quid autem, carmina circulus: manifestum, quod non sunt.

Vide primo Elenc.c.5.

11 Non oportet autem instantiam in ipsum ferre si sit propositio inductiua, quemadmodum enim neque propositio est, quæ non est in pluribus, non enim erit in omnibus: ex vniuersalibus autem syllogismus: planum quod neque instantia, eædem enim propositiones, & instantiæ; quam enim fert instantiam, hæc fieri potest propositio, aut demonstratiua, aut dialectica.

Vide & hoc Ari. 2.Topi. nõ lõge a principio. ibi, Ampli problema propositio-

12 Contingit autem quosdam non syllogisticè dicere, eo quod ex vtrisque consequentia accipiunt, quemadmodum & Cæneus facit: quod ignis in multiplicata proportione, & enim ignis celeriter gignitur, ut ait: & hæc est proportio: sic autem non est syllogismus, nisi celerrimum proportio sequatur multiplex, & ignem celerrima in motu proportio.

ni facile tem sibi ipsi instare.

13 Aliquando quidem igitur non contingit syllogizare ex acceptis: nonnunquam verò contingit, sed non uidetur.

14 Si autem impossibile esset ex falso verum monstrare, facile utique esset resoluere. conuerteretur enim ex necessitate. Sit enim A. ens, hoc autem existente, hæc sunt, quæ noui, quod sunt, vt B. Ex his itaque monstrabo quod illud est. Conuertuntur autem magis quæ sunt in Mathematicis: quoniam nullum accidens accipiunt, (sed & hoc differunt ab ijs, quæ sunt in dispositionibus) sed definitiones.

15 Augentur autem non per media, sed eo quod assumunt. Vt A. de B. hoc autem de C. rursus hoc de D. & hoc in infinitum. Et latius: * vt A. & de C. & de E. vt est numerus quantus, vel & infinitus, hoc in quo A. impar numerus quantus, in quo B. numerus impar, in quo C. est igitur A. de C. & est par quantus numerus, in quo D. par verò numerus, in quo E. est igitur A. de E.

* Cod. mul. le. ut A. de sed male, & iõ Io. Gr. dicit le gẽdum esse, vt A. de B. & de D.

Si autem idem est interrogatio syllogistica, &c.

Cum & conclusiones, & propositiones, & principia ꝓpria esse in demõstratione qualibet, & scientia docuisset, nunc etiam interrogationes, & responsiones, ac alia ꝓpria esse docet

doctrinaque in tres partes caput est diuisum: in prima interrogationes, responsiones, disputationes proprias esse in scientijs traditur: in secunda esse & proprias interrogationes secundum ignorantiam: in tertia vero de defectibus in syllogismis scientiarum differit; proponit igitur hanc conclusionem: interrogationes sunt propriæ in scientia qualibet: & affert hanc probationem: propositiones, ex quibus syllogismi scientiarum fiunt sunt proprij in qualibet scientia, sed interrogationes syllogisticæ sunt propositiones, ergo interrogationes sunt propriæ in qualibet scientia; minorem in principio, suo more, ponit.

1. Dub. Circa hoc dubitabis primo, quo hic interrogationes in scientia, & demonstratione ponat, cum in fine capitis præcedentis hoc Dialecticæ propriũ esse dixerit. Respon. S. Thomas quem loquuntur Aegid. & alij Philosophi, Demonstratorem, & Dialecticum demonstrare, sed cum magna differentia; nam Dialecticus interrogat conclusionem, & propositiones, ex quibus syllogizat; Demõstrator vero solam interrogat conclusionem, propositiones accipit; cuius rationẽ dat Aegid. Dialecticus, cum ex cõibus procedat, põt non solum conclusionem, sed etiam propositiones negatas probare: at Demonstrator conclusionem, quidem negatam demonstrabit, sed non propositiones; ideo eas non interrogat, sicut Dialecticus: est etiam altera differentia, nam Dialecticus conclusionem interrogat, paratus quamcunq; contradictionis partem probare; at Demonstrator partem veram, & necessariam probat; sic ergo ad dubium Respondet; sed hæc solutio non videtur consona Aristo. (tamen hic loquitur de interrogationibus demonstratiuis, quæ sunt propositiones, & non de conclusionibus) respondet etiam esse interrogationes propositionum, sed demonstrabilium, quæ sunt conclusiones, & postea sumuntur ad alias probandas tanquam propositiones; hæc solutio non mihi placet, cum absolute Arist. interrogationem vocet propositiones; propterea dico etiã Demõstratorem interrogare propositiones, non ut indifferenter sumat consensum respondentis; sed ut euidentiam, & certitudinem etiam à respõdente veniretur; sæpe enim interrogamus etiam necessaria, ut simul acquiescere respondentem faciamus: qua via sæpe utitur Plato: quod si acciderit respondentem non concedere, licet non demonstremus eas, tamen declaramus exemplo, inductione, aut ad incommodum ducentes; de his igitur interrogationibus demonstratiuis est hic sermo quæ variæ sunt a Dialecticis, & sic soluitur dubium; Dialecticus enim de vtraque parte contradictionis petit, quia vtraque vtitur, non demonstrator sic facit.

Dubitatis præterea, quid per interrogationem syllogisticam intelligatur, dico, non intelligi syllogisticam. i. Dialecticam, vt vult Philo. sed intelligitur ea interrogatio, quæ propositionem petit; cui respondere possumus, ita esse vel non esse: sunt enim multæ aliæ interrogationes, ut vnde nescitur ferrum trahitur à magnete? hæ enim non sunt syllogisticæ; etiam dicuntur interrogationes syllogisticæ. i. ex quibus syllogismus cõponitur, ad excludendam quæstionem, quæ est interrogatio conclusionis. Dubitatur præterea, quomodo interrogationes propositiones dicantur, non enim ex eis syllogismus conficitur. Resp. S. Th. & Alb. tract. 3. c. 4. dici propositiones secundum substantiam; eadem enim est res, propositio, & interrogatio, modo solo differunt. Tandem dubitabis, quid per propositionem contradictionis intelligere oporteat, dico, propositionem, quæ est vna pars contradictionis, qualis demonstratiua.

2. Dub.

3. Dub.

Planum igitur quod nõ omnis, &c. 2

Infert, non omnem interrogationem esse geometriam, aut medicinalem: non omnes interrogationes, quæ in particularibus scientijs sunt, sunt illarum propriæ, sed hæ duæ sunt propriæ Geometriæ, altera, quæ fit propositionum, ex quibus conclusiones geometricæ probantur: altera propositionum; ex quibus in Perspectiua conclusiones probantur: & vniuersaliter duæ sunt interrogationes scientiæ cuilibet familiares, eæ ex quibus ipsius conclusiones probantur, & eæ ex quibus quæ in subalternatã sunt etiam probantur; nota litteram; aut quod ex eisdem monstratur, &c. idest aut eæ interrogationes etiã sunt geometricæ, ex quibus eisdem monstratur aliquid, ut visibilia, idest monstrantur quæ sunt in perspectiua.

Et de ijs quidẽ & rõnẽ ponere, &c. 3

Hæc sunt verba continua præcedentibus,

sensus est, de his etiam s. perspectiuis principijs reddēda est ratio à Geometra, ac ideo talium propositionū interrogationes, per quas perspectiua probantur sunt geometricæ: idē est in alijs subalternis dicendū est: at suamet principia nulla scientia probat, nec ipsorum propter quid reddit, non.n. Geometra, ut geometra sua principia probat, sicut probat subalternatæ principia, dico, ut geometra, quia ſm aliam artem accidere potest principia alicuius scientiæ probare, ut notum est.

4 *Neque igitur omnem, &c.*

Infert secundo, cum sint propriæ interrogationes in qualibet scientia, non esse interrogandum quemlibet scientem quamcunq; rem, non.n Geometrā omnia interrogabis, nec Arithmeticum, sed quæ propria illius sunt; nec similiter quilibet artifex tenetur, nec debet cuilibet interrogationi respōdere, imò in disputatione nullus aliquem artificē redarguit, nisi ex principijs illius artis redarguit, nisi ex principijs illius artis redarguat; qui.n. geometram de re physica conuincit: oportet ergo & ex proprijs disputare, & redarguere, non ex extraneis illius artis.

5 *Quare non erit in non geometricis, &c.*

Concludit, non esse disputandum in Geometria de non geometricis principijs, & rebus, latebit.n. praua disputans, idest in illa arte non poterit cognosci an praue disputet, cū non ex illius principijs procedat: uel secundum Themist. in non geometricis, idest cum ignaris geometriæ, non est geometrice disputandum, quia non poterit ab illis percipi, quando praue disputetur, uel aliter, ne disputetur in geometria non geometrice quia si sic disputatur, est praua disputatio, & non apparet, cum disputatio in geometria fiat.

6 *Quoniā autem sunt geometricę, &c.*

1. Qō. Hæc est secunda pars capitis, in qua tres quæstiones proponit: prima est, vtrum sicut sunt in scientia, puta in Geometria interrogationes geometricæ, ita etiam sint ageometricæ.
2. Qō. Altera quæstio est (quia ut postea dicturus est, sunt duæ interrogationes ageometricæ, seu amusicæ, ut ita dicā, & ſm quālibet scientiam, una est ſm ignorantiā negationis: altera est secundum ignorantiam malę, & prauæ dispositionis) dubitat ſm quam harum ignorātiarum, interrogationes factæ in scientia, magis uicinæ sint, & proxime illi scientiæ: unde sic lege literam Boetij; ex his interrogationibus, quæ secundū ignorantiam fiunt in Geometriæ qualis est geometrica, & secundū vnāquamq; scientiam. i. ita petitur in illis scientijs. Tertia quæstio est, 3. Qō.
cum duplex sit uitiū in syllogismo facto in scientijs, & secundum formam: qualis est paralogismus, & secundum materiam, qualis est is, q ex oppositis scientię ꝓcedit, uter ex his magis dicatur syllogismus ignorantię in illa scientia & arte: Hęc sūt quæstiones tres.

7 *Secundum geometriam, &c.*

Soluit duas priores quæstiones, distinguēdo duas ageometricas qōnes, seu potius interrogationes; altera est, quæ fit in Geometria de re musica, si.n. geometricam interrogationes ageometricæ sunt altera est quæ fit in Geometria de opposito eius qđ in Geometria est, vt si interroges, an parallelæ concurrant, hæc ageometrica est interrogatio, non sicut prior, nam prior de materia extranea a Geometria erat, hæc de eadem materia, sed de opposito principio; idem poteris cuilibet scientiæ adaptare, in oī.n. hę duę fiunt interrogationes a scientia alienę; & per hoc respōdetur ad primā quęstionē, sunt enim ageometricæ quæstiones, postea has duas comparat, & eā quæ ex oppositis est, magis ad geometriā accedere docet, cū fere ex materia eadem fit, quamuis nō fit prorsus geometrica, cū ex oppositis fit: & ex hoc soluitur secūda quæstio. Nota literam textus sic legēdam, interrogatio nō geometrica, id est ageometrica est aut secundum geometriam, puta quæ ex eadem materia, sed opposito modo, aut ex alia arte, vt ex Musica, vti diximus. Solutio duarum primarum qōnum.

8 *Duplex enim hoc.*

Ex uocabulo, ageometricū nempe, sumit rationem distinctionis prædictę, nā ageometricum uno modo dicitur pure negatiue, q nullo modo ad Geometriam pertinet, quales sunt illæ interrogationes aliarum scientiarum, quæ in Geometria fiunt: altero modo priuatiue; quod aliquo modo ad Geometriam pertinet, sed opposito modo sumptū

&

& ponit exemplum, irrhythmicum, seu incõsonans duobus his modis dici potest, sicut ageometricum; & qđ non hẽt prorsus consonantiã, quod uocat in non habendo, & quod malam hẽt consonãtiam, quod uocat in prauè habendo: ubi nota duplicem ignorãtiam; altera est puræ negationis, quæ est in non habendo prorsus illam scientiam, altera est prauæ dispositionis, quæ est oppositum scientiæ existimare: illæ interrogationes ageometricæ, quæ sunt ex alijs scientijs, dicuntur ꝼm ignorantiam negationis, quæ uerò sunt ex oppositis, sunt prauæ dispositionis, ut petebamus in secunda quæstione. Ignorantia quæ ex talibus principijs, idest ignorantia prauæ dispositionis ista est contraria scientiæ; ex quo patet solutio tertiæ quæstionis; magis enim ignorat scientiã, qui in materia, quàm qui in forma syllogismi deficit.

Sol. tertiæ qõnis.

9 *In mathematicis autem non est similiter, &c.*

Tertia capitis pars hæc est, quamuis autẽ Caietanus, & alij uelint hic tertiæ quæstioni rñderi, melius est cum Philop. dicere iam responsum esse, ut diximus, hic aũt uult Arist. discrimen inter syllogismos scientiarũ, præsertim Mathematicarum, quas doctrinas uocat, & inter syllogismos dialecticos assignare: ac primũ circa defectus, qui in syllogismi forma accidunt, quorum primis eorum, qui in dictione sunt, est æquiuocatio, hanc in scientiarũ rationib. non euenire ostendit, quia medium, inquit, est duplex, dicitur. n. de omni in minori, & de ipso omni in maiori aliud dicitur, ut autem explicaret, ꝙ uniuersalitas non est prædicato, sed subiecto addenda, non enim homo est omne animal, propterea adiunxit, quòd prædicatur, non dicitur omne, qđ idẽ dixerat in lib. de interpret.

Expositio Auer. Dices, quod uocat mediũ duplex? Auer. respondet per mediũ duplex, intelligi, quod medium sit unum, & uoce, & re significata, in æquiuocatione enim medium simpliciter est unum, nempe uoce sola.

Expositio Philop. Sed melius Philop. per medium duplex intelligit, quòd idem medium bis sumatur, & in maiori, & in minori, & de omni, quod in æquiuoco non est, cum pro uno in maiori, pro altero in minori sumatur: hoc autem frequentius accidit in dialecticis, quã in demonstratiuis, cuius rationem assignat Philop. Nam quælibet scientia determinatas res continet, & determinata uocabula ad illas res, ideo aĩus scientis minus est uagus in rerum apprehensione, quàm Dialecticus, qui circa omnia uagatur: propterea ei æquiuocationes accidunt, cum plura sub uno uocabulo coniungit, v. g. Geometra per circulum quandam figuram concipit, qui eam considerat, Poeta uerò quoddam carminis genus, quia id tractat: propterea neutri accidit æquiuocatio; Dialecticus uerò, qui circa vtrũque disputat, vtrumq; apprehẽdit, & exponitur errori æquiuocationis. Hæc est mẽs Philop.

Quamuis possemus etiam dicere per medium duplex uoluisse dicere, s. quod in maiori, & in minori, bis de omni sumatur: raro autem hoc in æquiuocatione accidit, in qua sæpe altera præmissa particularis est. *3. Alia expositio.*

Hæc autem sunt, ac si. 10

Potest dici postquam Arist. proposuit medium dupliciter sumi de omni in demõstratione, hic prosequi rõnem explicãdo differentiam a syllogismo dialectico, ut totũ sit una rõ, quod mihi magis placet, uel ꝙ sit noua ratio, s. quæ sunt in scientijs sunt perspicua, & præsentia intellectui, sicut quæ uidẽtur: at Dialectica, cum orationes, & sermones consideret, non ita perspicuas res hẽt, ob id magis in ea fit æquiuocatio, nã æquiuocatio magis ad nomen fit, quã ad rẽ, & intellectum. v. g. si circulus describeretur, clarũ est, qđ non esset æquiuocatio, nullus. n. carmen circulum talẽ concederet, sic Mathematicus res uelut descriptas tractat, at in nomine quo Dialecticus utitur, æquiuocatio est: ob id igitur minus in scientijs fit æquiuocatio: uide de hoc eodẽ ipsum Arist. 1. Elench. c. 9. ubi id ipsum latius docet, & eodem exemplo usus est.

Non oportet autem instantiam, &c. 11

Hunc locum adeo difficilem existimauit Philop. ut alios interpretes expectaret, adducit tamen quandam expositionem; quæ illi non placet, illã tamen recipit S. Tho. & alij, ut uelit Arist. docere modum quo demõstrationibus instamus, diuersum ab eo, quo in dialecticis instamus: instantia enim debet in scientijs esse vniuersalis, ut si fiat ille paralogismus, omnis circulus est figura, carmen est circulus, ergo carmen est figura: si uolumus instare minori, per uniuersalem instantia

ſtantia fiet, probando nullũ carmen eſſe circulum,non per ſingularia, ſic, omnis circulus eſt figura, nullum carmen eſt figura, ergo nullum carmen eſt circulus: quòd autẽ inſtantia debeat eſſe vniuerſalis, probat Ariſtot. quia inſtantia fit propoſitio poſtea, ſiue dialectica ſiue demonſtratiua,ad faciendum ſyllogiſmum, ſed ſi inſtantia eſſet ex ſingularibus nõ eſſet in pluribus, nec uniuerſalis, ideo nec apta ad ſyllogiſmũ ex vniuerſalib.

Hoc eſt,quod Philo.diſplicet;nam inſtantia ſemper eſt concluſio illata contra reſpondentis dicta;non ergo eſt propoſitio: ad hoc tñ uidetur tacitè rñdere S. Tho. quod licèt inſtantia ſit prima concluſio,tñ ſumitur poſtea tanquam propoſitio ad inferendũ aliud oppoſitum reſpondentis;& hoc idem dicebãt illi,quos citat Philop. & ponit eorum exemplum. v.g.ſumatur illa inſtantia præcedens, nullum carmen eſt circulus, quæ erat concluſio,& ſic dicatur,omnis circulus eſt figura nullum carmen eſt circulus, ergo nullũ carmen eſt figura: ecce enim inſtruit oppoſitum cõcluſionis prioris paralogiſmi:ſed profecto hoc exemplum eſt repræhendendum, & miror cur Philop. diſſimulauerit, eſt enim in prima figura ex minori negatiua, poſſent quidem alia exempla poni; ſed dubium eſt, nam c. 4. inſtantias particulares contra propoſitiones de omni poſuit:unde uidetur poſſe inſtari particulariter in ſcientijs.

1. Expoſitio. Ob id dico,ſaluo meliori iudicio, dupliciter nos inſtare in ſcientijs,aut ad deſtruendũ tantum falſam demonſtrationem,aut nõ ſolum ad deſtruendum, ſed etiam ad conſtruẽdum oppoſitam demonſtrationem, & tunc inſtãtias uniuerſales ponimus, quippe cũ ex eis futura ſit demonſtratio, quod non opus eſt ẽt in dialecticis conſtructionibus oppoſitorum;hoc eſt quod hic docet, aliter inſtantias eſſe in ſcientiis, aliter in dialecticis: v.g. dicat quis,nulla uirtus eſt qualitas, omnis iuſtitia eſt uirtus, ergo nulla iuſtitia eſt qualitas, ſic iuſto maiori, omnis habitus eſt qualitas,oĩs virtus eſt habitus,ergo oĩs uirt' eſt qualitas:iterũ per hanc demonſtro oppoſitũ alterius cõcluſionis ſic, omnis uirtus eſt qualitas,omnis iuſtitia eſt uirtus:ergo oĩs iuſtitia eſt qualitas,hoc autem ſæpe accidit.

12 *Contingit autem quoſdam.*

Defectum tradit qui aliquando accidit in ſcientijs,nempe ſumere mediũ conſequens, & ſuperius utraque extremitate; tunc.n. eſt uitium in ſecunda figura ex puris affirmatiuis, quõ argumentabatur Cæneus Philoſophus uolens demonſtrare ignẽ in multiplicata analogia fieri, & ſumebat pro medio quid ſuperius, nempe celeriter generari, & dicebat, quod in multiplicata analogia fit, celeriter generatur, ignis celeriter generat', ergo ignis in multiplicata proportione fit: aduerte circa hanc rõnem, ignem in multiplicata analogia fieri,eſſe,quòd ſemper maior fiat ignis,quam erat materia, ex qua factus erat, vt experientia monſtrat, ex parua enim ſtuppa fit magna flamma; quod vero celeriter generetur,eſt, quod paruo tempore eius productio fiat,ut notum eſt.

Sed quid per multiplicatã analogiam intelligat exponit Philoponus cum Proclo, intelligi proportionem multiplicem,in quo repræhendit Alexan. qui ſuper particulam intelligebat. Dices,quare multiplex proportio cito gñatur? rñdet Philop. quia ſtatim per numeri duplationẽ fit, ut patet 1.2.4.8.16. 32. qualibet.n.numer' ex his eſt duplus ſuo dimidio, & multiplex ad priores, ſed pace Philo.citius fit multiplex quã ſic,nõ ſolũ.n. per duplationẽ,ſed per gñationẽ cuiuſq; numeri,ſunt.n.multiplices ad unitatẽ, vt patet 1. 2. 3. 4. 5. 6. Cæneus igitur medium cõſumebat,oportebat.n.conuerſa maiori dicere,quod celeriter gñatur,in multiplicata proportione fit,ignis celeriter gñatur; ergo &c. 9
Sed tunc maior eſſet falſa, nam aliqua celeriter generantur,& non in multiplicata analogia,ut cum aer cito fit aqua,quia erat aliàs maximè diſpoſitus, & tamen aqua in minori proportione fit, quia eſt denſior aere, non igitur bene demonſtrauit Cæneus.

Quid multiplicata Analogia.

Aliquando quidem igitur non contingit &c. 13

Docet aliqñ ex acceptis, puta affirmatiuis, in ſecunda figura licere argumentari, intellige cum ſunt termini conuertibiles, aliqñ non licere, cum non ſunt conuertibiles, quamuis talis ſyllogiſmus in conuertibilibus, non uideatur, id eſt ſit imperfectus, quouſq; per conuerſionem in primã figurã reſtituatur:ut omne riſibile eſt animal rõnale, omnis hõ eſt animal rõnale, ergo omnis hõ eſt riſibilis; conuerſa uniuerſaliter maiori

fori, fit prima figura. in hoc vult ostendere Arist. ut D. Tho. & alij dicunt, hunc defectũ raro committi in demonstrationibus præcipuis, in quibus semper fere termini sunt cõuertibiles, non.n. syllogismus qui ex puris affirmatiuis in secũda figura fit uitiosus est, cum termini conuertibiles sumuntur.

14 *Si autem esset impossibile, &c.*

Quid resolutio. Aliam differentiam, ut omnes fatentur, Arist. assignat inter demonstrationẽ, & syllogismum dialecticũ, nempe faciliorem esse resolutionẽ in demonstratione, quàm in syllogismo dialectico: est aũt resolutio, ut uot. Them. c. 26. Philop. uera conclusione proposita, propositionũ ex quibus confecta, & collecta est exquisitio, & inuentio: Est aũt discrimen inter conclusionem uerã dialecticã, & demonstratiuã, quod dialectica, cum ex probabilibus sit syllogizata, probabilia aũt sunt multa, & uera, & falsa, talis conclusio ex multis, tum ueris, tum falsis syllogizari põt, ob id non habet determinata principia, ex quibus syllogizetur: propterea est difficilis resolutio; at conclusio demonstratiua ex ueris tãtum, non quibuscumque, sed necessarijs colligitur, hæc aũt determinata sunt, propterea est facilior resolutio in demonstratione.

Hoc igitur est quod dicit Arist. si uerum non posset ex falso colligi, sed semper ex uero, facile esset resoluere; nam tunc conuerterentur conclusio, & propositiones: intellige, quo ad ueritatem, ita ut si propositiones ueræ, etiam conclusio uera, & si conclusio vera, ẽt propositiones uerę essent, ut si A. est, nẽpe conclusio, B. nempe præmissæ ẽt sunt, & econtra, ꝙ si conuertuntur, facilè erit per cõclusionem præmissas indagare, & resoluere: at cũ non ita fit immo uerũ ex falso sequi possit, non erit talis conuersio, quod in dialecticis fit: ideo resolutio conclusionũ in propositiones ueras est difficilis. In mathematicis uerò demonstrationibus, cum non per accidentia fiãt propositiones, sed per definitiones, & ea quæ per se sunt, nõ est resolutio difficilis, uerbi gratia, ꝙ homo sit animal põt dialecticè probari, quia loquitur, quia currit, quia legit, & per alia multa: & sic quia cõclusio est uera, & ob id illæ propositiones ueræ essent, adhuc facilius esset talem conclusionem resoluere: at potest conclusio esse uera, & illa omnia ex quibus syllogizari põt falsa, propterea difficile est eam in propositiones suas probatiuas resoluere; at in demonstratione, cum ex ueritate conclusionis sequatur etiam ueritas propositionum, non est ea difficultas in resolutione circa propositiones, cum determinatæ sint, & ueræ.

Augentur aũt non per media, &c. 15

Confirmat indeterminationem propositionum in Dialectica, ex diuerso augmento demonstrationum: est.n. triplex augmentũ, primum in post sumendo; cum per conclusionem probatam iterum aliam, & per hanc aliam probamus, & hoc augmẽtum ẽt est in demonstratione, ut patet in Euclide; per vnam.n. probatam aliam demonstramus: alterum augmentũ est in sumendo ad latus, cũ aliquã superiorẽ passionem de uarijs inferioribus per media uaria demonstramus, ut sensibile de hoĩe per rationale, & de equo per hinnibile: exemplum Arist. est, numerus infinitus, i. in cõi qui uocetur A. demonstretur de impari. i. de ternario: qui dr̃ C. per imparẽ quantum. i. imparem in cõi, & sit B. dices igitur, oĩs impar est numerus ternarius est impar, ergo ternarius est numerus: iterũ idem A. nẽpe numerus, demonstretur de pari, nẽpe quaternario, qui sit E per parẽ quantũ. i. in cõi qui sit D. dices, omnis par est numerus, quaternarius est par, ergo est numerus; & sic ẽt augentur demonstrationes: tertium argumentum est, per media uaria demonstrando eandem conclusionem, & hoc non fit in demonstrationibus nam uniús effectus unũ est principale medium, in dialectica, id fit, ut diximus, ideo difficilis est resolutio.

Dub. Dices, nonne ẽt per uarias causas augentur demonstrationes, cũ unum multis causis demõstrari possit? dico, uerum esse, at in eodem genere non multiplicantur demonstrationes: cum autem Mathematicæ scientiæ fere per unicum genus causæ demonstrent, nõ cõtingit in talibus demõstrationib. multiplicari media: & hoc tm̃ intẽdit in p̃senti.

De demonstrationum Quod, & Propter quid, speciebus ac differentijs. Cap. X.

QVod verò differt, & propter quid scire, primum quidem in eadem

scientia, & in hac dupliciter. Vno quidem modo, si non per immediata efficiatur syllogismus: non enim accipitur prima causa: scientia verò ipsius propter quid secundum primam causam.

Alio autem, si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ conuertuntur: nihil enim prohibet eorum, quæ conuersim prædicantur, notius aliquādo esse, quod est non causa: quare erit per hoc demonstratio.

2 *Vt quod planetæ prope, per id quod non scintillant, sit in quo C. planetæ: in quo B. non scintillare: in quo A. prope esse: verum itaque B. de C. dicere: planetæ enim non scintillat: sed & A. de B. quod enim non scintillat prope est: hoc autem acceptum sit per inductionem, aut per sensum: necesse igitur A. inesse ipsi C. quare demonstratum fuit, quòd planetæ prope sunt. Hic igitur syllogismus non ipsius propter quid sed ipsius quod est, non enim propter non scintillare, prope sunt; sed propterea quia prope sunt, non scintillant. Euenit autē & per alterum mostrari alterum: & erit ipsius propter quid demonstratio. Vt sit C. planetæ: in quo B. prope esse A. non scintillare: inest itaque & B. ipsi C. * quare & ipsi C. A. & A. ipsi B. non scintillare: & est syllogismus ipsius propter quid, accepta enim est prima causa.*

* al. I. & A. ipsi B. non scintillare: quare & ipsi C. A.

3 *Rursus quemadmodū lunam monstrant, quod sphærica, per augmenta: si enim quod ita augetur est sphæricum, augetur autem luna planū quod sphærica: sic igitur ipsius quod, factus fuit syllogismus. E conuerso autem posito medio ipsius propter quid, non enim propter augmēta est sphærica: sed quia est sphærica, accipit augmenta talia, Luna, in quo C. sphærica in quo B. augmentum in quo A.*

In quibus autem media non conuertuntur, & est notius, quod non est causa, ipsum quidem quod, monstratur, ipsum autem propter quid non. 4

Amplius in quibus medium extra ponitur; etenim in his ipsius quod, & non ipsius propter quid, est demonstratio, non enim dicitur causa. Vt propter quid non respirat paries: quoniam non animal; si enim hoc non respirandi causa est, oporteret animal esse causam respirandi; vt si negatio causa est ipsius non esse affirmatio causa est ipsius esse: quemadmodum si hoc, quod est incommensurabilia esse calida, & frigida, eius, quid est non sanum esse, hoc quod est commensurabilia esse, eius quod est sanum esse, consimiliter autem & si affirmatio ipsius esse, negatio ipsius non esse. In ijs autem, quę sic assignata sunt, non contingit, quod dictū est: non enim omne respirat animal. 5

Syllogismus autem fit talis causæ in media figura: vt sit A. animal: in quo B respirare: in quo C. paries. A. igitur inest omni B. omne enim respirans est animal: ipsi autem C. nulli. quare neq; B. C. nulli: non itaq; respirat paries. 6

Assimilantur autē tales causæ ijs, quæ secundum excessum dicuntur hoc autem est plus distans dicere medium. 7

Vt illud Anacharsidis, quod Scythis non sunt tibicines, neq; enim uites. 8

Secundum quidem igitur eandem scientiam, & secundum mediorum positionem istæ differentiæ sunt eius, qui est ipsius quod, ad eum, qui est ipsius propter quid syllogismum. 9

Alio autem modo differt ipsum propter quid, ab ipso quod, eo quod per aliam scientiam vtrumque speculatur: talia 10

talia autem sunt, quæcumque sic se habent inuicem, ut sit alterum sub altero: vt perspectiua ad Geometriam, & Mechanica ad Stereometriam, & Harmonica ad Arithmeticam, & Appurentia ad Astrologiam.

11 *Ferè autem vniuoce sunt nonnullæ istarum scientiarum, Astrologia, & quæ Mathematica, & quæ Nautica, atque Harmonica, & quæ Mathematica, & quæ secundum auditum.*

12 *Hic enim ipsum quidem quod sensitiuorum est scire; ipsum uerò propter quid, Mathematicorum, hi namque habent causarum demonstrationes, plerumque non sciunt ipsum quod: quemadmodum qui vniuersale speculantur, multoties non nulla singularium nesciunt, quia non aduertunt.*

13 *Sunt autem hæc quæcunque cum alterum quid sint secundum substātiam, vtuntur formis: disciplinę namque circa formas sunt: non enim de subiecto aliquo Geometrica sunt, si enim subiecto aliquo Geometrica sunt: sed non inquantum Geometrica, de subiecto.*

14 *Se habet autem & ad Perspectiuā, vt hæc ad Geometriam, alia ad hanc vt quod est de Iride, ipsum enim quod, Naturalis est scire, ipsum verò propter quid, Perspectiui, aut simpliciter, aut secundum* Mathema.*

* disciplinam.

15 *Multæ autem & non sub se inuicem scientiarum, ita se habent ut Medicina ad Geometriam: quod enim vlcera orbicularia tardius sanantur, Medici est scire: propter quid verò, Geometræ.*

1 *Sed quia differt, & propter quid, &c.*

Demonstratio quia & propter quid. Duplex genus demōstrationis distinguit, quæ sunt instrumenta duarum scientiarum, altera enim demonstratio quia est, quæ facit scientiam, quæ dicitur quia est, altera demonstratio propter quid, quæ scientiam potissimam facit per causam. Est autem caput in duas diuisum partes, in priori ostendit quomodo hæ duæ demonstrationes se habeant in eadem scientia, in posteriori, quomodo sint in diuersis. Proponit igitur differre scire quia, & propter quid, ac proinde ipsas demonstrationes, scire enim propter quid, est per causam primā cognoscere, at scire quia, dupliciter contingit, uno modo, cū propter causam, sed non primam cognoscimus, altero modo, cum immediatum effectum non per causam cognoscimus: fieri enim potest ut effectus, licet cum causa conuertatur, sit notior nobis, & tunc per illum demonstrantes facimus demonstrationes quia.

Vt quod planetæ prope, &c. 2

Ponit duo exempla, alterum est, stellæ nō scintillantes sunt prope nos, planetæ nō scintillant: ergo sunt prope nos, Sic syllogismus ab effectu procedit, quia effectus notior est, cum sensu, & inductione percipiatur; sensu quia ipsos planetas non scintillare uisu dignoscimus; inductione, quia in his omnibus puta argento, auro, plumbo, quæ prope nos sunt, non scintillare comperimus: poterit talis quia, fieri propter quid, maius extremum mutando in medium, sic quæ sunt prope nos, non scintillant, planetæ sunt prope nos, ergo planetæ non scintillant: hæc est per causam demonstratio. Nota per A. maius extremum per B. mediū, per C. minus extremum intelligi in præsenti loco.

Rursus quemadmodum Lunam. 3

Ponit secundum exemplum: quicquid circulariter illum natur, est rotundum, luna sic illuminatur, ergo est rotunda: est etiam ab effectu, & potest eodem modo fieri propter quid sumendo causam pro medio: quod est rotundum sic illuminatur, luna est rotunda, ergo sic illuminatur.

In quibus autem media non conuertuntur, &c. 4

Docet non semper demonstrationē quia, fieri propter quid; cum enim effectus notior est, sed cum causa non conuertitur, fit solum quia, nō propter quid, ut omne progressiuum

ssiuum est animal, oīs leo progressiuus est, ergo oīs leo est animal: non dices tñ omne animal progressiuum est, sunt.n.multa animalia, quæ nō sunt progressiua, in his tamen est demonstratio quia, non propter quid.

5 *Amplius in quibus medium, &c.*

Assignat exemplum secundi generis demonstrationis quia est, nempe cum fit per causam mediatam, & dicit (in quibus medium extra ponitur.) per medium extra poni intelligit Alexan. quod sit in secunda figura, in qua medium dicitur extra poni, ut dicitur 1. Priorum cap. 6. quia fit superius, & prædicatum de utraque extremitate; quia uero hæ demonstrationes, quæ fiunt per causam remotam, fiunt in secunda figura, ideo dicit, in quibus medium extra ponitur: etiã aliter exponit, quòd medium extra poni, sit causam esse remotam, & distantem ab effectu, quasi alia causa sit ante ipsam.

Vtraq; expositio bona est, prior partim est Alber. c. 6. tract. exemplũ autem est hoc, si quis probaret parietem non respirare, quia non est animal, assignaret quidem causam, sed remotam: proprio enim causa non respirandi est, non habere pulmonem remota uero, non esse animal: nam si non est animal, non habebit pulmonem, non tñ est causa proxima: & probat Aristoteles illam non esse causam proximam, nam si non animal esset proxima causa non respirandi in proximis enim causis, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis, ut non temperies qualitatum est causa proxima nō sanandi, & temperies est causa sanandi, & e contra: non sic autẽ est de animali, non.n.animal est causa proxima, & immediata respirandi, cum multa sint animalia, quæ non respirant, ut pisces: ob id etiam non animal nō est causa non respirandi. Nota exemplum Arist. qui non sumpsit contrarium, nempe male habendi, sed non sanandi, nam in causis etiam proximis non ualet a negatione causæ ad effectum contrarium, sed ad negationem eiusdem effectus: non enim dices, si animal rationale est causa risibilis, non animal rōnale est causa risibilis, sed nō risibilis.

Dub. ex Philop. Dubitat Philop. nam Arist. videtur procedere ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, quod non licet: dicit enim, si non animal est causa nō respirandi, animal est causa respirandi: rñdet hic Arist. non facere propositiones, aut argumentationes, sed dicere de causis immediatis, & proximis, q si est causa proxima alicuius effectus, eius negatio erit causa negationis illius effectus, & contra, si negatio est causa negationis, affirmatio & erit causa affirmationis. Dices, quid est causa proxima? Dico illam esse proximã ex qua omni, & sola procedit effectus: unde animal nō est causa proxima progressiui motus, quia non omni animali inest, nec similiter non respirare non est ab eo, quod est non esse animal, quia non soli non animali inest, multa enim animalia non respirant: causa uerò proxima, sola, & oīs effectum producit, & in huiusmodi causis est uera illa propositio Arist. Nec impedit q effectus possit ab alia causa procedere, quando hæc est illi proximè subordinata; unde animal rōnale causa censetur non remota risibilis, licèt risibile ab admiratiuo proueniat, admiratiuũ.n. subordinatur animali rationali, tamquàm causa principali, a quà reliquæ procedunt.

Sillogismus autem fit talis, &c. 6

Ostendit in qua figura similes sint demōstrationes faciendæ, ac in secunda docet constitui debere. dices enim, omne respirans est animal, nullus paries est animal, ergo nullus paries respirat, per A. medium intelligit, per B. maius extremum, per C. minus.

Dubitat Philop. an possit in secunda figura fieri demonstratio propter quid. Respondet, & bene, posse fieri, & ponit exemplum obscurum: clarius erit si sic dicatur, omne respirans habet pulmonem, paries non habet pulmonem, ergo non respirat. Dub. ex Philop.

Dubitat præterea an in prima figura possint hæ demonstrationes negatiuæ fieri. Respondet subtiliter quòd non, quia cũ maius extremum concludatur negatiuè de minori propter mediũ negatiuum, deberet medium negari de minori extremo, & fieret in prima figura minori negatiua, quod non licet, non enim dices, omne pulmonem habens respirat, paries non habet pulmonem; ergo non respirat; dico hoc non esse dicendum: est enim falsum possumus enim optimè in prima figura demōstrationes facere per causas negatiuas, sumendo pro medio totã causæ negationem, sic, nullum non habens pulmonem respirat, omnis paries est non habẽs pulmonem.

pulmonem, ergo nullus paries respirat.

9 *Comparãtur autem huiusmodi, &c.*

Philop. & Themist. dicunt hic Arist. comparare has causas remotas his quæ dicuntur secundum excessum, explicant autem ea dici secundum excessum, quæ non sunt necessaria, sed superflua, ac si dicat, istæ causæ remotæ sunt superfluæ, cum sine his demonstrare possimus: sed re uera melius exponit S. Thom. nempe superiora, & communiora dici secundum excessum: & est sensus, has remotas causas dici, ut prædicata superiora, excedunt. n. & superant effectus: dices, qua ratione id docetur? dico, quia reddit rationem quare tales demonstrationes, quia, sint in secunda figura, nempe cum media, scilicet causæ remotæ, sint superiores effectibus, ac de illis prædicentur, cum autem medium superius est, secundam facit figuram.

8 *Vt illud Anacharsides, &c.*

Vtitur alio exemplo eiusdẽ ex Anacharside, qui cum Scytha esset, & degeret Athenis, occurentibus fœminis præ vino nimio saltantib. quas uocat Aristot. Auletrides, fuit interrogatus, an in Scythia essent similes responditi, non esse uites, hæc causa est remota, proxima enim erat ebrietas ex uino; est autẽ demonstratio sic facienda, ubi sunt Auletrides, sunt uites, in Scythia non sunt uites, ergo in Scythia non sunt Auletrides, demonstratio est quia; non enim est proxima causa, non esse vites, cum esse uites non sit causa quòd sint, cum etiam ubi uites non sunt reperiantur tales, uinum enim potest deferri: vtitur similibus literis, sicut ĩ priori exẽplo.

9 *Secundum igitur eadẽ scientiã, &c.*

Concludit se dixisse de demonstratione quia, & propter quid, secundum eandẽ scientiam, & secundum mediorum positionem, id est quomodo differant in medijs, & per quæ media demõstratio, quia, procedat, quæ est prior pars capitis.

Dubiũ An demõstratio, quia sit dicenda demõstratio.


Dubitatur, an demonstratio quia, sit dicẽda demõstratio, dico non esse potissimã demonstrationẽ, qualis est definita superius, ac de qua locuti sumus hactenus, hæc enim soli, propter quid, insunt: est tamen quędam demõstratio imperfecta, distincta specie ab ea quæ est per causam primam; harum enim distinctio secũdũ media sumi debet, hæc autẽ differunt specie in his demõstrationibus.

Dubitatur secundo; nã uidetur esse aliud genus demonstrationis, puta a signo; similiter demonstratio propter quid causæ, & propter quid simpliciter, ut superius diximus ex Auerroe: præterea est ad impossibile demõstratio, vt si ignis nõ esset attractiuus, nõ esset calidus, consequens est falsum, ergo & antecedens. Dico sub demonstratione quia, non solum comprehendi demonstrationẽ ab effectu, sed quamcunque, quæ per causam primam non procedit, siue sit ab effectu, siue a signo, siue a causa remota, siue quæ fit inter superiora, & inferiora quidditatiuè; inferiora enim superiorum, & superiora inferiorum sunt remota causa, cum ex negatione inferioris non sit negatio superioris, nec ex affirmatione superioris sequatur affirmatio inferioris, quæ sunt opus ad causam primam, ut diximus. Dico secundo, non opus esse illam demonstrationem, propter quid distinguere, quia omnis demonstratio causæ ostendit causam, & conclusionem esse, vt latè diximus superius. Dico tertio, illas demõstrationes reduci, uel ad quia, uel ad propter quid, unde illa reducitur ad hanc propter quid, omne calidum est attractiuum, ignis est calidus, ergo est attractiuus. Dub. 2.

Alio autem modo differt ipsum, &c. 10

In hac secunda parte docet, quia, & propter quid, differre in diuersis scientijs. Nõ intelligas hic esse aliud genus demõstrationis quia, sed quòd sit aliqua demonstratio potissima propter quid, cuius causa, & propositiones sint unius scientiæ, cõclusionis verò cognitio, quæ dicitur quia, sit alterius scientiæ, quod accidit in subalternatis, ut diximus latè superius; ponit exemplum Philop. Perspectiuus enim dicit res ad maiorem distantiã minores apparere, quia sub minori uidentur angulo, puta A. ad minorẽ uerò distãtiã, maiores apparere, quia sub maiori angulo uidentur, puta B. at quare angulus B. sit maior A. geometræ est scire propter quid, Pespectiui verò, quia: ponit Aristot. multa exempla subalternarum. Nota per apparentiã, ut vult Philo. intelligi Nauticã, q̃ sub Astrologia est.

Vide de subalternatione Alber tra. hoc 3. c. 7.



Ferè autem uniuocę sunt nonnullæ &c.

Philo. subalternãtes, & subalternatas sciẽtias

sias vult dici ferè vniuocas: vniuocas, quia vtræque sunt eiusdem rationis; ferè, quia nō absolutè, & simpliciter. Sed crediderim mētem Arist. esse, quod aliquæ subalternantes, & subalternantæ idem habent commune nomen, ut Musica dicitur ipsa Mathematica, & speculatiua, etiam Musica dicitur hæc practica ei subalternata, quam uocat secundum auditum; Similiter Nautica dicitur astrologia, sicut sua subalternans, hoc tamē nō in omnibus est inuenire. Nota subalternantes vocati Mathematicas, quarū est cognoscere propter quid subalternas uerò sēsibiles, quippe quæ magis sensui accedant, cum materiales sint, quarum est cognoscere quia, & cōclusiones.

12 *Hi enim habent demonstrationes causarum, &c.*

Ostendit subalternantes ipsas causas cognoscere, non tamen quia, accidit enim frequenter quod quis teneat causā, & effectum ignoret, cum causam non applicat: & ponit exemplū, sæpe enim contingit propositionē aliquā uniuersalem cognoscerere, puta oēm mulam esse sterilem, & ignorare hanc, vel illam mulam esse sterilem quia non aduertit, nec occurrunt cognitioni: ita fit in causis, & effectibus; potest ergo in subalternāte cognosci propter quid, ut nō cognoscatur effectus.

13 *Sunt autē hæc, quæcunque alterū &c.*

Expositio. Philop.

Philop. vult uerba hæc dicta esse de subalternantibus, & superioribus scientijs Mathematicis, vt sit sensus: hæ scientiæ, cum substantiam ab alijs diuersam habeant, cuius species, idest figuras, lineas quantitates considerent, tamen solis speciebus contentæ sunt abstrahunt n. a materia omni sensibili: quod si ista quæ Geometria, & Mathematicæ puræ considerant, in substantia, & subiecto sūt non sit ad Mathematicam spectant, sed abstracta ab eo: est bona expositio.

Melior expositio D. Thom.

Ad S. Tho. aliter exponit, & bene, ut priora verba sint pro inferioribus scientiis, hæ enim cum aliud quid sint a superioribus secundum substantiam, & materiam, specieb. tū, & figuris utuntur, sicut superiores, sed cō tractis ad illam materiā, reliquæ uero eas a materia separant, licet in materia sint, propter quod vult has differre penes maiorem, uel minorem a materia abstractionem.

Se autē habet ad perspectiuam, &c. 14

Docet sicut perspectiua ad Geometriam se habet, ita se habere scientiam de Iride ad Perspectiuam, cui subalterna est; scire enim quia de Iride est scientiæ quæ physica dicitur. quia est in materia sensibili, uel quia sit pars physicæ, ut aliqui volunt; at scire propter quid est Perspectiui simpliciter, ut secundū disciplinam, idest uel Geometricæ, cui perspectiua subijcitur, ut bene explicat Aegidius; nam aliquando aliqua de Iride ex Geometria probantur.

Multæ autem & non sub se inuicē. 15

Concludit aliquando conclusionē unius scientiæ probari in alia, quamuis tales scientiæ non sint subalternæ, ut patet: Medicus enim dicit, vulnera circularia difficilius sanari, Geometra dat causam, quia latera circuli maxime distant, non tamen medicina subijcitur Geometriæ: huiusmodi sunt multa alia. Latè diximus de subalternatione capite septimo superiori, similiter de alijs difficultatibus quæ hic poterant occurrere, in alijs capitibus disputatū est, ideo super sedebimus.

Primam figuram maxime scientiæ esse accommodatam. Cap. XI.

1 *Figurarum autem maxime scientialis est prima: Mathematicæ nam quæ scientiæ per hanc demonstrationes ferunt, ut Arithmetica, & Geometria, & Perspectiua, & fere ut dixerim, quæcunque ipsius propter quid cōsiderationē faciunt: aut enim omino, aut ut plurimum, & in plurimis per hanc figurā ipsius propter quid fit syllogismus. quare, & propter hoc erit utique maxime scientialis; maxime namque proprium ipsis scire est propter quid speculari.*

Postea & ipsius quid est scientiam per solā hanc uenari possibile: in media enim figura non fit prædicatiuus syllogis-

logismus, ipsius verò quid est scientia affirmationis: in vltima autem fit quidem, sed non vniuersaliter: ipsum autē quid est, vniuersalium est: non enim homo aliquo modò est animal bipes.

Amplius hæc quidem illarum nihil indiget, illæ verò per hanc condensantur, & augentur, quousque ad immediata venerint. Manifestum itaque quod ad sciendum maximè propriè est prima figura.

4 *Quemadmodum verò contingebat A. inesse B. indiuidue, ita & non inesse accidit: dico autem indiuidue inesse, aut non inesse, eo quod non est ipsorum medium: sic enim non erit secundum aliud ineße, aut non in esse. Quando igitur A. aut B. in toto aliquo sit, aut & ambo, non contingit A. ipsi B. primo non ineße.*

5 *Sit enim A. in toto C. si igitur B. non est in toto C. (contingit enim ipsum quidem A. esse in aliquo toto: ipsum verò B. non esse in hoc) syllogismus erit, quod A. ipsi B. non insit: si. n. C. A. quidem omni: ipsi vero B. nulli: A. nulli eorum, quæ B.*

6 *Consimiliter autem & si B. in toto aliquo est, vt in D. ipsum namque D. omni B. inest: ipsi autem A. nulli ipsum B. quare ipsum A. nulli eorum, quæ B. inerit per syllogismum.*

7 *Eodem pacto monstrabitur & si ambo in toto aliquo sint.*

8 *Quod autem contingit ipsum B. non esse in quo toto est A. aut rursus A. in quo toto est B. manifestum ex coordinationibus, quæcunque non commutantur ad se inuicem. Si enim nullum eorum, quæ sunt in A. C. D. coordinatione, de nullo prædicatur eorum, quæ sunt in B. F. ipsum verò A. in toto est H. coordinato existenti: planum quod B. non erit in H. commutarentur enim coordinationes: consimiliter autem & si B. in toto aliquo est.*

Si verò neutrum sit in toto nullo: non insit autem A. ipsi B. necesse est indiuidue non inesse. Si enim erit aliquod medium, neceße alterum ipsorum in toto aliquo esse. 9

Aut enim in primo figura, aut in media erit syllogismus, si quidem igitur in prima B. erit in toto aliquo: affirmatiuam namq; oportet, quæ ad hoc, propositionem fieri. 10

Sin autem in media vtrum contigerit? ad vtraq; enim accepto priuatiuo, efficitur syllogismus: ambabus verò negatiuis existentibus non erit. Planum itaque, quod contingit aliud alij non inesse indiuiduè: & quando contingit, & quomodo diximus. 11

Figurarum autem faciens scire maximè, &c.

Cum principia materialia demonstrationis hucusque tradiderit, nempe propositiones, nunc de principio formali, hoc est de figura per quam præcipuæ demonstrationes fiunt, sermonem facit: atque hæc causa est communis huius continuationis textus; quāuis possemus forsan magis ad rem dicere, quòd cum paulo ante demonstrationes, quia in secunda figura fieri dixisset, nunc demonstrationes propter quid præcipue in prima fieri velit ostendere. Intētio Arist. & cōtinuatio text.

Caput aūt in duas partes diuisum est, in priori probat primā figuram maxime seruire demonstrationib. in posteriori loquitur de immediatis propositionibus negatiuis. Diuisio capitis.

Proponit igitur conclusionē hanc in principio, figura quæ maxime ante alias ad scientiam est apta, est prima, quam tribus rationibus ostendit, prima est quasi quædam inductio, omnes. n. Mathematicæ, ut Geometria, Arithmetica, Perspectiua, similiter reliquæ scientiæ, quæ per causas demonstrant, aut omnino, aut ut plurimum per primam figurā demonstrant; cū igitur demonstratio Conclusio capitis, & rōnes conclusionis.

quæ

tas, sed etiam negatiuas propositiones, sicut etiam mediatas: uocat autem affirmatiuas immediatas, cum prædicatum subiecto indiuisibiliter, idest nõ per medium aliquod inest, negatiuas uerò immediatas, cum prædicatum subiecto non inest, & hoc nulla media causa probari potest. Et nota per A. intelligi prædicatum, per B. vero subiectum.

Quattuor genera propositionum negatiuarum.

Vt autem discursum perfectum Aristo. intelligas, aduerte ipsum distinguere propositiones negatiuas in quatuor genera, hoc ordine: primum, cum prædicatum puta A. est sub aliquo toto, i. continetur sub aliquo genere, uel aliquo quod de illo vniuersaliter prædicetur essentialiter, subiectum vero puta B. non est sub aliquo toto, ut qualitas non est homo; alterum, cum econtra subiectum est sub aliquo toto, non autem prædicatum, vt nullus homo est qualitas tertium cum vtrunque est sub toto, vel diuerso, ut homo non est albedo, vel codẽ, ut homo non est equus, sub animali, quartum, cum neutrum est sub toto, vt nulla substantia est quantitas: intendit ergo Arist. tres priores esse mediatas propositiones, & demonstrabiles, quartã verò indemonstrabilem: & aduerte hic loqui de negatiuis necessarijs, & per se, singulas ergo explicemus.

5 *Sit enim A. in toto C.*

1. Genus. Agit de primo genere, cum prædicatum est sub toto, non aũt subiectum, & intendit talem propositionem posse demonstrari per tale totum, quod dicatur D. affirmatũ de prædicato, & negatũ de ipso subiecto, ita oportet esse, quod totũ præd. sic. si sit alienũ a subiecto, & tunc facia n syllogismũ in Camestres ad illã conclusionẽ, nulla qualitas est homo, sic sumendo animal: omnis homo est aial, nulla qualitas est aial, ergo nulla qualitas est hõ.

6 *Similiter autẽ etsi B. in aliquo &c.*

2. Genus. Ostendit secundũ genus, cum subiectum est in toto, non autem prædicatum, ut nullus homo est qualitas, tunc per illud totum subiecti quod sit D. puta animal, negatum de prædicato, affirmatum de subiecto, fiet demonstratio in Cæsare, sic, nulla qualitas est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est qualitas.

7 *Eodem autem modo &c.*

3. Genus. Tertium genus eodem modo potest demonstrari, sed dupliciter: aut enim per totũ subiecti, aut per totum prædicati, ut nullus homo est albedo: per totum prædicati sic, omnis albedo est color, nullus homo est color, ergo nullus homo est albedo: per totum subiecti sic, nulla albedo est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est albedo, cum uerò extrema sub vno proximo genere sunt, ut homo non est equus per ipsorũ definitiones tunc demonstrari poterunt.

8 *Quod autẽ contingit B. non esse &c.*

Cum supposuisset in probatione in toto prædicati non esse subiectum, & econtra, ostendit id posse fieri ex prædicamentis quæ adinuicem non commutantur, i. non prædicantur, vt sit unum prædicamẽtum subiecti A. C. D sit aliud prædicati B. E. F. clarum est quòd si A. sit in C. i. in quodam genere sui prædicamenti, quod in illo non erit B. cum sit alterius coordinationis: per tres literas vnum prædicamentum intelligit, plura enim in eo prædicata ordinantur.

9 *Si uerò neutrum sit in toto &c.*

4. Genus. Quartum genus, cum nec prædicatum, nec subiectum in aliquo sunt, docet esse immediatum, ut nulla substãtia est qualitas, & vniuersaliter quotiescunque generalissimum de altero negatur, tunc non est medium illud monstrãdi, cum non habeant superiora, nec proprias definitiones & probatio, nã si aliquod sit medium, oportet ut uniuersaliter prædicetur de subiecto, aut prædicato, sed extrema sunt suprema, nõ ergo habent superius essentiale, ens enim est analogum, & de omnibus prædicatur, unde non est medium ad concludendum negatiuè, etiam si esset uniuocum, vt patet, nam de uno deberet negari.

10 *Aut .n. in prima, aut media &c.*

Ostendit quod tale medium deberet de altero extremo vniuersaliter prædicari affirmatiuè, nam aut talis demonstratio fieret in prima figura, vel in secunda, omittit tertiam, quæ cum non concludat vniuersaliter, non est apta demonstrationi, de qua est sermo, si igitur fit in prima, minor est affirmatiua, in qua medium de conclusionis subiecto

ſto affirmatur, non ergo fiet in prima, nam ſubiectum illud non habet ſuperius.

11 *Si uero in media, &c.*

Nec in ſecunda fieri docet, nam licet in ea minor non ſit ſemper affirmatiua, tamen ad vtrumque contingit, ideſt aut maior, aut minor erit affirmatiua, cum ex utraq; negatiua non fiat ſyllogiſmus: cum medium verò ſit in utraq; prædicatum, prædicabitur affirmatiuè de uno extremo illius, quod fieri non poteſt, concludit ergo eſſe mediatas, & immediatas propoſitiones negatiuas, & quã do ſint, ſe iam docuiſſe, atq; hæc de hoc Capite Vndecimo, quod abſoluit præcipuam partem horum librorum.

Quot, quibus ue modis ſyllogiſticis tũ in immediatis, tum in mediatis propoſitionibus ignorantia diſpoſitionis, & quomodo ignorantia negationis exoriatur. Cap. XII.

1 *IGnorantia uerò, quæ non ſecundum negationem, ſed ſecundum diſpoſitionem dicitur, eſt quidem deceptio, quę per ſyllogiſmum fit. Hæc autem in primo quidem in exiſtentibus aut non exiſtentibus contingit dupliciter, aut enim quando ſimpliciter exiſtimet ineſſe, aut non ineſſe: aut quando per ſyllogiſmũ accipiat ſuſpicionem. Simplicis quidem igitur ſuſpicionis ſimplex eſt deceptio, eius uerò quæ eſt per ſyllogiſmum, plures.*

2 *Non inſit enim A. nulli eorum quæ B. indiuiduè. ſi igitur ſyllogizet A. ineſſe ipſi B. medium accipiens. C. deceptus erit per ſyllogiſmum.*

3 *Contingit quidem igitur utraſq; propoſitiones eſſe falſas, contingit autem alteram ſolum. Si enim neque A. nulli eorum quæ C. inſit: neq; C. nulli eorum quæ B. aſſumpta uerò fuerit utraque e conuerſo, ambæ falſæ erunt.*

4 *Euenit autem ita ſe habere C. ad A. & B. ut neq; ſub A. ſit, neq. uniuerſaliter in B. impoſſibile namque B. eſſe in toto aliquo. dicebatur enim A. primo ipſi non ineſſe: A. uerò non neceſſe omnibus entibus ineſſe vniuerſaliter: quare ambæ falſæ.*

Sed & alteram contingit veram accipere, non tamen utram uolueris. ſed A. C. C. B. namque propoſitio ſemper falſa erit: eo quod ipſum B. in nullo ſit: A. C. uerò euenit. 5

Quemadmodum ſi A. & ipſi C. & ipſi B. inſit indiuidue, quando. n. idem primo prædicetur de pluribus, neutrum in neutro erit. 6

Differt autem nihil, neque ſi non indiuiduè inſit. Deceptio quidem igitur inexiſtendi & per hæc, & ita fit ſolum: non enim erat in alia figura inexiſtendi ſyllogiſmus. Quæ uerò eſt non exiſtendi, & in prima fit, & in media figura. Primum itaq; dicamus quot modis in prima fit, & quomodo ſe habentibus propoſitionibus. 7

Contingit quidem igitur vtriſque falſis exiſtentibus, quemadmodum ſi A. & ipſi C. & ipſi B. inſit indiuiduè. Si enim acceptum fuerit A. quidem nulli C. C. uerò omni B. falſæ erunt propoſitiones. 8

Contingit autem & altera falſa exiſtente, & hac ut rauis. Euenit enim A. C. quidem uerum eſſe, C. B. verò falſam. A. C. quidem, ueram: quoniam non omnibus entibus ineſt A. C. B. verò falſam: quoniam impoßibile eſt C. ineſſe ipſi B. cui nulli ineſt A. non. n. amplius uera erit A. C. propoſitio: ſimul autem ſi & ambæ ſunt ueræ, & concluſio erit uera. 9

Sed & C. B. contingit ueram eſſe, altera exiſtente falſa: quemadmodum ſi B. & in C. & in A. eſt; neceſſe enim alterum ſub altero eſſe: quare ſi acceperit 10

perit

ferit A. nulli eorum, quæ C. inesse, falsa erit propositio. Planum igitur, quod altera falsa existente, & vtriusque, erit falsus syllogismus.

12 *In media autem figura, totas quidem esse propositiones ambas falsas, non contingit: quando enim A. omni B. insit; nihil erit accipere, quod alteri quidem omni, alteri verò nulli insit. Oportet autem sic accipere propositiones, vt huic quidem insit, illi verò non insit: si quidem erit syllogismus, sic igitur sic acceptæ falsæ, planum, quod e contrario econuerso se habebunt: hoc autem impossibile.*

13 *In aliquo verò vtramque nihil prohibet falsam esse, quemadmodum si C. & A. & B. alicui insit. Si enim A. quidem omni acceptum fuerit inesse: C. verò nulli: falsæ quidem ambæ propositiones, non tamen totæ, sed in aliquo. Et econuerso quoque posito priuatiuo, consimiliter.*

14 *Alteram verò falsam esse, & vtrãnis, contingit, quod enim inest A. omni, & B. inest. Si igitur acceptum fuerit ipsum C. inesse quidem toti A. toti verò B. non inesse: C. A. quidem vera erit, B. C. autem falsa.*

15 *Rursus quod B. quidem nulli inest, neque A. omni inerit, si enim ipsi A. & ipsi B. sed non inerat. Si igitur acceptum fuerit C. A. quidem toti inesse, B. verò nulli B. C. quidem propositio vera, altera autem falsa.*

16 *Consimiliter verò & transposito priuatiuo: quod enim nulli inest A. neque B. nulli inerit. Si igitur acceptum fuerit C. A. quidem toti non inesse: A. C. quidem propositio vera erit, altera autem falsa.*

Et rursus quod omni B. inest, accipere inesse nulli A. Falsum, necesse enim, si B. omni, & A. alicui inesse. Si igitur acceptum fuerit, C. inesse quidem omni B. nulli verò A. C. B. quidem vera erit, C. A. autem falsa. Planum igitur quod, & ambabus existentibus falsis, & altera solum, erit syllogismus deceptorius in indiuiduis.

Ignorantia autem quæ non secundum negationem, &c. 1

Conuenit, vt dicit Philopon. scienti non solum sciẽtiæ cognitionem, tradere, sed quæ scientiæ opponatur ignorantia, exponere: cum igitur Arist. de scientia & modis, quibus eam consequimur tractauerit, nunc de ignorantia scientiæ opposita, ac quibus vijs eã imbibamus differit, & quia sicut scientia erat de immediatis, & mediatis propositionibus ita etiam ignorantia; de vtraque ignorantia differit, & quæ fit secundum propositiones immediatas, & hoc in capite præsenti, & quæ fit secundum mediatas, & id in capite sequenti; cum autem immediatæ sint in duplici differẽtia, affirmatiuæ, & negatiuæ, prius de negatiuarum ignorantia, quæ solũ fit in prima figura, postea de affirmatiuarũ etiam, ignorantia, quæ fit in prima, & tandẽ de earundẽ affirmatiuarũ ignorantia, quę fit in secunda differit: tertia.n. figura, cum non concludat vniuersaliter, excluditur; hic.n. de vniuersalibus, & per se est sermo, & eadẽ ratione excluduntur modi particulares aliarũ duarũ, & tantum est sermo de vniuersalibus.

Intentio Aristot. ex Philop.

Proponit igitur duplicem esse ignorantiam, & secundum negationem, & secundum dispositionem: illa est secundum negationem, quæ est simplex negatio, & carentia scientiæ, quam ignorantiam rustici, pueri, & ij qui nihil didicerunt habent, quæ non aliud est quàm non habere rei cognitionem, illa verò dicitur ignorantia secundum dispositionem, cum opinamur oppositum veritatis, vt qui opinaretur hominem non esse risibilem, plantas non habere vitam; talis haberet ignorantiam dispositionis.

duplex ignorantia.

Adhuc ista ignorantia dupliciter contingit, vno modo sine syllogismo, cum nimirum, vel auctoritate aliqua, vel vana experientia, aut exemplo, aut cõsuetudine aliquis deceptus opinatur oppositum veritati, vt

qui, solem paruæ quantitatis propter uisum iudicaret, aut qui triangulum non æquiualere duobus rectis, cum tres angulos uideat, existimaret, aut qui aliquod falsum acciperet sine consideratione rationis, hi haberent ignorantiam dispositionis simplicem, & sine syllogismo: altero modo talis ignorantia euenit per syllogismum, cum nimirum aliquo syllogismo decepti opinamur oppositũ ueritatis, præsertim necessariæ, nam de hac est sermo, & talis definitur ab Arist. sic per syllogismum facta deceptio.

Assignat autẽ discrimen inter utramque, vna ignorantia sine syllogismo simplex est, idest qui sine syllogismo in aliquo decipitur, tantum in illo decipitur; at qui in aliquo per syllogismum decipitur, in multis decipitur, nam syllogismus probãs falsum, aut vnam, aut utramque præmissam habet falsam: hic.n. loquimur de syllogismo ignorantiæ opposito scientiæ præcedenti tantum in materia, quæ falsis probare intendit oppositum ueritatis necessariæ, & scientificæ.

2 *Non sit enim A. in nullo B. &c.*

Incipit docere quid sit decipi in negatiuis immediatis, quod quidem est cum opinamur oppositas uniuersales affirmatiuas ueras per aliquod principium, & mediũ falsum, quod in Barbara fit; nam solũ in modo hoc uniuersaliter affirmatiuè concludimus: dicit igitur, nõ sit A. in B. id est sit aliqua negatiua immediata, puta nulla substantia est quantitas: si aliquis per aliquid mediũ. C. puta numerũ, existimet oẽm substãtiã esse quãtitatem, sic oĩs numerus est quantitas, oĩs substantia est numerus, ergo oĩs substantia est quãtitas decipitur in negatiuis immediatis.

3 *Contingit igitur vtrasque propositiones.*

Ostendit primo quoties in negatiua in mediata decipimur inferentes oppositã affirmatiuam falsam, posse utramque præmissam esse falsam, & similiter posse unam esse ueram, & alteram falsam; quod autem utraque possit esse falsa, patet: sumatur ista propositio cuius sit ignorantia: omne B. est A. nempe omnis substantia est quantitas, si pro medio sumamus aliquid, de quo non sit. A. supple, quantitas, & ipsum non sit de B. nempe de substantia, & sit C. nempe color, tunc contrariè sumendo, id est affirmando quantitatem de illo, de quo negabatur, & ipsum affirmando de substantia, de qua negabatur, utraque præmissa erit falsa, sic, omnis color est quantitas, omnis substantia est color, ergo omnis substantia est quantitas: sensus, est quod si illam probemus per mediũ, de quo vniuersaliter prædicatum non affirmetur; quodque de subiecto conclusionis etiam uniuersaliter non affirmetur, tunc utraque propositio erit falsa, sicut conclusio.

Potest autem sic se habere, &c. 4

Quod autem tale medium sic ad conclusionis extrema se habere possit, probat primum, quia illud medium C. non prædicatur uniuersaliter de subiecto conclusionis in minori, quia illud subiectum est generalissimum, de quo nihil uniuersaliter prædicatur, & de ipso prædicatum nõ prædicatur; uniuersaliter in maiori, prædicatum enim erat unum generalissimum, quod non de oĩbus entibus affirmatur, ob id possẽ sub eo sumere aliqd, de quo ipsũ nõ affirmetur uerè.

Sed alteram contingit ueram, &c. 5

Probat etiam posse in simili ignorantia vnam propositionem esse ueram, sed hanc impossibile est esse minorem, quæ semper erit falsa, quam uocat B. C. maior potest esse uera, quam uocat A. C. ꝙ minor non possit esse uera declarat, quia in minori subijcitur subiectum conclusionis uniuersaliter affirmatiuæ subiecto maioris, est.n. minor primæ figuræ semper affirmatiua, at cum subiectum conclusionis sit generalissimũ, nihil verè de eo uniuersaliter affirmabitur, manebit igitur vera, minor uerò falsa.

Vt si A. & in C. & in B. indiuisibiliter est, &c. 6

Probat maiorem posse ueram esse, & minorẽ falsam, quod.n. minor semper sit falsa probatũ est, & nota rõnem, quæ obscura est; demus illam conclusionẽ immediatã, nulla quantitas est substantia, nullum B. est A. tũc A. nempe substantia immediatè, & indiuisibiliter negatur de B. quantitate, sub substantia iterum sumamus subiectum, de quo immediatè affirmetur, puta corpus, dicatur C. hoc stante impossibile est, quod corpus C. affirmetur de quantitate B. nam ut egregiè dixit

dixit Phil. cum unum prædicatum de duobus prædicatur, primo & immediatè, siue de vtroque negatiuè, siue de altero affirmatiuè de altero negatiuè, siue de utroque affirmatiuè impossibile est, quòd illa duo affirmentur adinuicem, ut ipse bene probat.

Cum igitur substantia de quantitate immediatè negetur, de aliquo uerò affirmetur immediatè, puta corpore, si quis ad probandam affirmatiuam falsam, oēm quantitatem esse substantiam, sumat pro medio in prima figura illud immediatum affirmatiuum substantiæ, faciet minorem ueram, sed minorem falsam, nam minor erit affirmatiua ex duobus immediatis eiusdem prædicati, quod esse non potest.

Nota aūt sensum literæ sm̄ Alexan. cum A. puta prædicatum est indiuisibiliter in B. & in C. mediatæ de vtroq; prædicatur, sed cū discrimine, nam de B. negatur immediatè, quod est subiectum conclusionis, de C. uerò affirmatur, quod est subiectum maioris.

7 *Differt autem nihil, &c.*

Docet quamuis sub conclusionis prædicato sumamus aliquid mediatum contingere maiorem ueram, minorem falsam esse; ut si dicas omnis homo est substantia, omnis quantitas est homo, ergo omnis quantitas est substantia. Nota illam priorem probationem esse necessariam, nempe quando est necessariū quod minor falsa, & maior sit uera ex ratione immediatè prædicationis: modo hæc probatio est duplex, nam maior probatur uera, quia est de inferiori affirmatiua, minor falsa, quia nihil de generalissimo affirmatur vniuersaliter.

Concludit se dixisse de ignorantia negatiuæ, quæ fit per primam: hæc enim sola concludit vniuersaliter affirmatiuè: oportet ut de ignorantia affirmatiuè immediatè agat, quæ fit cum oppositam negatiuam vniuersalem existimamus ueram per syllogismum, cum autem talis syllogismus inferens negatiuam fiat in prima, & secunda figura, prius de eo, qui in prima fit, tractat.

8 *Contingit igitur vtrisq; falsis, &c.*

Tractat modo de ignorantia immediatæ affirmatiuæ in prima figura, quæ est, cū negatiuam oppositam inferimus vniuersaliter, quod fit in Celarent, & tunc ex utraque falsa procedere possumus, & id modo probat: sit affirmatiua immediata, oīs homo est aīal, s. omne B. est A. ignorantia sit opposita, nullus homo est aīal: tūc si pro medio sumamus aliquid de quo ēt immediate affirmatur animal, puta C. leo, vtraq; erit falsa, maior quia est negatiua, & negamus prædicatum de eo, de quo immediate affirmatur, minor ēt est falsa, quia affirmamus duo immediata eiusdē p̄dicati, quæ, ut diximus, affirmari nequeūt, ut si dicas, nullus leo est animal, omnis homo est leo, ergo nullus homo est animal.

Contingit autem & altera falsa, &c. 9

Probat etiam in eadem figura posse unam tantum propositionem esse falsam, siue hæc sit maior, siue sit minor, sed primo ostendit cur maior, puta A. C. est uera, & minor B. C. falsa: ratio autem, propter quam maior possit esse uera, est, quia cum prædicatum conclusionis ignoratæ non prædicetur de omnibus, si pro medio sumatur aliquid eorum quibus non inest, erit maior uera, in qua negamus prædicatum de tali medio, ut si ad eandem conclusionem, nullus homo est animal, sumatur ab animali lapis, & dicatur nullus lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo nullus homo est animal.

Sed quæ est C. B. falsa, &c. 10

Quod uero minor sit falsa, postquam maior est uero, probat, quia cum aliquod prædicatum de aliquo uniuersaliter affirmatur, & de altero negatur etiam uniuersaliter, est impossibile quod illa duo affirmentur, uerbi gratia, si animal de homine vniuersaliter affirmatur, & de lapide uniuersaliter uerè negatur, non poterit lapis affirmari de homine, nam si affirmetur, sequetur contradictoria alterius uniuersalis, aut affirmatiuæ, aut negatiuæ, ut si dices, nullus lapis est animal, & addas, homo est lapis, aut lapis est homo, sequetur homo non est animal, aut in Ferio, aut in Felapton, similiter si dices, omnis homo est animal, & homo est lapis, sequitur, lapis est animal, in Datisi.

Hoc est igitur quod dicit: si detur maior negatiua uera, nullum C. est A. s. nullus lapis est animal, cum animal de omni homine prædicetur, puta A. de omni B. non poterit C. de B. idest lapis de homine affirmari uniuersaliter, aliter inferetur oppositum maioris

ris negatiuæ, dicendo, omnis homo est animal, lapis est homo, ergo lapis est animal, contra eã maiorem, nullus lapis est animal.

Addit rationem alteram propter quam oportet esse minorem falsam, quia cum maior fuerit uera, si minor etiam esset uera, iam conclusio non esset falsa nam ex utraq; uera non fit conclusio falsa, at conclusio est falsa, cum sit negatiua opposita affirmatiuæ immediatæ, ergo stante maiore uera, necessario minor est falsa, forma enim syllogismi bona esse supponitur.

11 *Sed & eam quæ est C. B. contingit veram esse, &c.*

Probat modo minorem C.B. posse esse ueram maiori falsa existente, quod fiet cum medius terminus, puta C. fuerit sub prædicato & superius subiecto, tunc. n. de ipso prædicatum negare in maiori falsum erit, ipsum uero de subiecto affirmare in minori, erit uerum; v.g. si per syllogismum ignoretur ista, nullum animal est uiuens, per hoc medium, corpus, tunc maior falsa, minor uera erit: ut nullum corpus est animal, omne uiuens est corpus, ergo nullum uiuens est anima: qñ dicit, si B. sit in C. & in A. sensus est, si subiectũ conclusionis sit in C. i. in medio, & in A. i. prædicato conclusionis, tunc uniuersaliter negare in maiori, A. de C. falsum erit, sed uerũ affirmare in minore C. de B. Ecce cum decipi contingit in prima figura circa affirmatiuas immediatas, & ex utraque propositione falsa, & ex vna falsa, altera uera existente.

12 *Sed in media figura, &c.*

Transit ad ostendendum in secunda figura qñ in affirmatiuis decipiamur inferendo negatiuas oppositas: & primo docet non posse vtrasq; propositiones esse in totum falsas. Vocat uniuersales, tam affirmatiuas, q̃ negatiuas in totum falsas, quæ secundum nullum singulare ueritatem habent, ut nullus homo est animal, omnis homo est lapis: in parte uerò falsæ dicuntur, quæ secundum aliqua singularia ueræ sunt, ut omne animal est gressibile, nullum animal est bipes.

Dicit ergo, in secunda figura cum conclusio est falsa opposita immediatæ affirmatiuæ, non posse vtrasq; propositiones esse falsas in totum, cuius probatio difficilis est.

Propterea aduerte quod in secũda figura medium sit in utraq; præmissa prædicatum, ac ob id de uno extremo conclusionis debet affirmari in una, de altero uerò negari: aliquando tamen maior est affirmatiua, ut in Camestres, aliquando uerò minor, ut in Cæsare. Loquamur ergo de priori: ut utraq; huius propositio sit in totum falsa, medium debet nulli prædicato conclusionis inesse, & omni subiecto competere, sic enim fiet, ut maior affirmatiua sit falsa, in qua medium de conclusionis prædicato affirmamus, & minor falsa, in qua medium de subiecto conclusionis negamus: oppositum fit in Cæsare, nam medium debet omni prædicato, & nulli subiecto inesse, sic enim erit utraque in totum falsa.

Dicit igitur Aristot. fieri non posse ut tale medium detur, quando conclusio est affirmatiua uniuersalis immediata, ut omnis homo est animal, nam tunc contraria negatiua esset uera, ut patet, si des. n. in Camestres aliquid quod de nullo animali, & de omni homine prædicatur, argumentabor sic ex ipsis nullum animal est puta D. omnis homo est D. ergo nullus homo est animal: propositiones per se ueræ, ergo conclusio: similiter, si des in Cæsare aliquid, quod de omni animali, & nullo homine uere dicatur, argumentabor in Camestres ex datis, omne animal est D. nullus homo est D. ergo nullus homo est animal: non igitur cum infertur negatiua opposita immediatæ affirmatiuæ, potest vtraque præmissa in totum esse falsa.

Probat modo id Aristo. nam si vtraq; est falsa in totũ in Camestres, ex contrarijs quæ erunt ueræ inferam in Cæsare conclusionem eandem falsam esse ueram, & ex utraque etiam falsa in Cæsare inferam ex contrarijs vtriusque ueris in Camestres conclusionem illam falsam esse ueram v. g. fiat syllogismus, omne animal est D. nullus homo est D. ergo nullus homo est animal: si das propositiones vtrasque falsas in totum, ergo contrariæ erunt ueræ; sumam illas in Cæsare, & probabo ueram conclusionem falsam, sic nullũ animal est D. omnes homo est D. ergo nullus homo est animal. Si propositiones ueræ conclusio erit uera. idem de Cæsare, non ergo decipi possumus ex vtraq; propositione in toto falsa in secunda figura.

In aliquo autem vtramque, &c. 3

Ostendit

Ostendit posse aliquando esse utramque propositionem in parte falsam, vt si sumas medium particulariter competens vtrique extremo, tūc negare de altero vniuersaliter, de altero verò affirmare, erit in parte falsū, vt si ignoraretur, nullū animal esse uiuens, per brutum, sic; omne viuens est brutū, nullum animal est brutum, ergo nullum animal est viuens, esset in parte utraque falsa: idem fit econuerso, posito priuatiuo, id est priori negatiua, & minori affirmatiua, scilicet in Cæsare, sicut in Camestres.

14 *Alteram autem falsam, &c.*

Cum probasset ex vtraque falsa in parte, non tñ in toto, posse aliquem decipi in secunda figura circa immediatas affirmatiuas, nunc ex altera etiā tantum falsa decipi posse docet, quęcunque sit; at quia sunt duo modi Camestres, & Cæsare ostendit qñ in Camestres ex vna uera, altera falsa decipiamur, postea in Cæsare: ac primum, qñ in Camestres maiori uera, minor falsa, deinde econtra: dr̃ igitur, sume superius prædicato, quod dr̃ A. nam hoc etiam superius erit subiecto B. & pone pro medio, & sit C. tunc fiet maior vera, & minor falsa: vt si ignorantia est huius, nullus homo est animal, per viuens sic; omne animal est viuens, nullus homo est viuens, ergo nullus homo est animal.

15 *Iterum quod in B. nullo est, &c.*

Quod si medium nulli insit subiecto, tūc non omni prædicato inerit, & fiet, maiori affirmatiua falsa, minor uera, sic omne animal est brutum, nullus homo est brutum, ergo nullus homo est animal.

16 *Similiter aūt fit trāspositio priuatiuo.*

Hoc etiā fieri in Cæsare docet, sed prius quod maior vera; ut si mediū sumas extraneum utriq; extremo, sic; nullum animal est insensibile, omnis homo est insensibilis, ergo nullus hō est animal, quod si mediū omni subiecto insit, tunc alicui inerit prædicato, & fiet maior falsa, & minor uera; ut si dicas, nullum animal est rōnale, omnis homo est rōnalis, ergo nullus hō est aīal; aduerte has literas in hoc capite, per C. mediū per B. minus per A. maius extremum intelligi, per A. C. maiorem, per C. B. verò minorem. Concludit in immediatis decipi posse, & ex vtraque falsa, & ex altera tantum.

De ignorantia in immediatis propositionibus. Cap. XIII.

In his verò, quæ insunt non indiuiduè, aut non insunt, quandoquidem per proprium medium efficiatur falsi syllogismus, non possunt ambæ falsæ esse propositiones, sed ea solum, quę est ad maius extremum. Dico autem proprium medium, per quod fit contradictionis syllogismus. 1

Insit enim A. ipsi B. per medium C. quoniam igitur necesse est C. B. affirmatiuam accipi, cum fit syllogismus: planum, quod semper hęc erit vera, non enim conuertitur: A. C. uerò falsa, hac enim cōuersa cōtrarius fit syllogismus.

Consimiliter autem, & si ex alia coordinatione acceptum fuerit medium, vt D. licet in toto A. sit, & de B. omni prædicetur: necesse enim D. B. quidem propositionem manere, alteram verò conuerti: quare hæc quidem semper vera, illa autem semper falsa; & quasi talis deceptio eadem est ei, quæ est per proprium medium. 2

Si verò non per proprium medium efficiatur syllogismus: quando sub A. quidem sit medium: ipsi verò B. nulli insit: necesse est falsas esse ambas: accipiendæ namque sunt è contrario, quā se habēt propositiones, si debet syllogismus fieri: sic autem acceptis, ambæ efficiuntur falsæ, quemadmodum si A. quidem toti D. inest: D. verò nulli eorum, quę B. his enim conuersis: syllogismus erit, & propositiones ambæ falsæ. 3

Quando verò medium non sit sub A. vt D. A. D. quidem uera erit D. B. autem falsa, nam A. D. quidem vera, quoniam non erant in A. ipsum D. D. B. autem falsa, quoniam si esset vera, et 4

conclusio uera esset, sed erat falsa.

5 *Sed cum per mediam figuram efficitur deceptio, ambas quidem non contingit falsas esse propositiones totas. Cum enim sit B. sub A. nihil contingit, huic quidem omni, illi uerò nulli inesse quemadmodũ dictum est & prius.*

6 *Alteram autem euenit, & utramlibet. Si enim C. & A. & B. insit, si acceptum fuerit, ipsi quidem A. inesse, ipsi uerò B. non inesse: A. C. quidem uera erit, altera autem falsa. Rursus, si acceptum fuerit C. ipsi quidem B. inesse, A. uerò nulli: B. C. quidem uera erit, altera autem falsa.*

Si igitur priuatiuus sit deceptionis syllogismus, dictum est, quando, & per quæ erit deceptio.

7 *Sin autem affirmatiuus, quandoquidem per proprium mediũ, impossibile ambas esse falsas: necesse est enim C. B. manere, si quidem erit syllogismus, quemadmodum dictum est, & prius. quare C. A. semper erit falsa: hæc enim est quæ conuertitur. Consimiliter autem etsi ex alia coordinatione accipiatur medium, quemadmodum dictum est, & in priuatiua deceptione: necesse enim D. B. quidem manere, A. D. autem conuerti, & deceptio, eadem est ei, quæ prius.*

8 *Quando autem non per proprium: si D. quidem sit sub A. hæc quidem erit uera, altera autem falsa: euenit enim A. pluribus inesse, quæ non sunt sub se inuicem.*

9 *Si uerò non sit D. sub A. planum quidem, quod hæc semper erit falsa, affirmatiua namque accipitur, D B. uerò contingit, & ueram esse, & falsam: nihil enim probibet, A. quidem nulli D. inesse, D. uero ipsi B. omni, ut animal scientiæ, scientiam autẽ Musicæ. Neq; rursus si neque A. nulli eorum, quæ D. neque D. nulli eorum, quæ B. Manifestum igitur, quod non existente medio sub A. & ambas euenit falsas esse, & utram uolueris.*

Quod igitur modis, & per quæ euenit fieri deceptiones, quæ secundum syllogismum, & in immediatis, & in ijs, quæ per demonstrationem manifestum.

In ijs uerò, quę insunt nõ indiuiduè.

1 Intentio Arist. in hoc c.

Postquam de immediatorum ignorantia tradidit, nunc de mediatis disserit, ac primo de ignorantia affirmatiuarum in prima figura, quæ contingit cum oppositas negatiuas opinamur per syllogismum; possumus autem ignorare has dupliciter, aut per proprium medium, aut per medium non proprium: vocatur medium proprium, in quo talis affirmatiua uera demonstratur, ut animal rationale demonstrat hominem esse risibilem, cum igitur per tale medium decipimur, idest illud assumimus ad probandam oppositam negatiuam, est ignorantia per proprium medium, ut si dicat quis, nullum animal rõnale est risibile, omnis hõ est animal rõnale, ergo nullus homo est risibilis. Idem contingit in negatiuis mediatis est enim proprium medium, quod demonstramus non esse: ut per animal rationale demonstramus nullum hominem esse hinnibilem; cum igitur de illo probamus oppositum, sic, omne animal rõnale, est hinnibile, omnis hõ est animal rõnale, ergo omnis hõ est hinnibilis, est similiter ignorãtia per medium proprium, tale medium dicit Arist. esse id, per quod fit syllogismus contradictionis. i. syllogismus probans oppositam conclusionem ueram; cum uerò nõ per tale medium contingit ignorantia, dicitur per medium non proprium.

Dicit igitur Aris quòd quoties in mediatis decipimur per mediũ proprium nõ contingit propositionẽ utramq; falsam esse, sed minor est uera: quæ aũt est uersus maius extremum, i. maior, falsa, ratio aũt hæc est, quia est eadem minor in syllogismo ignorantiæ, & in syllogismo contradictionis, & ueritatis; in utroque enim est affirmatiua, cum sit in prima figura, maior uerò non est eadẽ,

sed

sed conuersa, idest mutata in cõtrariam negatiuam, sicut conclusio, ut patet, si dicas, omne animal rationale est risibile, oĩs homo est animal rationale, ergo omnis hõ est risibilis, est syllogismus ueritatis: iste vero ignorantiæ, nullum animal rationale est risibile, oĩs homo est animal rationale, ergo nullus hõ est risibilis: hoc literis explicat solũ affirmatiuis, per A. maius extremũ, per B. minus, per C. mediũ, intelligit: cõuerti uero uocat mutari ex affirmatiua cõtraria in oppositã negatiuam; & ꝙ minor sit uera, probat, nã mutata, & conuersa maiori syllogismi ignorãtię, manente minori fit cõtrarius syllogismus uerus.

2 *Similiter autem est si ex alia, &c.*

Ostendit quod quamuis non sit medium proprium, per quod demonstretur conclusio, sed sit ex alia coordinatione; nempe sit medium quo quocunque modo, conclusionis illius ueritas probetur, si per illud decipi contingat: minor futura sit uera, quia est eadem; quæ erat in syllogismo uero: sed maior falsa; quia mutata, in negatiuam, ut si per risibile decipiamur: opinantes hominem non esse animal rationale, quamuis risibile non sit medium demõstratiuum, tamen quia per id probatur uere hominem esse animal rationale, censetur proprium medium: idem de alijs medijs ueritatis.

3 *Si vero nõ per proprium medium, &c.*

Manifestat quando non est medium proprium posse utrasq; propositiones esse falsas, ut si medium sit, de quo omni prædicatũ dicitur, & quod de nullo subiecto dicatur; tunc enim, cum cõtrario modo sumendæ sint propositiones, erunt falsæ, nã in maiori prædicatum conclusionis negari debet de medio, de quo uere affirmabatur, & in minori affirmari, de quo uere negabatur. sit.n. syllogismus primæ figuræ. Celarent. v. g. sit conclusio, nullus hõ est sensibilis, nullũ B. est A. sumatur mediũ D. irrationale, fiat syllogismus talis, nullũ irrationale est sensibile, omnis homo est irrationalis, ergo nullus homo est sensibilis, tunc utraque est propositio falsa.

4 *Cum vero non sit sub A. medium.*

Probat etiam posse maiorem esse ueram, & minorem falsam, ut si sub maiori extremo sumamus medium, cui non inest ipsum, tunc maior erit uera A. D. quia est negatiua, minor uero D. B. falsa, quia cum cõclusio sit falsa, & maior uera, necessario minor erit falsa, ut si sub sensibili sumatur planta, sic: nulla planta, est sensibilis, omnis homo est planta, ergo nullus homo est sensibilis: prætermisit non absq; ratione posse etiam maiorem falsam, minorem ueram esse, ut si sub sensibili sumatur, cui ipsum inest, & quod etiam inest homini, & subiecto, ut animal; sic, nullum animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo nullus homo est sensibilis: quia istud medium est proprium; fieri autẽ non potest quod, cum medium non est proprium, possit minor esse uera, est enim affirmatiua, medium autem non proprium, nequit uere affirmari de subiecto; esset enim simile proprio, ut diximus.

Sed per mediam figuram, &c. 5

Nunc de ignorantia earundem mediatarum affirmatiuarum in secunda figura tractat, ac dicit idem prorsus quod superius dixit de immediatis, non posse utramq; propositionem in totum falsam esse, quia cũ prædicatum uere insit subiecto, non poterit medium inueniri, quod de uno uniuersaliter affirmetur; de altero uniuersaliter negetur, quod necessarium est ut utraque sit falsa: relege superiorem locum de immediatis: illic.n. late declaratum, & probatum est hoc.

Altera vero potest esse falsa, &c. 6

Sed unam falsam: alteram ueram, siue maior, siue minor sit, esse posse ostendit: nã si sumatur medium competens utriq; extremo: tunc si maior sit affirmatiua, & minor negatiua, ut in Camestres, erit prior uera, posterior falsa, sic: omne sensibile est animal, nullus homo est animal, ergo nullus homo est sensibilis: si uero idem econtra fiat in Cesare, ut sit maior negatiua, minor affirmatiua, prior falsa, posterior erit uera: sic, nullũ sensibile est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est sensibilis: concludit se iam de ignorantia affirmatiuarum, quæ per syllogismum negatiuum fit, dixisse, tam in prima, quàm in secunda figura.

Si vero sit affirmatiuus, &c. 7

Nunc de ignorantia negatiuarum tractat, quæ fit per affirmatiuas, oppositas in prima

figura, ac docet id quod in principio de affirmatiuis, cum fit ignorantia per medium proprii, minores semper ueras maiores falsas esse, quia illæ sunt eædem, quæ erant in syllogismo uero, hæ uero sunt contrariæ, ut hominem esse hinnibilem, per animal rationale ignoremus, sic omne animal rationale, est hinnibile, oĩs homo est animal rationale, ergo oĩs homo est hinnibilis, vtitur eisdem dictis literis; idem docet cum medium est ex alia coordinatione, quod declaratũ est prius.

8 *Quando aũt non per proprium, &c.*
Ostendit modo quando nõ per medium proprium fit, posse maiorem ueram, minorem uero falsam esse, ut si sub maiori extremo sumatur aliquid, cui ipsum inest; potest enim unum de pluribus prædicari, de uno affirmatiuè, de altero negatiuè; talia duo non poterunt affirmari ad inuicem verè, ut si sub A. hinnibili sumas D. equũ sic omnis equus est hinnibilis, omnis homo est equus, ergo omnis homo est hinnibilis, tunc maior uera, minor falsa erit.

9 *Si uero non sit D. sub A. &c.*
Cum autem medium puta D. non est sub A. idest maiori extremo, semper sic maior est falsa, cum sit affirmatiua; non enim ista ignorantia prouenit nisi in Barbara; hic.n. concluditur uniuersalis affirmatiua, at minor tali medio existenti, potest aliquando uera, aliquando falsa esse, quæ dicitur C.D. nam cum D. idest medium omni subiecto inerit minor erit uera; põt enim esse quod illud maius extremum competat nulli medio, quod competit omni subiecto, sicut animal nulli scientiæ competit, scientia uero omni Musicæ inest: si uero tale medium nulli insit subiecto, sicut ipsi nulli inest prædicatum, utraque falsa erit; ex quibus concludit se iam de ignorantijs tam mediorum, quàm immediatorum tractasse.

De ignorantia puræ negationis. Cap. XIIII.

1 *Planum autem est, & quod si quis sensus defecerit, necesse & scientiam aliquam deficere, quam impossibile est accipere.*

Si quidem addiscimus, aut inductione, aut demonstratione. Est autem demonstratio ex vniuersalibus, inductio vero ex ijs, quæ secundum partem: impossibile autem uniuersalia speculari nisi per inductionem. 2

Quoniam & quæ ex abstractione dicuntur, erunt per inductionem nota si quis voluerit nota facere. 3

*Quomodo insunt unicuique generi nonnulla, & si non separabilia sunt, secundum quod tale * hoc unumquodq;.* 4 *1.1 qualitates.

Inducere autem non habentes sensum impossibile; singularium namque sensus est, non enim contingit accipere ipsorum scientiam, neque enim ex vniuersalibus sine inductione, neque per inductionem sine sensu. 5

1 *Manifestum est autem, &c.*

De ignorantia puræ negationis tractat, quæ non scire, quod sciri poterat: docet aũt qñ necessaria sit talis ignorantia, & cõstituit conclusionem hanc, deficiente aliquo sensu, necessario deerit aliqua scientia, quam non poterit ille, cui sensus deest, accipere. Intentio Ari.

Nota hic loqui de defectu à natiuitate, cũ enim aliquis sensu usus est, quem postea amisit, poterit habere scientiam eorum, quæ tali sensu præcipiuntur: potest enim factus cæcus, si primum uidit, scientiam de coloribus consequi: non tamen qui à natiuitate uisu priuatiuus est. Nota.

Nota similiter q̃ dicit, aliquã scientiam defecturam, quia ex defectu vnius sensus solum deerit scientia illorum, quæ tali sensu percipiuntur: cæcus.n. scientia colorum, surdus scientia sonorum priuabitur, non alijs. Nota.

Nota similiter quod dicit, quam impossibile est accipere, quia nõ priuabitur ille scientia quasi illam habuerit, & per sensus defectum amiserit, hoc.n. est falsum; cum enim scientiam habemus semel, licet postea sensus destruatur, non ideirco scientia destruitur, sed priuatur scientia ad hunc sensum, quod nunquam illam acquiret, propterea dicit, quam impossibile est accipere. Nota.

Si

2 *Si quidem discimus, aut per inductionem, &c.*

2. Conc. Prædictam conclusionẽ probat tali rõne; scientia aut inductione, aut demonstratione accipitur, sed inductio, & demonstratio pendent a sensu, ergo hoc deficiente perit inductio, demonstratio, ac proinde scietia: minor probatur, nam inductio fit ex particularibus, quæ notũ est sensu percipi, demonstratio uero ex uniuersalibus quidem primo, sed cum uniuersalia hæc non nisi inductione cognoscantur, & dependet demonstratio a sensu.

Nota. Hic aduerte propositiones quæ in scientia sunt esse in duplici differentia, quædam immediatæ, quæ causam non habent, & in illa scientia saltem causa earum non consideratur, & uia cognoscendi has est per sensum, & inductionem, & ut docet 2. Post. c. vlt. quędam sunt mediatæ, quæ causam habẽt, & earum cognitio est per demonstrationem: unde mediatas per immediatas demõstramus, immediatas uero inductione percipimus, ut experientia ostendit ignem esse calidum, tamen ex hac demonstramus esse leuem.

Nota. Aduerte etiam cum Auer. quod Arist. hic non loquitur de uniuersalibus principijs illis quæ sunt cõissima, sed de principijs ex propositionibus quæ sunt propriæ subiectis peculiaribus sensu perceptis: hæ enim sunt quæ inductione colliguntur, per quas reliquas mediatas conclusiones demonstramus.

3 *Quoniã & quę ex abstractione, &c.*

Phil. & S. Tho. communes dignitates inductione tolli putant. Ostendit Arist. hæc uniuersalia propria sensibilium inductione, cognosci, & est probatio a minori, uniuersalia enim mathematica, quæ minus uidentur indigere sensu, & inductione, cum sint abstracta, indigent inductione, ergo & uniuersalia sensibilia, quæ minus abstracta sunt, magisq; sensui proxima; antecedens patet, nam a puncto in punctum lineam ducere, super quodlibet centrũ quantumcunque occupando spacium circulum describere, & similia, hæc singularium inductione nota fiunt.

4 *Quia sunt in vnoquoque genere.*

Quamuis locus hic aliter ab alijs exponatur existimo sensum esse, ut uelit ostendere tam in sensibilibus, quàm in mathematicis esse uniuersalia, quæ inductione cognoscantur, quamuis non oĩa: sunt.n. alia quæ demõstratione immediate cognoscuntur, sed hæc ex alijs pendent, quæ inductione probantur, cum non sint realiter extra singularia, & separata, sicut in scientijs consideratur: uniuersalia enim mathematica realiter in sensibilius sunt, ob id dicit, in vnoquoq; genere, nempe sensibilium, & mathematicorum esse quædam, quæ nimirum inductione cognoscuntur, quamuis hæc non sint separabilia, idest, cum hæc non sint abstracta, secundum quod huiusmodi unumquodque est, idest sicut in scientijs talia considerantur.

5 *Inducere autem non habentes, &c.*

Verba hæc copulantur illis; impossibile est uniuersalia speculari nisi per inductionẽ, inductio autem est ex singularibus, singularia autem non scientia, sed sensu percipiuntur, ergo sensu destructo singulare non percipitur, nec fit inductio, nec uniuersale cognoscitur, nec demonstratio procedit.

An deficiente sensu deficiat scientia illius subiecti.

Dubitatur primo, an sit in uniuersum uerum, qđ deficiẽte sensu deficiat scientia, quæ est in intellectu: dico, nihil intellectum cognoscere, quod aliquo modo nõ sit in sensu, at quia non eodem modo oĩa sub sensu sunt, ideo & non eodem modo ab intellectu cognoscuntur; aliqua.n. ẽm suos effectus tñ sensui subduntur, & talia sunt entia realiter separata Deus optimus max. & intelligentię, quæ nullo sensu percipiuntur, nisi per extrinsecos suos effectus; aliqua sensui substãt ẽm similia, ut cum uidimus unam urbem, per eã, quas non uidimus intelligimus; alia ẽm partes, ut cum uiso auro per se, & monte, statim montem aureum imaginamur; alia ẽm se, uel quæ sunt sub ijs, quæ sunt secundum se, ut accidentia sensibilia, & substantiæ quæ sub istis sunt. Impossibile igitur est, quod intellectus intelligat ea, quorum nihil percepit aliquo sensu, unde si omnes sensus alicuĩ deficerent à natiuitate, quod fieri non potest, nihil intellectus intelligeret: non tamen eodem modo, uti diximus, intellectus intelligit ea, quæ sensu percipiuntur, nam quę quarto, aut tertio modo, & aliquando secundo cognoscuntur, intellectione confusa, & commuta-

inutatiua intelligi non dicuntur, qualiter prima cognoscuntur; sed distincta, & propria notitia, propterea res immateriales obscurè in hac uita cognoscimus.

Alterũ dubiũ. Dubitatur, an in præsenti ita amplus sit sensus Aristo. dico limitate magis hic loqui Aristot. solum enim est sermo de his quæ secundum se, uel aliquid sui sensu percipiuntur aliquo, quorum est cognitio intellectus distincta, hæc enim illo sensu deficiente non scientur: nec loquitur de principijs communissimis, quamuis ista dependeant a sensu, non quod inductione probentur, sed quod sensu terminorum significationes, nempe res ipsas, necessarium sit appræhendere, de quibus dicemus 2. Poster. c. 18.

Syllogismum omnem ex tribus constare terminis, maiori, minori, ac medio, & hos in infinitum tam in propositionibus affirmatiuis, quàm negatiuis abire non posse. Cap. XV.

1 *Est autem omnis syllogismus per tres terminos, & qui quidem monstrare potest, quod A. inest ipsi C. eo quod inest ipsi B. & hoc ipsi C. priuatiuus autem alteram quidem propositionem habens, quod aliud quid alij inest, alteram verò, quod non inest. Manifestum igitur quod principia, & quæ dicuntur suppositiones hæ sunt: accipientem. n. hæc ita necesse est monstrare, vt quod A. inest ipsi C. per B. Rursus uerò, quod A. ipsi B. per aliud medium, & quod B. ipsi C. consimiliter.*

2 *Secundum opinionem igitur syllogizantibus, & solum dialecticè, planum quod hoc solum considerandum, si ex quibus contingit probabilissimis fiat syllogismus: quare & si est aliquid in ueritate eorum, quę sunt A. B. medium, videtur autem non esse, qui per hoc syllogizauit, syllogizatus est dialecticè. Ad veritatem autem ex ijs, quæ insunt, oportet considerare, se habet autem sic.*

3 *Quoniam est quod ipsum quidem de alio prædicatur non secundum accidens, dico autem secundum accidens, vt album aliquando illud dicimus esse hominem, non similiter dicentes, & hominem album, hic quidem enim non alterum aliquid existens album est, album verò, quoniam accidit homini esse albo, sunt itaque nonnulla talia, vt per se prædicentur.*

4 *Sit igitur C. tale, quod ipsum quidem non amplius insit alij, huic autem B. primo, & nõ sit aliud intermedium, & rursum * E ipsi ipsum F. consimiliter, & hoc ipsi B. an igitur hoc necesse est stare, aut contingit in infinitum ire?*

* Argi. rop. legit D. ipsi D. & F. itidẽ ipsi competat, E.

5 *Et rursus si de A. quidem nihil prædicatur per se, A. verò ipsi H. inest primo, intermedio autem nulli priori, & H. ipsi G. & hoc ipsi B. an & hoc stare necesse est, aut & hoc contingit in infinitum ire? differt autem hoc à priori tantum, quoniam hoc quidem est, an contingit incipienti à tali, quòd nulli inest alteri, sed aliud illi, sursum in infinitum ire: alterum verò incipientem à tali quod ipsum quidem de alio, de illo autem nihil prædicatur deorsum considerare, si contingit in infinitum ire.*

Amplius media an contingit infinita esse determinatis extremis? dico autem veluti, si A. ipsi C. inest, medium verò ipsorum B. ipsius verò B. & A. altera: horum autem altera, an & hæc in infinitum contingit ire, aut impossibile; est autem hoc considerare idem, & si demonstrationes in infinitum vadunt: & si est demonstratio cuiuscumque, aut ad se inuicem terminantur.

Consimiliter autem dico, & in priuatiuis

gatiuis syllogismis, de propositionibus, vt A. inest B. nulli, aut primo: aut erit aliquid medium, cui priori non inest. ueluti si ipsi G. quidem B. inest omni: & rursus alij adhuc priori hoc, vt si ipsi H. quod G. omni inest: in his etenim aut infinita, quibus non inest prioribus, aut stant.

In ijs verò, quæ conuertuntur, non similiter se habet: non est enim in ijs, quæ retrouersum prædicantur, de quo primo prædicatur, aut vltimo: omnia enim ad omnia hæc consimiliter se habent, siue sunt infinita, quæ de ipso prædicantur, siue utraque sunt quæ dubitantur infinita, præterquam quod si non similer contingit conuerti: sed hoc quidem, vt accidens, illud verò vt prædicamentum.

1 *Est autem omnis syllogismus per tres terminos, &c.*

3. Suppositiones. Arist. de immediatis propositionibus sermonē facere intendit, ac in præsenti tres suppositiones proponit, ac postea tres quæstiones.

1. Supposi. Prima suppositio est ex libris Priorum: omnis syllogismus, & prosyllogismus, affirmatiuus, vel negatiuus, ex tribus terminis solū conficitur, ex eo qui probatur, de quo probatur, per quam probatur, talesque propositiones ex his cōfectæ in illo syllogismo principia, & suppositiones dicuntur: dicit ergo est omnis syllogismus per tres terminos, & qui probare possibilis est, quoniā A. est in C. id est affirmatiuus, qui potest probare quod A. maius extremum est in C. minori, per medium B. de quo A. prædicetur in maiori, & ipsum prædicetur de B. in minori, quod est Barbara, uel Darii: & nota modum Aristot. simul. n. dicit affirmatiuum cōstare ex tribus terminis, & ipsum explicando probat. Postea subiungit negatiuum, quem ex vna affirmatiua, & altera negatiua constare docet, & has propositiones ex his terminis dicit uocari suppositiones, & principia in illo syllogismo, cum eas accipientes, i. non probātes, per eas alias demonstremus; tandem addit iterum, quod A. sit in B. & B. in C. manifestat prosyllogismus maioris, & minoris, in quibus etiam solum tres esse terminos constat, atque hæc est suppositio prima,

Secundum igitur opinionem syllogizantibus, &c. 2

2. Supposi. Altera suppositio est Demonstratorem a Dialectico differre: Dialecticus enim solum ex probabilibus procedens, non curat an aliquæ propositiones sint re uera immediatæ, sed si recipiantur, ut immediatæ, licet mediatæ sint, eis ut maxime probabilibus utitur, non sic Demonstrator, quærit enim non solum immediatas in opinione, sed quæ sic sūt, & sic se re uera habent: hoc docet ut intelligas nos quæsituros immediatas propositiones secundum rem, & non secundum opinionem solam, aliter enim non demonstratur.

Quoniā est quod ipsum quidem, &c. 3

3. Suppos. Tertia suppositio est, quædam prædicari secundum se, quædam secundum accidens: uocat secundum accidens, quando aliud non secundum se prædicatur, sed secundum alterum: vt quando dicimus, album est lignum: non enim dicere volumus quod ipsum album secundum se sit lignum, sed id, cui accidit album esse, lignum est: at quando dicimus lignum est album, ipsum lignum secundum se, non secundum alterum dicimus album: has vocat secundum se prædicationes, quando prædicatum inest subiecto secundum se, idest non secundum alterum quod subiecto subster: illas vero secundum accidens, cum prædicatum non secundum se subiecto, sed secundum alterum inest, quod fit cum de accidenti subiectum prædicamus; & hoc multum conducit ad probandum postea non esse processum infinitum in his prædicationibus.

Nota. Nota non hic vocare secundum se prædicari, quod per se inest primo, aut secundo modo, sed quod nō subiecto inest secundum aliud cui subiectum ipsum subsit: oppositum vocatur secundum accidens.

Nota uerba, aliter, inquit, dicimus album hominem, aliter, hominem esse album & secundam prædicationem declarat, cum enim non sit alterum aliquod, album est, idest cum homo dicitur albus, non est aliquid aliud, cui insit homo, quod sit album,

sed

sed ipse secundum se, idest non secundum aliud subiectum; primum vero declarat, album enim, dicitur homo, quia id quod substant albo homo est; concludit aliquis esse prædicationes secundum se.

4 *Sit igitur C. huiusmodi, &c.*

1. Quæs. Quæstiones tres proponit, prima est, an dato aliquo subiecto vltimo quod nō de alio prædicetur, possint de hoc infinita prædicata ordine prædicari, vt de ipso aliquid primo prædicatur, de hoc aliud, & de hoc superius, & possit sic in infinitum procedi, an sit finitus talium prædicatorum numerus, & nota istam literam, quæ corrupta est, est enim litera sic legenda, sicut legis Argirop. Sit itaque C. tale vt ipsum quidem nulli competat rei, B. autem huic competat primo, ut non sit inter ipsum medium vllum, & rursum D. ipsi B. & E. ipsi D. & F. identidem ipsi competat E. per has enim literas ordo prædicatorum significatur de illo subiecto ultimo C.

5 *Et iterum si de A. quidem, &c.*

2. Quæs. Altera quæstio est, an dato aliquo supremo prædicato, de quo, nihil superius prædicetur, possint sub illo infinita subiecta secundum ordinem subiici, vt sit A. supremū prædicatum, at sub A. F. ita ut ipsi immediate cōpetat, & postea hoc in alio, & hoc in alio, & sit processus in infinitum: ponit autem differentiam inter vtramque quæstionem, prior enim est, an dato vltimo subiecto numerus prædicatorum sursum in infinitum ascendat: altera uero est; an dato supremo prædicato, ab hoc incipiendo numerus subiectorum deorsum in infinitum descendat.

6 *Amplius media nunquid.*

3. Quæs. Tertia quæstio est, an determinatis extremis, idest dato subiecto vltimo, & prædicato supremo, possint inter hæc media infinita sumi: hoc clarius explicans dicit hoc quærere, esse quærere an demonstrationes in infinitū procedant, & omnium sit demonstratio, vel non sit, sed omnia adinuicem concludantur, idest sint finiti processus ex omni parte, tam extremorum, quàm mediorum.

7 *Similiter autem dico, &c.*

Hoc idem ostendit in priuatiuis, seu negatiuis, an sit processus in his talis, nempe quod non sit in B. quia non inest alteri, & huic non sit per aliud, & sic in infinitum.

8 *Sed in conuertibilibus, &c.*

Hanc tertiam quæstionem nō habere locū in terminis conuertibilibus ostendit, quia in his non datur vltimum, & supremū, nam oīa adinuicem prædicantur, & quocunq; dato prędicato, omnia reliqua de ipso, & ipsum de omnibus prædicatur; si vero cōsideres ex parte prędicati processum: siue ex parte subiecti verum est, quòd differunt tales prædicationes: nam directè passiones de subiecto, indirectè uero subiectum de passionibus prædicatur; vnde quamuis verè, non tamen ęquę sunt tales in istis prædicationes.

Quòd extremis finitis existentibus media non possint esse infinita. Cap. XVI.

QVòd igitur intermedia non cōtingit infinita esse si deorsum, & sursum stent prædicamenta, manifestum; dico autem sursum quod in magis vniuersale, deorsum vero quod in id, quod secundum partem: si enim A. prędicatur de F. infinita sunt intermedia, in quibus est B. planum quòd contingere posset, vt & A. deorsum alterum de altero prædicaretur in infinitum: antequam enim in F. deueniatur, infinita sunt intermedia: & ab F. sursum infinita, antequam ad A. deueniatur: quare si hæc impossibilia, & ipsius A. & F. impossibile infinita esse media. 1

Neq; enim si quis diceret, quod alia quidem sunt ipsorum A. B. C. contigua inuicem, vt non sit medium, alia verò non est accipere, nihil differt: quocunque enim accepto eorum, quæ B. erit ad A. aut ad F. aut infinita media, aut non: à quò autem sint primum, infinita, siue statim, siue non statim, nihil differt: quæ enim sunt post hæc, infinita sunt. 2

Quod

1 *Quod igitur intermedia non &c.*

Philop. hoc loco con. 83. dicit nostrã cognitionem sursum procedere ex particularibus ad vniuersalio ra: non vero ecõtra ab vniuersalioribus ad partic.

Tertiam quæstionem esse impossibilem ostendit nempe quod extremis finitis existentibus media possint esse infinita; primo autem explicat quid processus sursum, quid deorsum sit; processum sursum vocat, cum ex particularibus ad vniuersalia progressus fit; deorsum uerò, cum econtra ab vniuersalibus ad particularia proceditur: sursum ergo est vniuersale, deorsum uero particulare; argumentatur autem sic: si ab A. prędicato deorsum usq; ad C. sunt media infinita, ergo nunquam perueniri poterit ad ipsum C. per B. idest per tanta media, cum infinitum pertransiri non possit, non ergo erit ultimũ ipsum C. similiter si ab ipso C. subiecto usque ad A. media sunt infinita, ergo nũquam peruenietur eadem ratione ad ipsum A. non ergo erit supremum, impossibile est ergo media infinita esse inter extrema determinata, esset enim, ut dicunt, Themist. & Philop. sicut qui diceret, esse numerum finitum ab unitate usque ad denarium, tamen esse infinitos numeros intermedios; quod si objiciat, in linea quadam finita dari duo extrema puncta determinata, & tamen esse infinita intermedia puncta: respondent prædicti auctores non esse parem rationem, nam illa intermedia puncta sunt in potentia, at uerò prędicata debent esse actu, ob id infinita non sunt inter extrema determinata.

2 *Neque enim si quis, &c.*

Posset quis dicere, quòd non omnia media erunt immediata, sed quædam erunt contingentia, idest contigua, inter quæ non est medium; quædam vero alia non esse immediata. dicit Arist. hoc nihil referre; nam cum infinita media sint accipienda inter A. & C. siue sint statim, idest immediata siue nõ statim, idest mediata, nunquam ad extrema peruenietur, non ergo esse possunt infinita media inter extrema finita, puta homo est risibilis: inter hæc enim duo extrema non possunt media infinita esse, siue immediata sint, quorum singula nõ habent mediũ, siue mediata sunt, quæ per similia media debeant probari: non enim ab homine in risibile, nec à risibili in hominem perueniri poterit, cum hæc prius transeunda sint.

Quod si prædicationes affirmatiuæ sint finitæ sursum, & deorsum, impossibile sit demonstrationes negatiuas in infinitum procedere. Cap. XVII.

1 *PLanum autem & in priuatiua demonstratione, quòd stabitur, si quidem in prædicatiuo statur ad vtraque: sit enim non contingens neque sursum ab vltimo in infinitum ire, (dico autem vltimum, quod ipsum quidem alij nulli inest, illi vero aliud, vt F.) neque à primo in vltimum, (dico autem primum, quod ipsum quidem de alio, de illo verò nihil aliud) si vtique hæc sunt, & in negatione stabitur.*

2 *Tripliciter namque monstratur non existens, aut enim cui quidem ipsum C. B. inest omni, cui verò ipsum B. ipsum A. nulli. Ipsius itaq; B. C. & semper alterius distantiæ, necesse est progredi ad immediata, prædicatiua namq; est hæc distantia, alterum verò manifestum, quod si alij non inest priori, vt ipsi D. hoc oportebit ipsi B. oĩ inesse: & si rursus alij priori, vt ipso D. non inest, illud oportebit ipsi D. omni inesse: quare quoniam,* quæ sursum est, via stat, & quę deorsum stabit, & erit aliquid primò, cui non inest.*

* al. l. q̃ deorsum est uia stat, & quæ sursum stabit.

3 *Rursus si B. quidem omni A. ipsi vero C. nulli: ipsum A. eorum, quæ C. nulli inest. Rursus hoc si oportet monstrare, planum, quod aut per superiorem modum monstrabitur, aut per hunc, aut tertium. Primus igitur dictus fuit. secundus uero monstrabitur. Sic autem vtique monstraret, vt quòd D. ipsi quidem B. omni inest, ipsi uero C. nulli, si necesse est inesse aliquid ipsi B. Et rursus, si hoc ipsi C. non inerit, aliud ipsi D. inest, quod ipsi C. non inest: igitur quo-*

quo-

quoniam inesse semper superiori stat, stabit, & non inesse.

4 *Tertius verò modus fuerat, si A. quidem B. omni inest, ipsum verò C. non inest, non omni inest C. cui A. Rursus verò hoc, aut per superius dicto, aut similiter monstrabitur. Illo quidem itaque modo statur; sin autem sic, iterum accipietur B. inesse ipsi E. cui ipsam C. non omni inest, & hoc rursus consimiliter. Quoniam autem suppositum est stari & deorsum, planum quod stabit, & C. non existens.*

5 *Manifestum autem quòd & si non vna uia monstretur, sed omnibus, aliquando quidem ex prima figura, aliquando autem ex secunda, aut tertia, quod & sic stabitur, finitæ enim sunt uiæ finita autem finities, necesse est, finita esse omnia. Quod igitur in priuatione, si quidem & in eo quod est inesse, statur, manifestum.*

1 *Planum autem, & in priuatiua demonstratione, &c.*

Arist. miro profectò ingenio in hoc capite probare intendit, φ si prædicationes affirmatiuæ sint finitæ sursum, & deorsum, erit impossibile demonstrationes negatiuas in infinitum procedere; & hoc per tres ipsas figuras ostendit; hoc est igitur quod dicitur, sit igitur contingens, id est supponatur ita esse, quod nec ab ultimo sursum in infinitũ procedatur affirmando, nec a primo deorsum descendatur: explicat autem per vltimum intelligi subiectum quod de nullo prædicatur, per primum uerò prædicatum de quo nihil aliud affirmatur: hoc supposito etiam in negatiuis non erit demonstrationum infinitus processus, quod ingeniosissime ostendet.

2 *Tripliciter autem monstratur non esse, &c.*

In triplici, figura potest negatiua demonstrari, sed de prima est argumentũ primum, quod huiusmodi est: non potest demonstrari negatiua nisi per medium, de quo maius extremum negetur in maiori, & quod in minori de subiecto affirmetur, sed ex suppositione est finitus numerus prædicatorum affirmatorum, ergo erit numerus finitus mediorum, per quæ in prima figura negatiua demonstratur.

Verbi gratia sit demonstranda, homo non est qualitas, demonstrabitur per animal, de quo negetur qualitas, & quod affirmetur de homine, f. nullum animal est qualitas omnis homo est animal, ergo nullus homo est qualitas: iterum si maior demonstranda erit per aliquod, de quo negetur qualitas, & quod affirmetur de animali, ac per consequens hoc etiam cõpetet homini, f. uiuens: sic nullum uiuens, est qualitas, omne animal est uiuens, ergo nullum animal est qualitas, iterum si maior demonstranda est, erit per superius uiuenti, ac proinde animali, & homini, de quo negetur qualitas, & hoc per aliud simile; sed est finitus numerus eorum quę de homine affirmantur ex suppositione, ergo iam amplius negatiua demonstrari non poterit.

Dicit igitur Arist. & facit in prima figura syllogismum, nullum B. est A. omne C. est B. ergo nullum C. est A. minor est finita secundum prædicationẽ ex suppositione, ergo & maioris erunt finitæ demonstrationes; nam si maior negatiua est, probãda erit per D. quod ẽt sit in C. & illud per aliud simile; sed deorsũ, idest in minoribus affirmatiuis stat numerus, ergo & sursũ in maiorib. negatiuis; erit enim ultima indemõstrabilis.

Rursum si B. quidem omni A. &c. 3

Hoc idem in secunda figura probat, & ratio hæc est: in secunda figura non demonstratur negatiua nisi per medium, quod de una extremitate affirmetur, quod si altera negatiua est, demonstranda erit per mediũ, quod etiam de altera extremitate affirmetur ascendendo, sed in his affirmatiuis prædicatis, numerus est finitus, ergo etiam numerus talium mediorum ad negatiuas ostendendas erit finitus. In secunda figura.

Verbi gratia, si sit demonstranda, nulla qualitas est homo, in Camestres, erit per aliquid quod affirmetur de homine, sic: omnis homo est animal, nulla qualitas est animal, ergo nulla qualitas est homo: iterum mi-

minor est demostranda per aliquid quod affirmetur de animali, & perinde de homine, vt uiuens, sic; omne animal est viuens, nulla qualitas est viuens, ergo nulla qualitas est animal: idem de illa minori: sed finitus est numerus prędicatorum affirmatiuorum de vna extremitate, ergo & numerus mediorum negatiuarum demonstrandarum.

Proponit igitur Aristo. syllogismũ in Camestres; omne A. est B. nullum C. est B. ergo nullum C. est A. sumit minorem dicens, aut est demonstrãda per primam figuram, & sic probatum est illas demonstrationes esse finitas, aut per tertiam, & idem postea probabitur, aut per secũdam, & sic probatur, idem: si enim demõstrare oportet nullum C. est B. erit per D. quod affirmetur de B. ac proinde de A. & negetur de C. & si iterum alia minor est probanda, nullũ C. est D. erit per aliquid, quod affirmetur de D. ac proinde de B. & A. & negetur de C. & sic cõsequenter, sed finitus est numerus superiorum, quæ affirmantur de A. ergo etiam erit finitus demonstratiuorum eorum quæ negantur de C.

4 *Tertius autem modus, &c.*

In tertia figura. Idem ostendit in tertia figura, in qua medium est subiectum in vtraque propositione, & ratio hæc est; negatiua non demonstratur nisi sumẽdo medium, de quo affirmetur vna extremitas, sed finitus est numerus subiectorum affirmatiuorum, ergo erit numerus demonstrationum finitus: hæc.n. figura habet medium deorsum, id est sub extremis; illæ duæ sursum, id est extremum aliquod.

V. G. sit, substantia non est qualitas, concludenda in Felaptõ, sumendum est aliquid, de quo affirmetur substantia, vt corpus, sic; nullum corpus est qualitas, omne corpus est substantia, ergo substantia non est qualitas: iterum si maior in eadem figura particulariter est concludenda, uel uniuersaliter, quia est in materia necessaria, tunc sub corpore oportet sumere, ac proinde sub substantia, sed ex suppositione, finitus est numerus deorsum affirmatiuorum, ergo sistunt demonstrationes negatiuorum.

Proponit ergo Arist. syllogismum in Felapton; nullum B. est C. omne B. est A. ergo non omne A. est C. Tunc si maior iterum demonstratur, aut erit per primam, uel secundam, uel tertiam figuram, se in prima, & secunda probatum est finiri numerum, erit ergo in tertia: sed probatur quod etiam in hac, oportebit enim sumere E. quod sit sub B ac proinde sub A. sed iste numerus est finitus, ergo & negatiuus: omnes hæ rationes sub hac continentur; non potest præmissa negatiua monstrari nisi per medium affirmatiuum de una præmissa extremitate, sed ex suppositione tam deorsum, quàm sursum affirmatiuæ prædicationes sunt finitæ, ergo ex tali etiam suppositione est finitus numerus negatiuarum demonstrationum.

Manifestum est autem, &c.

Vt sensus Arist. hic percipiatur, aduerte propositiones negatiuas mediatas esse quasdam ratione subiecti, i. quæ per medium superius subiecto ad immediatas reducuntur, ut nullus homo est qualitas; quasdam mediatas ex parte prędicati, quæ per superiora prædicata reducuntur, ut nulla qualitas est homo; quasdam ex parte utriusque, ut homo non est lapis: quæ mediatæ ex parte subiecti sunt, per primam figuram reducũtur, ut factum est superius; quę uerò ex parte prędicati per Camestres, quæ uerò ex parte utriusque per utramque figuram, ut notum est, primo resoluitur in immediatas ex parte unius extremi, postea ex parte alterius. Not. 1.

Aduerte propterea quasdam esse mediatas ex parte superiorum, & tales per duas figuras, primam, & secundam reducuntur, quasdam ex parte inferiorum, & hę per tertiam; quasdam ex parte utriusque, & huiusmodi per plures figuras reduci debent: unde potest esse quod sit aliqua propositio negatiua mediata ex parte subiecti, & prædicati sursum, & deorsum, & hæc per omnes figuras ad omnes immediatas reduci debet, ut anima non est color. Not. 2.

Posset quis dubitare an talium sint infinitæ demonstrationes, respondet Aristot. quamuis non sit una uia tales demonstrandi, sed modo per primam, modo per secundam, modo per tertiam figuram ostendãtur, tamen sunt demonstrationes finitæ, quia figuræ sunt finitæ, & singulæ singularum, demonstrationes finitæ; finita autem finitæ sæpius sumpta finitum faciunt: concludit manifestum esse itarum, idest terminum esse in negatiuis, sine in esse, idest in affirmatiuis prædicationibus finis utrimque est.

Quòd

Quòd prędicationes affirmatiuę non possunt in infinitum procedere. Cap. XVIII.

1 *Quod autem in illis, logicè quidem speculantibus ita manifestum. In ijs quidem igitur quæ in eo, quod quid est prædicantur, planum: si enim est definire; aut si cognoscibile ipsum quod quid erat esse, infinita verò non est pertransire, necesse est terminata esse, quæ in eo, quod quid est prædicantur.*

2 *Vniuersaliter autem sic dicimus: est enim dicere uerè, album ambulare, & magnum illud lignum esse, & rursus lignum magnum esse, & hominem ambulare: sed alterum est ita dicere, & illo modo: quando enim album esse dixero lignum, tunc dico, quòd cui accidit vt sit album lignum est; sed non tanquã subiectum ligno album est: neque etenim album existens, neque quod est album aliquid, factum fuit lignum: quare non est nisi secundũ accidens, quando autem lignum album esse dixero, non quod alterum quid est album, illi verò contingit lignũ esse: veluti quando musicum album esse dixero: tunc enim quod homo albus est, cui contingit esse musicum, dico: sed lignum est subiectum, quod quidem & erat, non alterum quid existens, quàm quod lignum, aut lignum quoddam.*

3 *Si itaque oportet nomina ponere, sit quidem ita dicere prædicare, illo uerò modo, aut nequaquam prædicare, aut prædicare quidem non simpliciter, secundum accidens autem prędicare: est autem, vt quidem album, quod prædicatur, ut verò lignum illud, de quo prædicatur: supponatur itaque prædicatũ prædicari semper, de quo prædicatur simpliciter, sed nõ secundum accidens: sic enim demonstrationes demonstrant.*

4 *Quare aut in eo, quod quid est, aut quod quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut ubi, aut quando; cum vnum de vno prædicatum fuerit.*

5 *Amplius substãtiam quidem significantia, quod illud, aut quod illud aliquid significant, de quo prædicantur. quæcunque uerò non substantiam significant, sed de alio subiecto dicuntur, quod non est, neque quod illud, neque quod illud aliquid, accidẽtia, quemadmodum de homine album; non enim est homo, neque quod album, neque quod album quid, sed animal fortasse, quod quidem.n. animal est, homo est. Quæcumque uerò non substantiam significant: oportet de aliquo subiecto prædicari, & non esse aliquid album, quod non alterum quid existens album est.*

6 *Species.n. valeant, namque, & * teretismata sunt: & si sunt, nihil ad sermonem sunt, demonstrationes enim de talibus sunt.*

7 *Amplius si non est hoc huius qualitas, & illud huius, neq; qualitatis qualitas, impossibile est mutuo prædicari, sic, sed uerum quidem dicere contingit, mutuo autem prædicari verè non contingit.*

8 *Aut enim ut substantia * prædicabitur, ueluti si genus existens, aut differentia prædicati. Hæc autem monstrata sunt, quod non erunt infinita, neque deorsum, neque sursum, ut homo bipes, hoc animal, hoc autem alterum, neque animal de homine, hoc autem de Callia in eo quod est quid: substantiam enim omnem est definire talem, infinita uero non est pertransire intelligentem: quare neque sursum, neque deorsum infinita: illa namque non est definire,*

* Ioãn. Gram. inquit, qd τερετίσματα vocant, prætantus cytharædorum, quos inarticulatè canũt ut experiant̃ dissonãtiã chordarum, si secundũ conueniẽtem melodię tonẽ extensæ sunt, uel alias per trectationes cytharędorum inarticulatas, experiẽtiæ gratia dissonãtię chordarum factæ.

* Argirop. addit, aut vt accidens.

nire, de quâ infinita prædicantur.

9 Sic itaque genera inter se non retrouersum prædicabūtur, erit enim ipsum quod ipsum aliquid est.

10 Neque utique qualis, aut aliorum nullum, si non secundum accidens prædicatum fuerit: omnia enim hæc accidunt, & de substantijs prædicantur: sed certè neque sursum infinita erunt, de vnoquoq; namque prædicatur, quod vtique significat, aut quale quid, aut quantum quid, aut de talibus, aut quæ in substantia: hæc autem determinata sunt, & genera prædicamentorum determinata sunt: aut enim quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut ubi, aut quando.

11 Suppositum autem fuit unum de uno prædicari: ipsa uerò de ipsis, quæcunque non quid sunt, non prædicari, accidentia namque sunt omnia: sed hæc quidem per se, illa autem secundum alterum modum: hæc autem omnia de subiecto aliquo prædicari dicimus, accidens autem non esse subiectum aliquod: nihil enim talium ponimus esse, quod non alterum quid existens dicitur, sed ipsum alijs, & alia quædam de alio. Neque sursum itaque unum de uno, neque deorsum inesse dicetur: de quibus enim dicuntur accidentia, quæcunque insunt in substantia uniuscuiusque, hæc infinita nō sunt: sursum autem, & ipsa quoque accidentia utraque non infinita sunt. Necesse est igitur esse aliquid, de quo primū aliquid prædicatur, & de hoc aliud, & hoc stare, & esse aliquid, quod non amplius, neque de alio priori, neque de illo aliud prius prædicatur. Vnus igitur modus dicitur demonstrationis hic,

12 Amplius autem alius est, si de quibus priora aliqua prædicantur, est horum demonstratio; quorum autem est demonstratio, neque melius euenit se habere ad ipsa, quam scire, neque scire sine demonstratione: si autem hoc per hæc notum, hæc autem non nouimus, neque melius nos habemus ad ipsa quam scire, neque quod per hæc notum scimus. Si igitur est aliquid scire per demonstrationem simpliciter, & non ex quibusdam, neque ex suppositione, necesse est stare prædicationes intermedias: si enim non stant, sed est semper acceptio ad superius, omnium erit demonstratio: quare, si infinita non euenit pertransire, quorum est demonstratio, hæc non sciemus per demonstrationem: si igitur neque melius non habemus ad ipsa, quam scire, non erit aliquid scire per demonstrationem simpliciter, sed ex suppositione.

Logicè igitur ex his quidem aliquis crederet de eo, quod dictum est.

13 Resolutorie uerò per hæc manifestum breuius, quod neque sursum, neque deorsum infinita prædicata contingit esse in demonstratiuis scientijs, de quibus consideratio est: demonstratio namque eorum est, quæcunque per se insunt rebus: per se uerò dupliciter sunt: quæcunque etenim in illis insunt in eo, quod quid est, & quibus ipsa in eo, quod quid est inexistentibus ipsis: ut in numero impar, quod inest quidem numero, inest autem ipsi numerus in ratione ipsius: & rursus multitudo, aut diuisibile in ratione numeri inest: horum autem neutra contingit infinita esse, neque ut impar numeri.

14 Iterum enim in impari aliud esset cui inerat existenti, hoc autem si sit

primum numerus inerit inexistentibus ipsi. Si igitur non contingit infinita talia esse in uno, neque sursum erunt infinita: sed necesse utique omnia inesse ipsi primo, ut numero, & illis numerum: quare conuertentia erunt, sed non supertendentia.

15 *Neque etiam quæcunque in eo quod quid est insunt, neque hæc infinita sunt: neque enim esset utique definire. Quare si prædicata quidem per se omnia dicuntur: hæc autem non infinita, starent vtique quæ sursum: quare & deorsum: si autem sic, & quæ in medio* duobus terminis semper inerunt finita.*

*a.l. duorũ terminorũ vtique finita.

Si uerò hoc, planum iam, quòd necesse est demonstrationum principia esse,
16 *& non omnium esse demonstrationem: quod dicebamus quosdam dicere à principio: si enim sunt principia, neque omnia demonstrabilia, neque in infinitum iri potest: esse enim utrumuis horum, nihil aliud est, quã esse nullam distantiam immediatam, & indiuisibilem, sed omnes diuisibiles: intro namque proijciendo terminum, sed non assumendo demonstratur, quod demonstratur; quare si hoc in infinitum contingit ire, contingeret utiq; duorum terminorum infinita intermedio esse media; sed hoc impossibile, si stant prædicamenta sursum, & deorsum. Quod autem stant monstratum fuit logicè quidem prius, resolutorie uerò nunc.*

1 *Quod autem in illis, &c.*

Intentio Arist. Cum negatiuas demonstrationes sistere, se affirmatiuæ prædicationes finitæ sint ostẽderit, nunc prædicationes hasce affirmatiuas non in infinitum posse procedere ostendit, ac primo præmittit tres suppositiones, secundo duas logicas rationes adducit ad id probandum, tertio ratione demonstratiua idem probat.

Proponit igitur in illis, nimirum in affirmatiuis prædicationibus terminum esse: manifestum est ijs, qui logice speculantur, idest per rationes logicas manifestum est; sunt. n. hæc uerba continuata cum fine præcedentis capitis: ac primo unum argumentum facit pro prædicationibus substantialibus, nõ posse procedere in infinitum si definitiones sunt, sicut re uera sunt, & si scientia est terũ sicut re uera est: quod si prædicata substantialia infinita essent, nec definitiones, nec scientia rerum essent, non. n. infinitum cognosci, nec definiri ualet; definitio autem per oĩa prædicata essentialia danda est, aliter perfecta definitio non esset, Arist. non probat definitionem esse, quia est principiũ logicum, ob id pro petitione non neganda sumit, & per ipsam probat.

Vniuersaliter autem sic dicimus. 2

Quia particulariter loqui uidebatur vniuersaliorẽ de oĩ prędicatione sermonẽ capit, ac suppositionem primam cõstituit: Triplex est prædicatio accidẽtalis, prima, cũ accidens de accidente prædicamus, vt albũ ambulat; altera, cũ de accidente subiectũ prædicamus, vt magnum est lignũ: tertia, cum de subiecto accidens, ut lignũ, est magnum, hõ ambulat.

Sed diuersũ esse docet sic, aut alio modo dicere, nimirum cum de accidente subiectũ, aut de subiecto accidens prædicatur, est autem discrimen, nam cum dico album esse lignum, dico quod id cui accidit esse album, est lignum, sed non quod ipsum album secundum se sit subiectum ipsi ligno; ac si dicat, lignum non de albo secundum se dicitur, sed secundum id quod albo substat: & hoc probat, nam si lignum diceretur de albo secundum se, tunc album diceretur factum esse lignum, sicut lignum quia secundum se album est, dicitur factum fuisse album, & subiectum quodque dicitur factum esse tale, at non dicitur album factum est lignum, nõ ergo secundum se album subijcitur ligno.

Nota uerba, per quod album est, intelligitur uniuersaliter album: per quod album aliquod est, particulariter, ut sit sensus, nec album in communi, nec in particulari dicitur factum esse lignum, at cum dico lignum est album, non dico quod aliquid cui lignum insit sit album, sed ipsum secundum se, nempe secundum quod lignum, aut lignum ali- Nota.

quod

quod album est, & album factum est; atque illo modo se habet prædicatio cum accidens de accidente prædicatur; non enim secundũ se subijcitur, sed secundum aliud, ut qui dicit album musicum, dicit quod id cui album accidit, est musicum, non quod ipsum album secundum se sit musicum.

3 *Si itaq; oportet nomina ponere, &c.*

Vult Arist. quod aliquæ prædicationes, nimirum cum accidens de accidente, aut subiectum de accidente prædicatur, aut non sint prædicationes, aut secundum quid, id est secundum accidens sint prædicationes: reliquas uerò esse secundum se, id est simpliciter prædicationes, ut cum album est prædicatũ, lignum uerò subijcitur; at quia nomen prædicationis omnes cõpræhendebat, dicit quod si licet nomina ponere, prædicatio dicatur sola, quæ est secundum se, aut saltem supponatur, quandoquidem sumus in materia demõstrationis, in qua non nisi secundum se prædicationes sunt, atque hæc est prima suppositio.

4 *Quare aut in eo, quod quid est, &c.*

Altera suppositio est, prædicationes secũdum se esse secundum decem prædicamenta solum, uidelicet secundum quantitatem, qualitatem, &c. cum unum de uno prædicamus: nam cum plura simul de uno prædicamus, tunc tale prædicatum non ad unum tantum prædicamentum spectat.

Hic aduerte, quod prædicamenta accidentium dupliciter possunt comparari, uno modo ad substantiam, de qua in concreto prædicantur, & sic faciunt prædicationes secundum se, sed accidentales, idest extra naturam subiecti: altero modo singula in se ipsis, ut cum genera, & differentias accidentium de suis speciebus prædicamus, & sic faciunt prædicationes essentiales, sicut cum substantiam de substantia prædicamus: at uerò cum inter se unum prædicamentum accidentis de altero, aut substantia de accidenti prædicatur, tũc prædicationes fiunt secundum accidens, ut dictum est, non secundum se.

5 *Amplius substantiam quidem significantia, &c.*

Discrimen ponit inter prædicationes, in quibus substantiam de substantia, vt accidẽs de substantia prædicamus, ambæ. n. sunt s̃m se; est aũt duplex discrimen; alterũ, prędicata substantialia significare esse ipsius subiecti, sed differenter; quędã quod subiectum est, puta vniuersaliter, cum nempe cõuertuntur cum subiecto, vt differẽtię; quędam quod aliquod est subiectum, i. particulariter, ut genus: non. n. omne animal est ipse homo, sed aliquod; at uerò accidentia, nec quod subiectum est, nec quod aliquod subiectum est, i. nec conuertibiliter, nec inconuertibiliter sunt esse subiecti; ut album de homine.

Et nota quod dicit, album de homine, ut indicet accidentia inter se etiam naturales, & essentiales prædicationes facere, sicut cum substantiam de substantia prædicamus: aduerte quod dicit, hominem esse quod animal est, hõ enim est particulare animal, dicit forsan, propter Idæas Platonis, quas nondum repræhendit. Alterũ discrimen est, accidentia enim non secundum se prædicantur, sed scd̃m ea, quæ ipsis substant, ut dictum est, at substantia, cum nihil illi substet, non secundum aliud, sed secundum se prædicatur.

6 *Species enim ualeant, & genera, &c.* No. de idæis.

Posset, quis existimare, ut notant Themist. & Philop. accidentia secundum se prædicari, cum secundum se sint abstracta; nam album ipsam idæam albi, pulchrum ipsam pulchritudinem significat; respondet Arist. has idæas esse quid fictitium, & uanum, nec quicquam ad demonstrationem facere; ex illis enim quæ dictæ sunt prædicationibus fiunt, ob id dicit, species, & genera, i. idææ ualeant, recedant, & abijciantur, sunt. n. monstra, & quamuis essent, inutiles ad demonstrationes, & prædicationes essent. Gręce dicitur τερέτισματα, quod nomẽ aliqui præcantus musicorum, quo se ad musicam parant, significare dicunt, ob id aliqui fidium attrectationes uertunt: alij significare dicũt cantus cicadarum: Boet. uertit monstra, alij portenta, sensum potius attendentes, quàm uocabuli significationem; sensus enim est, esse quid fictum, & uanum.

Amplius si non est hoc huius qualitas, &c. 7

Tertia suppositio est, in qua, secundum Philopo. uult ostendere, cum econtra prædica-

dicamus accidentia de substantia, esse inordinatas, & innaturales prædicationes, & id peculiariter in uno prędicamēto qualitatis ostē
7 dit: quamuis possemus dicere cū Latinis, nomine qualitatis quodcunq; accidens hic intelligi; dicit igitur Arist. cū impossibile sit duo ad inuicē sic se habere, quod unū alterius sit qualitas, & forma, & hoc uice uersa illius forma, nō erunt ęquæ prædicationes, quæ fiunt accidentis de substantia, & substantiæ de accidēte, quoniam accidens est forma subiecti, nō autem subiectum accidentis; prædicationes quidem erunt ueræ, sed nō æquales, nam illæ naturales, hæ uerò innaturales, & indirectæ sunt: hoc etiam intellige in alijs prædicatis essentialibus generum, & differentiarum; nō n. est æqua prædicatio ipsorum, & subiectorum de ipsis, ob eandem rationem.

8 *Aut enim vt substantia prædicabitur, &c.*

Nota summā probationis Aristot.

Constitutis tribus suppositionibus proponit argumentum pluribus uerbis, quam forsan opus esset: breuiter autem hoc argumentum est, quo probat, nec in prædicationibus per accidens esse processum infinitum; aut prædicationes istæ sunt secundum substantiam, in quibus subiectum est genus, aut differentia prædicati, ut animal est homo, rationale est hō; aut sunt per accidens, in quibus substantia de accidentibus prædicatur, uel ecōtra: aut per accidens, in quibus accidens de accidēti prædicatur, sed oēs hæ sunt finitæ tam sursum, quàm deorsum: & probatur, nam primæ sunt finitę cū genera, & differentiæ sint finita, ut n. prædicationes directæ generū, & differentiarū finitę sunt (cum alias nō esset definitio) ita etiam sunt indirectę eorundem prædicationes finitę: similiter secundę, nam accidentia, quæ prædicantur de substantia sunt finita, cum sint nouem genera, & unumquodque finitas differentias, & genera habeat, ergo erunt etiam finitæ prædicationes substantiæ de accidentibus: similiter tertiæ, nam accidentia ipsa diuersorum generum non prædicantur secundum se, sed secundum subiectum infinitum, nempe substantia, cui infinita insunt accidentia, ergo tales prædicationes erunt finitæ, unde patet non solum per accidens, sed per se prædicationes finitas esse, cum tot sint, quot prędicamenta sunt, hęc autem omni ex parte sunt finita: hæc est ratio Aristot. breuiter collecta, ipsius uerba explicemus.

Cum ostendisset non equæ prædicari substantiam de accidenti, & accidens de substantia, dicit ēt, cum substantiæ inter se prædicantur, hoc idē euenire, ut nō sit æqualis prædicatio, vt cū genus, aut differentia subijciuntur prædicato, cuius genera sunt, aut differentię: & quāuis interrogatoria sint uerba, sensus tñ est affirmatiuus: postea adiungit, talia, cū sint in quid est, non esse infinita, aliàs nihil definiri, aut intelligi posset, dicit aūt non esse infinita sursum, ut dicamus homo est bipes, & hoc nempe bipes, est aīal; & hoc, nempe animal, aliud quid, & sic consequenter: similiter non esse infinita deorsum, ut animal de homine, homo de Callia, & sic consequenter, finitum est enim utrumque extremum.

Sic itaq; genera inter se, &c. 9

Postquam ostendit in similibus prædicationibus non esse processum in infinitum, monstrat tales non esse æquales cum his, in quibus genera de speciebus prædicantur, & hoc probat de genere, & sensus clarus est, uerba tamen obscurissima: sensus iste est, genus particulariter inest speciei, idest, aliquid animal inest homini, non tñ omne animal at species uniuersaliter substat generi, non ergo erit æqualis prædicatio, nisi uelis quod idem sit quod particulariter prædicatur, & quod uniuersaliter.

Dicit ergo, erit ipsum, i. genus erit uniuersaliter species, cū dicitur animal est homo, quod quidem, i. quæ species, quod ipsum aliquod est, i. est ipsum genus particulariter: speciem autem uniuersaliter de genere non intelliges prædicari, sed idem est dicere, quod genus uniuersaliter species, quod genus uniuersaliter de specie prædicetur; similiter idem est quod species sit genus particulariter, & quod species de genere particulariter prædicetur. At quæ hæc est prima pars argumenti, quod supra declarauit.

Neque vtique qualis, aut aliorum nullum, &c. 10

Secūda pars rationis Arist.

Secundam argumenti partem proponit, nempe; quod in prædicationibus secundum accidens, quibus substantia de accidenti prędicatur, non sit processus infinitus, & primo ostendit esse secundum accidens,

nam

nam accidentia potius de substantia, quam de accidenti substantia prædicantur, quod uero hæ finitæ sint, patet, nam accidentia non sunt, nisi finita, nempe nouem genera, & singula in unoquoque genere finitas habent differẽtias, & genera, vt probatum est.

11 *Suppositum autem fuit, &c.*

Tertia pars rationis. Arist. Tertia argumenti pars hæc est, nempe cum accidentia adinuicem prædicantur, quę non sunt ordinata essentialiter (nam de his dictum est in prima parte) talia non prædicantur, nisi quæ ad aliquid sunt, id est, nisi in concreto cum subiecto accipiuntur, non enim albedo dulcedo, sed album dulce dicitur: cum igitur hæc non nisi secundum subiectum prædicentur (sunt enim aliter accidentales, quàm cum accidens de substantia prædicatur, ut dictum est) subiectum autem nempe substantia, sit finitum, & accidentia, quæ ei insunt finita sint, tales etiam prædicationes finitę erunt: atque hæc est ratio prior, qua probatur in affirmatiuis prædicationibus non esse infinitum processum.

12 *Amplius autem alius est, &c.*

Posterior ratio est ad idem ostendendũ, suppositis tribus. Primo cum aliqua conclusio est mediata, potest demonstrari. Secundo, talis conclusio non scitur quousque demonstretur, non enim contingit scire mediata, nisi per demonstrationem. Tertio nũquam scitur conclusio quousque sciamus præmissas, vel aliam meliorem dispositionem habeamus, quam sit sciẽtia, est enim Intellectus principiorum, ut dictum est: his suppositis est ratio Arist. ita conclusio mediata potest sciri, ac per demonstrationem cognosci: sed nisi principia stent, impossibile est talem conclusionem cognoscere, nõ ergo est processus infinitus: Minor patet, quia nunquam sciemus præmissas demonstrabiles, nisi per alias; si ergo non ad ultimas simpliciter perueniatur, solum erit scientia ex suppositione, & ita nunquã quod simpliciter demonstrabile est, per demonstrationem simpliciter cognoscemus, quòd est impossibile: has utrasque rationes uocat Aristot. logicas, priorem quidem, quia communis est nõ solum propositionibus per se, sed omnibus: posteriorem uerò, quia ut dicit Alexand. procedit ex suppositione, nempe supponit quod sit demonstratio, vel forsan, quia non a priori, & causis procedit.

Resolutorie vero per hæc manifestum est, &c. 13

Hæc est tertia capitis pars, in qua Arist. analyticam, idest demonstratiuam rationẽ adducit ad idem probandum, quia se breuius id probaturum dicit, ratio autem hæc est: demonstratio cõficitur ex propositionibus per se, sed in talibus non est processus infinitus, ergo nec in propositionibus demonstratiuis: maiorem probat distinguendo per se in ea quorum prædicata sunt de subiectorum definitione, & ea quorum subiecta sunt de definitione prædicatorũ, nempe quæ sunt per se, primo, aut secundo modo: & ponit exem pla; impar inest numero per se secundo modo; magnitudo uerò, & diuisibile insunt numero primo modo, sunt enim ipsius genera. vltima ratio. Tertia pars capitis.

Postea dicit: horum neutra contingit infinita esse, quæ uerba dupliciter exponit Philop. primo; ut sit sensus horum; neutra nimirum, nec diuisibile, nec magnitudo, quæ genera sunt numeri, contingit in infinitũ progredi, nam postea adiunxit, neq; ut impar numero, idest nec etiam per se, secundo modo infinita sunt: altero modo etiam exponit, ut sit sensus: horum neutra, idest, nec quæ per se primo modo, nec quæ secundo modo infinita sunt, & postea per repetitionem adiunxit, nec ut impar numero, quia de his, quæ sunt per se, secundo modo incipiebat probare.

Iterũ enim in impari aliud esset, &c. 14

Probat quæ sunt per se secundo modo nõ esse infinita, & aliquot interpretes uolunt, ut sic sit probatio: si huic subiecto insunt passiones in infinitum, sequitur, ut sicut prima immediatè inest subiecto, & per ipsum definitur, ita secũda inerit immediatè primæ, & per ipsam definiatur, & consequenter per subiectum, & pari modo tertia secundæ, & quarta tertiæ, & sic erit processus in infinitũ in prædicatis definitiuis, quod impossibile est, ut probatum est: semper enim superiora per omnia antecedentia definiri debent. Prima expositio.

Hæc explicatio non placet Philo. & merito, nam cum non priora per posteriora, quæ in infinitum procedunt, definiantur, sed econtra sequentes passiones per antecedenn-

cedentes, hæ autem semper finitæ sint a subiecto incipientes, nunquam dabitur passio, cuius quidditatiua prædicata procedant in infinitum.

Proinde aliter exponit, quo etiam modo exponit D. Tho. quod si passiones in infinitum procederent, cum actu sit passio in subiecto, erunt in subiecto uno infinitæ passiones quo dato, sequitur non esse scientiam, cum scientia ex passionū subiecti cognitione oriatur, infinita autem cognosci non ualent: aduerte literam, inquit (cum impar insit numero, si aliud etiam per se inest impari, cui existenti per se impari ipsum impar inerat) idest, erat de definitione ipsius, ut sit sensus, si aliquid insit impari, de cuius definitione ipsum impar sit, tanquam eius quod ipsi per se inest, ut passio, primum, ut vult Philoponus, concludit, quod erit etiam in numero, nam numero inest passio, & quæ insunt passioni insunt subiecto: ac propterea ista sunt in ipso numero, si ergo illa sunt infinita, erunt in uno infinita: quod impossibile est quamuis conuertibilia sint.

15 *Neque etiam quæcunque sunt in eo, &c.*

Quod uerò quæ sunt per se primo modo infinita non sint, probat, quia non esset alias definire, ut superius est dictum, unde concluditur, quod nullo modo, erunt infinita, nec sursum, nec deorsum, nec inter extrema determinata continget infinita intermedia sumere.

16 *Si verò hoc planum iam, &c.*

Ex his omnibus concludit duo Aristot. alterum, esse principia demonstrationum vltima immediata: alterum quod non omniū est demonstratio, quod in principio, nempe cap. 3. aliquos asserere dictum est: asserere autem omnium esse demonstrationem est asserere nihil esse sine medio: sed omnia mediata: & hoc ostendit nam non demonstramus assumendo, idest per medium superius extremitatibus, sed intus mittendo, idest per medium intra ipsas extremitates, ut homo est risibilis demonstratur per animal rationale medium inter hominem, & risibile, & sic ostenditur omnis affirmatiua; si igitur omnia mediata monstrabilia sunt nihil est immediatum, & ita inter duo extrema, subiectum nempe & prædicatum media sunt infinita, quod impossibile est, cum prædicationes terminentur superius, & inferius, ut hactenus probatum est.

Quo pacto mediatæ propositiones ad immediatas deduci possint. Cap. XIX.

*Monstratis autem his manifestū, quod si aliquid idem duobus insit, vt A. & ipsi C. & ipsi D. cum non prædicetur alterum de altero aut nullo modo, aut non de omni quod non semper secundum commune aliquid inerit, vt æquicruri, & gradato hoc, quod est duobus rectis æquales habere secundum commune aliquod inest, secundum quod enim figura quædam inest, & non secundum quod alterum: hoc autem non semper ita se habet: sit enim B. secundum quod A. ipsi C. D. inest, planum igitur erit, quod & B. ipsi C. & D. secundum aliud commune, & illud secundum alterum: quare inter duos terminos infiniti vtiq; inciderent termini: sed impoßibile: secundum igitur commune aliquid inesse non necessarium est semper idem pluribus si quidem erunt * media interualla.* 1

2 *In eodem tamen genere, & ex ijsdem indiuiduis necesse est terminos esse: si quidem ipsum commune erit ex ijs, quæ per se insunt: non enim erat ex alio genere in aliud transcendere, quæ monstrantur.*

* a.l. immediata.
* a.l. infinita.
tex. 38.

3 *Manifestum autem, & quod quando A. insit B. si quidem est aliquid medium, est monstrare quod A. inest B. & elemēta huius sunt hæc, & tot, quot media sunt: immediatæ namque propositiones elementa sunt, aut omnes, aut vniuersales: si autem non est aliquod*

medium,

medium, non amplius est demonstratio: sed in principio uia est hæc.

Consimiliter autem etsi A. ipsi B. non inest, si quidem est aut medium, aut prius, cui non inest, est demonstratio: si autem non, non est: sed principia & elementa tot sunt, quot termini. Horum namq; propositiones principia demonstrationis sunt: & quemadmodum nonnulla principia sunt demonstrabilia, quòd est istud hoc, & inest istud huic, ita et quod non est istud hoc, neq; inest istud huic: quare hæc quidem esse aliqd, illa autem non esse aliquid, erunt principia.

4 *Quando autem opus sit monstrare, accipiendum est, quod de B. prædicatur primo, sit C. & de hoc consimiliter A. & ita semper procedenti nunquam extra ipsum propositio, neq; existens accipiatur ipsius A. in demonstrãdo, sed semper medium condensatur; quousq; indiuisibilia fiant, & unum. Est autem vnum, quãdo immediatum factum fuerit, & una propositio simpliciter, quæ immediata. Et quemadmodum in alijs principium simplex: hoc aũt non idem ubique: sed in pondere quidem mina, in cantu uero* diesis, illud autem in alio: consimiliter in syllogismis ipsum unum est propositio immediata: in demonstratione uero, ac scientia intellectus.*

* diesis i. primus sensibilis sonus.

5 *In monstratiuis igitur syllogismis ipsius inexistentis, nihil extra cadit.*

In priuatiuis uero, ubi quidem quòd oportet inesse, nihil extra hoc cadit: ut si A. ipsi B. per C. non inest: si enim omni quidem B. C. inest A. uero ipsum C. nulli; rursus si opus fuerit, quod A. C. nulli inest, medium accipiendum est ipsius A. & C. & ita semper progreditur.

6 *Si autẽ oportuerit demõstrare, quod D. ipsi E. non inest, eo quod C. D. quidem omni inest, E. vero nulli, aut non omni, nunquam cadet extra E. hoc autem est, cui non oportet inesse. In tertio autem modo, neque a quo oportet, neque quod oportet priuare, nunquam extra ibit.*

Monstratis autem his, &c.

Ex his quæ hactenus discussa sunt, Arist. capite isto aliquot infert dicta, quorum primum est; cum aliquod commune inest duobus, vel pluribus, quorum alterum de altero non prædicatur, aut saltem non vniuersaliter prædicatur, non semper per aliud commune medium ei inest. 1 Primũ dictum.

Verbi gratia, habere tres angulos æquales duobus rectis inest quidem Isoscheli, & Isopleuro per aliud commune, nempe ut figura quædam, scilicet triangulus sunt, & triangulis sine alio medio inest illis: id probat ex his quæ dicta sunt, nam insit A. commune in C. & D. per aliud commune B. si hoc per aliud illis inest, & iterum hoc per aliud in infinitum, inter duo extrema, puta A. & C. D. erunt infinita media, quod impossibile esse probatum est; dabitur igitur aliquid cõmune, quod insit immediate pluribus.

In eodẽ tamen genere, & ex eisdem. 2

Ne quis existimaret mediate commune omne inesse, quia nunquam deest medium propositionem syllogizandi quamcunque, dicit se de medijs ueris, & proprijs loqui quę sunt eiusdem generis cum athomis. i. extremis; nam demonstratio non transcendit genera, sed ex proprijs procedit, ut dictum est, non autem commune semper per medium proprium inest, huius enim est sermo.

Manifestum autem, &c. 3

Ponit secundum dictum; cum aliqua propositio medium habet, erit quidem demonstratio: & etiam quot sunt media sursum, tot erunt propositiones, per quas fient demonstrationes: nam ex singulis medijs compositis cum extremitatibus fiunt propositiones ad demonstrandum: binæ itaque tales propositiones immediatæ dicuntur principia, & Secũm dictum.

elementa demonstrationum: dicit autẽ quod non oẽs immediatæ dicuntur elementa, sed vniuersales: nam singulares, quib. inductione immediatas propositiones probamus, licet immediatæ etiam sint non dicuntur elementa demonstrationum; uel forsan dixit hoc quod non quæcunq; præmissæ dicuntur elementa, & immediatæ, sed vniuersales, id est dignitates cões in quas vltima fit demonstrationum reductio: hoc idem in negatiuis docet esse: cum uero propositio medium non habet, iam amplius non fit demonstratio: unde concludit tot esse principia, & elementa alicuius, quot sunt media, & tot sunt propositiones, nam ex illis fiant propositiones, quę principia sunt, & sicut in affirmatiuis datur vltima, & immediata propositio, ita & in negatiuis, & sic erit principium negatiuum vltima, sicut etiam est affirmatiuum.

4 *Quando autem opus sit monstrare aliquid, &c.*

Tertiũ dictum. Tertium dictum est, cum aliquid affirmatiuum in prima figura concludi debet oportet medium sumere, quod sit super minus extremum, & inferius maiori, nunquam tamen superius erit maiori extremo: dico autem quod sit super minus extremum immediate, & sic oportet procedere, quousque ad immediata perueniatur, quod uocatur densari, ut superius dictum est.

Verbi gratia, si debet probari omnis homo est substantia, sumatur proximum homini, animal, & iterum si debet probari animal substantia, sumatur uiuens proximum animali, & sic consequenter, non aũt sumatur aliquid extra, id est superius maiori extremo, nec remotum à minori; non enim per corpus probabitur, omnis homo est substantia, sed per proxima donec densando perueniamus ad corpus immediatum substantiæ.

Hoc est igitur, ꝙ dicit (cum mõstrandum est aliud, sumatur primum) idest proximum B. idest subiecto (non autẽ quid extra) idest superius maiori, vel remotum minori, quamuis esse ipsius A. demonstretur) idest quamuis prædicatum de subiecto demonstretur, oportet proximum subiecto sumere ad id demonstrandum, donec perueniatur ad immediatum, & primum, quod est propositio immediata. Nam in unoquoque genere semper datur unum, quod sit primum, & summum eorum, quæ sunt in illo genere: nam semper quæ sub aliquo cõi sunt genere, ab uno debent depẽdere primo, siue in suo esse, siue in sui cognitione, siue in ordine suæ perfectionis: unde sicut in mensuris ad unã vltimam peruenitur, puta Mina, & in Musica ad Diesim, idest semitonium minus, & non est vlterior progressus: sic in demonstratiua scientia ad intellectum, quæ est cognitio principiorum, & in syllogistico discursu demõstrationem ad vltimas propositiones ſm se immediatas peruenire necessarium est: unde concludit (quod in ostensiuis) idest affirmatiuis syllogismis; eius quod est, idest conclusionis affirmatiuæ, nam ostensiuus syllogismus, etiam est negatiuus; ob id addit eius quod est, ut limitet ad affirmatiuos nihil cadit extra, idest medium non est superius vtraque extremitate, ut dictum est.

In priuatiuis vero, vbi, &c. 5

Quartũ dictum. Quartum dictũ est: in negatiuis syllogismis tam primæ, quàm secundę figurę in propositione affirmatiua extremum non esse extra medium, idest superius ipso. nam mediũ debet affirmari uniuersaliter de extremo in vna propositione, ut si A. negari de B. probãdum est per C. tunc B. non erit superius C. nam affirmatur C. de B. in minori in prima figura, de C. uero negatur A.

Rursus opus fuerit, quod, &c.

Hoc idem docet fieri in prosyllogizanda maiori, nullum C. est A. sumendũ. n. est mediũ superius C. in minori prosyllogismi, & sic ĩ alijs ꝓsyllogismis negatiuis fieri debet.

Si autẽ opus fuerit demonstrare, &c. 6

Hoc idem ostendit in secunda figura, ut si monstrare oportet nullum E. esse D. in Camestres, vel Baroco, tunc sumere oportet medium, quod de omni D. prædicetur affirmatiuè in maiori, ac ob id erit superius illo: de nullo uerò E. si fuerit in Camestres, uel de aliquo non, si in Baroco: minor enim unius est uniuersalis, alterius uerò particularis, sed vtraque negatiua, cui medium oportet non inesse: semper ergo in affirmatiua primæ, & secundæ figuræ propositione, nunquam extremum erit extra medium, at in tertia figura medium non erit superius ulla extremitate: nam debet utrique subijci in

prima

prima ergo medium non erit extra maius extremum; in secunda unum extremum nō erit extra medium, puta in affirmatiua propositione; in tertia uerò medium non erit extra extremum utrumque, cum utriq; subijciatur.

Demonstrationem vniuersalem particulari esse præstantiorem. Cap. XX.

1 *CVm verò sit demonstratio, hæc quidem vniuersaliter, illa verò secundum partem, & hæc quidem prædicatiua, illa verò priuatiua, dubitatur vtra melior sit: consimiliter autem & de ea, quæ demonstrare dicitur, & deducente ad impossibile demonstratione.*

Primum igitur considerabimus de vniuersali, & particulari; hoc autem cum declarauerimus, & de ea quæ monstrare dicitur, & ea, quæ ad impossibile, dicemus.

2 *Videbitur igitur fortasse aliquibus ita considerantibus, eam secundum partem esse meliorem: si enim secundum quam magis scimus demonstrationem, melior est demonstratio (hæc enim est virtus demonstrationis:) magis autem scimus vnumquodque, cum ipsum sciamus secundum se, quàm quando secundum aliud, ut musicum Coriscum, quādo quod Coriscus musicus est, quàm quando quod homo musicus est: similiter autem & in alijs. Vniuersalis autem, quod aliud non, quòd ipsum contingit, monstrat: vt quod æquicrus, non quod æquicrus, sed quod triangulus: quæ verò secundum partem, quod ipsum, monstrat. si igitur melior quidem, quæ secundum ipsum, talis autem, quæ secundum partem, vniuersali magis, & melior vtique, quæ secundum partem est, demonstratio erit.*

Amplius, si vniuersale quidem non est aliquid præter singularia; demonstratio verò opinionem facit esse aliquid hoc. secundum quod demonstrat, & quandam naturam esse in entibus talem: vt trianguli præter quosdam, & figuræ præter quasdam, & numeri præter quosdam numeros: melior autem, quæ est de ente: quàm quæ de non ente. 3

Et propter quam non decipietur, quàm propter quam decipietur: vniuersalis autem est talis, (procedentes.n. monstrant, quemadmodum de proportionato, vt quod vtique sit aliquid tale, erit proportionatum) quod neq; linea neq; numerus, neq; solidum, neq; planum, sed præter hæc aliquid. 4

Si igitur vniuersalis quidem magis hæc, de ente autem minus, quàm particularis, & facit opinionem falsam: peior vtique esset vniuersalis, quàm particularis. 5

Et primum quidem nihil magis in vniuersali, quàm in particulari, altera ratio est: si enim quod duobus rectis inest, non in quantum æquicrus, sed inquātum triangulus, nōscens, quid æquicrus minus nouit inquantum ipsum, quàm qui nouit, quod triangulus: & omnino si non quidem secundum quod sit triangulus postea monstrant; non erit vtique demonstratio: sin autem nouit vnumquodq;, inquantum unumquodque inest, magis nouit: si itaque triangulus in plus est, & eadem ratio, & nō secundum æquiuocationem triangulus, & inest omni triāgulo hoc, quod est duos, non triangulus, inquantū æquicrus, sed æquicrus inquantum triangulus habet tales angulos; quare qui vniuersaliter scit, magis nouit secundum quod inest, quàm qui secundum partem: 6

partem: melior itaq; vniuersalis, quàm particularis.

7 Amplius siquidem esset aliqua ratio, & non æquiuocatio, uniuersale vtique nihil minus esset quibusdam particularibus: sed & magis quanto incorruptibilia in illis sunt, quæ verò particularia corruptibilia magis.

8 Præterea nulla necessitas est suspicari aliquid esse hoc præter hæc, quod vnum significat nihil magis, quàm in alijs: quæcumque non aliquid significant, sed aut quale, aut ad aliquid, aut facere: si igitur est, non demonstratio causa, sed qui audit.

9 Amplius si demonstratio quidem est syllogismus monstratiuus causæ, & ipsius propter quid, vniuersale autem magis est causa: cui enim per se inest aliquid, hoc idem ipsi causa est: vniuersale autem primum, causa igitur vniuersale est: quare & demonstratio melior: magis enim causæ, & ipsius propter quid est.

10 Præterea vsque ad hoc quærimus propter quid, & tunc opinamur scire, quando non sit aliquid aliud quam hoc aut factum, aut existens: finis enim & terminus ipsum extremum iam sic est. Vt cuius gratia venit? vt accipiat argentum: hoc autem, ut reddat, cui debet, hoc autem, ne iniustitiam committat, & ita procedentes, quando non amplius est propter aliud, neque alterius causa, propter hoc, sicut finem dicimus venisse, & esse, & fieri, & tunc cognoscere maximè propter quid venit, si autem similiter se habet in omnibus causis, & ijs, quæ sunt propter quid, in ijs verò quęcumque sunt causæ sic: sicut cuius causa, sic nouimus maximè, & in alijs: igitur tunc maximè scimus quando non amplius insit hoc, quoniam est aliud: quando igitur cognoscimus: quod quatuor exteriores sunt ęquales, quoniam æquicrus, adhuc deficit, propter quid æquicrus? quoniam triangulus: & hoc, quoniam figura recti linea, si autem hoc non amplius propter aliud erit, tunc maximè scimus, & vniuersale est tunc, vniuersalis igitur melior est.

Amplius quæcunque magis particularia sunt, in infinita incidunt, vniuersalis verò in simplex & terminum: sunt autem inquantum infinita quidem non scibilia, inquantum autem finiuntur scibilia: inquantum igitur vniuersalia magis scibilia, quàm inquantum particularia, demonstrabilia igitur magis, quæ uniuersalia sunt demonstrabilium uerò magis, magis est demonstratio, simul enim magis quæ ad aliquod existunt: melior itaque est uniuersalis, quoniam & magis est demonstratio. 11

Amplius si eligibilior sit illa, secundum quam hoc, & aliud, quam illa, secundum quam hoc solum nouit: qui uerò uniuersalem habet, nouit & quod secundum partem: hic autem uniuersale non nouit: quare & sic utique eligibilior erit. 12

Amplius autem sic: uniuersale enim magis scire est eo quod monstratur per medium quod est proximius principio, ualde autem proximum est immediatum, hoc uerò principium. Si igitur quę ex principio est ea, quæ non ex principio, aut quæ magis ex principio est, ea, quæ minus certior est demonstratio, est autem talis, quæ uniuersalior, melior utique esset uniuersalis; uelúti si oportet demonstrare A. de D. per media, in quibus B.C. superius itaque B. est. quare quæ per hoc uniuersalior est. 13

Sed ex ijs quæ dicta sunt, nonnulla logica sunt.

14 *Maxime autem manifestum, quod vniuersalis est potior: quoniam propositionum priorem quidem habentes, nouimus quodammodo, & posteriorem & habemus potentia, ut si quis nouit, quod omnis triangulus habet tres duobus rectis æquales, nouit quodammodo & æquicrurem quod duobus rectis est potentia, & si non nouit æquicrurem, quod triangulus sit: qui uero hanc habet, propositionem vniuersalem nullo modo nouit, neque potẽtia, neque actu.*

15 *Et vniuersalis quidem intelligibilis est, sed particularis in sensum desinit. Quod igitur uniuersalis melior ea, quæ secundum partem, tot nobis dicta sint.*

1 *Cum verò sit demonstratio, &c.*

Cõparatio Demõstrat. Quid in toto hoc tractet Arist.

Demonstratione, & ipsius principijs pertractatis, modo ipsas demonstrationes inter se comparat; ac tres quæstiones circa hoc proponit examinandas. Prima est, an Demõstratio vniuersalis præstantior sit particulari. Altera, an demonstratio affirmatiua, quæ uocatur cathegorica, seu prædicatiua sit etiã præstantior negatiua. Tertia, an ostensiua Demonstratio præstet ei, quæ ad impossibile demonstrat. Prima quæstio hoc uigesimo capite discutitur, quod in duas partes diuiditur, in priori sunt tres rõnes dialecticæ pro parte negatiua quæstionis, & earum dissolutiones; in posteriori sunt rationes partem affirmatiuam verã determinantes. Aliç quç stiones sequẽtibus capitibus determinantur.

2 *Videbitur igitur fortasse aliquibus. &c.*

Prima ratio dialectica.

Hæc est prima ratio dialectica, qua probat potiorem esse demõstrationem particularem uniuersali. Demonstratio; secundum quàm magis scimus, est potior demonstratione, secundum quam minus scimus, sed secundum particularem magis scimus, quã secundum vniuersalem, ergo particularis est potior: maior probatur, quia hæc est uirtus demonstrationis, idest hæc est uis, & natura demonstrationis, ut per eam sciamus, erit ergo illa potior, secundum quàm magis scimus; minor probatur, unumquodque magis scitur, cum secundum se, quàm cum secũdũ aliud scitur; sed quæ quis ꝑ uniuersalem demonstrationem cognoscit, secundum aliud, quæ uero per particularem, secundum se vnumquodque scit, ergo per particularem magis scitur: maior explicatur, & probatur exemplo: sit ista propositio Coriscus est musicus, clarum est, quod per talem magis cognoscimus musicum Coriscum: quia per se, & immediate cognoscimus, quàm per hanc, homo est musicus.

Minor probatur, fiat demonstratio uniuersalis de Isoschele, qui habet tres angulos æquales duobus rectis, talis erit de triangulo in communi, cui talis passio primo inest; fiat altera particularis de ipso Isoschele; qui habet similes tres angulos duob. rectis æquales, tunc erit per ipsum Isoschelem, magis ergo cognoscet, & sciet ipsum Isoschelem habere tales angulos, cũ de ipso, in particulari scit, q̃ cũ de ipso in vniuersali scit, ergo magis scimus per demõstrationem particularẽ.

Hic aduerte, vt dicit Alber. hoc tract. c. 1. per uniuersalem demonstrationem intelligi eam, in qua de aliquo subiecto uniuersali, & communi demonstramus: per particularem uero eam, in qua de aliquo subiecto singulari, vel minus communi demonstramus idẽ; non enim uocatur particularis, quasi conclusio particulariter sumatur, vniuersalis vero, quia uniuersaliter, sed secundum subiectum vniuersale, aut singulare, vel minus commune. Nota præterea, quod ista ratio procedit sumendo rem particularem aliquam, & probando eam melius cognosci, cum per proprium conceptum particularem cognoscitur, quam cum per uniuersalem, & ex hoc probabiliter infert, particularem demonstrationem esse potiorem, & ita textus indicat, & bene aduertit Themist. c. 40.

Quid sit demonstratio uniuersalis.

Et in hoc decipitur Philo. miror. n. quantum aberret a sensu Arist. & qui eum sequũtur; atque isto ex errore asserit exemplum Arist. de triangulo esse falsum, nec potuisse aliter fieri, sed in his nõ est audiendus, expositio. n. data est, & purus Aristot. sensus.

Amplius,

3 *Amplius, si uniuersale quidem non est, &c.*

Secūda & tertia ratio. Hic secundam, & tertiam rationem connectit, quarum vis hæc est, quod demonstratio vniuersalis sit de subiecto, quod minus esse habet quam particulare, cum uniuersalia non per se existant, ob id igitur erit potior particularis demonstratio: prætetea demonstratio uniuersalis magis facit errare q̄ particularis, nam qui de uniuersali aliqua demonstrat, de eo separatim à singularibus demonstrat, quod cum non sit, faciet opinionē falsam: hanc utramque rationem copulauit, quia ex eo quod uniuersale nō est per se, ut dicitur in prima rōne, inde prouenit error, q̄d existimetur separatū, ut bene aduertit Phi.

In textu uero rationes sic sunt ordinandę, prior est hæc; potior est demonstratio quæ est de subiecto, quod est, quàm quæ de subiecto quod nō est; minor ponitur inferius, scilicet (vniuersalis est huiusmodi) vt sit ista demonstratio vniuersalis est de eo, quod non est, particularis de eo quod est, concluditur in fine, ergo potior est particularis: maior probatur, quia omnis demonstratio opinionem conficit, idest probat circa aliquod quod sit, & circa naturam in rebus existentem: minor vero prior in principio textus, uniuersale non est præter singularia, q̄ exēplo manifestat, ut triangulus, figura, numerus, non est præter singularia ipsa: loquitur conditionaliter, quia supponit, & nō probat.

4 *Et propter quam non decipitur.*

Ratio posterior est potior illa est demonstratio, secundum quam non contingit errare, & decipi, quam ea secundum quam decipi euenit, sed uniuersalis est huiusmodi, secundum quam decipimur, non autem particularis, ergo hæc est potior: minorem probat, nam qui de proportionali aliquid demonstrat, de illo abstracto a lineis numeris, solidis, idest, corporibus, plano, idest superficie demonstrat, ut patet, & tamen re uera non est separatum, hoc exemplum declarauimus c.5. est enim idem illic, & potest poni quodcūque aliud exemplum, cū n. de homine demonstramus, non de Petro, non de Ioanne, sed separatim ab his demōstratio fit.

5 *Si igitur uniuersalis quidē magis hęc.*

Hic conclusionem ex vtraque ratione simul infert, dicens: si vniuersalis est huiusmō di nimirum secundum quam magis erratur, & si uniuersalis est de eo, quod minus est, magis quā particularis; profecto indignior erit uniuersalis. & potior particularis: nota valde has rationes sic ordinatas, quia textus est obscurus, & perplexus, nec Interpretes rationes in forma ponunt.

Et primum quidem nihil magis. 6

Soluuntur ratio nes. Ad primum. Soluit prędictas rationes, & primo ad primam respondet, & sensus iste est, & notandus, quem non attigit Philop. pace ipsius; ratio prior probabat de Isoschele magis cognosci habet tres angulos æquales duobus rectis, quando de eo demonstratur, quam cum de triangulo, quia per triangulum confusè, & per aliud cognoscitur Isoscheles; dicit modo, quod minus cognoscit, qui de Isoschele secundum se demonstrat habere tres angulos, quam qui de triangulo demonstrat habere tres angulos, minus inquam cognoscit de ipso Isoschele, quia qui de Isoschele secundum se cognoscit habere tres angulos, nō secundum ipsum cognoscit, nā hæc quæstio ipsi primo non inest, qui verò de triangulo cognoscit, secūdū ipsum cognoscit, vnde melius est cognoscere, & demonstrare de eo cui s̄m se inest passio, cū verò hoc sit vniuersale, erit potior demōstratio vniuersalis.

Solutio igitur breuiter est; sicut qui de triangulo cognoscit habere tres angulos; nō cognoscit de Isoschele secundum se, ut ratio probat, ita profecto qui de Isoschele habere tres cognoscit, minus secundum se cognoscit, cum id non illi secundum se insit, cum autem potior demonstratio sit, quæ id quod inest secundum se alicubi, de eo demonstrat, erit talis demonstratio uniuersalis.

Atque hoc est quod dicit litera; nempe prima ratio non magis est pro demonstratione uniuersali, quam particulari, id est, sicut qui per vniuersale non secundum se cognoscit particulare, ita nec qui de particulari passionem uniuersalis cognoscit secundum se cognoscit, vnde nihil probat ratio, quod demonstratio particularis faciat secundum se cognoscere.

Litera quæ sequitur est sic emendanda (si enim quod duobus rectis inest, non est secundum quod Isoscheles, sed secundum quod

quod triangulus, cognoscens quod Isosceles habet tres angulos, minus inquantum se cognoscit q̃ cognoscens, quod triangulus) sensus est prædictus, minus cognoscere ſm se particulare qui de ipso demonstrationem passionis uniuersalis facit, quam qui ipsum particulare per vniuersale cognoscit: & hoc probat dicens, aut omnino talis passio non inest triangulo, ut talis est, id est, uniuersali, vt vniuersale, & tunc de eo non potest demõstrari: aut illi inest, & tunc potior erit de eo demonstratio, quia ſm se illi inest, & tunc melius demonstramus cum secundum se subiecto inhærentia demonstramus.

Postea concludit, q̃ illud cui primo talis passio inest, népe triangulus, sit uniuersalius, & superius Isoschele, & non superius ſm nomen, sed ſm rationem, & uniuocationem; & hoc patet, nam non solum Isoscheli illa passio inest, sed alijs triangulis; ac ideo si primo triangulo ſm se inest, erit potior demonstratio ipsius vniuersalis, quàm particularis.

7 *Amplius siquidem esset aliqua.*

Soluitur secunda ratio.

Respondet secundæ rationi, non propterea minus esse uniuersale, quia non sit extra singularia, immo magis esse, cum singularia corruptibilia sint, non aũt uniuersalia, & ita dicit; si detur una ratio cõis à multis participata, non sicut in æquiuocis, in quibus nihil, nisi nomen cõe est, in vniuocis uerò ratio cõis ultra nomen datur, talis magis erit, q̃ ipsa singularia, & eo magis, quo incorruptibiliora sunt ipsis: aduerte uniuersalia non corrumpi nisi per accidens, quod est dicere, quã uis Petrus, Ioannes, Cæsar corrumpantur, semper manet homo, & animal, & naturæ hæ cõcs in alijs, & alijs indiuiduis conseruatæ sicut manet idem Tyberis, & licet aquæ aquis succedant; corrumpuntur.n.per accidens, quia talia singularia corrupta desinunt participare naturas cões: sed hoc ex professo examinare metaphysicum est, est ergo solutio, quamuis illæ rationes cões nõ per se existent extra singularia, nõ ideirco minus sũt.

Vide Philop. dubitantem, de corruptibilitate horum vniuersalium.

8 *Præterea nulla necessitas est, &c.*

Soluitur tertia ratio.

Respondet tertiæ rationi, non propterea quod de ipso uniuersali secundum se aliquid demonstratur, esse necessarium existimare illa esse separata, sicut cum de accidentibus secundum ſe demonstramus, non ob id extra substantiam esse opus est cognoscere, q̃ si aliquis id opinatur, ipse potius est causa suæ deceptionis q̃ demonstratio: non enim quæ in scientijs separata cõsiderantur, necesse est in re separata existere, nec id opinari.

Amplius si demonstratio quidem est syllogismus, &c.

Hæc est capitis posterior pars, in qua multis argumentis probat uniuersalem demonstrationem particulari esse præferendã, quorum primum est, demonstratio est syllogismus per causam, & propter quid rei probatiuus, sed vniuersale magis est causa, quã particulare, ergo demonstratio uniuersalis est potior; minorem probat, illud cui aliquid, puta passio per se, & primo inest ipsius passionis est magis causa, sed uniuersali per se primo inest passio, ut habere tres angulos triangulo vniuersali risibile homini, ergo ipsius demonstratio erit magis per causam, & potior.

Vniuersalis demonstratio particulari p̃ferenda. Prima ratio.

Amplius vsque ad hoc quærimus propter quid, &c. 10

Hoc est secundum argumentum; tunc maxime scimus, cum ad primam causam peruenimus, cuius iam non est causa alia: sed uniuersale est causa prima, ergo magis scimus per uniuersale, & sic est potior demonstratio; maiorem explicat exemplo causæ finalis, vt si quis mercator uenerit pro argento, & pecunia aliqua, vt soluat debitum, tunc aduentus causa est, ut recipiat argentum, huius uero, ut soluat debitum, huius ut iuste agat, quæ est prima causa, cuius non est alia, & qui per causam talem scit, maxime aduentum scit: ita se habere in alijs causarum generibus docet. 2. ratio.

Et nota literam, dicit (eius quod fit, aut factum est) idest siue sit causa alicuius operationis, uel alicuius rei existentis. Nota.

Nota etiã quod dicit, hoc esse in causis, quæ habent causas, nam in alijs tunc maxime scimus, cum non est amplius quod quæ amus: primum enim dicit propter finales causas, posterius uero propter alia genera causarum, ut explicat Philop. quod verò uniuersale sit prima cuasa, quæ erat minor, probat exemplo, habere angulos extrinsecos æquales quatuor rect s inest Isoscheli, sed quia triangulo, & triangulo quia figura rectilinea, huic uero non secundum aliud, at illud est uniuersale, figura enim rectilinea communis est, cui primo Nota.

mo inest angulos externos habere æquales quatuor rectis.

Esse simile exemplum, sensibile inest Petro, sed quia homo est, homini uero, quia animal est, huic uero ultimo. dices nonne inest per definitionem? non ergo immediate. dico Arist. loqui immediatione subiectorũ, & sic nõ est aliud superius ratione cuius insit: definitio enim est eadem natura subiecti.

11 *Amplius quæcunq; magis, &c.*

3. ratio. Tertium argumentum est, de magis demonstrabili, & magis scibili potior est demõstratio, sed vniuersale est magis demonstrabile, & scibile, q̃ particulare, ergo illius potior est demonstratio; maiorem probat, nam quæ ad aliud sunt, si comparantur, ut cuius obiectum præcipuum & illud sit præcipuũ; minorem probat, infinitum non est scibile, ergo quo aliqua magis accedunt ad infinitũ minus scibilia sunt, sed particularia magis accedunt ad infinitum, uniuersale uerò recedit, nam uniuersale unum est, particularia multa, quod supra dicebat Porph. vniuersale esse magis collectiuum, quia quæ in multis inueniuntur dispersa sub unam colligit naturam; particularia uero diuisa, quia in singulis natura separatur; erit ergo magis scibile uniuersale; multitudo enim cognitionem impedit, ac consequenter erit magis demonstrabile, & ipsius demonstratio potior.

12 *Amplius si eligibilior, &c.*

4. ratio. Quartum argumentũ proponit, illa est demonstratio melior, qua plura cognoscimus, sed demonstratione uniuersali cognoscimus plura, q̃ particulari, ergo illa est potior; minor probatur; nam qui uniuersale cognoscit, cognoscit & singularia, non aũt qui particulare cognoscit uniuersale cognoscit; uniuersale. n. omnia singularia comprehendit, at singula inferiora non ipsum uniuersale totum continent: hic fit comparatio inter cognitionem uniuersalis, & singulorum inferiorum; nã demõstratio particularis non fit de oĩbus simul singularibus, sed de singulis per se.

13 *Amplius autem sic, vniuersale enim magis, &c.*

5. ratio. Quintũ argumentũ est, potissima demonstratio est, quæ est per primũ principium, ergo illa erit potior quæ magis accedit ad primũ principium, sed uniuersalius magis accedit minus uniuersali, ergo illius demõstratio est potior; prob. minor, sit demonstranda, homo est substantia, puta D. & A. sunt in hac multa mediata, quædã minus uniuersalia C. aĩal, uiuens, quædã magis uniuersalia B. ut corpus, tunc clarũ est, q̃d magis uniuersalia accedunt propius ipsi immediato, ut magis uiuens, ergo potior est demonstratio uniuersalis, quippe quæ magis accedit immediato.

Ex his argumentis dicit aliquot esse logica, non quod suasibilia tantum sint, ut notat Philop. & S. Tho. sed quod ex communibus procedant, & non ex his quæ demonstrationi insunt, quales sunt tertia, & quarta ratio: sunt enim ex locis communibus comparatis, & ex loco, plura bona sunt eligibiliora paucioribus, ut habetur tertio Ethicorum, ac proinde logica dicuntur, id est communia. Nota duas rationes logicas, & quæ ex probabilibus, & quæ ex cõibus licet necessarijs.

14 *Maximè autem manifestũ est, &c.*

6. ratio. Sextum argumentum est, qui propositionem uniuersalem cognoscit, & particulares illius scit, potẽtia tñ, ut superius dictum est, ut qui triangulum scit habere tres angulos, potentia & scit Isoschelem habere tres angulos, licet non aduertat hunc esse Isoschelem, at qui particularem cognoscit nec potentia, nec actu cognoscit uniuersalem, cum particularis contineat vniuersalem, ergo potior est demonstratio uniuersalis; dices, nonne hæc ratio erat quarta; dico non esse hanc, & illam eandem, nam quarta erat de ipso uniuersali simplici, qui enim ipsum cognoscit inferiora cognoscit: hęc uerò est de uniuersali cõplexo, puta de vniuersali propositione.

Et uniuersalis quidem intelligibilis est, &c. 15

7. ratio. Septimum, & vltimum argumentum est, vniuersalis intellectu, singularis sensu perficitur, ergo potior est vniuersalis, cum cognitio intellectus sit præstantior.

Nota. Attende hic quod dicit, particularis demonstratio sensu perficitur, idest in sensum desinit: nam sensus non percipit semper totam propositionem singularem, nempe cum prædicatum non est sensibile, ut iste triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, ratione. n. prædicatum cognoscitur: sed

sensus

sensus subiectum singulare discernit, at vniuersalis propositio secundum vtrumq; extremum, cum vniuersale sit, intellectu cognoscitur: propterea singularis desinit in sensũ, quia à prædicato rõne percepto in subiectũ sensu cognitum, tanquã in vltimũ tenditur.

Attende præterea rationes has procedere, cum passionẽ communem de subiecto communi, vel de singulis per se inferioribus demonstramus; hæc enim erat quæstio, utra ex his demonstratio potior esset.

Demonstrationem affirmatiuam negatiuã digniorem esse, atq; ad scientiã magis idoneam.

Cap. XXI.

1 *QVòd autem monstratiua sit dignior priuatiua, hinc manifestum: sit .n. hæc demonstratio melior (alijs eisdem existentibus) quæ est ex paucioribus petitionibus, aut suppositionibus, aut propositionibus: si enim notæ similiter sunt, celerius cognoscere per has inerit: hoc autem eligibilius est.*

2 *Ratio autem propositionis, quod melior, quę ex notiorib⁹, vniuersaliter hęc est: si enim consimiliter esset hoc, quod est, nota esse media, priora notiora essent. Sit demonstratio quidem per media B. C. D. quod A. ipsi E. inest: quæ vero per * F. G. quod A. ipsi D. Consimiliter itaque se habet, quod A. ipsi D. inest, & A. ipsi E. quod A. inest ipsi D. prius, & notius est, quàm quod A. ipsi E. per hoc enim illud demonstratur: credibilius autem est id, quod est per quod. igitur demonstratio, quæ per pauciora, est melior, alijs eisdem existentibus.*

* al. 1.
1. c.

3 *Ambæ igitur & per terminos tres & propositiones duas monstrant: sed hæc quidem esse aliquid accipit, illa uerò & esse, & non esse aliquid, per plura igitur, quare & peior est.*

Pręterea, quoniam monstratum fuit; quod impossibile est, ut utrisque existentibus priuatiuis propositionibus fiat syllogismus, sed hanc quidem oportet talem esse, illam verò, quod inest.

Amplius ad hoc oportet hoc accipere, predicatiuas enim (aucta demonstratione) necessarium est fieri plures, priuatiuas verò impossibile est plures esse una in omni syllogismo: Si enim nulli inexistens ipsum A. in quo ipsum B. C. verò omni inexistens ipsum B. si verò oportet rursus augere utrasque propositiones, medium injciẽdum, ipsis quidem A. B. sit D. ipsius uerò B. C. E. E. quidem igitur manifestum, quod est predicatiuum, D. verò de B. quidem prædicatiuum, ad A. uerò ut priuatiuum ponitur: D. enim de omni B. A. autem nulli oportet eorum, quæ D. inesse: sit igitur una priuatiua propositio, quæ est A. D. Idem uerò modus & in alijs syllogismis: semper .n. medium prædicatiuorum terminorum, prædicatiuum ad utraque, priuatiui autem in altera priuatiuum necessarium est esse: quare hæc una talis fit propositio, aliæ uerò prædicatiuæ. 4

Si igitur notius per quod monstratur, & credibilibus: monstratur autem priuatiua quidem per prædicatiuam: hoc autem per illam non monstratur; prior igitur, & notior existens, & credibilior melior utique erit. 5

Amplius, si principium syllogismi est vniuersalis propositio immediata: est autem in monstratiua quidem affirmatiua, in priuatiua uerò negatiua uniuersalis propositio, affirmatiua autem negatiua prior, & notior; propter namque affirmationem negatio nota. Et prior affirmatio, quemadmodum & ipsum esse ipsum non esse, quare melius principium mõstratiuę, quàm priuatiuæ, 6

ſtatiuæ ; quæ verò melioribus principijs vtitur, melior eſt. Amplius principalior, ſine.n.monſtrante nō eſt priuatiua.

2 *Quod autem monſtratiua ſit dignior, &c.*

Comparat.affirmatiuā demonſtrat.cū negat. Prima ratio.

ABſoluit modo ſecundam quæſtionem, nimirū affirmatiuā demonſtrationem eſſe dignorem priuatiua, & facit primum argumentum tale: Demonſtratio, quæ paucioribus medijs indiget, ut ad immediata reducatur principia, dignior eſt ea, quæ pluribus; cæteris tamen omnibus paribus; ſed affirmatiua indiget paucioribus, quàm negatiua; ergo illa eſt dignor. Nota, quod dicit cæteris paribus: nempe quod utraque ſit ex veris, & neceſſarijs, & per ſe, nam ſi quæ procedit ex paucioribus nō ſit ex his, aut ſit ex cauſis remotis, aut effectib. non erit dignior; ſimiliter q̄ vtraq; ſumat æquales terminos, nā ſi negatiua ſumit terminos ſuperiores, affirmatiua inferiores, paucioribus medijs indigebit negatiua, debet igitur eſſe ſors ęqualis, pportionaliter utriuſq; in reliquis omnib. & hoc aduerte.

Probatio maioris.

Probat maiorē dupliciter: primo in particulari cū ſunt æque notæ vtræq; propoſitiones uel nobis, vel natura, vel ſimpliciter, vt dicit Alber, uocat aūt has poſitiones, vel ſuppoſitiones, uel propoſitiones ideſt, dignitates, vt oſtendat veritatem demonſtrationis; non enim omnes eiſdem vtuntur principijs.

Probat igitur: dignius eſt citius cognoſcere, quam tardius, ſed cū propoſitiones omnes ſunt ęquę notę citius cognoſcimus cum pauciora ſunt media, quam cum plura, ergo dignius eſt cognoſcere per eas, quæ paucioribus indigent medijs: nam, ut dicit Philop. cū actus potiſsimus intellectus ſit ſimplex, quo rem diſcurſu cognoſcit, quò magis ad ipſum accedit ur, actus eſt perfectior, cuius adhuc rationem adducit Lyncon. illud enim eſt optimum, quod nullo indiget, vt Deus, & reliqua, quò paucioribus indigent perfectiora, & meliora ſunt, vnde Ariſt. 2. cœli. c. 12. dicit eleganter: quanto res perfectiores ſunt, tanto paucioribus actionibus ſuum bonum conſequūtur, vnde (inquit) Deo abſque ulla actione bonum ineſt, eſt enim ipſum bonum, & fęlicitas: illis uero, qui propinqui ſunt ipſi, per vnam, alijs remotis per plures uidemus etiam, hoc in natura euenire; ſemper enim natura res in ſuam perfectionē inclinat per pauciores actiones inquantum poteſt: vnde elementa rectè in ſua loca tendūt, quia linea recta eſt breuiſſima: hæc intellige ſemper cæteris paribus, eſt enim melius per plures actiones maius conſequi bonum, quam paucioribus minus: colligitur ergo perfectius eſſe paucioribus medijs indigere, quam pluribus, cum cætera paria ſunt, & propoſitiones æquæ notæ.

Ratio autem propoſitionis, quod melior, ſit, &c. 2

Alia probatio uniuerſalis eiuſdem maioris.

Vniuerſaliter probat modo illam maiorē, non limitando, quod propoſitiones ſint ſimiliter notæ, immo probat notiores eſſe, & priores, quæ ex paucioribus ſunt, & locus iſte non parum eſt obſcurus: ratio autē hæc eſt, ſumatur propoſitio, homo eſt ſubſtantia, quæ demonſtratur per tria media, primò per animal eſt ſubſtantia; ſecundò, per viuens eſt ſubſtantia, tertiò per corpus eſt ſubſtantia: tunc clarum eſt quod potior eſt ſecunda demonſtratio, ſcilicet, omne viuens eſt ſubſtantia, omne animal eſt viuens, ergo omne animal eſt ſubſtantia, quam, prima, ſcilicet, omne animal, eſt ſubſtantia, omnis homo eſt ſubſtantia, quia ſecunda certior eſt prima: cum enim præmiſſæ ſecundæ ſint certiores, & priores concluſione, erunt & certiores principijs primæ, nam cōcluſio ſecundæ præmiſſa eſt primæ, ob eandem rationem, tertia melior eſt ſecunda, vt notum eſt.

Sumatur præterea alia propoſitio, numerus eſt diuiſibilis, quæ duo media habet, ſ. quantitas diſcreta eſt diuiſibilis, & quantitas eſt diuiſibilis, tunc peto, iſta aſſimilatur tertiæ, an ſecundæ? notum eſt, quod ſecundæ, cum duobus indigeat medijs, ſed illa eſt certior, & præſtantior (ergo & hæc; eſt igitur præſtantior quæ paucioribus indiget medijs: hæc ratio eſt valde notanda, quam attigit Philopon. ſed non plene. Ariſt. uerò ſolum vnam partem priorem poſuit.

Dicit ergo, ſi ſimiliter media cognita ſint, ideſt ex eadem coordinatione, tūc priora notiora ſunt, & probat exēplo, ſic, omne E. eſt A. ſcilicet, omnis homo eſt ſubſtantia per tria media, B. C. D. nempe, animal, uiuens, corpus, ſit iterum ſecunda propoſitio, omne D. eſt A. nempe omne animal eſt ſubſtantia, per B. C. nempe per viuens, corpus,

quæ

quæ propositio similiter se habet, idest ex eadem coordinatione est.

Quamuis aliqui textus habeant F. G. media, vt sit diuersa propositio, vt supra diximus, sed melius est sequi nostrum textum.

Tunc, inquit, melior erit prior demonstratio D. A. quam A. E. quia ista per illam probatur, hic est addenda altera pars argumenti, vt diximus; ex quo concludit, uniuersaliter, demonstrationem, ex paucioribus, certiorem, & digniorem esse cæteris paribus, vt diximus, & præterea illam quæ ex pluribus medijs est, fieri experientia etiam cognitam, vel aliunde certitudo, & dignitas adueniat, puta ex materia vel alia via.

Ex his habes primo, quod demonstrationes passionum, quæ magis accedunt subiecto, sunt potiores illis, quæ magis recedunt: nam posteriores præsupponunt priores: habes etiam demonstrationes subalternantium scientiarum esse potiores subalternatis, quarum principia per illas probantur, ob eandē rōnem, & tandē potiores eas esse, quę magis ad per se nota, & īmediata principia accedūt.

3 *Ambę igitur, et per terminos tres, &c.*

Probatio minoris primi syllogismi.

Hactenus maiorem illius primi syllogismi probauit, nunc verò probat minorem, quod negatiua demonstratio pluribus indigeat medijs, quàm affirmatiua, quia negatiua indigeat propositionibus affirmatiuis, & negatiuis, ut demonstretur; at affirmatiua solis affirmatiuis, quamuis non plures termini sint in vna quàm in alia; in omni.n. demonstratione sunt tres: notant Philop. & Alber. & fere alij oēs, non esse intelligendū, quod plura media numero habeat negatiua, quam affirmatiua, cum vtraq; æquales habere possit, sed plura specie, nam aliud est ad concludendā affirmatiuā præmissam, aliud specie ad negatiuam: at in affirmatiua media sunt eiusdem rationis, nempe ad concludendas vtrasque præmissas, quæ affirmatiuæ sunt.

Dubiū. Dices, Maiori non videtur correspondere minor, cum maior sit de pluralitate mediorū etiam numero, vt probatū est in affirmatiuis illis omnibus: dubium verò hoc est magnum, & ego miror interpretes, quomodo locum hunc confusum reliquerint.

Solut. Appolin. mouet dubium, sed non soluit, dico sequēs expositionem Albe. in isto cap. 3. esse aduertendum, quod negatiua propositio pluribus medijs etiam numero indiget, quàm affirmatiua, ut patet si sumamus similiter propositiones: sit affirmatiua distans à generalissimo per duo media, s. omne animal est substantia per uiuens, & corpus; sumamus eandem negatiuam de alio generalissimo, s. nullum animal est qualitas, tunc inuenies tria media, uiuens, corpus, substantia; minus.n. distat omne subiectum a suo affirmatiuo immediato, quā a suo negatiuo, cuius ratio est pulchra, quia ab affirmatiuo distat per intermedia subsumpta sub maiori extremo, at à negatiuo distat per intermedia eadem, & per omnia sua prædicata superiora, a quibus tale negatiuum prædicatum remouetur, & ista huius loci declaratio est.

Amplius ad hoc oportet, &c. 4

Altera ratio.

Nouum aliud argumētum hic possumus componere, sicut componit Themist. cap. 41. quod tale: priuatiua demōstratio indiget affirmatiua, affirmatiua autem nō indiget negatiua, ergo illa est potior: antecedens patet, nam impossibile est, quod negatiua sit utraq; præmissa, sed una saltem debet esse affirmatiua, at utraq; propositio potest esse affirmatiua; tunc ulterius in augumētata demonstratione, idest in prosyllogizatione demonstratiua, demonstrantes negatiuam præmissam ex una tantum negatiua propositione, altera uerò affirmatiua demonstrabimus; at præmissam affirmatiuam ex utraque affirmatiua, ergo indiget negatiua affirmatione.

Et iste est sensus illius; priuatiuas in omni syllogismo plures una esse nō posse: oportet.n. alteram præmissam esse affirmatiuam, at affirmatiuas plures esse contingit.

Exemplo comprobat: sit demonstratio, nullum B. est A. omne D. est B. nullum C. est A. si prosyllogizare oportet maiorem, oportet sumere medium D. de quo negetur A. sed quod affirmetur de B. sic nullum D. est A. omne B. est D. ergo nullum B. est A. at si oportet minorem demonstrare, sumendum est medium affirmatiuum de utroque. puta E. omne E. est B. omne C. est E. ergo omne C. est B. & sic fit in alijs syllogismis, unde concluditur præmissam negatiuam ex una, affirmatiuam uerò ex utraque affirmatiua demonstrari, indiget ergo negatiua demonstratio affirmatiua, non econtra, ergo hæc est potior.

5 *Si igitur notius per quod monstratur, &c.*

Conclusio toti' argumẽti. Hæc est conclusio totius argumenti, vnde patet non bene exposuisse Philop. qui nõ rationem, sed corrolarium præcedentia uerba esse affirmauit, imò aliter interpretatur, quam dictũ est, sed q̄ diximus certiora sunt.

6 *Amplius si principium syllogismi.*

3. ratio. Tertium argumentum ad idem probandum hoc est, quarum principia immediata sunt priora, & demonstrationes sunt potiores, sed principia affirmatiuæ demonstrationis sunt potiora principijs negatiuę, ergo illa potior est: minor probatur, principiũ affirmatiuæ est immediata affirmatiua, principiũ negatiuæ est ĩmediata negatiua, affirmatio verò prior est negatione, sicut esse prius est, q̄ non esse, vnde cõcludit repetendo secundum rationem, esse affirmatiuã digniorem.

Obiectio. Dissolutio. Dices quomodo esse prius est non esse, cum prius res non fuerit, quàm sit? dico in particulari sumendo, prius est hanc rem non esse, quàm esse tamen communiter, & à toto genere, semper ens præcessit natura non ens, nam si nihil esset, nihil fieri posset, propterea Deus ab æterno est.

Alia obiectio. Vide solutionẽ in lib. de interp. Dices, quomodo affirmatio dicitur prior negatione, cum vtraque sit species? hoc soluimus lib. de interpretatione, vbi etiam hũc locum explicuimus, illic vide latè.

Demonstrationem offensiuam, illá quæ ducit ad incommodum potiorem esse. Cap. XXII.

1 *QVoniam uerò prędicatiua priuatiua melior est, planum, quod, & ad impossibile ducente: oportet autem scire, quæ est differentia ipsarum.*

2 *Sit itaque A. inexistens nulli B. ipsi verò C. omni ipsum B. necesse vtique eorum, quæ C. nulli inesse ipsum A. Sic igitur acceptis, ostensiua vtique priuatiua esset demonstratio, quod A. ipsi C. non inest: quæ verò ad impossibile ita se habet, si oporteat monstrare, quod A. ipsi B. non inest, accipiendum A. inesse ipsi B. & B. ipsi C. quare cõtingit A. ipsi C. inesse. Hoc autem sit notum, & confessum, quod impossibile. nõ igitur potest A. ipsi B. inesse; si igitur B. ipsi C. confessum est inesse; A. ipsi B. impossibile est inesse.*

Termini igitur consimiliter ordinantur. Differt autem vtra sit notior propositio priuatiua, vtrum quod A. ipsi B. non inest, an quod A. ipsi C. cum igitur conclusio est notior, quòd non est, quæ ad impossibile fit demonstratio, cum autem in syllogismo sit, demonstratiua est. 3

Natura autem prior est, quod A. ipsi B. quam quod A. ipsi C. inest: priora enim sunt conclusione, ex quibus est conclusio, est autem A. ipsi C. non inesse, conclusio. 4

Non enim si contingit ablatum esse aliquid, hoc est conclusio, illa verò ex quibus sunt, hoc quidem est, ex quo syllogismus est, qui vtique sic se habet, vt aut totius ad partem, aut partis ad totum habeat rationem: sed A. C. & A. B. propositiones non se habent ita inter se. 5

Si igitur quæ ex notioribus, & prioribus melior, sunt autem ambæ ex eo, quod non sit aliquid credibiles, sed hæc quidem ex priori, illa verò ex posteriori, melior simpliciter vtique erit priuatiua demonstratio ea, quæ est ad impossibile, quare & quæ hac melior prædicatiua, est manifestum, quod & ea, quæ ad impossibile est melior. 6

Quoniam verò prædicatiua. 1

Comparatio demõstrationis ostensiuæ. DEterminat q̃onem tertiam, uẽpe ostentiuã esse priorẽ ea, quæ ad impossibile ducit, sunt aũt hæc verba cõtinua cũ illis capitis p̄cedentis, vt oratio sit (quod quidem ostensiuæ p̄dicatiua dignior priuatiua manifestum est, & ad im & ad impossibile ducente) sensus est, cum possibile

predi-

prædicatiua sit potior negatiua; hæc verò sit potior ducente ad impossibile, etiam prædicatiua erit potior ista, & ita omnis ostensiua tam prædicatiua, quàm negatiua erit potior ducente ad impossibile: ante tamen, quàm probet, differentiam vtriusque constituit.

Quid demonstratio ostẽsiua. Diximus aũt latè 2. Prior. c. 14. ostensiuã demonstrationem esse, cum aliquam propositionẽ, siue affirmatiuam, siue negatiuã demõstramus, per sua principia ipsã inferẽdo.

Quid demõstratio ad impossibile. At demonstratio ad impossibile est, cũ ꝓpositionẽ aliquam nõ per se, sed suam oppositam falsam ostẽdendo, verã esse probamus: modus aũt probãdi, est sumendo oppositam probandæ cũ aliqua prẽmissa alia manifestè vera, & inferendo cõclusionẽ falsam in bona consequẽtia, ut inde colligatur talis præmissa falsa; cũ falsum ex falsa sequatur, ac tandem illa prima propositio vera. V. G. sit ista probãda ad impossibile; nullus hõ est irrõnalis, summam eius oppositã cũ præmissa clarè vera, sic; omnis hõ est irrationalis, omne aĩal rõnale est homo, infero, ergo omne aĩal rõnale est irrationale: consequentia est bona, conclusio falsa, ergo & aliqua præmissa, non minor, ergo maior, ergo eius opposita negatiua erat vera: cum non contingat in materia necessaria contrarias simul esse falsas, aut simul veras. Sicut negatiuam propositionem demõstramus, ita affirmatiuam, sumendo oppositam negatiuã, demonstrare poterimus.

Arist. verò utitur negatiua tantum, quia uult solum probare modo negatiuam ostensiuam esse priorem ducente ad impossibile, nã inde probatur quod etiam affirmatiua sit ea potior, cum sit potior quàm negatiua.

2 *Si itaq; A. inexistens nulli B. &c.*

Exemplum ponit ostensiuæ negatiuæ tale, nullum B. est A. omne C. est B. ergo nullum C. est A. At uerò non sic est ad impossibile, ut patet hoc exemplo, si uelit aliquis demonstrare illam propositionẽ, quæ erat maior syllogismi ostensiui, nempe nullum B. est A. ad impossibile, sic demonstrabit sumẽdo oppositã, omne B. est A. & aliam clarè ueram, s. omne C. est B. inferatur, ergo omne C. est A. quæ sit falsa, nam cum hæc sit falsa, aliqua erit præmissa falsa, non minor, quia nota, ergo maior, omne B. est A. erat ergo opposita uera nullum B. est A.

Vbi aduerte, quod oportet illam propositionem, quæ coassumitur cum opposita probandæ esse notam, uel quia manifestè uera, uel quia data à rñdente; aliàs non demonstrabitur ad impossibile, nam rñdens dicet non oppositam probandæ, sed coassumptam esse falsam; aduerte etiam ꝙ hic non sumit contradictoriam oppositam, quãuis id uelit Philop. non. n. essent de omni, sed sumit contrariam, quia in materia necessaria particularis, uel indefinita æquiuale uniuersali, & si una est uera, altera falsa, sicut in contradictorijs, & contra si una falsa, altera uera est.

Termini igiẽ cõsimiliter ordinãtur, etc. 3

Similitudinẽ inter utranq; demonstrationem assignat, nẽpe in ordinatione terminorum: sicut. n. tres termini ẽm figurã in ostensiua ordinantur, ita in demonstratione ad impossibile sunt tres termini ẽm figuram aliquam dispositi, quamuis non eodem modo utramq; conclusionẽ probet, ut dictũ est, sed differunt hæ demonstrationes in negatiua propositione, in quo termino, & qualis sit.

Propter quod aduerte quod in syllogismo illo ostensiuo est una præmissa negatiua, puta maior, nullũ B est A. in qua maius extremũ de medio prædicatur, in syllogismo uerò ad impossibile est ẽt una negatiua, puta opposita conclusionis falsæ illatæ, ex cuius ueritate colligimus conclusionem falsam; ut si dicas oĩs hõ est irrationalis, omne rationale est hõ, ergo rõnale est irrationale; at nullum rõnale est irrationale, ergo conclusio est falsa, & per consequens aliqua præmissa. Vide igitur quomodo in hac demonstratione est illa negatiua, nullum rationale est irrationale, quæ est ex maiori extremo de minori negato, quod dicitur nullum C est A. Nota.

Dicit modo Arist. cum talis negatiua est notior q̃ negatiua maior ostensiui, possumus per hanc ꝓbare ad impossibile illã maiorẽ; at cum maior est notior, manebit demonstratio ostẽsiua, nõ ad impossibile. v. g. si quis uelit probare ad impossibile, nullus hõ est irrationalis, sic dicet; omnis hõ est irrationalis, omne animal rõnale est hõ, ergo oẽ aĩal rõnale est irrationale, sed nullũ aĩal rõnale est irrationale, ergo conclusio falsa, & aliqua præmissa: ista est bona demõstratio, quia notius est, nullũ animal rõnale esse irrationale quã nullum hominẽ esse irrationalẽ, propter expressam repugnantiã: qd si non esset notior

hæc negatiua, non possemus aliam probare, quia vtramque admittere nollet quis; sed fal sum concederet.

Sensus clarus est, sicut in syllogismo ad impossibile propositio coassumpta cū opposi ta probandæ dēt esse clare uera, ne ei falsitas cōclusionis attribuatur, ita & cōclusio clare falsa, & eius opposita manifeste uera, ne aliquis datā conclusionē dicat esse uerā, & oppositā falsam: in probatione ergo ad impossibile negatiua est clarior quam negatiua præmissa demōstrationis ostēsiuæ. Aduerte igitur literā, dicit.n.q; differt, in quo, & qualis sit notior priuatiua, i. vtra negatiua sit notior, an quæ est syllogismi ostēsiui maior, puta illa, nullum B. est A. an quæ est opposita cōclusioni ex qua est syllogismus ad impossibile, puta nullū C. est A. si hæc n. quæ conclusio dr̄ notior est, fiet syllogismus ad impossibile, cū uero ea, quæ in syllogismo ostensiuo erat, notior est, fit tm̄ ille ostensiuus, & non ad impossibile, propter rationem quam dedimus.

4 *Natura autem prior est, &c.*

At quamuis negatiua syllogismi ad impossibile sit notior, natura tn̄ prior est illa maior ostensiui, nempe prior est, nullum B est A. quæ erat maior, quā nullum C. est A. quæ erat in syllogismo ad impossibile quod probat: quia hæc est conclusio syllogismi illius ostēsiui cuius maior probatur, puta nullum B. est A. omne C. est B. ergo nullum C. est A. conclusio autem posterior est natura propositionibus in uera demonstratione.

Nota. Et nota artificium Arist. quod aliqui non intelligentes uitio dederūt, vt meminit Philop. hi.n. eum reprehendebant, quia in syllogysmo ad impossibile non probatur maior ostensiui, sed eadem conclusio, & non aduertunt quòd Arist. non probat illam ut maior ē, sed ut quandā propositionem, ut alia sit quæ probatur ostensiue, alia quæ ad impossibile: sed illam in syllogismo, & demonstratione sumpsit, ut melius ostenderet negatiuam in syllogismo ad impossibile, esse illa posteriorem natura, cum ex illa ostensiuè propter quid demonstretur.

Nec oportet te intelligere semper demonstrationem ad impossibile procedere ex negatiua posteriori natura, nisi cum illa ex qua syllogismus ostensiuus fit, est in demonstratione propter quid.

Dices nonne si illa non esset in demonstratione propter quid, tunc negatiua demonstrationis ad impossibile esset prior? dico, esse quidem, sed hic demonstratione potissima, quæ per causam est loquimur.

Non enim si cōtingit ablatum esse, &c. 5

Posset quis dubitare, quomodo si per illā conclusionem negatiuam ad impossibile probamus maiorem illam negatiuam, possit esse quod ista sit prior, ex qua enim probamus, posterior erit: respondet, non idcirco quod ex illa conclusione negatiua remoueamus oppositam prædictæ maioris, maior habebit rationem conclusionis illatæ ex illis, tanquā ex causis, & præmissis, hoc enim fieret si talis maior esset sub illa negatiua sumpta, sicut pars sub toto, idest sicut particulare sub uniuersali, at non sic sumitur, nullum B. est A. sub illa, nullum C. est A. sed potius contra, ut dictum est. Dub.

Si igitur quæ ex notioribus, &c. 6

Argumentum colligit quo intentam conclusionem probat; potior est demonstratio quæ ex prioribus, & certioribus natura procedit, quàm ea quæ non sic se habet, at negatiua ostensiua est ex prioribus, & credibilioribus natura quam quæ ducit ad impossibile, ut notum est, ergo erit præstantior: illa, affirmatiua uero est potior negatiua: ergo erit etiam potior ducente ad impossibile, ergo omnis ostensiua potior. Probat conclu.

Quæ scientia certior, ac prior sit: qua vna, quæue diuersæ inter se scientiæ sint. Et quod eiusdem plures esse demonstrationes possint. Cap. XXIII.

Scientia autem est certior, & prior scientia, quæ ipsius quòd, & propter quid eadem, sed non ea, quæ seorsum ipsius quod ab ea, quæ propter quid, & quæ nō de subiecto est ea, quæ de subiecto, vt Arithmetica Harmonica; quæ ex paucioribus ea, quæ est ex appositione, ut Arithmetica Geometria. 1

Dico

2 *Dico autem ex appositione, ut unitas est substantia sine positione, punctus uerò substantia cum positione, hoc autem ex appositione.*

3 *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, quæcunque ex primis componuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se.*

4 *Altera vero scientia est ab altera, quarumcunq; principia, neq; ex iisdem neq; alteræ ex alteris sunt, huius autem signum cum ad indemonstrabilia venerit. oportet enim ipsa in eodem genere esse cum his, quę demonstrantur. signũ autem & huius, cum ea, quæ monstrantur per ipsa, in eodem genere sint, & cognata.*

5 *Plures autem demonstrationes esse eiusdem euenit, non solum ex eadem coordinatione accipienti non continuum medium, (vt eorum, quæ A. B. C. & D. & E.) sed & ex altera, vt sit A. trans-*

6 *mutari in quo autem D. moueri, ipsum vero B. lætari, & rursus E. quiescere. Verum est igitur & D. de B. & A. de D. prædicari: nam quod lætatur mouetur, & quod mouetur trãsmutatur: rursus A. de E. & E. de B. verum prędicari: quare per altera media, & nõ ex eadem coordinatione syllogismus est, non*

7 *tamen, vt neutrum de neutro dicatur mediorum: necesse est eidem alicui ambo inesse: Considerandum autem est & per alias figuras, quot modis contingit eiusdem fieri syllogismum.*

1 *Scientia autem est certior, & c.*

Primũ the. Tripliciter vna scien tia certior & prior alia.

NVnc tandem de ipso effectu demonstrationis, nempe de scientia disserit, ac tria theoremata in capite præsenti ponit notatu digna, quorũ primum est: Vna scientia dicitur certior, & priora alia triplicitet, primo illa certior est quæ, quia, & propter quid, simul docet, idest, quę veritatẽ, & eius causam docet, quàm ea, quæ solum quia, idest veritatem docet, vel ab effectu, vel à signo, vel causa remota.

Secundò, scientia certior est quæ non est de subiecto, quàm quæ est de subiecto: notat Philop. non debere vocari scientiam, quę non est de subiecto, singularem, sicut in capite de substantia; sed vocat scientiam non esse de subiecto, quæ tractat de re abstracta à subiecto: subiectum aũt vocat materiam sensibilem, vt notant S. Tho. Alb r. Aegid. & Auuerro. vnde scientia, quæ abstrahit a materia sensibili certior est illa, quæ considerat res in materia sensibili, vt Geometria quàm perspectiua, & Arithmetica, quàm Musica certior est: nam Geometria, & Arimethica sunt magis abstractę, similiter Metaphysica, quippe quæ à materia sensibili abstrahit: huius certitudinis Auerro. reddit rationem; nã quanto res materialior, tanto magis exposita est prędicatis per accidens, quę impediũt scientiam, vt triangulus in materia sensibili, idest æneus, uel terreus est albus, calidus, & similia per accidens, a quibus liberatur abstrahens a materia huiusmodi.

Tertiò scientia, quę ex additione est, minus est certa quàm ea, quæ nõ ex additione, vt Arithmetica certior est, quã Geometria; nam principium Arithmeticæ, puta vnitas, est sine positione, at principium Geometrię, nempe punctum, dicit positionem; positio aũt est ordo partium in ordine ad locum, quam positionem habet continuum permanens, de quo agit Geometria, non autem discretum, de quo est Arithmetica, quare ista certior: non enim exponitur prædicatis per accidens, quę ex situ, & loco oriuntur. Dices: nonne iste modus certitudinis est idem, qui præcedens? respondet Aegid. & bene, non esse eundem, nam illic consideratur abstractio a materia sensibili, hic alia abstractio à continuo, & positione.

Dico aũt ex appositione, ut unitas, & c. 2

Explicat, & probat, quod Geometria, sit ex additione ad Arithmeticam, per principia ipsarum; nam principiũ Geometriæ est punctum, hoc aũt est substantia posita; idest habens positionem: nõ intelligas, quod punctum secundum se positionem habeat, cum non secundum se sit in loco, est.n. secundum corpus, quod superficientibus, lineis, & punctis terminatur: vnitas verò est substantia

Ceometria est ex additione ad Arimeticam.

sine positione, ergo abstractior est, & minus ex additione.

Dubitat Philo. nam videtur, quod vnitas sit ex additione; nam illud quod dicitur sine additione, additum est: respondet non esse id adiunctum aliquod, sed tantum dicere negationem positionis, negatio autem non est additio realis,

Dubitabis: quo punctum, & Vnitas dicātur substantia, cū accidentia sint: respondet Phil. id secundum Phytagoricos dictū esse: existimabant.n. lineas, puncta, superficies, & c. esse rerum substātias, de quo disputat 3. Metaph. c. 5. & cap. 8. At S. Th. id secundum Platonicos didictum esse censet: Vtraque opinio & S. Th. & Philop. vera est; nam tam Platonici, quàm Phythagorici fuerunt huius sententiæ, vt habetur 1. Metaph. tex. 24.

Aliter alij exponunt, vt per substantiam intelligamus naturam tam substātiæ quam accidentis, ut sumitur 1. cap. anteprædic. &

3. Alb. exponit Alber.

Alij per substantiam, idem quod indiuisibile intelligunt; inter hos est Auerro. Alij

4. Aue. per substantiam intelligunt veram substantiam; sed hæc dicuntur substantia, quia eis ablatis substantia destruitur; ita exponit Aegid. quælibet ex his est congrua expositio; prima mihi maximè placet.

Nota. Circa has certitudines tres, aduerte ex Alber. & S. Tho. quod dupliciter potest sumi certitudo in sciētia, vno modo ex parte rei, altero modo ex parte modi cognitionis; ex parte rei, quādo res est immaterialior, & simplicior, tanto eius cognitio est certior, vt dicit Auerr. materia enim obstat cognitioni, cum materialibus multa per accidens insint: ex parte vero modi, cum res per causam cognoscitur, eius est certior cognitio; potior tamen est hæc priori; nec decipiaris existimās, idem esse dignitatem, & certitudinem: nam dignitas potius a rei nobilitate, quàm ab immaterialitate, vel a modo cognoscendi sumitur: cū igitur hæc duplex sit certitudo, prior duobus vltimis modis continetur, posterior verò primo, vt explicatum est.

3 *Vna autem scientia est, quæ est, vnius generis, &c.*

De vnitate sciētiarum. Secundum Theorema constituit, de vnitate, & diuersitate scientiarum: loquitur autē non de sciētia peculiari alicuius cōclusionis, sed de generali habitu scientię: Alber. aūt, S. Tho. Aegid. & alij nonnulli, sic exponere videntur, ut Arist. uelit quatuor ostendere, quę sub vna sciā continentur, quorū primum est, vnicū commune obiectum, cōprehendes omnia, quę sub tali sciā sunt, sicut est corpus naturale in Physica, ens in Metaph. & tale vocant genus scientiæ: hoc aūt debet esse vnū, vel vniuocū, vel saltem analogū: analogia.n. non impedit scientiam, vt expresse docet Arist. 4. Metaph. c. 2. alterum est principia scientię: sunt enim in qualibet scientia propositiones per se notæ, & indemostrabiles in illa, ex quibus procedunt eius demonstrationes, vt superius est dictum; tertium est, partes illius subiecti: per partes intelligunt species inferiores subiecto, vt Physicus non solum corpus naturale, sed etiam ipsius speci. s, puta animalia, plātas, & reliqua mixta, & horum species cōsiderat, vt docet, Arist. 4. Metaph. c. 2. species inquit, & species specierum vnius scientiæ genere est cōsiderare: per partes etiam intelligunt partes essentiales, & integrales subiecti, & inferiorum subiecti, quas, omnes vna scientia considerat, Physici .n. est considerare partes corporis naturalis, materiam, formā, partes animalium, & plantarum, & reliquorū corporum naturalium, similiter passiones subiecti, inferiorū subiecti, & partium eorū, vt notū est in qualibet scientia: sic illi exponūt, & sine dubio doctrina est uerissima, maximeq; notanda, quamuis non ita uideatur textui respondere.

Secūda theorema. Prima expositio D. Thom. Alb. & aliorū.

Philop. aliter hanc literam interpretatur, ut sit sensus; vna scientiā dicitur, quę uersatur circa vnum genus theorematum, id est conclusionū demōstrabilium, sunt aūt theoremata unius generis, quæ cōstant ex eisdem principijs illius generis, sicut geometrica theoremata oīa fiunt ex lineis, ex triāgulis, ex figuris: vel ex alijs, quæ sub Genere Geometrię continentur, puta continuo; similiter omnia sunt ex iisdē principijs, & dignitatib. illius subiecti; præterea sunt minus generis partes, & passiones horū, nempe principiorum, uel theorematum; partes principiorum sunt partes integrantes, vel essentiales subiectorū, vt partes circulorum, quadratorum, corporū, passiones principiorum, ut passiones linearum, quę sunt principia figurarum, scilicet frangi, concurrere, & similia.

2. Expositio Philop.

Intelligere etiam possumus, partes theore-

rematum; aliquādo.n.multæ ueritates simul demonstrantur, quarum singulæ dñr partes theorematis illius; ut demonstrat Euclid. angulos æquicruris, qui sunt ad basim esse ęquales, & qui sunt extra basim esse æquales ēt; sunt ista duo, quorum singula dicuntur partes: ēt intelligere possumus passiones theorematum, quæ sunt illæ quæ ad ueritatem demonstratam consequuntur, quale illud est, qd ex dicto theoremate sequitur, nempe angulos extra basim æquicruris esse maiores ijs, qui sunt intra basim, sunt ēt alia multa, q̄ ex ueris theorematib. demōstratis sequūtur.

Ita exponit Philop. & bene, quamuis breuius forsan possimus Arist. interpretari, ut sit sensus: scientia una est, quæ est unius generis, i. quæ de ijs, quæ sunt eiusdem generis tractat; explicat aūt quæ dicantur eiusdē generis, & dicit ea esse, quæ ex eisdem principijs fiunt, ut hō, leo, planta, & mixta, ac elementa eiusdē generis dicuntur, cum ex eisdem principijs fiāt; sunt.n. ex materia, & forma; subdit passiones horum, quæ ex eisdem principijs fiunt, nempe ex principijs subiecti scientiæ esse eisdem etiam generis, ut in una scientia sit subiectum, eius principia, & passiones, & ea quæ eisdem principijs constant: per partes autem idē, quod per passiones intelligit, & sic patet sensus literæ.

4 *Altera vero, scientia est ab altera, &c.*

De diuersitate scientiarum.

Diuersitatē scientiarum modo constituit dicens, scientias esse diuersas, quæ tractant de rebus quæ non fiunt ex eisdē principijs, nec principia unius fiunt ex principijs alterius, sicut Physica, & Mathematica; habent enim principia diuersa illa.n. quæ tractāt de ijs, quorum principia sunt ex eisdem, sicut principia hominis, leonis, & equi sunt ex eisdem principijs, ut ex materia, & forma, non faciunt diuersas scientias: similiter ea, quorum principia unius fiunt ex alijs, ut hominis principia ex principijs generis aīalis, nō faciunt diuersam scientiam; quamuis ista possemus intelligere de principijs complexis, & cognitionis, sed idem est sensus.

Ponit autem duo signa, alterum ut resoluamus res in ultima principia sua, & sic cognoscemus an ex eisdem principijs res fiant, ut equum in materiā, & formam, figuram in lineas. quæ cum diuersa sint principia, ad diuersas pertinebunt scientias; alterum signum est ad cognoscendū ipsum principiū, an sit diuersum, nēpe cum non fuerit eiusdē generis, & proximū & cognatū cum ipso principiato: sunt.n. principia, & ea quæ ex principijs fiunt eiusdē generis: hæc etiā intellige de principijs complexis, & conclusionibus.

Plures autem demonstrationes esse eiusdem, &c. 5

Tertiū theorema.

Hoc est tertium theorema, in quo, quantū mihi vr̄, rationem reddere vr̄ quare per principia assignauerit scientiarū diuersitatem: docetq; vnius rei plures posse esse demonstrationes, non solum ex uno ordine, sed ēt diuerso: in quo manifestat posse de eadem re uarias esse scientias, ac proinde melius per principia diuersitatem earum assignari.

Dicit ergo; Plures possunt esse demonstrationes unius, non solum accipiendo medium non continuum ex eodem ordine, sed etiam accipiendo ex diuerso. In primis per eundem ordinem intelligit eandem generis coordinationem, ut omne B. est A. potest demonstrari per C. & per D. & per E. nempe hō est substantia, per animal, uiuens, corpus; per media diuersi ordinis intelligit media nō inuicem ordinata, sicut ut Themist. dicit, bipes, & rōnale, per quę demonstratur aīal.

Sed dices, quid per medium non continuum intelligit? aliqui intelligunt medium mediatum, sicut uiuens est homo aliqui medium in diuerso syllogismo, non continuum dicunt; at cum in eodem syllogismo plura media disponuntur, sicut fit in cōglobato syllogismo, dicuntur continua, ut omne corpus est substantia, & omne uiuens corpus, & omne animal uiuens, & omnis homo animal, ergo omnis homo est substantia.

Sed iudicio meo, per non continuum mediū in eodem ordine, intelligit mediatū supremo in affirmando, ut sit sensus, ad ꝓbandum oēm hoīem esse substantiam plura media ordinata inueniemus, sed mediata, unicum est.n. immediatum, nēpe corpus ipsum.

Vt sit A. transmutari, in quo autem D. moueri, &c. 6

Ponit exemplum demonstrationis: per plura media diuersi ordinis fit cōclusio, omne lætans transmutatur; omne B. est A. sint duo media, mouens D. & quiescens E. tunc dicet omne D. est A. omne B. est D. ergo omne B. est A. idest, omne quod mouetur transmutatur

mutatur, omne lætans mouetur, ergo omne lętans transmutatur, similiter et dicetur, omne E est A. omne B. est E. ergo omne B. est A. idest omne quiescens transmutatur.

Dub. Dubitatur quõo quiescens transmutatur, & quomodo lætans dicetur quiescere, & & transmutari: sunt ad hoc innumeræ solutiones, tñ

Solut. quæ mihi magis ad rem facere uidetur, est, vt hic sumantur aptitudinaliter ista, ut sit sensus, quod lætans aptum est moueri, & quiescere, licet non simul quiescat, at moueatur, ac ob eam causam est mutabile; loquimur. n. de lætitia sensibili, similiter iste est sensus illius maioris, quiescens mutatur, idest est mutabile, nulli enim quies inest, cui non insit & motus, & mutatio aptitudine; est enim idem oppositorum subiectum.

Non tamen est neutrũ de neutro, &c.

Cum media diuersi ordinis, eiusdẽ esse docuisset; ostendit nõ esse adeo diuersa media, quin prædicentur inuicem; nam eidem alicui insunt, inter se ergo prædicantur, quamuis non essentialiter, ut quiescens mouetur, idest, cui quies inest, motus inest; aliqui legunt, quod non prædicentur; sed existimo melius legi, sicut expositum est; tandem concludit posse etiam in alijs figurarum modis per plura unum demonstrari.

QVAESTIO I.

circa cap. 23.

Primũ Argum. Occurrunt aliquæ difficultates in hoc capite; est autem argumentum primum, si una scientia esset, quæ unius est generis, sequeretur quod unica esset scientia de substantia, quæ unum genus est, consequens aũt est falsum, nã alia scientia est Medicina, alia Physica, alia Astrologia, alia de Angelis, quæ tñ oĩa sub uno substantiæ genere continentur.

2. Argu. Secundo, si eiusdẽ scientiæ esset considerare genus, & ipsius species, sequeretur qđ Metaphysica quæ de substãtia tractat, & de alijs generibus, oẽs species rerum consideret, nullaque scientia reliqua esset, quod falsum est.

3. Argu. Tertio, si scientię diuersę diuersa hñt principia, ergo non essent eadem principia cõia multis scientijs, hoc uero falsũ est, nã sunt dignitates multis, & aliquæ oĩbus sciẽtijs cões.

4. Arg. Quarto, si una conclusio põt multa habere media, ergo augentur demonstrationes ex parte mediorum, cuius oppositũ docuit Aristot. cap. 9. superiori, ut dictũ est, hęc sunt quę præcipue ex explicare oportet in capite isto.

Primũ Fund. Circa argumentum primum oportet aliquot præmittere fundamenta, & conclusiones primum sit, triplicem esse unitatem in scientijs, sicut in alijs accidentibus; est. n. unitas numerica, specifica, & generica; scientiæ distinguuntur numero penes subiecta, quibus inhærent; ut. n. alia est albedo tua, alia illius, pp diuersitatem subiectorum, ita alia Dialectica huius, alia illius, similiter de alijs scientijs; de hac autem unitate non est sermo in præsenti, sed de unitate specifica, & generica, & hæc ab obiectis, idest a rebus, de quibus scientiæ tractant, sumitur: sunt. n. diuersæ scientiæ secundum diuersitatem rerum de quibus sunt; cuius rationem dat sanctus Thomas; scire. n. est quædam operatio animæ in res, ut igitur motus sumunt speciem a terminis ad quos sunt, ita scientiæ ab obiectis. Triplex vnita, numerica specifica, generica.

2. Fund. Sit secundum fundamentum: aliter se habet res, seu obiectum, quod scitur ad intellectum, aliter res quæ sentitur ad sensum; res enim sentitur ẽm quod est, nempe singularis, in loco, præsens, & cum alijs conditionibus, at res non intelligitur sicut est, sed abstracta in uniuersali à conditionibus materialibus; unde ut scientia sit opus est, ut si aliqua res quæ cognoscatur, & sit quædam necessaria conditio, nempe quod sit abstracta a materia, sicut ignis non comburit, nisi sit aliqua materia, & proxima; ex quo fit, ut qui dicit aliquid esse scibile, dicat non solum rem cuius scientia est, quam Caiet. uocat rõnem formalem sub qua non est, igitur diuersitas sciẽtiarum tantũ in diuersitate rerum ẽm se, sed simul cum diuersa abstractione, & hoc est quod dicũt Metaphysici, scientias distingui secundum diuersitatem rerum formalem in ratione scibili, idest, secundum abstractionem uariam, res enim constituitur in genere scibili per abstractionem, potestq; esse ut sit unum genus entis, & diuersa genera scibilia, sicut corpus, & Angelus unius generis sunt in genere rei, tamen duo in genere scibili, qa magis abstractus est Angelus, quam corpus; similiter potest esse quod sint duo genera ẽm rem, & unum in genere scibili, quia nimirum habent eandem abstractionem, ut planta, & animal; differentia ergo uarians, & con- Abstractio est differentia constituens sciẽtias.

& constituens scientias est abstractio.

3.Fund. Triplex materia singularis, sensibilis, intelligibilis. Sit tertium fundamentum, materiã esse triplicem, quandam singularem, nempe conditiones indiuiduantes; in quibus naturæ specificæ sunt extra intellectum; quandam sensibilem, scilicet, qualitates elementares & quæ ex his proueniunt, cum quibus substantiæ corporeæ commixtæ inueniuntur; tertia est materia intelligibilis, nempe magnitudo, in qua figuræ geometricæ fiunt.

Quinq; gradus abstractionũ, primus. Secundũ hanc materiam triplicem, quinque gradus abstractionum sumi possunt; primus a materia singulari, sed non sensibili rerum, quę abstrahi non possunt a materia sensibili, quales sunt substantiæ istæ naturales; non.n. absq; qualitatibus sensibilibus possunt consistere, secundum quam abstractionem sumitur Physica.

Secundus. Secundus est á materia singulari, sed non sensibili, earum tũ rerum quæ a sensibili abstrahi poterant, ut Perspectiua, & Musica, & similes, hæ.n. nõ abstrahũt a sensibili materia nõ sicut Physica, quã illæ sunt de reb. quæ possunt a sensibili abstrahi, hæc uerò non.

Tertius. Tertius est a materia sensibili, sed non intelligibili, qualis Geometria: considerat.n. figuras non subiectas qualitatibus, tamen in magnitudine, quæ est materia intelligibilis.

Quart⁹. Quartus est, ut ait Aegid. ab intelligibili secũdum rationem, sed non realiter, talis est Arithmetica, quæ tractat de numero abstrahendo a magnitudine secundum rationem; quãuis realiter numerus sit in corporibus.

Quint⁹. Quintus est a materia intelligibili secundum rẽ, sicut Metaphysica, quæ agit de his, quæ realiter non habent quantitatem; nempe de intelligentijs, & de Deo, quamuis non secundum omnem partem Metaphysica realiter abstrahat, cum tractet de communib. etiam rebus sensibilibus; hi igitur sunt uarij abstractionum gradus notandi, secundum quos scientiarum diuersitas sumenda est.

Prima conclu. Est igitur prior cõclusio: diuersitas generica scientiarũ sumitur ex diuersitate rerum, & simul diuersitate abstractionum, ut scientiæ dicãtur diuersæ, q̃ cũ de diuersis rebus sint, uarias hẽt abstractiones: vnde Perspectiua, & Geometria dñr non diuersæ genere, licet varia sit abstractio, q. sunt de eadẽ rẽ in parte, at Metaphysica, Mathematica, Physica, genere distinguuntur, uariè enim abstrahũt.

2. concl. Posterior conclusio. Scientię distinguũtur specie, quæ de diuersis rebus sunt cũ eadem abstractione, uel de eadem re sub diuersa abstractione, sicut scientia de plantis, & de animalib. sunt uariæ specie, quia sunt res distinctæ sub eadem abstractione: similiter Perspectiua, & Geometria differunt specie, quia uariè eandem rem abstrahũt, nec in hoc allentior Caie. qui credit scientiã de triangulo tantum numero differre a scientia quadranguli, immo differunt scientiæ illorum specie, sicut demonstrationes, si.n. multæ de illis essent, sicut sunt de plantis, & animalibus ita essent duo habitus specifici, & scientiæ, sicut sunt scientia plantæ, & scientia animalis.

Per ista est facilis solutio argumenti primi, non.n. scientiarum distinctio, uel unitas a genere secundum rem tantum sumenda est, sed a genere scibili, quod est secundum abstractionem, in substantia autem uariæ abstractiones continentur, & ob id uaria scibilium genera & hæc sunt obseruanda. Ad primum.

Ad secundum dicitur scientiã generis cõsiderare species illius, & inferiora, quæ tamẽ sunt sub eadem abstractione; qñ uerò mutatur abstractio, cessat iam scientia; species ergo secundum genus scibile, non secundum genus rei scdum considerandæ sunt. Ad 2.

Ad tertium facilis est responsio nõ.n. hic de illis cõmunissimis principijs sermo est, sed de communibus quæ tamen sunt in materia propria illius scientiæ, uariæ autem res scibiles uaria habent principia propria. Ad 3.

Ad quartũ dico in diuersis generibus causarũ posse unius plures esse demõstrationes, ut notum est, similiter in eodem genere causæ, sed mediatè, ut hoiem esse substantiam, & per animal, & per uiuens demonstramus, & hoc dicitur in præsenti: sed in eodem genere causæ per plura media immediata impossibile est idem demonstrare, & hoc dr̃ c. 9 nec est contradictio. hic tñ considerare vnum necesse est, eandem rem ad uarias scientias pertinere, sed non sub eadem abstractione, unde Physicus de figura tractat, sicut Geometer, sed ille in corpore naturali, hic abstrahendo a sensibili, propterea unus per principia motus, alter per principia magnitudinis probat: unde re uera formaliter de eodem nõ sunt plures scientiæ, sed materialiter tñ clarius percipitur distinctio in ipsis principijs: idcirco Aristot. scientiarum diuersitatem ab illis sumpsit, hæc de præsenti quæstione. Ad 4.

Eorum quæ fortuna eueniunt, quæque in sensuum functione sunt, non esse scientiam.
Cap. XXIIII.

1 *EIus verò quod a fortuna, non est scientia per demonstrationem: neque enim ut necessarium, neq; tanquam vt plurimum est, quod est à fortuna, se quod præter hæc fit. Demonstratio autem est alterius horum: omnis enim syllogism⁹, aut per necessarias, aut per eas, quæ ut plurimum propositiones conficitur: & si propositiones quidem sunt necessariæ, & conclusio erit necessaria, si uero ut plurimum & conclusio talis. Quare si id quod est a fortuna, neque vt plurimum est, neq; necessarium non est vtiq; ipsius demonstratio.*

2 *Neque per sensum est scire: si enim est sensus huius, & non huius cuiusdã, sed sentire necessarium est hoc aliquid & alicubi, & nunc: vniuersale vero, quod est in omnibus, impossibile est sentire: non enim est hoc, neq; nunc, neque enim esset vtiq; vniuersale: quod enim semper, & vbique, vniuersale esse dicimus. Quoniam igitur demonstrationes quidem vniuersales sunt, hæc autẽ non est sentire, manifestum est, quod neque scire per sensum est.*

3 *Sed planum quod & si eßet sentire triãgulum, quod duobus rectis æquales habet angulos, quæreremus utique demonstrationem, & non quemadmodum dicunt nonnulli, sciremus: sentire quidem enim necesse est singulare, scientia vero est in cognoscendo vniuersale.*

4 *Quare etsi super lunam essemus, & videremus obiectam terram, non vtiq; sciremus causam defectus, sentiremus enim nunc quod deficit, & non propter quid omnino, nõ enim erat sensus ipsius vniuersalis, sed ex eo quod speculamur hoc plerumque contingere, vniuersale vtique venati demonstrationem habemus: ex singularibus enim pluribus vniuersale manifestum est. Vniuersale autem honoratum est, quoniam significat causam, quare de talibus vniuersalis notitia honoratior est sensibus, & intellectione quorumcunq; altera est causa; sed de primis est alia ratio. Manifestum igitur est, quod impossibile est sentiendo aliquid scire demonstratiuorum, nisi quispiam sentire hoc dicat, scientiam habere per demonstrationem.*

*Sunt tamen nonnulla quæ referuntur in sensus defectum in problematibus, quædam enim, si videremus, non vtiq; quæreremus, sed non tanquã scientes, eo, quod videmus sed ut habentes, vniuersale ex eo quod videmus; quemadmodum si vitrum perforatum videremus, & lumen permaneans, planum vtique esset, & propter quod * comburit, & ex eo plane, quia videremus fieri deorsum in vnoquoque, intelligeremus simul, quod in omnibus sic est.* 5

* al. illuminat.

Eius uero, quod à fortuna, &c. 1

Hoc capite duo præcepta cõtinentur, quorum alterum est: rerum, quæ fortuito, & casu contingunt non esse sciẽtiam; huius, ratio est, qm̃ non sunt necessariæ, nec plerumque eueniunt, sed rarò, ut quod fodiens uineam inueniat thesaurũ; demonstratio.n. quæ scientiã facit, non est nisi necessariorum, quæ semper sunt, aut eorum, quæ plerumq; sunt, cum non nisi ex propositionibus necessarijs, aut plerumq; procedat, ac talis debeat esse cõclusio, quales præmissæ, & propositiones fiunt.

Duo documẽta. Primũ.

Neque per sensum est scire: si enim est sensus huius, &c. 2

Alterum documentũ est, per sensum non esse scientiam, idest non dicitur scientia per sensum cognitio, ratio est, quia scientia est vniuersalium, at sentire est singularium, quę sunt

2. Documẽtum.

sunt hic, & nunc, & secundum locum, & tempus variantur, vniuersale vero vbique, & semper est, idest non aliter se habet in vno loco, & tempore, quàm in alio.

Nota ꝙ dicit, sensus est talis, & nō huius talis, at sentire nō est nisi hoc aliquid, sensus, & intelligentia horū notanda est, nempe sensus ipse, qui potentia est, vt uisus, auditus, & reliqui habent pro obiecto ipsum vniuersale, puta colorē, visus, non hunc, aut illum, sed in cōi, sonum auditus, & sic alij: at uero actus, & operatio sensus nō est nisi circa singulare: non enim nisi hunc, uel illum colorē in singulari videmus, at intellectus nō solum pro obiecto habet vniuersale, sed etiam uniuersale intelligit, ideoq; eius cognitio scientia est.

Dicit ergo, quod quamuis sensus, nempe ipsa potentia tale aliquod, idest aliquid in communi respiciat, non hoc in singulari, tamen eius actio, sentire nempe, est circa hoc aliquid, idest singulare, scientia autem in operatione etiam consistit circa vniuersale, quare cognitio sensus non est scientia.

3 *Sed planum quod, & si esset, &c.*

Remouetur obiectio. Posset quis Arist. respondere, si per sensū cognoscimus effectum, seu rei passionē, forsan erit scientia: ut si triangulum habere tres angulos ęquales duobus rectis videremus: respondet, nullo modo sic esse scientiam: sed adhuc quæremus demonstrationem, nam non cognoscit sensus id uniuersaliter esse in omni triangulo, quod necessarium est ad scientiam, cum scientia uniuersalium sit.

4 *Quare etsi super lunam essemus.*

Remouetur altera obiectio. Posset iterum quis diceré, forsan si causā, & effectū sentiremus, esset per sensum scientia, ut si super lunam existentes terram obiectā, & ecclypsim uideremus: respondet, nec sic per sensum sciri: non enim uniuersaliter cognoscimus, cū sensus hanc ecclypsim tantum percipiat, non autem quod uniuersaliter ex tali causa sequatur, quod scire est: unde concludit hanc cognitionem uniuersalis esse honorabiliorem cognitione sensus, cum sit cognitio per causam, similiter honorabiliorem cognitione etiam intellectus, quæ nō est per causam, dummodo si de re, quæ habeat causam, nam cū res est sine causa, sicut prima principia, horum cognitio nobilior est etiam si per causam non sit: unde concludit per sensum non contingere scire, nisi q̄s dicat sentire esse scientiā habere per demonstrationem, i. nisi quis per uocē hanc sentire uelit significare idem, quod habere scientiā per demonstrationem, & huius non est disputatio, sed ut significat actionem sensus.

Sunt tamen nonnulla quę, &c. 5

Ostendit in scientijs esse necessarium aliquando sensum, nempe in quibusdam problematibus, quæ si uiderentur, sine dubio scirentur, non quod ipse sensus sit scientia, aut in eo sit scientia, sed quod per eum sæpe singularis præcipientes, uniuersale intellectu uenamur, de quo est scientia: ostendit exemplo antiquorum existimantium lumen esse corpus; cum autē eis obiiceretur, quomodo ingreditur per uitrū, cum duo corpora se penetrare nō possint, respondebāt, quia uitrū habet minutissima foramina, dicit modo Aristot. huius nō est scientia, ꝙ ingreditur lumē quia sunt foramina, & tn̄ si uiderentur talia foramina, esset scientia, sed non ex sensu tātum, sed quòd uniuersale ex eo colligeremus cuius est scientia, nempe omne uitrum habere foramina minutissima: hoc exemplum secundum uulgarem opinionem est.

Non omnium syllogismorum eadem esse principia posse. Cap. XXV.

Eadem uerò principia omnium esse syllogismorum impoßibile, primum quidem logicè considerantibus: hi quidem.n. ueri sunt syllogismorū, illi autem falsi: quamquam enim liceat uerū ex falsis syllogizare, sed semel hoc sit: ueluti si A. de C. uerū, medium autē B. falsum: neque enim A. ipsi B. inest, neque B. ipsi C. sed si harum media accepta fuerint propositionum, falsi erūt propositiones, eo quod omnis conclusio falsa ex falsis est, uera autem ex ueris, altera autem sunt falsa, & uera. 1

Postea neque falsa ex eisdē sibiipsis: sunt.n. falsa adinuicem, & contraria, et impossibilia simul esse, ueluti iustitiā 2

esse

*esse iniustitiam, aut timorem, * & hominem equum, aut bouem, & æquale, aut maius, aut minus.*

* al. l. additur audaciam.

3 *Expositis verò sic, neq: enim verorum eadem principia omnium, altera enim multorum genere sunt principia, & neq; conuenientia, quemadmodum vnitates punctis non conueniunt, illæ enim non habent positionem, hæc autem habent.*

4 *Necesse autem est, aut in medio conuenire, aut sursum, aut deorsum, aut hos quidem intro habere, illos autem extra terminorum.*

5 *Sed neq; communium principiorum possunt esse aliqua, ex quibus oĩa monstrabuntur: (dico autem communia, veluti omne affirmare, aut negare) genera enim entium altera sunt, & hæc quidem quantitatibus, illa verò qualitatibus insunt solis, cum quibus monstrantur per communia.*

6 *Amplius principia non multo pauciora sunt conclusionibus: principia.n. propositiones sunt, propositiones verò aut ipsius assumpti termini, aut iniecti sunt.*

7 *Amplius conclusiones sunt infinitę, termini verò finiti.*

8 *Amplius principia hæc quidem ex necessitate: illa verò contingentia. Sic igitur considerantibus impossibile eadem esse finita, infinitus existentibus conclusionibus.*

9 *Si verò aliter quodammodo dicat aliquis, ut quod hæc quidem Geometriæ, illa uerò * ratiociniorum, illa autẽ Medicinæ: quid vtique esset, quod dicitur aliud, præterquam quod sunt principia scientiarũ? dicere autem eadem esse, ridiculum est, quoniam hæc sibi ipsis eadẽ essent: sic enim omnia fiunt eadem.*

* al. l. numerorum.

10 *Sed neq; ex omnibus mõstrari quodlibet idem est quærere omnia esse eadẽ principia, ualde enim fatuum est; neq; enim in manifestis doctrinis hoc fit, neq; in resolutione possibile est: immediatæ namque propositiones principia sunt, altera autem conclusio assumpta fit propositione immediata. Si verò quispiam diceret primas immediatas propositiones eadem esse principia, una in unoquoq; genere est.*

*Si uerò neq; ex omnibus, tanquam oporteat monstrari quodcunq; neq; ita altero tanquã sit vnaquæq; scientia, altera derelinquitur, ꝙ cognata sunt principiæ omniũ, sed ex his quidem hæc, ex illis aũt illa. Manifestum autem & hoc est, quod non contingit, monstratum namq; fuit, quod alia principia genere sunt differentinm genere. Principia.n. duplicia sunt, ex quibus; circa quod; quæ quidem igitur, ex quibus, communia sunt, quæ autem circa quod, propria, vt numerus * magnitudinis.* 11

* al. l. magnitudo.

Eadem vero principia omnium esse syllogismorum, &c.

1 Intentio Arist.

CVm scientiarum diuersitatem ex principiorũ diuersitate prouenire docuisset, nunc principia diuersa esse scientiarum, & demonstrationum probat, ac cõmunius procedit ab ipso syllogismo incipiens, ac ob id logicè tractare se docet, ut ait Philo. & rationem reddit, cur non de proprijs, sed de communibus primo dicat: sunt autem tres conclusiones in capite. Prima est, impossibile est omnium syllogismorum esse eadẽ principia: probat, syllogismi quidam sunt ueri, nempe quorum conclusiones sunt ueræ, quidam falsi, quorum conclusiones sunt falsæ, ergo non possunt esse ex eisdem principijs, cum conclusio uera ex ueris, falsa uerò ex falsis sequatur; posset autem quis dicere nonne etiam uerum ex falsis sequitur? respondet uerum id esse, sed non fit nisi semel: hoc est in syllogizando, uerum quidem ex falsis infertur, ut omne B. est A. omne C. est B. ergo omne C. est A. idest omnis lapis est animal, omnis

Prima concl. c.

Obiectio.

dilutio

omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal; tamen si iterum uelimus prosyllogizare præmissas, iam totum erit falsum, tã præmissæ illæ, quæ iterum assumuntur, quã conclusio, quæ infertur, nempe præmissæ falsæ prioris syllogismi; verũ aũt syllogizatur, & prosyllogizatur simul, sicut contingit cũ ex ueris procedit, tunc.n. tam syllogismus, quàm prosyllogismus ex ueris sunt, non igitur oĩum syllogismorũ eadẽ sunt principia.

2 *Postea neq; falsa ex eisdem, &c.*

2.Conc. Secunda conclusio est; non omniũ syllogismorum, etiã falsorum, eadem principia sunt; probatur, falsarum conclusionũ multiplex est modus, quædam tantum falsæ; quædam impossibiles; & impossibilium, quædam quia relatiuum de correlatiuo, quædam quia contrarium de contrario, uel disparatum de disparato affirmant, uel negat necessarium; ergo sunt etiam uaria principia falsa, pro uarietate conclusionum, cum proinde sint falsæ, quia principia sunt falsa.

Expositis uero sic, &c.

3 3.Conc. Tertia cõclusio, q tã magis ad rẽ propositam, nempe de demõstratione, dicit, est; syllogismorum verorum impossibile est esse eadem principia; quam multipliciter probat: primo sunt principia aliquorum prorsus diuersa in nullo conuenientia, ergo non sunt eadẽ principia: antecedens patet, unitas.n. est discreti, punctum continui principium, quæ diuersa sunt, hoc enim positionem habet, illud uerò non habet, ut dictum est.

4 *Necesse autem est aut in medio conuenire, &c.*

Verior expositio Philop. & D.Tho. Quamuis nouam rationem hanc aliqui esse uelint, melius est secundum Philop. & S. Tho. quòd sit confirmatio præcedentis, & probet illa principia nõ conuenire, quod Philop. vocat vnũ de altero prædicari, quæ aũt cõueniũt, vno ex tribus modis cõueniũt, aut tanq̃ in medio, aut tãquam in maiori extremo, quod dicitur sursũ, aut minori, quod dicitur deorsum, aut inferius in prima figura, aut exterius in secũda, & tertia; sensus est, φ si cõueniunt illa principia, pũctũ, & linea; aut ex eo, quod utrumque põt esse alicuius conclusionis probandæ, aut maius extremũ, uel minus, vel medium in aliqua figura, sed hoc esse non potest, cum non eadem per illa probentur, non ergo eadem sunt.

Sed neque communium principiorum, &c. 5

2. argu. Secundũ argumentũ est, si ex eisdem omnia procederent, maximè ex illis generalissimis, quodlibet est, vel nõ est, & de nullo est verum affirmare simul, & negare, sed ex his non possunt, nam hæc per se sola non sufficiunt aliquid demonstrare, nisi mediãtibus proprijs cuiusque generis, ut dictum est, ergo non sunt omnium eadem principia.

Amplius principia non multo, &c. 6

3. arg. Tertium argumentum est; tot sunt ferè principia quot conclusiones, sed cõclusiones sunt multæ, & uariæ, ergo & principia: antecedens patet, nam principia sunt propositiones, propositiones autem sunt, & fiunt assumpto termino medio, aut immisso: dicit assumptum propter secũdam, & tertiam figuram, in quibus medium est extra extremitates: dicit immissum propter primam, in qua medium inter extremitates est.

Obiectio. Dissolutio. Dices, q̃ñ dicit φ propositiones nõ sunt multo pauciores conclusionibus, immo.n. uidentur plures. Dico, qd uocat propositiones non oẽs præmissas, sed immediatas, quæ iã conclusiones esse non possunt, hoc aũt uerum est, φ si sumamus unam mediatã propositionem, plures in ea conclusiones, q̃ principia inueniemus, ut patet in hac; oĩs homo est substantia, sunt enim sex quæ demonstrari possunt, nempe homo est substantia; homo est corpus, homo est uiuens, animal est substantia, aĩal est corpus, uiuens est substantia: sunt uerò tantum quatuor quæ non possunt demonstrari, s. homo est animal, animal est uiuens, uiuens est corpus, corpus est substantia.

Amplius cõclusiones sunt infinitę, &c. 7

4. arg. Quartũ argumentũ est, cõclusiones sunt infinitę, i. innumeræ, nõ tot, quin plures; termini uerò finiti, ergo principia non possunt esse eadem: uim huius argumenti exemplo intelliges, literæ finitæ sunt nempe uigintiquatuor, tñ infinitæ dictiones ex illis fiunt uariæ & distinctæ, quod ex eo est, quia uarijs modis tales literæ inter se connectuntur, alīter impossibile esset tot esse dictiones; similiter elementa sunt quatuor, tamen mixta

ex

ex eis sunt multiplicia, quia uariè miscentur, ita similiter termini sunt finiti, cũ finita sint prædicamentorum genera, conclusiones verò absq; limite, ergo uariè termini inter se ordinantur, & disponuntur, & ita fiunt distinctæ præmissæ, & propositiones, quæ principia dicuntur.

8 *Amplius principia hæc quidem ex necessitate, &c.*

5. arg. Hoc est quintum argumentum; sunt.n. principia uaria inter se, quædam.n.sunt necessaria, quædam contingentia, non.n.omne uerũ est eiusdẽ rõnis; ergo non sunt eadem oĩum principia, unde concludit non solũ nõ esse eadem oĩum principia, sed infinita, i. indeterminata, sicut etiam cõclusiones sunt indefinitæ, & indeterminatæ, ut dictum est.

9 *Si verò aliter quodammodo dicat aliquis, &c.*

Remoue. ob. Excludit modum, quo aliquis posset asserere eadem esse principia; posset.n.quis dicere principia quidem alia esse in Geometria, alia in Musica, alia in Dialectica, alia in qualibet arte, sed hæc dici eadem, quia singula eodem modo se habent, & sunt eadem suis conclusionibus: respondet sic asserere, esse diuersa principia ponere; nullus.n.duo uocat idem, quia unumquodq; sit idem alicui, quia.n.rationale est idem cum homine, & hinnibile cum equo non propterea rationale, & hinnibile dicenda sunt idem, aliter enim omnia possent dici eadem, nihilque esset diuersum.

10 *Sed neque ex omnibus, &c.*

Remoue. alia obiectio. Excludit alium modum, quo quis posset eadem principia dicere; nam quia ex oĩbus principijs quodlibet infertur, ita ut quãuis multa sint principia, tñ ex singulis quælibet infertur conclusio: hoc dicit insipienter dictum esse: probat in doctrinis, id est Mathematicis, ẽm Philoponum, in quibus experimur non oẽs conclusiones resolui in eadem principia, similiter in reliquis scientiarum demonstrationibus: & probatur ratione, nam ex propositione immediata sequitur conclusio; ergo altera conclusio ex altera immediata, & alio principio, ut notum est; si igitur quis principia immediatas uocet propositiones, ut verum est, erunt principia diuersa secundum diuersitatem generum, in quorum singulis sunt sua immediata.

Si verò neque ex omnibus, &c. 11

Resumit duos prædictos modos identitatis principiorum, & excludit alium, dicit ex omnibus non demonstrari quodlibet, ut dictum est, nec ex altero, i. nec ex uno oĩa, cum sint in unaquaq; scientia sua principia: relinquitur ergo unus modus identitatis, nempe quod dicantur eadem, quia proxima, & cognata, & eiusdem generis, sed hoc esse non potest, nam diuersorum generum principia sunt etiam genere diuersa; sunt.n.principia in duplici differentia, quædam circa quæ, i. subiecta de quibus demonstramus, quædam ex quibus nempe dignitates: quæ sunt circa quæ, semper sunt propria in quoque genere scientiæ: quæ sunt ex quibus, communia esse possunt, sed secundum analogiam, ut diximus, & eorum non est usus in scientia, nisi limitentur ad particularem illius scientiæ materiam, sicut supra explicatum est.

Quod scientia & scibile ab opinione, & opinabili discrepent: & quid sit Solertia. Cap. XXVI.

SCibile autem, & scientia differunt ab opinabili, & opinione, quoniam scientia quidem vniuersalis, & pernecessaria: (necessarium uerò non contingit aliter se habere) sunt autem nonnulla vera quidem, & quæ contingit aliter se habere; planum igitur, quod circa hæc quidem scientia non est, essent.n.impossibilia aliter se habere, possibilia aliter se habere. Verum.n. verò neq; intellectus (dico.n.intellectum principium scientiæ) neq; scientia indemonstrabilis: hoc autem est acceptio immediatæ propositionis: Verus autem est intellectus, & scientia, & opinio, & quod per hæc dicitur: quare relinquitur opinionem esse circa uerum quidem, aut falsum, contingens autem, & aliter se habere. 1

Hoc

Hoc autem est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ: Et confessum autem est sic apparentibus, namque, & opinio incertum est, & natura talis.

3 Adhuc autem nemo putat opinari, quando existimet impossibile aliter se habere, sed scire, sed quando esse quidem sic, sed tamen, & aliter, nihil prohibet tunc opinari, tamquam quod talis opinio sit. Necessarij verò scientia est.

4 * Quomodo igitur non est idem opinari, & scire? & propter quid non erit opinio sciētia, si quis ponet, omne, quod nouit, contingere opinari? consequetur enim hic quidem sciens, ille verò opinans per media, quousque ad immediata venerit: quare, quidem ille nouit, & qui opinatur nouit, quemadmodum enim & quod opinari est, & propter quid, hoc autem ipsum medium.

* al. l. qũo igitur non est.

5 Aut si quidem ita suspicabitur non contingentia aliter se habere, quemadmodum se habent definitiones; per quas sunt demonstrationes, non opinabitur, sed sciet: si autem vera quidem esse, non tamen hæc vtique ipsis inesse secundum substantiam, & secundum formam, opinabitur, & non sciet verè ipsum quod, & ipsum propter quid, si quidem per immediata opinabitur, si autem non per immediata, ipsum quod solum opinabitur.

6 Eiusdem verò opinio, & scientia non omnino est, sed quemadmodum, & falsa, & vera eiusdem quodammodo sunt, ita & scientia, & opinio eiusdem: etenim opinionem veram, & falsam (vt nonnulli quidem dicunt) eiusdem esse, absurda contingit erigi, & alia, & non opinari, quod opinatur falso.

7 Quoniam verò idem pluribus modis dicitur, est quidem vt contingit, est autem vt non: commensurabilem namque esse diametrum vere opinari absurdum est, sed quod diameter, circa quam opinionem, idem, ita eiusdem est: quod quid autem erat esse vtique secundum rationem non est idem.

Consimiliter autem & scientia, & 8
opinio est eiusdem, hæc quidem enim sic animalis, vt non contingat non esse animal, illa verò vt contingat, veluti si hæc quidem quod hominis est, illa verò hominis quidem, non autem quod hominis: idem est, quoniam homo, hoc autem sic non idem.

Manifestum autem est ex his, quod 9
neque opinari, simul idem, & scire contingit, simul enim habere posset suspicionem, quod aliter se habere, & non aliter, idem esset, quod non contingit, in alio quidem enim utrumque esse contingit eiusdem, vt dictum est, in eodem autem non sic possibile est. habebit enim suspicionem simul. vt quod homo esset, secundum quod animal: hoc enim esset non contingere esse non animal, & non secundum quod animal, hoc enim esset sic contingere. Reliqua verò quomodo oporteat distribuere, & in discursu, & intellectu, & scientia, & arte, & prudentia, & sapientia, illa quidem naturalis, hæc autem moralis speculationis magis sunt.

Scibile autem & scientia differunt 1
ab opinabili, &c.

Scientiam ab alijs habitibus tandem secernit, sed præsertim ab opinione, hæc.n. dialectici opus est. Discrimen autem scientiæ, & opinionis ex duplici parte sumitur ex parte eorum quorum est scientia, & quorũ est opinio quæ dicuntur scibilia, & opinabilia, & ex parte ipsarum credulitatum quæ per

Comparatio scientiæ cũ aliis habitibus.

per ipsos habitus aduenîunt, quorum .n. est scientia semper necesse ista ita se habere, quorũ est opinio nõ semper necesse est ita se habere; præterea per scientiã cognoscimus rem quæ non potest aliter se habere, & simul scimus quod nõ potest aliter se habere, per opinionẽ vero cognoscimus posse aliter se rem habere; Aduerte autem ex Them. & Phil. ꝙ hic loquitur de opinione uera, nam falsa nullam habet cum scientia similitudinem.

Concl. Proponit igitur hanc conclusionẽ; scientia, & opinio, scibile, & opinabile differunt; & probat prius discrimẽ ex parte scibilium, & opinabilium, scientia quæuis est vniuersalium per necessaria principia, at uerò opinio non est per necessaria, & necessarium; ergo non est scientia: maior est nota, minor probatur, sunt quædam vera quidem, non tamen necessaria, cum aliter se possint habere, hæc non cognoscuntur scientia, non intellectu, non scientia indemonstrabili, quãuis iste cognitiones veræ sint, & quæ per eas cognoscuntur vera sint, ergo illa cognoscuntur opinione, cum non sit alius habitus vniuersalium; opinio igitur est eorum quæ aliter se habere possunt, & non necessaria sunt.

Explicat quid per intellectum intelligat, principiũ inquit scientię, per scientiam uero indemonstrabilem dicit intelligi cognitionẽ immediatarũ propositionum, & quamuis aliqui utrumq; idem esse affirment, tamen id non consonat literæ: propterea dico per intellectum significari cognitionem principiorum communiũ, quæ per se nota sunt, quæ ianuæ scientiarũ dicũtur 2. Metaph. per scientiarum vero indemonstrabilem cognitionẽ propriarum propositionum immediatarum, quæ non per se note sunt, quæ omnia superius late exposita, & declarata sunt.

Nota, quod inferens Arist. opinione cognosci vera contingentia, addidit etiam opinione falsum cognosci, non quia hic de opinione falsa dicere intenderet, sed ne quis erraret existimando opinionem esse tantum verorum, cum tamen etiam falsorum sit.

2 *Hoc autem est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ.*

Prima ratio discriminis inter scientiã & opinionem. Sicut in scientia propositiones necessariæ inueniuntur, quę mediatæ sunt, & per alias probantur, & similiter propositiones immediatæ, quæ iam amplius demonstrari non possunt, ita inter probabiles, quarum est opinio, quædam mediatæ sunt quæ ex alijs probantur, quædam immediatæ, quæ sunt probabilissimæ, nec iam amplius probabiliter probantur, vt diximus 1. Topic. de mente Alex. est igitur opinio non necessariorum, siue mediata, siue immediata sint, quamuis Arist. tantum de opinione immediatorum in his verbis loquitur, quia de mediatis clarum erat: probat autem quod opinio sit contingẽtium, atque hoc dicit esse certũ ex his, que cõmuniter dicuntur: vocant .n. opinionem incertam, & quæ tali opinione cognoscuntur, res incertas, quæ non firmam, ac stabilem habent veritatem: est igitur opinio contingentium, quo circa non est scientia, nec ipsum opinabile est scibile.

Adhuc autem nemo putat, &c. 3

Alteram rationem ex parte credulitatis ponit ad distinguendum scientiam ab opinione, ratio est sumpta ex vsu communi, sicut c. 2. sumpserat, quid esset scire: inquit omnes cum aliquid cognoscũt, & simul aliter se habere non posse intelligũt, se scire existimant: cum verò aliter se posse habere credunt se opinari confitentur; ergo hæc est natura opinionis, & scientiæ, & sic ex parte credulitatis differunt, vt manifestum est. Secũda ratio.

Quomodo igitur non est idem opinari, & scire, &c. 4

Duo ex præcedentibus subortientia dubia proponit, quib. magis opinionis naturã manifestat. Alterum, an eiusdem sit opinio, & scientia, vt videtur, quæ .n. quis scit potest alius opinari: Alterum, supposito quod eiusdem sit opinio, & scientia, videntur esse idẽ, cum habeant idem obiectum, quòd si dicas non est idem, quia qui opinatur, non cognoscit per causam, hoc reijcit Arist. dicens etiã opinantem resoluere vsque ad immediatas causas; sicut enim per scientiam scimus effectum per causam, cũ causam effectus illius esse scimus, & non posse aliter se habere, ita per causam opinamur, cũ causam aliter se habere existimamus; videntur igitur eadẽ scientia, & opinio: nota verbum consequetur significare resoluere, vt notat Philop. Duo dubia.

Aut si quidem ita suspicabitur non contingentia, &c. 5

Satis-

Solui. tur. 2. Satisfacit posteriori dubitationi tanquam breuiori, & interrogando affirmat; dicitq; si quis procedens per definitiones, & demōstrationes ueras, existimauerit illa non posse aliter se habere, nō habebit opinionē, sed scientiam, si quis verò tantùm uera esse non tñ necessaria, & propositiones illas per se non esse existimauerit, tunc non scientiā, sed opinionē habebit, si tales propositiones fuerint per causam, & immediatæ, erit opinio effectus, & causę, si uerò non ita fuerint, erit opinio effectus, & quia tantū; ex quibus habes differentiā ex parte credulitatis, & existimationis, quāuis circa idē sint scietia, & opinio.

6 *Eiusdem autem opinio, &c.*

Solui-tur. 1. Priorem quæstionem soluit, explicans quomodo opinio dicatur eiusdem, cuius est scientia; inquit autem opinionem, & scientiam ita esse eiusdem, sicut opinio vera, & falsa dicuntur eiusdem, docet autem opinionem veram, & falsam non esse eiusdem simpliciter, sed aliquo modo, aliqui.n. vt refert 4. Metaph. tex. 21. opinionem veram, & falsam eiusdem rei omnino uolebant esse; dicebant n. veritatem esse in opinione nostra, vt si cibus mihi videtur amarus, verè est amarus licèt si dulcis, & unumquodque tale verè esse, quale videtur: hi eandem opinionem faciebant illius, quod erat, & quod nō erat; propterea istis multa accidunt inconuenientia, & præter alia multa hoc vnum accidit nempe quod non erit opinio falsa, cum id verum sit, quod videtur secundum eos.

7 *Quoniam autem idem multipliciter dicitur, &c.*

Dum dixisset ita esse eiusdem scientiam, & opinionem, sicut opinionem veram, & opinionem falsam, explicat quomodo vera, & falsa sit eiusdem, & dicit multipliciter dici eiusdem, & vno modo est verum opinionem veram, & falsam esse eiusdem, & altero modo non est verum v. g. quod diameter si commensurabilis non est vera opinio, sed opinio est falsa; quòd verò non sit commensurabilis, est vera opinio: opinio igitur vera, & falsa est eiusdem, nempe subiecti, vt puta de eadem diametro; nō tamen est prorsus eiusdem rationis. i. secundum idem prædicatū, nam vera dicit non esse commensurabilem; falsa verò dicit esse commensurabilem, non igitur sunt prorsus eiusdem.

Consimiliter autem, & scientia, & opinio eiusdem est, &c. 8

Applicat similitudinem, opinio enim, & scientia eiusdem sunt, sed eiusdem subiecti, non tamen eiusdem rationis, vt de animali eodem est opinio, & scientia, sed scientia dicit quòd non possit aliter se habere, opinio verò quod aliter se habere contingat, vt si de homine scientia dicat aliquid, nempe esse risibilem, opinio verò esse album, de quo vtraque dicit, idem est puta homo, quod vtraque dicit, non idem est, sunt ergo de eodem subiecto, sed non secundum idem.

Manifestum autem ex his est, &c. 9

Infert nullum posse simul opinari, & scire idem omnino, id est eandem propositionem, nam tunc existimaret simul idem posse aliter se habere, & non posse aliter se habere, quod impossibile est: in diuersis hominibus poterit id esse, vel secundum diuersa prædicata, tñ in eodem impossibile est eiusdem omnino; simul .n. existimaret hominē esse animal, & esse non aīal, esse animal per scientiam, quia non contingit non esse aīal, esse non animal per opinionem, quæ dicit posse esse non animal, vnde simul essent non posse esse non aīal, & posse esse non animal: literam sic lege (opinionem haberet, i. assensum, quòd homo esset secundum quod est animal, & secundum, quòd non est animal, idest quod esset animal, & non animal.) hoc enim fuerit non contingere esse non animal per scientiam, hoc quidem contingere, scilicet esse non animal per opinionem: & nota valde hanc expositionem nostram.

Tandem excusat se a tractandis alijs habitibus, quæ potius ad Physicam, & Moralem spectant, qualis est intellectus, qui est cognitio mediorum per discursum, sub qua sunt scientia, sapientia, ars, & prudentia; scientia cognitio per causam; sapientia cognitio per causas supremas; prudentia recta ratio agibilium; ars recta ratio factibilium, de quibus uide 6. Ethic. cap. 3.

Dubia quædam circa hoc caput 26.

Circa hoc caput dubia tria sunt, primum est an opinabile sit scibile; alterum an eius- Tria dubia.

sit scientia possit esse opinio uera; tertium an eiusdem possint in eodem simul esse scientia, & opinio.

Circa primū. Circa primum aduerte, sciētiam hæc duo intrinsecè habere, & quod sit clarus assensus, nēpe ex rei notitijs proprij genitus, & quod non possit aliter se habere, sed sit necessaria; hoc aūt, nō posse aliter se habere, est triplex, primū ex parte rei quæ scitur, hæc.n. non potest aliter se habere, quàm sicut scitur; secundū ex parte cognoscentis, quod qui scit, existimet rem aliter se habere non posse; tertiū ex parte medij, & viæ sciendi; quod sit talis, vt secundū eam deceptio fieri non possit; vt cum per demonstrationem procedimus:

Hoc triplex necessariū inest essentialiter sciētiæ, ita vt si aliquod desit non sit scientia.

Fidei etiā nostræ Christianæ triplex hoc necessarium inest, cum res non possit aliter se habere, & nos ita credimus, & medium sit firmissimum, nempe diuina authoritas; hoc deficit à scientia, quia obscura est fides, nec rem ipsam in se videmus.

Sed opinio erit si aliquid horū desit, vnde si res nō est necessaria, eius est opinio dūmodo sit obscura cognitio: cum enim res contingentes sensu percipimus, non fit opinio. Secundo si res quidem est necessaria, sed non existimatur necessaria, sed posse aliter se habere, eius est opinio. Tertio quamuis res sit necessaria, & existimetur necessaria, sed tamen via cognoscendi non est certa, ut cum id authoritate humana uel medio topico habemus.

Triplex est opinabile. Vnde triplex est opinabile, opinable secundum se, nempe quod aliter in se potest esse, & de hoc loquitur in principio, & fine capitis, quod scilicet non est necessarium. Aliud est opinabile secundum existamationem, nempe quod cum sit necessarium, existimatur, aliter se habere posse. Tertium ratione medij, quod cum sit necessarium, & existimetur necessarium, via cognoscendi non est necessaria: de secundo opinabili loquitur in solutione posterioris dubij Arist.

Hoc supposito, dico opinabile primo modo non esse scibile, quia vt in fine capitis dicitur, vnum est necessarium, alterum non necessarium, loquimur autem hic non de subiectis tantum, quorum est opinio, & scientia, nam dictum est idem esse scibile, & opinabile, sed de propositionibus, quarum proximè est opinio, & scientia.

Dico secundo, opinabile secundo modo, & tertio posse esse scibile: potest enim esse quod id, quod in nostra existimatione non est necessarium, uel ratione medij, sit necessarium, & ab alio scitum.

Opinio enim aliquando fit ex principijs necessarijs, cum non est nota consequentia nobis; tunc enim rem necessariam, non tanquam necessariam existimamus: aliquando ex principijs probabilibus procedit, aliquando immediatè ex terminis, vt omnis mater diligit filium suum.

Circa secundū dubium. Circa secundum dubium notum est opinionem primo modo, & scientiam non posse esse eiusdem, quia opinio primo modo est de contingenti, similiter notum est opinionem tertio modo ueram, & scientiam esse posse eiusdem propositionis, quod enim qs verè scit, hoc alius medio topico verè opinari potest, at de opinione tertio modo est dubium, propterea dico, quod opinio secundo modo potest esse duplex, quædam qua rem opinamur positiuè, existimantes non esse necessariam, & aliter se habere posse, & hæc impossibile est quod sit vera de re scibili, nā si res est scibilis, est necessaria, erit igitur falsa opinio qua aliter se habere posse existimatur; & de hac loquitur Arist. in solutione posteriori: quædam alia est, qua rem necessariam, & per rationem necessariam cognoscimus, non tamen existimantes non posse aliter se habere, sed solum cognoscentes ut ueram, & hæc opinio vera potest esse eiusdem conclusionis, cuius est scientia, & de tali opinione non loquitur Aristo. sed de priori, & hæc contemplare.

Circa tertium dubiū. Circa tertium dubium, dico scientiam, & opinionem illo modo quo diximus, nimirū secundum quam existimamus rem posse aliter se habere, non posse esse eiusdem in eodem homine, sicut nec opinio uera, & falsa simul sunt, in diuersis tamen possunt esse, ut dicit Arist. dico secundo opinionem alteram secundum quam tantum rem veram existimamus, non esse cum scientia in eodem, nā per scientiam oportet existimare rem aliter se habere non posse: dico tertio opinionem tertio modo non manere cum scientia, nam illa est obscura, scientia uerò clara notitia, vnde quando ad conclusionem scitam media topica adducuntur, non generant illius opinionem.

nionem, sed scientiam confirmant, & corroborant. atque hæc de capite uigesimosexto.

De Solertia.

CAP. XXVII.

*Solertia verò est bona quædam coniectatio in non perspecto tempore medij, veluti si quispiam videns, quod luna splendorem semper habet ad Solem, celeriter excogitauit propter quid hoc, quoniam propter id, quod splendescit a Sole: aut * disputantem cum diuite nouit, quoniam fœneratur, aut propter quid amici sunt? quoniam inimici eiusdem.*

*Argi. si uiso paupere diuitem adeunte hoc illũ propterea facere, quod mutuo argentũ accipit intellexerit.

2 *Omnes enim causas medias videns summas cognouit: splendidum esse ad Solem sit in quo A. splendere a Sole, in quo B. Luna, C. inest itaque Lunæ quidem ipsi C. ipsum B. splendere a Sole, ipsi autem B. ipsum A. ad hoc esse splendidum, a quo splendet: quare & ipsi C. inest ipsum A. per B.*

1 *Solertia vero est, &c.*

A Solertia scientiam distinguit, explicando quid ipsa sit, solertia est promptitudo, seu subtilitas inueniendi medium, & causam non perspecto tempore, idest citissime; quoties enim aliquid offertur, cito inuenire medium, & causam illius cognoscendi, uel faciendi, solertiæ est; unde tam in practicis, quàm speculatiuis inuenitur: ponit huius tria exempla: primum si aliquis uidens lunam, quando uersus solem est, magis splẽdidam esse, statim cogitat lunam illuminari a sole, solertia est, qua causa inuenitur.

Secundum exemplum non ab omnibus eodem modo exponitur, quamuis omnis sensus sit uerus: aliqui sic dicunt, si aliquis uiso paupere diuitem adeunte, coniiciat id esse, ut accipiat mutua pecunias, ut exponit Argiro. alij sic, si aliquis uiso paupere cum diuite disputante, & altercante, coniiciat id esse, quia debet diuiti aliquid, quod diues exigit, ita uidetur Boet. exponere, & S. Tho. at melius est cum Them. sic exponere, si uiso paupere cum nũmulario colloquente coniiciat, quod diues ei fœneratur, parum autem refert sic, uel aliter exponere, cum sermo Græcus has omnes expositiones admittat.

Tertium exemplum, si quis uisis aliquibus simul amicis, coniicit alicuius esse inimicos, cũ amicus sit inimicus amici inimico.

Omnes enim causas medias, &c. 2

Aliter à multis hic textus exponitur, quã sit Aristot. sensus; dicunt enim quod solers cognoscit vltimas causas intermedijs uisis; qui sensus est ualde obscurus, & nescio an falsus.

Propterea dico cum Philop. hunc esse sensum, quod solers per vltima. i. per passiones, & effectus, & subiecta, cognoscit causam, quæ medium demonstrationis est, quod exẽplo ostendit: nam per splendorem uersus solem, quod est posterius, cognouit illuminari à sole, quod est medium, & reducit ad syllogismum, in quo id pateat, sic; omne quod illuminatur a sole, splendet uersus solem: Hæc demonstratio est, & describitur literis, omne B. est A. omne C. est B. ergo omne C. est A.

Per B. illuminari a sole, quod medium est intelligitur; per A. splendere uersus solẽ, quod est maius extremum; luna per C. quod est minus; sunt enim hæc duo extrema inter quæ est illud medium.

Finis primi Libri Posteriorum.

SECVNDI LIBRI POSTERIORVM ANALYTICORVM ENARRATIO.

Quod Arist. institutum in hoc libro.

QVOD in hoc secundo libro Aristotelis institutum sit, non omnes eodem modo exponūt Alex. enim sequens Theophrastum dicit hic agi de altero modo sciendi, qui definitio est: cum enim duo sint modi sciendi, demonstratio,& definitio, & hucusque de priori satis dictum sit, nunc de definitione disseritur: quam etiam sententiam sequitur Auer. & Lincon. & aliqui moderni, ut diximus in principio Primi Libri.

At Simplic. Philop. Eustrat. & Alb. hic de medio demonstrationis tractari asserunt. cum enim ut dicitur 1. Prior. c. 28. non satis sit structuram syllogismorum cognoscere, sed habere oporteat potestatem eos faciendi, quæ contingit per medij inuentionem, ac demonstratio quidam syllogismus sit, oportuit, ut non tantum demōstrationis compositionem traderet Arist. sed facultatem componendi, quod fit per medij demonstratiui inuentionem, hocq; in hoc secundo libro fit. Quia vero definitio est unum ex medijs & potissimum, de definitione hic disseritur, sed per accidens ut medium est. Atque hæc sententia est quam nos superius sequuti sumus, & eandem modo confirmamus.

Sanctus Thomas non de medio tantum, sed de principio demonstrationis, tam complexo, quàm incomplexo hic disputari affirmat, motus propter Caput vltimum, in quo de complexis est sermo, sed ista sententia non placet nobis, nam de principijs complexis satis dictum est; nec illud caput huic libro continuatur, ut uidere est in fine antecedentis, quamuis hæc sententia probabilis sit.

ARISTOTELIS POSTERIORVM RESOLVTORIORVM,

LIBER SECVNDVS.

SVMMA LIBRI.

De quatuor medijs quęſitis, ſi eſt, quid eſt, quod, ſeu quia eſt, & propter quid. Quomodo quid eſt monſtretur, ac ad demonſtrationem ſe habeat. Definitionem eſſe per cauſam. De diuiſione cauſarum, & quæ mutuo concurrant, & quæ non; & quomodo illarum poſſit eſſe demonſtratio. De compoſitione definitionis ex ſuis partibus, & quando ſunt ignotæ quo pacto venentur. Pariter quomodo cauſæ venentur. Poſtremo de cognitione, & differentia principiorum indemonſtrabilium.

In diſciplinis quatuor quæri ſolent, & hæc omnia medij quæſita ſunt: Et quid ſit huius libri propoſitum:

CAPVT. I.

1 *QVæ quæruntur ſunt æqualia numero ijs, quæcunque ſcimus:*
2 *Quęrimus autẽ quatuor, quod, propter quid, ſi eſt, quid eſt: cum enim vtrum hoc, aut hoc inſit quærimus in numerum ponentes: velut vtrum deficit Sol, aut non, ipſum quod quęrimus. Signum autem huius, cum enim inuenimus quod deficit, ceſſauimus, & ſi à principio ſciremus quod deficit, non quæreremus vtrum: cùm autem ſcimus ipſum quod, tunc ipſum propter quid quærimus, vt ſcientes quod deficit, & quod mouetur terra, propter quid deficit, aut propter quid mouetur. Quærimus autem hæc quidem ſic; Nonnulla verò alio modo quærimus, vt ſi eſt, aut non eſt centaurus, aut Deus. Si autem eſt, aut non ſimpliciter dico, ſed non ſi albus eſt, aut non.* 2 *Cum verò cognouerimus, quòd eſt, quid eſt quærimus, vt quod igitur eſt Deus, aut quid eſt homo? Quæ quidem igitur quærimus, & quæ cum inuenimus ſcimus, hæc, & tot ſunt.*

Quę quęruntur ſunt ęqualia numero. 1

ARiſtoteles de medio diſputaturus probare intendit omnem q̃onem, quæ fit, alicuius eſſe medij, hoc eſt medium petere, vt inde innoteſcat magnam ſcientiæ partem conſiſtere in medij cognitione, cum quælibet quæſtio medij reſponſione abſoluatur: præmittit tñ in hoc capite breuiſſimo quæſtionum numerũ, & diſtinctionem, ac ſtatuit concluſionem, tot eſſe numero quæſtiones,

quot sunt ea, quæ scimus, & cognoscimus: non.n. hic de scientia propriè loquitur, sed largè, pro cognitione intellectus vera præsertim necessariorum; siue sit cognitio simplex; siue composita per causam, uel sine causa.

Not. 1. Aduerte autem, quod grecè non habetur vocabulum, quæstiones, sed ζητούμενα, idest quæsita, nec est multum discrimmis; quæsita enim dicuntur res ipsæ quas quærimus, & de quibus dubitamus; quæstiones vero dicuntur res eædem, secundum formam dubitationis, & interrogationis, voce, aut conceptu significatæ, & ordinatæ: talia quæsita, postquam iam cognita sunt, dicuntur uel scita, uel inuenta, inuenta quidem si proprio ingenio, siue doctrina alterius cōperta sint.

Not. 2. Aduerte præterea ex Philopon. quod licet omnia quæsita sint scita, non tamen omnia quæ sciuntur quæruntur, sed solum quæ naturaliter nō sunt nota: principia enim per se nota, & dignitates non quæruntur, at verò sciuntur, ac ideo dicit Auerr. hic esse sermonem de scientia earum rerum, quæ non sunt nobis naturaliter notæ.

Not. 3. Aduerte etiam ex Philop. cum audis, tot esse quæ quæruntur quot ea quæ sciuntur, non existimes, simul quæri, & simul sciri, sed sensus est, tot esse ea quæ quærūtur quot ea quæ post quæstionem sciuntur, imò idē re est quod quæritur, & scitur, quamuis ratione discrepent: quæro enim an luna deficiat, & idem postea scio.

Quærimus autem quatuor, &c.

Quis sit qōnum numer'. Cum posuisset quæstiones tot esse quot scientias, nunc clarius numerum quæstionum ponit; docetque quatuor esse quæstiones, quas exemplis explicat.

1. Qō. Prima est, quia est in numerus ponens, i. cū qualis res sit petimus, vt an luna deficiat, an terra moueatur: dicitur hæc in numerum ponēs, quia est de duplici extremo, subiecto, nempe, & prædicato per verbum, Est, ut an luna sit deficiens: addit autem hoc, nempe, quod in numerum ponat, ad differentiam illius, quæ petit esse rei tantum, ut dicemus.

Not. 1. Adducit autem quoddam signum ad manifestandum talem quæstionem petere qualis res sit; si enim uis cognoscere, quod qui petit an luna deficiat, talem rem petat, utere signo hoc, nempe si postquam responsum sibi facit, quæstio illa cesset; hoc autem ita est, si enim cognoscit lunam deficere, iam id non interrogat, & si prius sciret, non interrogaret: & aduerte hoc signum esse applicandum reliquis quæstionibus; illæ enim quæstiones petunt, quibus scitis, & cognitis pausant, idest cessat, & absoluuntur.

Not. 2. In quo etiā signo nota, qūo scētia absoluit qōnem, & uaria sciētia uariā quęstionem, cū tot sint quęstiones genere, quot ipsę scientię.

2. Qō. Altera est quæstio, propter quid, hęc enim sequitur primam, postquam enim qualis sit quærimus, ut propter quod luna deficit; propter quid terra non mouetur.

Quærimus autem hęc quidem sit, &c.

3. Qō. Duabus quæstionibus, quæ de complexis erant, & in numerum ponebat, explicatis inquit, alias duas esse aliter se habentes; sunt

4. Qō. enim de re, dissimili; quarum altera est, an sit res: non dico, an sit aliquid, ut an hō sit albus, uel calidus, sed an sit simpliciter, i. tantum an sit, ut an Deus sit, an sit Centaurus, simpliciter negatiuè, an non sit: post hanc altera est, quid sit, ut quid sit Deus: concludit tot esse quæsita quot scita, & inuenta, loquitur de inuentiua scientia, quæ nobilior est, quamuis id uerum sit de scitis per doctrinā.

Primū Dubiū de ordine quæstionū.

Circa hæc dubitabis primo de ordine harum quæstionum; nam prima omnium uidetur an sit, postea quid sit: scientiæ.n. sic ordinantur: non enim quid sit cognoscimus, nisi cognouerimus, quod sit, postea reliqua petimus. Simpl. respondet idesse factū, quia à nobis notioribus processit, notiora autem nobis sunt compositiora, est autem magis composita quæstio, qualis res sit, quam an sit; sed hæc ratio non uidetur admodum conueniens, nam ob hanc causam sequeretur quod à propter quid haberet incipere.

Not. pro solutione dubij. Propterea dico, & est hoc notandum, quod non de omnibus petimus an sit, sed de rebus, quæ sensibus non subijciuntur; quæ enim sensu percipiuntur, nullus petit an sint, ut dicitur. 2. Post. cap. 8. quęstio igitur, quæ prima occurrit in sensibilibus ferè est qualis sit, & propter quid; cum autem sensibilia primo à nobis cognoscantur (notior enim est nobis res sensu præcepta) fit ut quæstio prima non sit an sit, sed qualis sit, de illis enim non est quæstio an sit.

Ari-

Aristoteles ergo voluit incipere a quæstionibus quæ nobis occurrunt primo, de his.n. quæ a sensu remota sunt petimus an sint, & hæc posterius cognoscuntur, & hoc indicat Arist. dicens, quæ iam alio modo cognoscuntur, & assignat exempla de remotis a sensu.

Dubiũ. Dices, nonne quæstio, quid est, fit de sensibilibus? Solut. Dico fieri quidem, tñ quia est simplex, & coniuncta cum an sit, postposita est, sicut an sit: hinc habes quod si de eadem re istæ quæstiones fiant, ordine hoc procedere debent, ut prima an sit; secunda quid sit; tertia qualis; quarta propter quid sit.

Ordo q̃stionum quando de eadẽ re fiunt.

Secundum dubium de numero quæstionum.

Dubitabis secundo de numero quæstionum, nam uidentur esse plures, cum sint quatuor genera problematum. 1. Topic. Simpli. tradit hanc sufficientiam harum quæstionũ: omnis quæstio aut fit essentiæ, aut causæ: si essentiæ, aut essentiæ simplicis, & est an sit; aut compositæ, & est qualis res sit; causæ, aut simplicis, & est quid est, aut compositæ rei, & est propter quid.

Possumus nos etiam aliter dicere, nam in scientijs hęc sunt, aut subiecta, aut passiones, aut causæ: de subiecto, est quid; de passione, quale; de causa propter quid; & quando subiectum non habet quid, nec reliqua, faciunt quale, aut propter quid; & nisi entia sint, ante omnia petitur, an sit.

Soluitur dubiũ. Et aduerte quod hic de quæstionibus rerum est sermo, nam ante omnia supponenda est uocabulorum significatio.

Ad dubium igitur respondetur tantum has esse quæstiones, nam quamuis illa sint quatuor problematum genera, idest ẽm formam logicam considerando, secundum quã aliud prædicatum est genus aliud proprium, tamen secundum rem sub prima quæstione sunt, & ita respondet Themist. hoc secundo capite, & idem D. Tho. & Auerr. & Philop.

Tertium dubium de diuersitate quæstionum.

Dubitabis de diuersitate harum, dico esse duplex discrimen: alterum, duæ ultimæ sunt simplices, duæ priores compositæ: alterum duæ. an est, & qualis est, sunt præsuppositæ, & antecedens, nam an est, est ante quid est, qualis est, ante propter quid, reliquæ duæ consequentes, & præsupponentes, propter quid præsupponit quale, & quid præsupponit an est, quamuis in eadem re tres præsupponant an est, & compositæ simplices.

Quòd omnis quæstio sit medijs. Cap. II.

Quærimus autem cum quærimus quod, aut si est simpliciter, an est medium ipsius, aut non est? quando autem cognoscentes aut quod, aut si est, aut quod in parte, aut simpliciter, rursus ipsum propter quid quærimus, aut quid est, & tunc quærimus, quid est medium.

Dico autem quod, aut si est in parte, & simpliciter, in parte quidem, an deficit Luna, aut augetur? si enim est aliquid, aut non est aliquid in talibus quærimus, simpliciter vero si est aut non est Luna, aut nox.

Contingit itaque in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est medium, causa.n. est medium in omnibus namq; hoc quæritur, an ne deficit? an ne est aliqua causa, aut non? post hæc, cum cognouerimus quod est aliqua, quid igitur est hæc, quærimus.

Causa enim est quod sit non hoc aut illud; sed simpliciter substantia, aut non simpliciter, sed aliquid eorum, quæ per se, aut secundum accidens sunt, medium est: dico autem simpliciter quidem subiectum, vt Lunam, aut Terram, aut Solem, aut triangulum, ipsum vero quid defectum, æqualitatem, inæqualitatem, si in medio, aut non: in omnibus namque his manifestum est, quod idem est quid est, & propter quid est.

4 *Vt quid est defectus? priuatio luminis à Luna propter terræ obiectionem; propter quid est defectus? aut propter quid deficit Luna? eo quod deficit lumen terra obiecta. Quid est consonantia? ratio numerorum in acuto, & graui; propter quid consonat acutũ graui? eo quod rationem habent numerorum acutum, & graue; nunquid est consonare acutum, & graue? nunquid est in numeris ratio ipsorum? cum autem acceperimus, quid est, quæ igitur est ratio, quærimus.*

5 *Quod autem est medij quæstio, significant quorumcunque medium est sensibile: quærimus enim cum non sensimus, veluti de ecclipsi si est, aut non: si uero essemus supra Lunam, non vtique quæreremus neque si sit neq; propter quid, sed simul vtique manifestum esset: ex eo enim quod sentitur, & vniuersale nobis factum est scire, sensus namque est, quod nunc obijcitur: manifestum enim est quod nunc deficit: ex hoc autem factum utique fuit vniuersale.*

6 *Quemadmodũ igitur dicimus, quid est scire, idem est, & propter quid est, hoc uero simpliciter, & non in existentium alicui, aut in existentium, vt quod duo recti sunt, aut quod maius, aut minus est. Quod igitur omnia, quæ queruntur, est medij questio, planum.*

1 1 *Quærimus autem, cum quærimus quod est, &c.*

Numero quæstionum exposito oẽm questionem medij esse contendit, idq; tripliciter ostendit, primo inductione quadã per ipsas quæstiones, vt notat Simpl. nam in questione qualis res sit, ibi quæ causa sit petimus, in questione vero an sit simpliciter, causam etiã petimus, in reliquis duabus notum id est.

Quid vocet Aristot. Circa hoc aduerte, mediũ vocari causam, per quam aliquid alteri competere, vel non cõpetere probatur, hæc autem in omni quæstione petitur sed non eodem modo: nam in quæstione quid sit, peto causam idest naturam rei, quæ est in potentia medium, ut notat bene Eustra. qui enim petit naturam rei, petit medium in potentia ad probandum aliquid de ipsa re, ut per definitionem hominis probamus de ipso risibile: uel ad probandam ipsam rem de alio, ut per definitionem ecclipsis ipsam de Luna probamus, dicitur autem medium in potentia, quia id quod petimus non assumitur pro medio ad probandum ipsam rem esse: non enim ut dicit Eustrat. per animal rationale demonstratur hominem esse, cum non sit demonstratio, animal rationale est, homo est animal rationale, ergo homo est, sed dicitur definitio medium, quia potest assumi ad probandum aliquid de ipsa re, uel ipsam de aliquo. mediũ prin. not.

In quæstione vero propter quid, peto causam, quæ est medium actu, nempe quæ assumitur ad probandum id de quo petitur, tamen in vtraque tam quid est, quam propter quid est quæstione, petitur distincte, & formaliter causa, non sic in alijs quæstionibus duabus, nam an sit confuse petit causam, & similiter qualis res sit.

Pro quo aduerte secundo, quod cum petitur an res sit, non petitur aliud re, quàm per quid est, nam dicere an sit, & quod sit res est asserere esse aliquam naturam vnam ex his, quæ in prædicamentis sunt, sed confuse, & vniuersaliter: cum vero petitur, quid est, est petere quæ res sit illa in particulari, & distincte, vnde non differunt in quesito quantum ad rem, sed quantum ad rationem, & modum, an sit, & quid sit. 2. Not.

Idem dicendum de alijs duabus: petere enim, qualis sit, idest an sol deficiat, est petere an sit aliquod per medium, sed hoc virtualiter, & in confuso petitur, postea in particulari petitur propter quod medium sit: nam re vera, qui quærit, medium petit, quo cognoscat, cum quæsitum sit dubitabile, & dubitabile sine medio non cognoscatur.

Ex quibus fit, cum an sit, & quia sit realiter idem petant, quod quid est, & an est; atque hæ duæ petant causam, & medium, quod omnis quæstio est medij, & causæ, virtualiter aut formaliter.

Dico autem quod aut si est, &c. 2

Præcedentes terminos explicat, qui sunt isti,

isti, an sit in parte, an sit simpliciter, quia est in parte, quia est simpliciter. Per an sit in parte, uel quia est in parte intelligit quæstionem compositam ex prædicato de tertio adiacente, ut an Luna deficiat. Per an sit simpliciter, uel quia est simpliciter intelligit simplicem quæstionem de secundo adiacente, ut an Luna sit, an nox sit, ex quibus omnibus concludit intentum, omnem scilicet quæstionem esse medij.

3 *Causa enim est, &c.*

Iuxta Eustrat. & Simpli. & alios idem iterum probat ratione syllogistica; quæ talis est: causa quæritur in omni quæstione, medium est causa, medium ergo quæritur in omni quæstione: maiorem probat exemplo, in quæstione qualis res est; qui enim dicit an Luna deficiat, petit, uirtualiter tamen, an sit huius aliqua causa, quam postea distinctam petit, cum propter quid quærit: minorem probat, nam causa quæ est ipsius esse non huius, aut illius, sed simpliciter substantiæ, aut causa eorum, quæ sunt per se, vel secundum accidens, medium est: sensus est, ut quidam uolunt, causa esse non hoc, uel hoc, sed simpliciter, idest causa esse simplicis de secundo adiacente, & esse aliquid eorum, quæ sunt per se, idest causa esse compositi, ut dictum est, ita exponit Aegid. & Philop. At uerò Eustrat. sic exponit; causa subiecti, quod uocat substantia, aut causa ipsius prędicati medium est, quod postea exemplis explicat, quorum aliqua sunt subiecta, aliqua prædicata.

Ista est communis loci explicatio, quamuis, iudicio meo, uideatur magis forsan ad rem dicendum, non solum Arist. intendere idem quod in ratione præcedenti, sed ostendere quod omnis quæstio est ipsius quid est; hoc autem probat monstrando propter quid, quod in quæstione composita petitur esse idem quod quid est, nam quid est passionis, aut subiecti est ipsum propter quid, & medium.

Vnde quando quid, propter quid uocat idem intellige, ut dicit Eustrat. esse idem subiecto non ratione; nam eadem definitio subiecti, uel passionis, quæ dicitur quid, est etiã propter quid, sed est quid respectu solius ipsius cuius definitio est, est propter quid, ad id cuius est definitio cum ipsam de alio probamus, uel per eam aliquid de alio probatur: atque ita dicit Philop.

Vt quid est defectus? priuatio luminis, &c. 4

Exemplis explicat re idem esse, & quid, & propter quid, cum id, quod est quid unius extremi, sit propter quid etiam in demonstratione; primum exemplum, si petas, quid est ecclypsis? dicitur priuatio luminis ex obiectione terræ, si uerò petas, propter quod Luna patiatur ecclypsim; idem respondebitur propter obiectionem terræ priuantem lumen ipsius.

Alterum exemplum, quid est consonantia? dicetur proportio rationalis, seu numerica acuti, & grauis? si rursus petas, propter quid acutum, & graue consonant? respondebitur per idem, quia rationalem habent proportionem: postea subiungit, cum quęrimus utrum graue, & acutum consonent, ibi utrũ proportionem numerorum habeant quærimus, uirtualiter tamen, nam concesso quod consonent, statim distinctè quæ nam sit illa ratio, & proportio quærimus, cum quærimus propter quid consonent, ut dictum est superius.

Quod autem est medij quæstio, &c. 5

Tertio probat omnem quæstionem esse medij ex sensu ipso, cum res sensibiles sunt; ratio autem ista est, uiso medio cessat omnis quæstio, ergo signum est omnem quæstionẽ esse medij: antecedens patet, si aliquis non uidet ecclypsim, dubitat an sit, quid sit, & reliqua: at si super Lunam constitueretur, & uideret terræ obiectionem omnia ista cognosceret, ergo cognitione medij cessat omnis quæstio, tunc enim uideret priuationem luminis Lunæ ex obiectione terræ, & sic quia ecclypsis, & quod Lunæ insit, & propter quid cognosceret; At posses obijcere Aristo. nam sentire non est scire, ut dictum est lib. 1. cap. 24 respondet huic, uerum esse quod sentire non est scire, sed ex sensu luminis scientiã abstrahendo uniuersale à singulari, & ita talis sensatio non esset scientia, sed ex illa fieret scientia, sed intellectu.

Quemadmodũ igitur diximus, &c. 6

Concludit idem esse quid, propter quid

siue

siue sit in quæstione simplici, siue in composita, ut aliqui exponunt illa uerba (at secundum Eustr.) sensus est idem esse quid, & propter quid, siue subiecti, quod vocat esse simpliciter, siue passionis cuius exempla ponit: tandem concludit ex his omnibus omnem quæstionem esse medij, ut explicatum est.

Primum dubiũ de quæstione an est.

Dubitatur, quõ demonstretur rem esse, ut Deum esse, Angelum esse naturali uia: ratio dubij est, nam demonstratio supponit suum subiectum esse, non ergo demonstrare poterit rem esse: præterea quia cum tale subiectũ debeat in minori poni, petitur principium, dum supponimus esse quod probandum erat esse. In primis aduerte quando petimus an res sit non petimus actualem rei essentiam, sed aptitudinem, ita ut res dicatur esse, quæ in suis causis existit, & sunt in rerum natura principia illius productiua. Circa dubium verò Philop. dicit hic per definitionem probari rem esse, quam etiam opinionem sectantur doctores Parisienses dicentes sic hominem esse demonstrari, omne animal rationale est, homo est animal rationale, ergo homo est. Eustra. uerò docet hanc rationem positam nullam esse, cum principium petat.

Primũ Fund.

At uerò diligenter aduerte quatuor esse genera mediorum ad probandum rem esse, primum effectus, sicut per uisibiles effectus indagamus ea quæ non uidemus. Alterum est causa finalis, per finem enim probamus ea esse, quæ sunt ad finem, vt probamus cibum esse ubique animalibus, quia viuunt: tertium est materialis causa: quartum efficiens, ut probamus pluuias esse, quia uapores ascendentes sunt, qui sunt earum materia: probamus tonitrua esse, quia extinctio ignis in nube est, quæ est ipsorum efficiens: at per formam rei non demonstratur, quia cum sit eadem cum natura rei, & simul existat, petitur principium, dum eam sumimus ad probandum; cum igitur a singulis causarum generibus singula sumantur definitionum genera, poterit medium demonstrandæ rei esse definitio aliqua, sed non formalis, qualis est illa, quæ per genus, & differẽtiam datur, quam aliqui identicam uocant, & in hoc bene dixit Eustra.

Quatuor genera mediorum ad probandum rẽ esse.

Dices, quo syllogismo rem esse demonstrabitur? dico, & aduerte, quod sicut quæstio, quid est, præsupponit an est, ita an est, præsupponit quid nomen significat, ut dicit Lincon.

Obiect. Solut.

Ante omnia igitur, & antequam medium aliquod petatur, est sumenda significatio uocabuli, quam tenetur dare qui negat rem esse, & tunc poterimus syllogismo hypotetico probare sic, si ignis extinctio in nube est, tonitrua sunt, sed extinctio est, ergo tonitrua sunt, est enim primo petenda nominis significatio illius, quam illam esse constet; similiter qui petit an Deus sit interrogetur quid per Deum intelligat, dicet substantiam primam mouentem, & gubernantem omnia; tunc, si motus est, Deus est, sed est motus, ergo est Deus: similiter negatiue, quid intelligitur per uacuum, dicet locus carens corpore, tunc, si locus careret corpore, motus esset in instanti, sed hoc non est, ergo uacuum non est, & sic per omnia media supradicta procedet demonstratio. potest etiam fieri demonstratio ostensiua, scilicet: fiunt ex uaporibus pluuiæ, sed sunt uapores, ergo, & pluuiæ.

Nota 1.

Quod si aliud in hoc præter hæc desideras, aduerte in qualibet quæstione an sit, esse virtualiter unam complexam de uno concesso, & de altero quæsito, ut si dicas, an Angelus sit, sensus est an substantia immaterialis sit, datur substantia, & dubitatur an ei insit immateriale; an uacuum sit, idest, an locus carens corpore sit, datur locus petitur an careat corpore, & uniuersaliter in quocunque semper est unum datum, alterum non concessum, sed quæsitum. Quoties ergo talis quæsito affirmatiua, uel negatiua simplex proponitur, reducatur ad complexam, & illam demonstrantes demonstrabimus rem esse, & sic omnis demonstratio supponit subiectum esse, nam in quæstione an sit demonstratio supponit illud subiectum esse quod uirtualiter datum est absque petitione principij, hęc multum obserua.

Nota 2.

Quod demonstratio, & definitio non sit eiusdem. Cap. III.

QVomodo autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, & quorum

icamus

dicamus, cum dubitauerimus primo de ipsis.

Principium uerò sit futurorum, quod est conuenientissimum habitis sermonibus.

2 *Dubitare enim quispiam posset, an ne est idem, & secundum idem definitione scire, & demonstratione an impossibile? definito namque ipsius quid est, esse uidetur, quid est autem omne, vniuersale, & prædicatiuum: syllogismi uerò sunt, hi quidem priuatiui, illi autem non uniuersales, ueluti qui quidem in secunda figura, priuatiui omnes, qui uerò in tertia, non uniuersales.*

3 *Postea neque prædicatiuorum omnium, qui sunt in prima figura, est definitio, vt quod omnis triangulus duobus rectis æquales habet: Huius autem ratio, quoniam scire est demonstratiuè demonstrationem habere: quare, si in talibus est demonstratio, planum quod non esset vtique ipsorum, & definitio, scire enim posset aliquis, & secundum definitionem non habens demonstrationem, nihil enim prohibet non simul habere.*

4 *Sufficiens autem est fides, & ex inductione, nihil enim vnquam definientes nouimus, neque eorum quæ per se insunt, neque accidentium.*

5 *Amplius, si definitio substantiæ quidem cognitio est: talia manifestum quod non sunt substantiæ. Quod igitur non est definitio omnis, cuius & demonstratio planum.*

6 *Quid autem cuius est definitio, an ne omnis est demonstratio, aut non? Vna quidem ratio, & de hoc eadem: vnius enim inquantum vnum, vna est scientia: quare si quidem scire demonstratiuum est demonstrationem habere, continget aliquid impossibile, definitionem namque habens sine demonstratione sciet.*

Amplius principia demonstrationum sunt definitiones, quorum non esse demonstrationes monstratum est prius, aut erunt principia demonstrabilia, & principiorum principia, & hoc in infinitum prodibit, aut primæ definitiones erunt indemonstrabiles. 7

Sed an ne non omnis eiusdem, sed alicuius eiusdem est definitio, & demonstratio, an impossibile sit? non enim est demonstratio cuius definitio, definitio namque ipsius quid est, & substantiæ, definitiones verò apparent omnes supponentes, & accipientes ipsum quid est, ut mathematicæ, quid vnitas, & impar, & aliæ consimiliter. 8

Amplius omnis demonstratio aliquid de aliquo monstrat, vt quod est, aut non est, in definitione verò nihil alterum de altero prædicatur: quemadmodum, neque animal de bipede, neque hoc de animali, neque vtique de plano figura, non enim est planum figura, neque figura planum.

Amplius alterum est quid est, & quod est monstrare, definitio namque quid est significat, demonstratio autem, quod aut est hoc de hoc, aut non est.

Alterius verò altera demonstratio, nisi tanquam pars sit aliqua totius (hoc autem dico, quoniam monstratum est æquicrus duobus rectis æquales habere, si omnis triangulus monstratus fuit) pars enim hoc, illud verò totum est: hæc autem ad inuicem 9

cem non habent sic ipsum quod est, & quid est, non enim est alterius alterum pars.

10 *Manifestum igitur quod neque cuius definitio, huius omnis demonstratio: neque cuius demonstratio, huius omnis definitio: quare omnino eiusdem nullius contingit ambo habere. Manifestum igitur est, quod neque definitio, & demonstratio, neque idem esse possunt, neque alterum in altero, subiecta etenim consimiliter vtique se haberent. Hæc itaque hucusque dubitata sint.*

1 *Quomodo autem quod quid est, &c.*

Quę intentio Arist. & de quibus agit

Cum idem quid, & propter quid esse docuisset, posset quis dubitare idem esse definibile, cuius est quid, & demonstrabile, cuius est propter quid: ob id ad hoc dissuadendũ hoc capite id non esse probat, atque sic simpliciter huius capitis reddit rationem.

Quatuor igitur proponit tractanda in sequẽtibus. Primum quõ quod quid est, id est ipsa rei natura ostendatur de re cuius est. Alterũ, quis modus indictionis, id est reductionis definitionis ad demonstrationem. Tertium, quid definitio, an sit demonstratio, an aliud quid. Vltimum quorum sit definitio.

Dicit autem sumendum esse principium, quod sit accomodatũ rationibus habitis: exponit Philop. & Auerr. per rationes habitas, ea quæ proximè dicentur de definitione, nẽpe tria prima ex his quatuor, nam incipit à quarto, vt dicit Simpl. per habitas etiam rationes intelligit Philop. ea quæ dicta sunt, nempe quod, & propter quid esse eadem.

2 *Dubitare enim quispiam posset, &c.*

Prima quæst.

Circa quartum propositum tres mouet quæstiones, quarum prima est, vtrum idem, & secundum idem, quod demõstratione cognoscitur etiam definitione cognoscatur, idest, an omne demonstrabile sit definibile, & dicit secundum idem: nam, vt notant Themist. & Philop. de eodem subiecto potest esse definitio, & demonstratio, nam de homine, qui definitur, demonstratur risibile, sed non secundum idem: nã homo secundum se definitur, at de eo passiones demonstrantur.

Primũ argum.

Incipit igitur argumentari probando non esse idem, sic, definibile est vniuersale, & affirmatiuũ at quod syllogizatur non omne est vniuersale, & affirmatum, nam in secunda figura non affirmatiuum, in tertia non vniuersale, concluditur, ergo non omne quod est syllogizabile, est definibile. Aduerte, φ quid est vocat vniuersale affirmatiuum, non quod sit propositio secundum se, sed quod cum eo cuius est quod quid, faciat vniuersalem, & affirmatiuam propositionem.

Postea neq; prædicatiuorum. 3

Obiectio.

Posset quis obijcere, saltem demonstrabile affirmatiuũ in prima figura, erit definibile, vt quod oĩs triangulus habet tres angulos æquales duob. rectis: contra hoc replicat, nã demonstrabile scire, est eius habere scientiã, si ergo per definitionẽ sciri & potest, cũ definitio possit esse sine demonstratione, erit scientia demonstrabilis ipsius, & non per demonstrationem, quod est inconueniens.

Sufficiens autem est fides, &c. 4

Secundum argum.

Argumentum secundum est ex inductione, ea.n. quæ alteri insunt, siue per se, siue per accidens non cognoscimus definitione, sed demonstratione, & syllogismo, vt inducendo patet, vocat autem ea, quæ per se, aut per accidens sunt propositiones ipsas, in quibus vnum alteri inest, propositionum autem non est definitio, sed simplicium.

Amplius si definitio substantiæ est. 5

Tertiũ argum.

Tertio idem probat, definitio est substantię, non aũt demõstratio, ergo demonstrabile non est definibile, per substantiã non solũ intelligens id, quod non est accidens, sed quãcunque simplicẽ essentiam, & naturã siue sit substantia, siue accidens, vt notat Philop. essentiam .n. rei definitione, eius verò passiones demonstratione de ipsa cognoscimus.

Quid autem cuius est definitio, &c. 6

Secũda quęstio.

Proponit alteram quæstionem, an omne definibile sit demõstrabile, dato etiam quod non omne demonstrabile est definibile, & probat non omne definibile esse demonstrabile, atque dicit vnam rationem, precedentem esse etiam pro hac quæstione, nempe si

defi-

definibile est demonstrabile, accideret quod sine demonstratione haberemus scientiam demõstrabilis, hoc aũt impossibile est, cum unius ſm quod vnum est, una sit scientia, nempe aut per definitionem, aut demonstrationem: dicit unius ſm unum, quia uti diximus, de vno possunt esse definitio, & demonstratio, & uariæ scientiæ ſm diuersa de illo considerata, sed secundum idem fieri non potest.

7 *Amplius principia demonstrationum, &c.*

Altera rõ est talis, quæ in sensu causali dẽt intelligi, ut bene exponit Themist. sic, principiorum sunt definitiones, sed non demõstrationes, ergo non oẽ definibile est demonstrabile, sed aliquod erit primũ, & immediatum: antecedens, pro priori parte patet, nam subiectorum sunt definitiones, non tñ oĩum demonstrationes, sunt aũt subiecta demonstrationum principia, ut dicitur 1. Poster. c. 25. pro posteriore parte probatur, nam alioquin demonstrationes in infinitum procederent, si semper principia demonstrabilia essent.

8 *Sed an ne non omnis eiusdem, &c.*

3. Qõ. Quæstio tertia est, an saltem alicuius definibilis sit demonstratio, & argumentatur quod non primo omnis definitio est substantiæ, at demonstrationes supponunt quid est, & passiones demonstrant, non ergo ullum definibile est demonstrabile: secundo, demonstratio demonstrat aliquid esse, vel non esse, quod in prædicatione fit, at definitio hoc non ostendit, non enim definitio unam partem de altera prædicat, ut rationale de animali, nec de plano figura.

Hic attende, ne decipiaris, non negatur quod partes definitionis adinuicem possint prædicari, sed quod in definitione non prædicentur, non. n. contingit prædicari, nisi in propositione, at definitio non est propositio: tertio idem probat ex diuersitate quæstionum, ex quibus colligitur diuersitas scibilium, est autem alia quæstio quid, altera quia est, illa definitione, hæc demonstratione terminatur.

9 *Alterius verò altera, &c.*

Posset quis dicere quamuis quid, & quia non sint idem, poterit tamen esse demonstratio una vtriusque, & una ostendendi uia sicut una est demonstratio trianguli, quod habet tres angulos, similiter est Isochelis: ita pariter de composito quia, & de simplici quid est: respondet id esse, cum se habent sicut species, & genus, quæ upcat partem, & totũ, non autem sic se habet id cuius est definitio, & id cuius est demonstratio.

10 *Manifestum igitur, &c.*

Concludit tandem quæstiones quas disputauit epilogando, & similiter docet consequẽter nec definitionem esse demonstrationem, nec unã alterius speciem, cum non sic se habeant definibilia, & demonstrabilia.

Syllogismo duplicante, similiter & per diuisionem confecto, non demonstrari quid est de eo cuius est.

CAP. IIII.

1 *Ipsius verò quid est, est ne syllogismus, & demonstratio, aut non est, quemadmodum nunc ratio supposuit?*

2 *Syllogismus enim aliquid de aliquo monstrat per medium, ipsum verò quid est, & proprium est, & in eo quod quid est prædicatur, hæc autem necesse est conuerti. Si enim A. ipsi C. proprium est, planum quod & ipsi B. & hoc ipsi C. quare omnia adinuicem: verum enimuerò & si A. in eo quod quid est inest omni B. & vniuersaliter B. de omni C. in eo quod quid est dicitur, necesse & A. in eo quod quid est de C. dici. si verò non sic aliquis accipiens duplicans, non necesse erit A. de C. prædicari in eo, quod quid est: sed si A. quidem de B. in eo quod quid est, ipsum uerò B. non de quibuscunque in eo quod quid est, ipsum autem quid est ambo eadem habebunt: erit igitur & B. de C. quod quid est.*

3 *Si itaque ipsum quid est, & ipsum quid erat esse ambo habent, in medio termino erit prius ipsum quid erat*

esse. Et omnino, si est monstrare, quid est homo, sit C. homo, A. vero quid est, siue animal bipes siue aliud quid: si itaque syllogizabitur, necesse est A. de B. omni prædicari, huius autem erit alia ratio media, quare & hoc erit, quid est homo: accipit igitur quod oportet monstrare, namque & B. est quid est homo.

Secūdo Priorum ca. 21. *Oportet autem in duabus propositionibus, & in primis, & immediatis considerare, maximè enim manifestū, quod dicitur fit.*

4 *Qui igitur monstrant per id quod conuertitur, quid est anima, aut quid est homo, aut aliud quodcunque etenim, quod ex principio est petunt, quemadmodum, si aliquis existimaret, & animam esse idem sibi ipsi causam viuendi, hoc autem numerum ipsum seipsum mouentem: necesse est enim petere animam, quod numerum esse ipsum seipsum mouentem sic, ut idem existere.*

5 *Non enim si A. sequitur B. & hoc C. erit A. quod quid erat esse ipsius. C. sed uerum erat dicere, erit * solum, neque si est A. quod quid est, & de B. prædicatur omni, hoc enim quod est animali esse, prædicatur de eo, quod est homini esse: uerum enim est omne homini esse: animali esse, quemadmodum, & omnem hominem animal esse, sed non sic vt vnum sit. Si igitur nō sic acceperit, non syllogizabitur, quod A. & ipsi C. quod quid erat esse, & substantia: si vero ita acceperit, prius erit acceptum C. quod quid erat esse ipsius B. quare non demonstratum fuit, hoc enim in principio accepit.*

* al. l. c. solum.

1 *Ipsius uero quid est, &c.*

In hoc capite incipit quæstionem primā ex quatuor præcedentibus discutere, quomodo nempe quid est possit ostendi de eo, cuius est quid est; intelligit autem per quid est naturam, & essentiam rei, quæ definitione essentiali explicatur, & dubitatur qua uia hoc quid est ostendamus esse quid est talis rei; inquit autem, quòd rationes præcedentis capitis uidentur supposuisse hoc non posse ostendi, quia dictum est definibile nullū esse demonstrabile.

Syllogismus enim aliquid, &c. 2

Incip. probare quòd syllogismo non possit monstrari, ac supponit primo syllogismum omnem probare aliquid de aliquo per medium.

Supponit secundo, quid est esse proprium rei, & eiusdem prędicatum quod ditatiuum, proprium ad differentiam generis, quidditatiuum ad differentiam accidentis proprij; hæc enim duo insunt definitioni.

Tertio supponit, quod cum quid conuertatur cum eo cuius est quid, debet syllogizari per medium etiam conuertibile, ita ut omnes tres termini sint cōuertibiles, cum enim conclusio uniuersalis est ex conuertibilibus, & medium erit pariter conuertibile, ut in literis explicat Arist.

Supponit quarto si debet concludi aliquid tanquam quid est de re, oportere ut utraque præmissa sit secundum quid est, & si A. probandum est esse quid de C oportet ut A. de B. & de C. sit in quid est; & dat huius rationem, nam nisi sic præmissæ sumantur, non erit necesse conclusionem esse in quid est, quasi dicat poterimus quidem concludere quid est per præmissas, quæ non sint secundum quid est, sed tales non ostendent necessario conclusionem esse secundum quid est, nisi sic etiam sumantur.

Circa hoc suppositum, est dubium, an hoc sit intelligendum quod expresse ponatur illa reduplicatio in quid dicendo; omne B. est A. in quod quid est, omne C. est B. etiam in quod quid, ergo omne C. est A. in quod quid: ita uolunt multi, inter quos est Alber. & Aegidius, & talem uocant syllogismum duplantem; & quidem est probabilis opinio, mihi tamen magis placet in hoc Caie. sententia, qui dicit non fieri hanc duplicationem addendo illam particulam, sed re ipsa sumendo tales propositiones, nam sicut demonstratio debet procedere ex causis, Dubiū.

tis, & ex necessarijs, immediatis, & reliquis, tamen non est addenda particula, quæ hoc dicat, ita similiter est hic intelligẽdus Arist. nempe, ut tales propositiones sumantur, quę sint in quod quid est.

Nota literã sic (sed si A. de B. in eo quod quid est, non autem B. in quocunque in eo quod quid est) idest si maior in quid nõ autem minor adde tu, non sequetur conclusio in eo quod quid est. (ipsum autem quid est utraque) idest si utraque est in eo quod quid est, non solum maior, sed C. B. minor, tunc conclusio erit in quid.

3 *Si itaq; ipsum quid est, & ipsum quid erat esse, &c.*

Concludit ex suppositis in tali syllogismo peti principium in medio termino, i. in minori, vt dicit Them. in qua medium de subiecto conclusionis prædicatur, quod medium cum sit quid est ipsius subiecti, petitur principium; vnum enim est quid, & essentia rei unius, licet uarijs possit uocibus explicari, ob id talis essentia, quæ erat probanda, petitur in minori, quod fit manifestum si sumamus duas propositiones immediatas, idest in quibus quid est, semper prædicetur, & in minori, & in maiori.

Hic aduerte, ꝙ non loquimur de definitione quæ per causas externas datur, hæ. n. non dicunt quid, sed propter quid rei tantũ; sermo autem est de quid est, & de definitione explicante tale quid, & in his procedendo principium petitur, vt dictũ est, & hoc nota.

4 *Qui igitur monstrant, &c.*

Reiicit opinionem eorum, qui per duas definitiones quid est dicentes, existimabant se demonstrare posse quid est, nempe unam per alteram, vt de anima sumebant esse id quod à se uitam habet, similiter esse numerum se ipsum mouentem, quæ conuertuntur inter se, & quid animæ dicunt, & per unam alteram probabant. Contra hos Arist. dicit sic etiam peti principium, nam unam illarum oportet petere in præmissis de subiecto, non enim sufficit quod præmissæ sint essentiales, nam etiam genus essentiale est subiecto, sed debẽt esse sicuti definitio, & definitum, quę unum esse sunt, si uerò non sic sint, non concludetur quid, si autem sint sic, petetur iam in præmissis quid unum ipsius animæ, nota similiter hic agi de definitionibus, quæ dicunt quid.

Quod uia diuisionis non posSit demonstrari quid est. Cap. V.

Verum enim vero neque per diuisiones via syllogizat, quẽadmodum in resolutione circa figuas dictum est: nusquam enim necessarium fit rem illam esse, cum hęc sint, sed quemadmodum neque inducens demonstrat, non enim oportet conclusionem interrogare, neque in eo quod datur esse, sed necesse est esse illis existentibus. 1

Etenim si dixerit respondens, An ne homo animal, aut inanimatũ? postea accipiat animal, non syllogizatum fuit rursus omne animal, aut pedestre, aut aquaticum, accipiat pedestre, & hominem esse totum animal pedestre, non necesse est ex dictis, sed accipit & hoc: differt autem nihil in multis, aut paucis ita facere, idem enim est. 2

Non syllogisticus igitur vsus fit ita progredientibus, & ad ea quæ contingit syllogizari: quid enim prohibet hoc verum quidem esse omne de homine, non tamen quid est, neque quod quid erat esse significans? 3

Amplius quid prohibet. aut addere aliquid, aut auferre, aut supregredi substantias? hæc igitur præmittantur quidem. 4

Contingit autem soluere, si qui s accipiat ea, quæ sunt in ipso quid est, omnia, & consequens diuisione faciat petens primum, & nihil derelinquat: hoc autem necessarium, est si omne in diuisionem cadit, & nihil definit, hoc autem necessarium, indiuiduum enim iam oportet esse. Sed syllogismus tamen non est, sed siquidem alio modo cognoscere facit, hoc 5

quidem

quidem nihil absurdum fuit: neque enim inducens forte demonstrat, sed tamen ostendit aliquid.

6 *Syllogismum verò non dicit ex diuisione dicens definitionem, quemadmodum enim in conclusionibus, quæ sunt sine medijs, si quis dicat, quod his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter quid, ita & in diuisibilis definitionibus, quid est homo? animal mortale, habens pedes, bipes, sine pennis propter quid iuxta vnamquamque oppositionem? dicet enim, & monstrabit diuisione, sicut opinatur, quod omne aut mortale, aut immortale est: talis autem oratio tota non est definitio: quare & si demonstretur diuisione, non tamen hæc definitio syllogismus efficitur.*

1 *Verum enim verò neque per diuisiones, &c.*

Probat uia diuisionis non posse probari quid est, de quo etiã dictũ est lib. 1. Prio. cap. 32. quem librũ uocat resolutionẽ circa figuras, eo quod illic syllogismos in tres figuras reducere doceamur: Probat aũt primo quod per diuisionẽ quid est, non ostendatur, sic in diuisione non sequetur necessaria conclusio ex præmissis positis, sed adhuc oportet petere a respondente præter præmissas, ergo nõ est uia necessaria, qualis debet esse ad probandum quid est, conclusio.n. debet sequi ex præmissis necessario, & non debet solum habere ueritatem ex concessione, sed ex præmissis, quamuis respondens nihil det.

Hic aduerte in diuisione, de qua hic est sermo, esse duplicem processum, alter est syllogisticus, in quo diuisum tanquam medium, & coniunctum ex partibus est maius extremum, & una species minus.

Verbi gratia, omne animal est rationale, uel irrationale, omnis homo est animal, ergo est rationalis, uel irrationalis. Alter processus est enthimematicus, in quo ob unius uel plurium partiũ exclusione proceditur ad alterius affirmationẽ, nempe ex conclusione illata, omnis homo est rationalis, uel irrationalis, non irrationalis, ergo rationalis: & uterq; iste processus diuisio uocat in præsenti.

Etenim si dixerit respondens, &c. 2

Probat in tali, conclusionem intentam non sequi: & aduerte quod sunt duæ cõclusiones, altera est ex prædicato complexo, s. omnis homo est rationalis, uel irrationalis, & hæc quidem necessario sequitur ex præmissis, altera est, homo est rationalis, & hæc est intenta, & quæ est in quid est, sed talis non sequitur ex præmissis nisi accedente ulterius concessione respondentis, quod homo non sit irrationalis: Probat igitur Arist. quod petat principium in tribus, primo in genere, cum enim genus sit pars ipsius quid est probandi, petitur interrogando an homo sit animal, nec ne? nam saltem supremum genus est petendum, cum per diuisionem colligi nequeat: secundò petit in differentia, quia præter illas præmissas petit sibi dari hominem non esse irrationalem, similiter supponit non esse plures differentias alias, & in hoc similatur inducenti, ut notat S. Thom. qui supponit sic esse in reliquis singularibus, quæ non inducit, uel illa inducta esse omnia, ac ob id non demonstrat: tertiò petit sibi dari hominem esse totum hoc animal gressibile, bipes, absque ulla coniunctione interposita, hoc enim non probat, quamuis singulæ partes per se probarentur, quia uerò exempla posuerat in bimembri diuisione, dicit patum hoc referre, cum id procedat in multis, sicut in paucis. Not.

Dubitabis, quare definitio debet esse continua, & non interpolata? nota eodem modo se habere compositum Metaphysicum, quod constituitur ex genere, & differentia, & compositum physicum, quod componitur ex materia, & forma; nam differentia est sicut forma, genus ut materia: forma autem unitur materiæ sine aliquo intermedio, quia materia est quoddam ens imperfectum, & inconsumatum, perficiendum, & consumandum per formam: unde sicut medietas literæ alteri mediatè absque medio copulatur, ita forma materiæ, & consequente differentia generi: ex quo fit, ut non dicamus homo est animal, & rationale, sed simul animal rationale, quod totum tali diuisione nullo modo probatur, sed petitur. Dubiũ.

Non

3 *Non syllogisticus igitur, &c.*

Concludit diuisionẽ non concludere quid est syllogizando, immo inquit, nec ea quæ aliàs syllogizari possent, per diuisionẽ syllogizantur, vt quando aliquid accidentale concluditur, cũ semper petatur principium circa numerum partium diuisi, & in petẽdo negationem aliarum partium, vt dictum est, quod idem etiam docuit primo Prior. cap. 31.

4 *Amplius quid prohibet, &c.*

Altero argumento conatur infringere idem, nempe diuisione concludi quid est; argumentum tale est, diuisioni accidunt aliqua ex quibus non potest constare quid est, ergo non est uia certa, & necessaria ad probandum quid est, quia fit diuisio generis aliquando per accidentia, quæ non pertinent ad quid est, aliquando per ultimas differentias prætermittendo intermedias, & tunc ex tali genere, & differentia non fit definitio, non .n. dices, homo est viuens rationale, ut dictum est. Top. quia ablatum est aliquid hominis substantiæ, nempe sensibile: aliqñ fit non perueniendo vsque ad vltimas differentias, & sic definitio non fiet propria definitio, ut si dicas, homo est uiuens sensibile, non ergo est via apta diuisio ad quid est ostendendum. Vis argumenti hæc est, diuisio ipsa non ostendit an differentiæ sint accidentales, an adæquatæ, an vltimæ, nisi aliunde ista probentur, quæ tamen sunt necessaria, vt ostendatur quid est; non ergo est via apta ad id ostendendum, & probandum.

5 *Contingit autem soluere, &c.*

Posset aliquis dicere argumentum hoc solui, si sumamus diuisionem per mẽbra essentialia, & consequenter se habentia, i. adæquata, & descendendo vsque ad ultimam speciẽ, in tali diuisione, qui est ostenditur; hoc excludit Arist. dicens, adhuc non syllogizari quid est, propter id quod dictum est in argumento primo, est tamen via quædam bona pro manifestando quid est, sed non via syllogistica, sicut inductio manifestat aliquid nempe vniuersale, sed non syllogizandi uia.

6 *Syllogismum vero non dicit ex diuisione, &c.*

Docet per diuisionem venantem definitionem non syllogizare, & probatur sic, illud de quo post rationem factam contingit petere propter quid non est syllogizatum, sed de definitione post factam diuisionem contingit petere propter quid, ut propter quid homo est aĩal rationale, bipes, ergo nõ est syllogizata, maior patet in cõclusionib. quæ necessariò asserunt, sine aliquo medio probãte, quarum contingit petere propter quid; minor probatur, nam quamuis demus singulas definitionis partes, vt opinio illorum existimat, diuisione ostendi, tamen oratio illa tota ex singulis partib. non probatur esse definitio, non ergo definitionis est syllogismus.

Potest esse etiam alius sensus, quod diuisio demonstrat quidem primam conclusionẽ, nempe hominẽ esse rationalem, aut irrationalem, animal mortale; aut immortale, sed hoc totum non est definitio, sed animal rationale solum, non verò irrationale; hoc verò petitur, non probatur, cum adhuc possit quæri, quare homo tantum rationalis est.

Disceptatio quod ipsum quid est non monstretur definitione, neque definitione contrarij, neque alio quouis modo. Cap. VI.

Sed an ne est demonstrare ipsum quid est secundum substantiam? ex suppositione autem accipientem ipsum quidem, quod quid erat esse, hoc, quod est ex proprijs in eo, quod quid est, hæc autem in eo, quod quid est sola, & proprium omne: hoc enim est esse illi. An rursus accepit, quod quid erat esse, & in hoc? necesse enim est per medium monstrare. 1

Amplius quemadmodum neque syllogismo accipitur quid est ipsum syllogizare, semper enim tota aut pars est propositio, ex quibus syllogismus, ita neque ipsum, quod quid erat esse, oportet inesse in syllogismo, sed seorsum hoc à positis esse, & ad dubitantem, si syllogizatum est, aut non hoc, occurrendum est, quod hoc enim 2

erat syllogismus, & ad illum, quod non ipsum quid erat esse syllogizatum est, quod certè, hoc enim positum fuit nobis ipsum quod quid erat esse: quare necesse est, & sine quid est syllogismus, aut ipsius quod quid erat esse syllogizatum fuisse aliquid.

3 *Et si ex suppositione monstret, uelutisi malo inest diuisibile esse, contrario autem hoc, quod est contrarium inesse quibuscunque est aliquid contrarium: bonum autem malo est contrarium, & indiuisibile diuisibili: est igitur bono inesse indiuisibile esse.*

Hinc etenim accipiens ipsum quid erat esse monstrat: accipit autem ad monstrandum ipsum, quod quid erat esse, alterum tamen sit: in demonstrationibus namque quod est hoc de hoc, sed non ipsum, neque cuius eadem est ratio, & conuertitur.

4 *Ad vtrosque verò, & ad monstrantem secundum diuisionem, & ad sic syllogizantem, eadem est dubitatio, propter quid homo est animal, bipes, pedestre, sed non animal, & pedestre: ex ijs enim, quæ accipiuntur, nulla necessitas est unum fieri quod predicatur, sed quemadmodum homo idem esse & musicus, & grammaticus.*

1 *Sed an ne demonstrare, &c.*

Pergit adhuc probare, quid est ostendi non posse, & in præsenti duos excludit ostendendi modos, alter est per definitionē definitionis, alter est per definitionem contrarij, quos vocat modos probandi ex conditione & suppositione, quia per vnius definitionem probent alterius definitionem.

Proponit igitur, an quid est substantiale probetur, accipiendo quid est ipsius definitionis, nempe oratio quæ soli inest, & in quid prædicatur, & fiat talis discursus, omnis oratio quæ soli inest, & in quid prædicatur, de finito est, animal rōnale est huiusmodi, ergo aīal rationale est hominis definitio; dicit sic non demonstrari, nam hoc modo etiam petitur principium: nam pro medio sumere oportet definitionem de definito absq; probatione. Aliqui dicunt principium peti in maiori, sumentes definitionem de ipsa definitione, & non probantes, aliqui dicunt; quod in minori, quia petere; quod animal rationale insit homini soli, & in quid, est petere probandum, quod sit definitio; melius dicamus, quod in vtraq; petitur principium. Nota

Amplius, quemadmodum neq; syllogismo, &c. 2

Idem etiam probat alio argumento, sicut enim probantes aliquam conclusionem, nempe, homo est risibilis, propositiones sumimus vniuersales, quæ dicuntur tota, aut aliquas particulares, quæ dicuntur partes, ex quibus illud probamus, non autem sumimus pro præmissa definitionem syllogismi, sed si aliquis syllogizatam conclusionem illam esse negat, tunc definitione syllogismi probamus; ita nec definitione definitionis oportet probare animal rationale tanquàm quid de homine, sed alio principio, quod si negetur definitum esse, tunc definitione definitionis id probare contendimus: argumentum hoc est à simili.

Et si ex suppositione monstret, &c. 3

Alterum modum quid est probandi reijcit, nempe per definitionem vnius contrarij, vt bonum, & malum sunt contraria, mali natura, & quid, est diuisibile, ergo boni natura, & quid indiuisibile, contrarijs enim cōtraria insunt, sed hic petitur principium, nā ad probandum vnum quid, petit sibi aliud dari. Dices, nonne etiam in syllogismo quouis petimus propositiones ex quibus syllogizanda est conclusio? ad hoc respondet, in syllogismo peti conclusionis probandæ propositiones, sed non est æqua sors, & æqualis scientia ac cognitio præmissarum, & conclusionis, nec per illam conclusionem iterum præmissæ eodem modo probari possunt: ex contrariorum æqua est scientia, & cognitio, & conuertentur, nam eodem prorsus modo quo vnum per alterum, etiam alterum per alterum contrarium probatur, ob id in his petitur principium, tanquam in simili, & pari, non autem in syllogismo. Obiec. Solut.

4 *Ad vtrosque vero, &c.*

Concludit argumento communi, & via diuisionis, & his vtrisq; modis, non posse quid est syllogizari, quia nulla uia ostendit quod homo sit animal, gressibile, bipes, & non gressibile, & bipes, sicut dicitur grammaticus, & musicus; cum autem hoc supponatur in his omnibus probandi modis nullus eorum quid est, syllogizat, absq; principij petitione. Capite superiori declarata est ratio huius continuationis.

Epilogo ostendit quid sit non posse monstrari. Cap. VII.

1 *QVomodo igitur definiens monstrabit substantiam, aut ipsum quid est? neque enim sicut demonstrans ex confessis esse manifestum faciet, quod necesse est illis existentibus alterum quid esse, demonstratio enim hoc est, neque sicut inducens per singularia cum manifesta sint, quod omne sic est, eo quod nihil aliter est: non enim quid est demonstrat, sed quod aut est, aut non est: quis igitur alius modus reliquus? non enim monstrabit vtique sensu, aut digito.*

2 *Amplius quomodo mõstrabit quod quid est homo? necesse est enim scientem quod quid est homo, aut aliud quodcunque scire, & quod est: non ens enim nullus nouit quod est, sed quid quidem significat oratio, aut nomen, cum dixero hircoceruus, quid autem est hircoceruus, impossibile est scire. Verumenimuero, si monstrabit quid est, & quod est, & quomodo eadem ratione mõstrabit: definitio enim vnum quid significat, & demonstratio, quid autem est homo, & esse hominem, aliud est. Postea & per demonstrationem dicimus necessarium esse monstrari omne, quod est, nisi substantia sit, ipsum verò esse nulli est substantia: non enim genus est ipsum ens: demonstratio igitur erit quod est, quod & nunc faciunt scientiæ. Quid enim significat triangulum, accipit Geometra, quod autem est monstrat: igitur monstrabit definiens quid est, aut triangulum? sciens igitur aliquis definitione quid est, si est non sciet, sed impossibile est.*

Manifestum autem & secundum modum definitionum, qui nunc sunt, quod non monstrant definitiones est: nam & si est ex medio æquale, sed propter quid est ipsum definitum, & propter quid hoc est circulus quæritur; esset enim & definitionem orichalci dicere esse ipsum: neque enim, quod possibile est esse quod dicitur, assignant definitiones, neq; quod illud est, cuius dicunt esse definitionem, sed semper licet dicere propter quid. 3

Si igitur definiens mõstrat aut quid est, aut quid significat nomen (si non est nullo modo ipsius quid est) esset vtique definitio oratio idem quod nomen significans: sed absurdum. Primum quidem enim & non substantiarum esset vtiq; & non entium, significare enim licet & non entia. Amplius omnes orationes definitiones vtique essent: esset enim nomen ponere cuicunq; orationi; quare definitiones vtique disputaremus omnes, & Ilias definitio vtique esset. 4

Amplius nulla scientia demonstraret vtique, quod hoc nomen quid significat, neque definitiones igitur hoc assignat. Ex his igitur neq; definitio & syllogismus videtur idem ens, neq; eiusdem syllogismus, & definitio. Ad hæc autem, quod definitio nihil demonstrat, neque monstrat, neque ipsum quid est, neque definitione, neque demonstratione est cognoscere.

Quomodo igitur definiens, &c.

Intētio Aristot. hoc cap. VElut epilogum quendam præcedētium faciens, probat adhuc quid est nō posse vllo modo monstrari: posset.n. quis dicere quid est, ostendi per definitionem: ut animal rationale indicat quid hominis, hoc intendit modo reprobare, ostendendo ꝙ ipsa definitio, quamuis dicat quid, non tñ ostendit cuius sit illud quid, & hoc est institutum capitis præsentis. Probat igitur primo sic, si definiens quid est de re ostendit, aut id fit ex quibusdam principijs positis aliquid necessario inferendo, & sic non, cum iste probandi modus sit syllogisticus, & demonstratiuus, aut ex singularibus inferendo totum, & vniuersale, eo quod nullum singulare aliter se habet, sicut inductio; & sic non; quia tali via probatur tam affirmatio, quam negatio: at definitio negatio non est, imo nec affirmatio, cū non sit propositio: aut demonstrat sensu, nēpe opponendo, & obijciendo sensibus ipsam rem, aut digito monstrando: & sic non, hoc enim singularium sensibilium est; nullus verò superest modus, ergo definitio non ostendit quid est de re ipsa.

9 *Amplius quomodo monstrabit, &c.*

Secundo idem probat; quid est non potest cognosci, quin cognoscatur quod res est, sed definitio non potest ostendere de re quod sit, ergo nec quid sit, aliter enim posset quis cognoscere quid est res, nō cognoscendo quod esset, quod impossibile est. Maiorem explicat docendo quid nomen significet posse cognosci, antequam rem esse cognoscamus, at quid sit, sine an sit præsupposito nequit cognosci.

Minorem probat primò, definitio, sicut & demonstratio unum demonstrat, at quid rei, & esse rei non unum sunt, aliud enim est homo, aliud hominis esse, non ergo definitio ne vtrumque simul innotescit.

Secundo probat minorem, definitio rei explicat substantiam, demonstratio uero, quæ substantiam consequuntur, at esse rei nō est eius substantia, cum non sit genus, nec sit differentia, non ergo diffinitione ostēdi potest.

Tertiò idem exēplo probat, nam demonstratio accipit quid est, pro medio, & rem esse probat; vt quid sit triangulus supposito, quod sit demonstrat, non ergo definitio id ostendit.

Nota hic triangulum sumi, vt est passio, & quæsitum; & aduerte istud argumentum, nā ob id concludetur, nunquam cognosci definitionem quid est rei dicere, nisi in demonstratione, ubi tales res esse probatur per definitionem talem mediam, ut dicemus. Nota.

Dubitabis, quid sibi vult aliud est homo, aliud hominis esse, quod etiam dicitur 3. animæ c. 4. & 1. Metaph. c. 5. ex hoc loco Thomistæ colligunt essentiam, & existentiam realiter distingui; nam dicunt per hominem substantiam per esse exiſtētiam intelligi; sed hanc quæstionem determinare non est huius loci: sensus Arist. hic forsan est, aliud est essentia rei, quæ definitur, aliud id quod per talem essentiam est, ut homo est id, quod per essentiam eius est; hominis uero esse, quod existit: forsan hic est uerissimus Arist. sensus, & tunc per esse hominis, debemus intelligere naturam in abstractio, puta humanitatem, per ipsum uero hominem naturam in concreto. Dubiū primū.

Dices tu quō distinguuntur homo, & humanitas? Dico, quod ſm rem homo, & humanitas idem dicunt, nam sicut homo dicit substantiam ex materia tali, & rationali anima compositam, ita etiam humanitas; differunt tamen in modo significandi; nam humanitas dicit naturam per modum formæ abstractæ, sicut albedo: at homo naturam eādem per modum existentis per se, sicut album albedinem dicit, vt in aliquo receptam. Dub. 2.

Hinc est quod homo propter significandi modum includit supposita, & cum accidentia insint suppositis, homo vt homo, quamuis non includat accidens ullum, cum sit substantia, tamen non excludit accidentia; ob hæc dicitur Petrus est homo, & homo est albus, homo ambulat: at humanitas cum sit secundum modum formæ excludi supposita, & accidentia, ob id non dicitur Petrus est humanitas, nec humanitas est alba.

Vnde etiam fit, quod cum homo non excludat accidentia, nec existentiam actualem, humanitas uero excludat, compositius dicatur homo, quia habet hoc, nempe non excludere accidentia, & existentiam actualem; ac propterea dicitur aliquo modo est aliud hominis esse, puta humanitas; non quod alia sit substantia, sed quod homini multa ex modo significandi dentur, quæ

non

non conceduntur humanitati tanquam excludēti ea à se: de his actenus pro isto loco.

3 *Manifestum autem, & secundum modos, &c.*

Tertio idem inductione per ipsos definitionum modos, probat, quod definitio non ostendat quid de re, & sumit definitionem aliquam concisis verbis, nempe figura, in cuius medio est punctum, a quo lineæ vsque ad circumferentiam ductæ omnes sunt æquales, hæc est definitio circuli, sed non ostendit an circulus sit, siue esse possit, nec ipsa ostendit cuius sit, an sit circuli, an sit alterius cuiusuis, ut montis aurei; cum adhuc de circulo possit quis petere an sit, & quid sit; non enim statim definitionibus propositis, quorum sint scimus, ergo definitio non ostendit, quod est de ipsa re, cuius est.

4 *Si igitur definies monstrat, &c.*

Quarto probat definitionem adhuc non ostendere quid est; si enim ostendit, aut ostendit quid rei, aut quid nominis, non quid rei, vt probatum est, ergo quid nominis; sed hoc dici non potest; si enim definitiones nō nisi quid nominis ostendunt, sequitur quod definitiones essent non entium; similiter quod omnes orationes essent definitiones, & quod orationibus loquentes, definitionibus loqueremur: patet; nam singulis orationibus vnicum posset imponi nomen, sicut opus Homeri dicitur Ilias, & tunc orationes definitiones illius essent, cū quid significet explicarent; præterea sequitur, quod nulla sciētia faceret definitiones, nam non est scientiæ vocabulorū significationes explicare, cū ad placitum sint, scientię verò sint necessariorū.

Ex quibus vniuersalem epilogum colligit, nempe definitionem, & demonstrationem, nec esse eiusdem, nec esse idem, & quid est, nullo modo ostendi, nec per ipsammet definitionem. hæc.n. omnia disputata sunt.

Dissolutio disceptationis propositæ, quod ipsum quid est, monstretur per aliud quid est, & quo pacto ipsius quid est, sit demonstratio, & definitio. Cap. VIII.

1 *ITerum autem considerandum quid horum dicitur bene, & quid non bene, & quid est definitio, & ipsius quid est, nunquid quodam modo est demonstratio, & definitio, aut nullo modo. Quoniam autem est (vt diximus) idem scire quid est, & scire causam ipsius si est. Ratio autem huius quod est aliqua causa, & hæc aut eadem, aut alia, & si sit alia, aut demonstrabilis, aut indemonstrabili: si igitur est alia, & cōtingit demonstrare, necesse est medium esse causam, & in prima figura monstrari: vniuersale namq; est & prędicatiuum, quòd monstratur. Vnus igitur modus esset vtique, qui nunc exquisitus est, per aliud ipsum quid est monstrari, ipsorum namque quid est necesse est medium esse quid est, & propriorum proprium: quare hoc quidem monstrabit, illud verò non monstrabit ipsorum quid erat esse eidem rei. Hic igitur modus, quod non sit vtique demonstratio dictum est prius, sed est logicus syllogismus ipsius quid est.*

Iterum autem considerandum, &c. 1

CVm hactenus disputando processerit, & nihil resoluerit, nunc ad determinanda hæc accedit, ac primo quid definitio, & an quid est, aliquo modo ostendi possit, docet. Intentio Aristotel. in hoc c.

Intendit ergo in hoc capite vnum modū tradere, quo ipsum quid est possit syllogizari, nempe per causam ipsius quid est; & aduerte quod dictum est, per quid est rei naturam intrinsecam intelligimus; per causam verò aliam à natura, efficientem, finalem, & materialem; per has autem ipsum quid ostendimus; sed talis ostensio logica dicitur non quod non sit demonstratio, cum per vnam causam aliam monstramus, sed quod non sit demonstratio ostendens, & probans esse quid est. Nota.

Dicit igitur; cum scire rem esse sit scire causam illius esse, sequitur quod ratio rei, & definitio sit aliqua causa, hæc potest esse duplex, aut eadem cum ipsa rei essentia, &

natura, aut alia, qualis est quæ fit per aliquã ex prædictis tribus causis, aut omnes eas, aut aliquas, nam multiplex est causalis definitio: quod si fuerit alia, aut erit demonstrabilis, idest apta ad demonstrandum, nempe quia est per se, & necessaria, aut indemonstrabilis, id est, inepta ad monstrandum, ut si non sit per se, aut non necessaria, tunc si fuerit demonstrationi apta, in prima figura demonstrabitur per talem causam, quid est, & tunc omnia erunt propria, & in quid ipsius rei, cum sint causæ; si uerò non fuerit apta causa, per eam nihil demonstrabitur: subdit tamen, quod ille est unus modus ostendendi quod est, sed logicus, quia quod sit quid rei, non ostendit, vt diximus.

CAPVT IX.

1 *QVo autem modo contingit dicamus aggredientes rursus a principio. Quemadmodum enim propter quid quærimus habentes quod, nonnunquam verò & simul manifesta fiunt, sed non prius vtiq; propter quid possibile est cognoscere, quam quod, manifestum est, quod consimiliter & ipsum quid erat esse non sine ipso quod est: impossibile est enim scire quid est, ignorantes, si est.*

2 *Ipsum verò si est, aliquando quidem secundum accidens habemus, aliquando autem habentes aliquid ipsius rei, ut tonitrum, quod sonus est quidam nubium; & defectum, quod est priuatio quædam luminis; & hominem, quod animal quoddam est; & animam, quod est ipsum se ipsum mouens: quæcunque igitur secundum accidens nouimus quod sunt, necessarium est nullo modo se habere ad ipsum quid est: neque enim quod est scimus: quærere autem quid est, non habentes quod est, nihil quærere est. De quibuscunque autem habemus aliquid, facilius: quare vt habemus quod est, ita nos habemus & ad ipsum quid est: quorum habemus aliquid ipsius quid est.*

Sit primum quidem sic, defectus in quo A. Luna in quo C. obstructio terræ in quo B. vtrum igitur deficit, aut non quærere est, an B. sit, an non? hoc autem nihil differt quærere, quàm si est ratio ipsius, & si sit hoc, & illud dicimus esse. Aut vtrius contradictionis est ratio, utrum habendi duos rectos, aut non habendi? quando autem inuenerimus simul ipsum quod, & ipsum propter quid nouimus, si per media sit: si autem non, ipsum quod nouimus, propter quid verò non. 3

Sit igitur Luna C. defectus A. in plenilunio vmbram non posse facere: nullo inter nos existente manifesto, in quo B. si igitur ipsi C. inest B. quod est, non posse vmbram facere, cum nullus nostrum in medio sit, huic autem ipsum A. quod est deficere, quod quidem deficit planum, propter quid autem, nondum, & quod quidem defectus, est, nouimus, quid verò est non nouimus. 4

*Cum autem planum fuerit, quod A. ipsi C. inest, sed propter quid inest, quærere ipsum B. quidem est, vtrum obstructio, aut conuersio Lunæ, aut extinctio luminis: hoc autem est ratio alterius extremi, ut his ipsius A. est enim defectus * obiectio terræ, quid est tonitrus? ignis extinctio in nube, propter quid tonat? eo quod extinguitur ignis in nube: sit nubes C. tonitrus A. extinctio ignis B. ipsi vtique C. nubi inest B. extinguitur enim in ipsa ignis, huic autem A. sonus, & est B. vtiq; ratio ipsius A. primi extremi: si uerò rursus huius aliud medium sit, ex reliquis erit rationibus. Qualiter igitur acci-* 5

* al. l. obstructio luminis.

accipitur ipsum quid est, & fit notum, dictum est.

6 *Quare syllogismus quidem ipsius quid est non fit, neque demonstratio: planum est tamen per syllogismum, & per demonstrationem: quare neque sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, cuius est causa alia, neque est demonstratio ipsius, quemadmodum & in dubitationibus diximus.*

1 *Quo autem modo contingit dicamus, &c.*

De intentione Arist.

ANtequam ad textus expositionem accedamus intentionem Arist. in hoc capite explicemus.

Primũ fund. Pro quo aduerte primo, quid, & propter quid idem esse re, ratione tamen diuersa; nã definitio, quæ est quid, minus extremi, est medium, & propter quid ad probandum ipsum de aliquo, vel aliquid de ipso, ac propterea differre ratione dicuntur, nam definitio, & quid est, dicitur respectu ipsius rei secundum se, propter quid uerò dicitur respectu eiusdem rei in compositione, & prædicatione sumptæ, ex quo fit, ut quod quid est rei, terminet, & absoluat duas quæstiones, & quid sit, & quia sit; nam definitio eclypsis est ipsius, & propter quid lunæ insit ostendit.

2. fundam. Aduerte secundo, aliter se habere passionem quæ demonstratur inesse, & subiectum, de quo demonstratur; passio enim cum non aliud esse habeat, q̃ subiecto inesse (accidentis.n. esse est inesse) fit vt non cognoscatur esse, quin cognoscatur inesse: ex quo fit, vt, cum quid est non possit cognosci, nisi res cognoscatur esse, non cognoscatur quid passionis, nisi simul cognoscẽdo ipsius esse; hoc autem est in demonstratione, non ergo contingit passionis, & quæsiti quid est cognosci, nisi in demonstratione, & hoc est quod Aristot. hic intendit docere, quod non cognoscitur quid ipsius passionis, nisi in ipsa demonstratione; ac ob id dicit quid, & propter quid esse idẽ; vt quemadmodum propter quid non cognoscimus, nisi simul cum quia est, quod in demonstratione fit, ita ipsum quid, quod idem est cum propter quid.

Tertio aduerte, de subiecto aliam esse rationem; nam potest quidem cognosci esse absque passione, propterea quod eius quid est supponit tantum quòd sit, non autem quale sit, sicut in passione, ideo extra demonstrationem cognoscitur; non enim eius quid est propter quid, nisi respectu passionis; ac propterea tale quid est ex suppositione cognoscitur, cum non pendeat a passione. 3. fundam.

Quamuis etiam possimus dicere, quod in ipsa demonstratione cognoscitur esse quid est, dum per ipsum quid est eius probamus passiones de eo; non enim alibi manifestatur, & ostenditur definitio quod sit quid, nisi cum medium in demonstratione sumitur: extra demonstrationem enim tantum definitio quid de re ostendit ex suppositione: nota igitur Arist. scopum in capite.

Ad textum accedamus: volens alterum modum tradere ostendendi quid est, similitudinem inter quid, & propter quid, vt talia sunt, supponit: similitudo autem in his consistit, sicut propter quid, siue quia est haberi non potest, ita nec quid est, sine an sit; & sicut quia est, sine propter quid aliquando habetur, ita & an sit; & sicut propter quid, & quid simul, ita & quid sit, & an sit simul consequimur; hoc ergo fundamentum proponit, ut cum quid non possit cognosci, nisi cognito quod res sit, non cognoscatur quid, nisi simul cum an sit, quod in demonstratione fit.

Ipsum vero si est aliquando quidem, &c. 2

Supponit etiam alterum, an sit, absq; quid sit, dupliciter cognosci posse; uno modo sub conceptu aliquo accidentali, cognoscendo rẽ, ut qui scit musicos esse, scit homines esse per accidens: altero modo scimus rem esse per aliquid ipsius rei essentiale cognoscentes, ut qui scit esse priuationem quandam luminis, scit eclypsim esse, & qui scit esse aliquid seipsum mouens, scit animam esse.

Hos modos comparat, dicens, quid scit secundũ accidens rem esse, non est dispositus ad cognoscendum quid sit, quia nondum cognouit an res illa sit; at qui cognouit per ipsum quid, est magis dispositus ad cognitionem perfectam ipsius quid rei, nam quo magis accedimus cognitioni an sit, eo magis cognoscimus quid sit, & tunc perfectè

scimus esse, cum ipsius quid cognoscimus.

Ex quo supposito intendit colligere tunc cognosci quid passionis, cum esse cognoscimus ipsius, hoc autem fit in demonstratione, ob id in demõstratione cognoscitur quid, sicut & esse; hoc item fundamentum ostendit cognosci optimè rē esse per ipsum quid, & melius quàm per aliud, ut exemplis ostendit, & ex his duobus fundamentis intentum concludit: & nota hæc.

3 *Sit primum quidem sic, &c.*

Ostendit modo, quod scire rem esse tunc scit, cum quid cognoscimus, & hoc exemplo deducit; fiat demonstratio, interpositio terræ est ecclypsis, Lunæ terra interponitur, ergo Luna ecclypsatur: quærere an Luna ecclypsetur, est quærere an ecclypsis sit, & illud quærere, est rationē, & causam, & quid petere, quibus positis, ponitur ecclypsis, ergo scire ecclypsim esse, est scire quid ipsius, quod in demonstratione fit.

Alterum exemplum ponit, cuius sensus est, quamuis variè exponatur, cum quærimus an habeat angulos rectos, vel nō habeat, quæ sunt partes contradictionis, idem fit: in his enim rationem, & quid quærimus, ex quo infertur, quod cum rem esse per eius quid cognouimus, quod est scire uerè rem esse, tunc propter quid simul sciamus, quod in demonstratione fit; at cum per aliquod accidēs, non per causam mediam cognoscimus, non scimus propter quid, nec quid, sed tantum quia, id est per accidens, quod imperfectè est scire rem esse, ut dictum est. huius ponit frequens exemplum.

4 *Sit igitur Luna C. defectus, A. &c.*

Exemplum est, cum ecclypsim per medium accidens cognoscimus.

Verbi gratia, si quis ecclypsim esse cognoscat, quia Luna plena non facit umbram nostri corporis, cum nullum sit obstaculum medium, tunc per accidens, & per effectum cognoscit esse; & si secundum tale medium disponatur syllogismus, nec quid, nec propter quid ostendit, sed rem esse tantum.

Aduerte ecclypsim Lunæ fieri hoc pacto: ipsa enim recipit lumen a Sole, unde illa ex parte illuminatur, secundum quam est opposita Soli, ecclypsatur autem, cum terra est directè inter Solem, & ipsam, tunc enim vmbra terræ, quæ orbem Lunæ attingit, impedit quo minus illuminetur, ac ideo ecclypsim patitur; Luna autem sic ecclypsata non facit vmbram ad præsentiam corporum inferiorum, quamuis cœlum totum serenum sit, quia non habet lumen, quod vmbræ est causa, ac propterea est effectus ecclypsis vmbram non facere, & si per hoc mediū ecclypsis cognoscatur, per accidēs, & non per quid esse cognoscitur.

Cum autem planum fuerit, &c. 5

Concludit quando aliquid alicui inesse cognoscitur, ut ecclypsim ipsi Lunę, nihil aliud esse quærere propter quid insit, quam quid, & rationem eius petere, vt propter quid sit ecclypsis, est petere quid sit; an sit extinctio luminis ipsius, ut aliqui putabant, existimantes a uaporibus, uel magno uento extingui: uel sit conuersio, ut alij credebant, putantes mediam partem lucidam esse, & aliquando cōuerti ad partem supernam, & fieri ecclypsim; uel sit interpositio, ut dictum est, quicquid sit, quid petitur semper, cum cur sit quęritur. Similiter cū propter quid sit tonitrus, quæritur, quid sit quæritur ut quia sit extinctio ignis in nube, ut arbitratur Empedo. vel conclusio exhalationis in nube, ut docet Arist.

Ex quibus est notum quid esse propter quid, vnde sicut propter quid in demonstratione cognoscimus, cognoscentes qualis est res, ita & ipsum quid in demonstratione cognoscimus, cognoscentes simul rem esse: nam ob id supposuit quid non cognosci, nisi cognito simul quod res est, hoc autem in demonstratione fit.

At quia definitionem passionum semper sumebat, posset quis dicere illam non esse vltimam, & immediatum medium: Respondet postea tale medium posse per alias præcedentes rationes probari. Sanctus Thom. explicat per has rationes definitionem subiecti, quæ est præcipuum medium, Philop. explicat alias causas earundem passionum, sed hoc inferius examinabitur.

Quare syllogismus quidem ipsius quid est, &c. 6

Infert quid est in demonstratione cognosci,

sci, non tñ per demonstrationem; cognoscitur quidem in demonstratione, cùm sumitur pro medio, quo rem esse probamus quando res habet causam sui esse; aliàs.n.suppositione cognoscitur per demonstrationem, eo qđ non concluditur, & probatur, sicut propter quid in demõstratione ipsa cognoscitur, sed non per demonstrationem; vide igitur modũ notificandi ipsum quid est: hoc enim fit in demonstratione, & non per demonstrationem. Atque hoc de capitis declaratione.

QVAESTIO I.

De medio demonstrationis potissimæ.

EST communis, & non facilis difficultas, quod sit medium in potissima demonstratione, cum enim sint in quæstione duæ partes, datum, nempe subiectum, & quæsitum, nempe prædicatum, & passio, dubium est an potissima demonstratio sumat ut medium definitionem subiecti, an passionis; nec est dubium de quacunque demonstratione; constat enim aliquando per definitionem passionum fieri demonstrationem, sed est sermo de potissima, idest, de ea quæ ex primis, immediatis, & quæ iam resolui nequeunt procedit: in qua difficultate duæ sunt præcipuæ sententiæ oppositæ.

1. Sentẽtiæ Alb. & aliorum. Prior est Albet. Aegid. & aliorum, qui definitionem passionis esse potissimũ medium dicunt, quod uidetur esse Aristo. placitum, qui his capitibus pro medio, passionis definitionem sumpsit, quod expresse docet Them. 2. Poster. c. 3c. & uidetur sententia Græcorũ: rationes huius sententiæ præcipuæ sunt hæ.

1. ratio. Prima illa est potissima demõstratio, quæ magis ex immediatis procedit, sed quæ fit per definitionem passionis, est ex immediatis magis, ergo est potissima: maior est certa, minor probatur: quia passio magis immediate prædicatur de sua definitione, dicendo aptum ad risum est risibile, quàm de definitione sui subiecti dicendo animal rationale est risibile.

2. ratio. Secunda, si definitio subiecti esse medium potissimum, vltima demonstrationis resolutio esset in definitionem illius subiecti, & non in principia per se nota, & communia, hoc autem falsum est, nam perfectior demõstratio terminatur in principijs per se notis, non ergo definitio subiecti potest esse medium potissimum.

Tertia definitio subiecti est idem cum subiecto, ut animal rationale cum homine; ergo non potest esse medium, nam alias esset probare idem per idem; at quia posset hoc idem eis obijci, qui definitionem passionis, medium ponunt, respondet definitionem puram passionis non esse medium, sed simul cũ ea extrinseca coniungendo: non enim per priuationem luminis tantum ecclypsim probamus, sed per priuationem luminis ex terræ interpositione, & hoc notat Aegid. 3. ratio.

Posterior sententia est S. Thom. Caiet. & communis, nempe in potissima demonstratione medium esse definitionem subiecti, & non passionis, pro qua sunt duæ præcipuæ rationes. 2. Sentẽtia D. Tho.

Prior, illa est potissima demonstratio, quę ex his, quæ iam causam non habent procedit, sed talis est, quæ pro medio vtitur definitione subiecti, ergo hæc est potissima; probatur minor, nam definitio passionis cum insit subiecto, uel inest immediate, & essentualiter, & hoc non uel inest mediate, & non essentialiter, & tunc erit demonstrabilis de ipso subiecto per ipsius definitionẽ, & hæc potissima ratio S. Th. qua dicit demonstrationẽ per definitionem passionis adhuc resoluendam in demonstrationem per definitionem subiecti, ut patet super cap. 2. lib. 2. Poster. 1. ratio.

Posterior ratio, quia demonstratio passionum superiorum de inferiori subiecto, ut habere tres angulos de Isoschele, fit per ipsum subiectum medium, ergo illud est causa, adde quod Aristot. 1. Poster. cap. 20. ipsum uniuersale causam uocat, ubi habere angulos externos æquales quatuor rectis dicit inesse Isoscheli, quia est figura, & hæc est vltima causa: non ergo definitio passionis, sed figuræ & subiecti est potissimum medium: hæc sunt, quæ circa hoc dicunt Doctores. 2. ratio.

At in hac difficultate mihi sic respondendum uidetur; quæ alicui competunt subiecto, in duplici differentia se habere; quædam habent aliam causam extra subiectum secundum quam ei sunt, sicut ecclypsis inest Lunæ propter terrę interpositionem, & tonitrua aeri ex concussione exhalationis cum Nota passiones esse in dupli ci differentia.

cum nobe: quædam aliæ insunt subiecto nō per causam extrinsecam, sed quia subiecti naturam consequuntur; sicut multæ passiones & proprietates herbarum, animalium, & aliorum.

Prima conclu. Qua supposita distinctione sit prima conclusio: potissima demonstratio est, quæ per causam supremam propriam procedit, & hæc est conclusio recepta ab omnibus.

Secunda, cum proprietates subiectis insunt modo priori, crediderim potissimam earum demonstrationem esse per causam illarum, sicut Astrologus per interpositionem terræ probat ecclypsim, & non per definitionem lunæ, & per concussionem exhalationis, Physicus probat tonitruum, & hoc probant illa capita Arist.

3. cōclu. Tertia, passionum posteriori modo præcipuum medium est definitio subiecti, & hoc conuincūt argumenta S. Th. ex 4. Physi. c. 4. vb docet per definitionem rei notificari eius passiones illius rei, & 1. animæ. tex. 11.

4. cōclu. Quarta conclusio, non semper expresse probamus etiam in his passionibus per definitionem subiecti, virtualiter tamen probamus semper, explico, & est notandum hoc, Geometra non probat expresse per definitionē trianguli quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, sed per principia quædam quibus manifestat talem naturam trianguli, vt id ei insit, nempe per angulum extrinsecum, & per lineas æquidistantes, quibus nō aliud facit, quam talium linearum compositionem exprimere, ex qua colligitur talis passio, & hoc modo Geometra ducit ad principia per se nota.

Soluitur 2. arg. Ex quo soluitur argumentum secundum propositum pro Aegi. & hæc est causa quare varijs modis aliquando fit demonstratio eiusdem, hoc autem non est nisi quia natura alicuius figuræ varijs principijs notificari potest: atque hæc sunt, quæ mihi in præsenti uidentur dicenda esse.

Ad primum. Ad primum Aegid. & aliorum, respondeo, quod propositio non dicitur immediata, quæ fit per causam effectus proximam, sed quæ non habet aliam causam, per quam demonstrari de subiecto possit, ex huiusmodi enim immediatis procedit demonstratio potissima; talis autem non est cum definitio passionis sumitur, cum adhuc ipsa passionis definitio sit aliquando de subiecto demonstrabilis, nempe cum ipsum subiectum causa est sola illius, ut dictum est.

Ad secundum iam responsum est in conclusione quarta. Ad 2.

Ad tertium dico cum Estra. & Philop. ca. 2. huius secundi libri, quòd definitio differt a definito, nam definitio, animal rationale, formam dicit secundum hos, homo verò cōpositum ex materia, & forma, ut dictum est superius: & si sustineamus, quod etiam animal rationale continet materiam, quæ sit de essentia rei, adhuc est distinctio rationis, nā definitio substantiæ dicit naturam, definitum dicit naturam cum supposito; & hæc distinguuntur: quid quod non semper subiectum demonstrationis est substantia, sed accidens aliquando; & tunc non est definitio prorsus eadem cum definito, & præterea quia aliquā do prædicatum est substantia, & tunc est idē argumentum contra eos; & hæc de quæstione. Ad 3.

Quæ definitiones demonstrari possint, quæ non. Cap. X.

Est autem horum quidem altera quædam causa, illorum verò non est: quare planum quod & ipsorum quid est alia quidē immediata, & principia sunt, quæ & esse, & quid est supponi oportet, aut alio modo manifesta facere, quod Arithmeticus facit, etenim quid est vnitatem supponit, et quod est. 1

Habentium autem mediū, & quorum est aliqua altera causa substantiæ, est per demonstrationem, quemadmodum diximus, ostendere non ipsum qui est demonstrantes.

Definitio autem, quoniam est oratio ipsius quid est manifestum est, quod aliqua quidem erit oratio quid significat nomen, aut oratio altera nominalis, vt quid significat quid est secundum quod triangulus, cuius habentes quod est, quærimus propter quid est, difficile est autem ita accipere, quæ 2

non

non nouimus quod sunt, causa vero dicta est prius difficultatis, quoniam neque si sunt, aut non, nouimus, nisi secundum accidens.

3 *Oratio autem vna dupliciter est, hæc quidem coniunctione, ut Ilias, illa uerò vnum de uno significans non secundum accidens. Vna quidem definitio est definitionis, quæ dicta fuit.*

4 *Alia autem est definitio oratio significans propter quid est, quare prior quidem significat quidem, monstrat autem non, posterior uerò, manifestum est quod erit tanquam demonstratio ipsius quid est positione differens à demonstratione.*

5 *Differt enim dicere, propter quid tonat? & quid est tonitus? dicet enim hic quidẽ, quoniam extinguitur ignis in nubibus: quid autem est tonitrus? sonus ignis qui extinguitur in nubibus; quare eadem oratio alio modo dicitur, & sic quidem demonstratio continua, sic autem defintio.*

6 *Amplius definitio tonitrus est, sonus in nubibus, hoc autem est ipsius quid demonstrationis conclusio, immediatorum autem definitio positio est ipsius quid est indemonstrabilis. Est igitur definitio, vna quidem oratio ipsius quid est indemonstrabilis, vna verò syllogismus ipsius quid est casu differens à demonstratione, tertia autem demonstrationis ipsius quid est conclusio. Manifestum igitur ex dictis, & quomodo est ipsius quid est demonstratio, & quomodo non est, & quorum est, & quorum non est. Amplius autem definitio quot modis dicitur, & quomodo ipsum quid est monstratur, & quomodo non, & quorum est, & quorum non. Amplius autem ad demonstrationem quomodo se habet, & quomodo contingit eiusdem esse, & quomodo non contingit.*

Est autem horum quidem altera causa, &c. 1

CVm definitionem in demonstratione non per demonstrationem ostendi docuisset, modo tractat quæ definitiones sic ostendantur, quæ verò non. Intẽtio Aristot.

Pro cuius exactiori intelligentia aduerte, quatuor esse causarum genera, materia ex qua res est, forma secundum quam est, efficiens a qua est, finis cuius gratia res est; circa has causas nota primo, quod non omnes res habent omnes quatuor causas, immaterialia enim materia vacant, res mathematicæ formam habent solam. Not. 1. Quatuor sũt genera causarũ

Nota secundo, quod etiam in illis rebus, quæ has quatuor causas habent, non omnes sunt de illarum rerum essentia, nam efficiens, & finis de essentia nullo modo sunt, nec materia est multum de rerum essentia, sed sola forma. Not. 2.

Nota tertio, has causas hoc ordine se habere, vt omnium primum locum teneat finis, secundum efficiens, tertium materia, vltimum forma, hæc enim est quę vltimo producitur, & habet esse; vnde aliarum est effectus: idem dico de materia respectu aliarũ, & de efficienti respectu finis; forma dicitur quid rei; & definitio, quæ secundum talem formam datur dicitur definitio quid; reliquę causæ, & quæ per eas definitiones dantur dicuntur propter quid. Not. 3.

Ex his fit, quod cum ipsum quid sit effectus aliarum causarum, possit ostendi, & concludi per eas; & talis est definitio per solam formam, & hæc non in demonstratione innotescit, sed per demonstrationem probatur, licet non probetur quod sit quid, vt dictum est, reliquæ in demonstratione ostenduntur, & quatenus per eas cognoscimus quid rei probantes, dicuntur habere rationem formæ, ex his nota est Arist. intentio.

Accedamus ad literæ explicationem: constituit distinctionem rerum, ut appareat quarum quid est probetur, quarum verò non, rerum inquit, quædam habent causam, quædam non habent, vel absolutè, vel in illa tertia, vt notat S. Tho. quæ habent causam illorũ quid est, & essentia habet causam, nempe aut Expositio literæ.

aut materiam, aut finalem, aut efficientem, loquitur enim de his quæ causam habent extra essentiam, & formam, & per talem causam ostendi possunt, quamuis non demonstretur esse quid est: quæ vero non habent causam, quid est, non potest ostendi, sed supponi, qualia sunt subiecta in scientiis, & principia, eorum enim definitiones supponuntur non demonstrantur, vt quid vnitas, quid punctum.

2 *Definitio autem quoniam est, &c.*

Illaturus ex prædicto fundamento esse aliquot definitiones quæ probantur, aliquot quæ supponuntur, definitionem diuidit in generali definiendo, definitio inquit, est oratio ipsius quid, quædam est quę quid nomen significet explicat, siue quædam est definitio nomina ponens, idest definiens, quod idē est, vt quid significet triangulus, vel aliud quoduis nomen, & hanc habentes quid rei quærimus, & uocat propter quid, quia uti diximus, quid, & propter quid, re idē sunt, at quia post nominis definitionem ipsum quid rei quærendum dixit, addit difficile hoc esse statim habere quid, cum nondum habeamus an sit, nisi per accidentia, quę importantur in definitione nominis.

3 *Oratio autem vna est dupliciter, &c.*

Quia hanc vnam esse orationem dicturus erat, docet quot modis oratio dicatur una, asserens dupliciter unam dici, primo coniunctione, vt Petrus, & Paulus, uel orationes aliæ, secundum quas loquimur; secundo quia unum de uno explicat, non per accidens, id est, quia dicit aliquam naturam alicuius, sicut definitio una est, quia unam dicit alicuius naturam. Philop. & alij uolunt definitionem nominis dici unam per coniunctionem, quia datur per accidentia rei; at uidetur mihi posse dici, quod sit etiam una per se, quia re uera unius nominis explicat significationem.

4 *Alia autem est definitio, &c.*

Alteram definitionem ponit, quæ rei est, nempe oratio ostendens propter quid res est quam comparat priori definitioni, nempe quę dicit solum quid, nam definitio quid, id est per solam formam significat ipsum quid, sed non ostendit, cum non sit ipsa medium, sed potius ostendatur: at definitio propter quid ostendit ipsum quid, & non differt à demonstratione, nisi sola terminorum dispositione quod declarauimus satis in primo libro.

Differt enim dicere propter quid, &c. 5

Cum definitionem propter quid demonstrationem positione differentem vocauerit, quam modo vocat continuam, non autem definitionem quid, hoc explicat: nam differt dicere, propter quid tonat, & quid est tonitrus, cum enim dicitur, propter quid tonat? respondetur, quia extinguitur ignis in nube, quæ uidetur demonstratio cōtinua, id est non distincta illatione media: at si dicitur, quid est tonitrus idem dicitur, non eodem modo, scilicet, est sonus extinctionis ignis in nubibus.

Amplius definitio tonitrus, &c. 6

Definitionem solam formalem tonitrus ponit, nempe est sonus nubis, quam definitionem dicit esse conclusionem demonstrationis, ut supra declarauimus, ex quibus colligit triplex definitionem genus, & quæ principium tantum sunt demonstrationis, vt sunt definitiones eorum, quæ non habent causam, & quæ est conclusio demonstrationum qualis est passionis definitio formalis, & quæ est demonstratio positione differens, qualis quæ quid rei cum sua causa complectitur; ex quibus vniuersalem epilogum colligit eorum quæ dubitata sunt cap. 3. & nota epilogum eorum, quæ hactenus dicta sunt in textu.

De causarū distinctione, & quæ mutuo concurrant, & quæ non, & quomodo illarum possit esse demonstratio. Cap. XI.

Qvoniam autem scire putamus quando scimus causam, causæ ve- 1

sæ verò quatuor sunt, vna quidem, quod quid erat esse, vna autem, quibus existentibus necesse est hoc esse, altera verò quæ aliquid primum mouit, quarta autem cuius causa, omnes istæ per medium monstrantur, & hoc enim quod cum sit hoc, necesse est esse, vna quidem accepta propositione non est, duabus autem ad minimum, hoc verò est quando vnum medium habeant: hoc igitur uno accepto, conclusionem necesse est esse.

2 *Manifestum autem & sic, propter quid est rectus in semicirculo, aut quo existente rectus est; sit utique rectus, in quo A. dimidium duorum rectorum, in quo B. qui est in semicirculo, in quo C. quod igitur A. rectus insit ipsi C. ei qui est in semicirculo, causa est ipsum B. hoc enim ipsi A. æquale est, hoc autem C. ipsi B. duorum namque rectorum dimidium est: cum igitur B. sit dimidium duorum rectorum, A. ipsi C. inest, hoc autem erat, in semicirculo rectum esse.*

3 *Hoc uerò idem est ipsi quid erat esse, eo quod hoc significat oratio, uerum enimuerò & ipsius quid erat esse, causa monstrata est media.*

4 *Propter quid autem Medorum bellum factum est Atheniensibus? quæ causa bellum inferendi Atheniensibus? quoniam in Sardes cum Eretriensibus irruerunt, hoc enim primo mouit, sit bellum, in quo A. priores irruisse B. Athenienses C. inest itaque B. ipsi C. quod est prius irruisse Atheniensibus: A. verò ipsi B. bellum inferunt enim ijs, qui prius iniuria affecere: inest igitur ipsi quidem B. A. quod est bellum inferre ijs, qui prius incepere, hoc autem ipsi C. Atheniensibus, prius enim cœpere, medium igitur & hic causa est, quæ primo mouit.*

Quorumcunque autem causa, ipsum gratia cuius, vt propter quid ambulat? vt sanus fiat; propter quid domus est? vt conseruetur supellex, illud quidem gratia conualescendi, hoc autem gratia conseruandi, propter quid à prandio oportet deambulare, & gratia cuius nihil differt. 5

Sit deambulatio à prandio C. non supernatare cibaria, in quo B. sanari, in quo A. insit igitur à prandio deambulare ei, quod est facere non supernatare cibaria ad os ventris, & hoc salubre, videtur enim inesse ipsi deambulare, quod est C. ipsum B. quod est non supernatare cibaria: huic autem inest ipsum A. salubre, quæ igitur est causa ipsi C. quod ipsum A. insit, quod est gratia cuius? B. quod est non supernatare, hoc autem est ueluti illius ratio: A. enim ita aßignabitur: propter quid autem B. ipsi C. inest, quoniam hoc est sanari, ita se habere. Oportet autem transsumere orationes, & ita magis singula apparebunt. 6

Generationes verò econuerso hic, & in causis secundum motum: ibi enim medium oportet fieri primum, hic autem ipsum C. extremum, vltimum vero ipsum cuius gratia. 7

*Contingit autem idem, & cuius gratia esse, & ex necessitate, vt per lucernam egredi lumen; ex necessitate etenim progreditur, quod minores habet partes, per maiores poros, siquidem lumen fit eò quod pertransit, & gratia cuius, vt non offendamus. An ne ergo sit esse contingit, & fieri contingit? quemadmodũ si tonat cum extinguitur ignis, necesse est * stridere, & strepere, vt Pythagorei dicunt, minarum gratia ijs, qui sunt in tartaro, vt timeant.* 8

* βίζειν Propriè est sonare, vt cũ in aqua candens ferrũ extinguit.

Plu-

9 *Plurima verò talia sunt, & maximè in ijs, quæ secundum naturam constituuntur, & consistunt, hæc enim alicuius gratia facit ipsa natura; illa verò ex necessitate; necessitas autem duplex; hæc quidem enim secundum naturam, et appetitum; illa autem ui, quæ præter appetitum est, quemadmodum lapis ex necessitate, & sursum, & deorsum fertur, sed non propter eandem necessitatem.*

10 *In ijs verò quæ à discursu, non nulla quidem nunquam à casu sunt, vt domus, aut statua, neque ex necessitate, sed alicuius gratia; quædam verò & à fortuna, vt sanitas, & salus: maximè autem in quibuscunque contingit & sic, & aliter quando non à fortuna generatio fit: quare finis, quod est bonum, gratia alicuius fit, aut natura, aut arte: à fortuna verò nihil gratia alicuius fit.*

11 *Eadem autem causa est ijs, quæ fiunt, & factis, & futuris quæ est & ijs quæ sunt: medium enim est causa, præterquam quod ijs, quidem quæ sunt, quæ est; ijs verò, quæ fiunt, quæ fit; factis autem facta, & futuris futura; vt propter quid factus fuit defectus? quoniam facta fuit terra in medio; fit autem quoniam fit, erit verò quoniam erit in medio, est autem, quoniam est. Quid est cristallus? accipiatur vtique, quod est aqua congelata: aqua in quo C. congelatum in quo A. causa media in quo B. defectus calidi omnino inest itaque B. ipsi C. huic autem congelatum esse, quod est in quo A. fit autem cristallus, cum fit B. factum est autem facto, erit autem futuro: sic igitur & causa, & cuius causa simul fiunt, quando fiunt, & sunt quando sunt, & in eo quod factum fuit, & in futuro consimiliter.*

Quoniam autem scire putamus, &c. 1

TRia Theoremata in hoc capite constituit, quorum primum est, per quatuor causarum genera licet monstrare. Primũ theorema.

Primo autẽ explicat singulas, sunt enim formalis, materialis, efficiens, & finalis; formalem uocat quod quid, quæ ipsa est essentiæ præcipua pars; materialem vero qua posita necesse est aliquid esse, quamuis autem hoc possit dici de alijs causis, tamen in Physica proxima causa necessitatis, qua talis est effectus, est materia, vt aliàs declarabitur; efficiens est quæ mouet primo, & à quo primo incipit operatio, finalis est cuius gratia res fit: hæc sunt quattuor causarum genera, per quæ demonstrare licet.

At quia nihil sequitur necessario ex uno solo, nisi secundum dispositionem syllogisticam disponatur, in qua medium bis sumere idem oportet, quoties per causas hasce aliquid demonstrandum fuerit, debet medium bis repeti, quod in syllogistica argumentatione fiet, aliàs per causam non demonstrabimus necessario.

Manifestum autem & sic, &c. 2

Exempla causarum tradit, atque ab ipsa materia incipit; exemplum est huiusmodi, si quis velit demonstrare angulum trianguli supra semicirculum descripti esse rectum, sumatq; pro medio quia est medietas duorum rectorum, per materiam monstrabit, nam medietas, & partes habent rationem materiæ, fiet igitur sic demonstratio, omnis angulus, qui est medietas duorum rectorum, uel æquiualentium duobus rectis, est rectus, omnis angulus in circumferentia trianguli supra semicirculum descripti, est medietas rectorum duorum, aut æquiualentium duobus rectis, ergo talis angulus est rectus. Vide Euclid. lib. 3. Theorem. tertio: hic nota non esse propriè materiam in geometricis, sed est materia intelligibilis, & materia metaphysica, quales sunt partes respectu totius.

Hoc vero idem est ipsi, &c. 3

Quantum possum conijcere, sensus huius

ius loci est, ut uelit per idem medium concludi quid, & formam rei, per quam monstratur res, cum non sit aliud res ipsa: ac propterea non ponit exemplum causæ formalis, quia potius ipsa, cū re monstratur, quàm demonstret res: literam attende, cum dixisset per illud medium concludi illum angulum esse rectum, dicit, rectum, & ipsius quod quid idem esse, cū definitio, & nomen idem significet, causa autem recti assignata, ipsa etiam erit causa ipsius, quod quid. Potest etiam sic exponi, quod tale medium est quod quid rei, nam hoc significat illa definitio, medietas duorum rectorū, nimirum ipsum rectum, talis autem definitio sumpta est pro medio, vt patet in demonstratione posita.

4 *Propter quid autem Medorum bellum, &c.*

Ponit exemplum in efficienti causa, vt quare Athenienses bello vexantur a Medis? quia ipsi Athenienses primo iniusti fuerunt,
21 & inuaserunt cum Eretrijs ipsorum Medorum amicos: nempe Sardes: fiet igitur syllogismus, qui primo Medos inuadunt bello, a Medijs bello vexantur, Athenienses primo Medos inuadunt, ergo Athenienses a Medis bello uexantur, hæc demonstratio est à causa efficienti.

5 *Quorumcunque autem causa, &c.*

Exempla causæ finalis assignat duo, alterum est, sanari est finis deambulationis sic, qui vult sanari deambulat, qui male habet vult sanari, ergo qui male habet deambulat. Alterum est, domus finis est supellectilia conseruar.; si supellectilia conseruari debent, oportet domos esse, sed supellectilia conseruari debent, ergo oportet domos esse. Statim explicat duos modos, quibus causa finalis notatur; nempe propter quid deambulemus, & cuius gratia deambulemus, vtrunque enim finem petit.

6 *Sit deambulatio à prandio, &c.*

Ingeniose vult Aristoteles ostendere efficientem, & finalem causam adinuicem se demonstrare, ac exemplum de efficiente ponit, sumit enim pro maiori extremo sanum, pro minori, deambulare, pro medio cibos non manere in ore ventriculi; hoc est digestos esse, & facit rationem per tale medium, quod est efficiens sanitatis; sic, cibos digerere sanum est, deambulare facit cibos digeri, ergo deambulare sanum est, hæc demonstratio est ab efficienti.

Statim dubitat, nonne sanum esse est causa finalis, vt qui deambulet cibos digerat, & eius ratio? respondet ita esse, & si terminos conuertas, maius extremum in medium, fiet demonstratio a fine, ut si probetur deambulans cibos digerere propter sanitatem. literę textus per ista facile intelligetur.

Generationes vero e conuerso, &c. 7

Ostendit in generatione causam efficientem, & finalem aliter se habere, nam causa efficiens fit primum, & habet esse quam effectus probandus, at in finali ipsum extremum C. nempe deambulare, fit primum & finis, nempe sanitas, vltimo habet esse. sensus est, efficiens primo fit ante effectum, at finis est ultimo productus, nam prius est deambulare, & cibos digeri, quam sit sanitas, quamuis sanitas, & finis sit primus in intentione.

Contingit autem idem & cuius gratia, &c. 8

Hoc est secundum Theorema: potest idem effectus prouenire duplici ex causa, & finali, & materiali, non solum quantum ad esse, sed etiam quantum ad fieri: ponit duo exempla, vtraq; secundum opinionē aliorum alterum, huius effectus, nimirum lumen diffundi per lanternæ pellem, est causa finalis ne offendamus pedes, causa uero materialis est quia lumen est corpus partibus in minutiores partes, quàm sint foramina prioris illius pellis, sic enim censebant aliqui lumen per pellem transfundi, at possumus aliud exemplum ponere ex Themist. dentes enim anteriores sunt acuti, propterea quod sunt ad scindendam tanquam propter finem, similiter quia sunt ex materia subtiliori, quam ex ea, ex qua sunt maiores molares causa ad conterendum cibum.

Secundum theorema.

Alterum exemplum ponit, sonus tonitrui fit extinctione ignis in nube: necessario

enim ignis extinctus in aqua fizit, id est sonitum facit, finis autem tonitrui, secundum Phythagoram est, vt paueant qui sunt in inferno; fit ergo vnus effectus ex pluribus causis.

9 *Plurima vero talia sunt, &c.*

Cum idem & a fine, & ex necessitate id est materia, vt Philop. dicit fieri docuisset, inquit plurima esse huiusmodi, presertim quæ natura, constant, id est entia naturalia dicuntur autem entia naturalia, quæ principium in se alicuius motus habẽt, qualia sunt plantæ, animalia, elementa, & ex his mixta in quibus est duplex hæc causa, & finis, & necessitas, scilicet materia.

Nota literam, illa duo uerba (hæc, illa) sunt nominatiui casus cum natura, vt sit sensus, in his quæ natura constant, hæc natura est propter hoc, illa ex necessitate, id est, quędam causa est finis, est etiam causa materia.

At quia est necessitas multiplex, distinguit, est enim quædam necessitas extrinseca, quæ prouenit a causa efficienti, vt sagitta emissa sursum tendit necessario; & alia necessitas intrinseca, quæ est a principio interno rei, & hæc est secundum rei inclinationẽ, & appetitum, ut cum lapis deorsum descendit, & ignis sursum ascendit, & per talem necessitatem, causam probamus ipsius effectus, cum sit necessitas per se.

10 *In ijs uero, quæ a discursu, &c.*

Postquam docuit causas illas reperiri in naturalibus, docet non id semper in his esse, quæ ab intelligentia, & intellectu fiunt, id est in artificialibus: artificialia enim quædã nec ex necessitate fiunt, nec à fortuna, sed tantum propter finem, vt domus, effigies: hæc enim solum sunt pro arbitrio agentis, non ex materia ipsa necessario proueniunt, sed tantum propter finem: & hinc est, quod non à fortuna proueniant, cum non nisi ex intentione agentis fiant.

Illud autem dicitur à fortuna prouenire, quod præter intentionem agentis particularis prouenit, vt si quis domo egressus negotiandi causa, liberatus est a morte, nempe quia domus ruinam fecit, hoc illi fortuna euenit: dico autem agentis particularis, quia illud non euenit pręter intentionem agentis vniuersalis, nempe Dei, qui omnia præscit, & nihil ei à fortuna euenit: domus igitur, & similia nunquam à fortuna eueniunt, quia non sunt nisi ex agentium intentione.

Quædam alia artificiata a fortuna eueniunt, vt sanitas, negationis exitus, cuius rationem Aristot. reddit, nempe quia ab alia causa prouenire possunt, quàm ab arte: sanitas enim etiam à natura, nauigatio etiam à uentis prouenit; cum autem ista à tali causa præter artem eueniant, possunt a fortuna euenire; nempe cum accidunt præter intentionem, non quod a fortuna sit generatio rei, sed cum ab illo principio præter intentionem venit a fortuna dicitur.

In arte igitur finis est; qua parte ab arte res proueniunt, & in hoc cum natura conuenit; vtraque enim est propter finem; quæ enim sunt a fortuna, non sunt propter finem, cum non sint secundum causarum particularium intentionem.

Eadem autem causa est ijs, &c. 11

Tertium theorema est, in causis, & effectibus, quæ simul sunt eodem modo variari causam, quo effectus, quantum ad temporum veritatem, vt; quare est ecclypsis? quia est interpositio; quare fuit ecclypsis? qa fuit interpositio; quare futura est? quia futura est interpositio: ponit exemplum aliud præteriti, quare glacies est? reducas ad complexum sumpta significatione nominis, vt supra diximus, & nota hunc locum: reduces sic, quare aqua est congelata? quia est exhalata, puta quia partes calidæ prorsus euaporatæ sunt, & calor recessit, & hoc idem potest variari secundum quamlibet temporis differentiam.

CAPVT. XII.

IN ijs uerò quæ non simul sunt, an ne sunt in continuo tempore? quemadmodum videtur nobis alias aliarum causas esse? ipsius quidem facti factam alteram, & futuri alteram futuram, & ipsius fieri, si quid prius factum fuit. 1

Ex

2 *Est utique posterius facto syllogismus, principium autem & horum ipsa facta; quare & in ijs quæ fiunt consimiliter: à priori uerò non est, ut quoniam hoc factum fuit, quia hoc posterius factum fuit, & in futurum consimiliter: neque enim indefiniti, neque definiti erit temporis. quare quoniam hoc uerum est dicere factum fuisse, hoc autem est verum dicere factum fuisse, posterius, in intermedio namq; falsum erit dicere hoc iam altero facto. Eadem autem ratio & in futuro.*

3 *Neque quoniam hoc factum fuit, hoc erit: medium enim congenitum oportet esse, factorum factum, & futurorum futurum, eorum quæ fiunt quod fit, entium ens: id verò quod fuit, & id quod erit non contingit esse congenitum. Amplius neq; indefinitum contingit esse tempus intermedium, neq; definitum, falsum enim erit dicere in intermedio.*

4 *Considerandum autem quid est ipsum continuum, vt post ipsum factum esse, ipsum fieri sit in rebus, an manifestum est, quod non est contiguum facto, quod fit, neque enim factum facto: termini namque sunt & indiuidui.*

5 *quemadmodum igitur neque puncta sunt subinuicem contigua, neque facta, ambo enim indiuidua sunt, neque utique quod fit facto propter idem, nam quod fit, diuisibile est, factum autem indiuisibile: quemadmodum igitur linea ad punctum se habet, ita quod fit ad factum: insunt enim infinita facta in eo quod fit: magis autem manifestè in vniuersalibus de motu oportet dici de his.*

6 *De eo igitur quod est, quomodo, cum generatio consequenter sit, se habeat medium, quod est causa; in tantum acceptum sit: necesse est enim & in his medium, & primumm immediata esse, vt A. factum fuit, quoniam C. factum fuit, posterius autem C. factum fuit: prius autem A. principium autem G. eo quod proximius ipsius tunc est, quod est principium temporis, C. verò factum est, si D. factum est: cum igitur D. fit, necesse est A. factum esse, causa autem est C. cum enim D. factum est, necesse est C. factum esse, C. autem facto necesse est prius A. factum fuisse. Ita verò accipienti medium, stabitur alicubi in immediatum, an semper extra cadet propter infinitum? non enim est contiguum factum facto, quemadmodum dictum fuit, sed incipere tamen necesse est à medio, & ab ipso nunc primo. Similiter autem & in ipso erit. si enim uerum est dicere, quod erit D. necesse prius uerum dicere, quod A. erit, huius autem causa ipsum C. si enim D. erit, prius ipsum C. erit, si uerò C. erit, prius ipsum A. erit; similiter autem infinita est sectio & in his: non enim sunt futura contigua inter se. principium vero & in his immediatum accipiendum est.* (5. Phy. c. le continuo & cōtiguo & alibi.)

*Se habet autem sic in operibus, si facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides, & factum fuisse hoc * propter quid: quoniam necesse est fundamentum factum fuisse, si quidem & domus facta fuit: si verò fundamentum est, prius lapides factos fuisse necesse est. Rursus, si erit domus, consimiliter prius erunt lapides (monstratur autem per medium similiter) erit enim fundamentum prius.*

* Nonnulli codices nō habent illud propter quid.

1 *In his autem quæ non simul sunt, &c.*

CVm in tertio theoremate præcedenti, de causis & effectibus; quæ simul sunt locutus esset, nunc de causis & effectibus quæ non simul sunt, sed successione procedunt, quærit, an talia, licet simul non sint, saltem in continuo sint tempore, vt cum fundamenta, & muri, & domus fiunt, an sint continuò tempore, sicut videtur nobis communiter, ita vt effectus facti sit altera causa prius facta continuo tempore, & futuri futura, & eius quod fit aliqua præcedens, licet simul non sit omnia.

2 *Est igitur a posterius facto syllogismus, &c.*

Antequam quæstionem determinet, statuit modum demonstrandi in similibus causis, docens in his quæ facta sunt procedendum à posteriori ad prius factum, & similiter in his, quæ futura sunt à posterius futuro ad prius: sic, facta est domus, ergo facta sunt fundamenta, futura est domus, ergo futura sunt fundamenta: non licet autem à prioribus procedere, ac propterea vocat syllogismum, non autem demonstrationem.

3 *Neque enim infinito, an finito erit tempore, &c.*

Probat, quod non sit verum dicere, quia prius est factum posterius esse factum, nec signando tempus certum & finitum, nempe quia hoc est factum, illud tali die est factũ, nec non signando tempus vllum, sed infinite & indeterminate, neutro enim modo est verum dicere, quia prius factum est nempe fundamenta factum est posterius, puta domus, quia sumendo tale tempus intermedium, erit quidem verum dicere factum est prius, non autem posterius. Idem dicendum est de futuro.

4 *Neque quoniam hoc factum est hoc erit, &c.*

Non solum a priori ad posterius non valere contendit in facto, uel futuro esse, sed nec a facto ad futurum valere probat, non enim licet dicere, quia fundamenta facta sunt, domus erit, primo quia medium, & quod per medium probatur debent esse contemporanea, & congenita, ut vtrumque futurum, aut vtrumq; præteritum, aut utrumq; in esse aut in fieri, at factum esse & futurum non sunt simul congenita; præterea quia siue sit certum tempus, siue incertum in quo futuram esse domum dicatur, in medio tempore falsum erit dicere, quod erit, cum impediri possit, etsi fundamenta posita sint.

Speculandum ergo quid est continuum, &c. 5

Conatur modo respondere ad propositam quæstionem de continuitate temporis effectus & causæ quæ simul non sunt, ac dicit quod oportet speculari quid sit continuum, erit enim manifestum quod factum est, nec cum fieri, nec cum alio factum esse sit continuum, nam facta esse sunt, sicut puncta in linea, fieri uerò sicut ipsa linea; ut igitur punctum non est continuum puncto, cum indiuisibilia sunt, nec linea puncto, quia posito aliquo puncto non dabitur pars lineæ, ita immediata pũcto illi, quin detur alia minor uersus illud punctum, ita nec factum esse cum facto esse, nec cum fieri continuũ est. at quia hoc excedebat limitis logicos, remittit se ad libros Physicorum, in quibus de motu in uniuersali tractatur.

De eo igitur quomodo cum eo, &c. 6

Ostendit hæc solum dicta esse, ut ostendatur quomodo in his quæ consequenter, & successiuè fiunt sit causa media accipienda, nam cum causa media debeat esse immediata extremo maiori, oportuit cognoscere, quomodo ista immediata sint, licet aliquid ex Philosophia misceatur. Quo autem modo sint immediata docet, primo reperendo principium quod sit, hoc autem est ultimum factum esse, per hoc enim probamus prius, ut A. esse, nempe fundamenta, quia C. est nempe, quia muri facti sunt, & muros factos, quia D. nempe domus est, semper autem ultimum dicitur principium, quia proximum est ipsi nunc præteriti, quod dicitur principium temporis.

Hic nota quod sicut in linea datur principium incipiendo extrinsecè, nempe a puncto primo uersus lineam, non autem datur principium a linea uersus punctum, ita datur Nota.

tur principium a facto esse incipiendo, quod nunc, versus, antecedentia, non tamen a prioribus factis esse incipiendo, ac ob id principium primum debet esse, quod vltimum est, ac ob hoc ad priora procedendum in prioribus autem non est dare primum factum esse, sicut datur vltimum factum esse, ac ob id a posteriori sumendum est principium eadem est ratio in futuro, ab eo enim quod posterius est, principium sumi debet.

7 *Hoc autem se sic in operibus, &c.*

Docet quamuis in tempore non detur ista immediatio vnius facti esse cum altero facto esse, uel cum fieri, tamen ea quæ facta sunt habere hanc immediationem, & in his non esse processum in infinitum uersus priora: nã domus facta est, ergo lapides decisi sunt, quia fundamenta sunt, quod est medium, datur igitur immediatio in rebus, licet non in tempore. hæc pro capite sufficiant, sunt enim ista philosophica.

CAPVT XIII.

1 *QVoniam autem uidemus in ijs quæ fiunt, circulo generationem quandam esse, contingit hoc esse, si quidem sequantur se inuicem medium & extra: in his enim ipsum conuertere est: monstratum uero est hoc in primis, quod conuertuntur conclusiones, quod autem circulo hoc est, in operibus autem apparet sic; madefacta terra, necesse est uaporem fieri, hoc autem facto nubem, hoc autem facto aquam hoc autem facto, necesse est madefactam esse terram. hoc autem erat, quod a principio, quare circulo circuiuit, uno enim ipsorum quocunque existente, alterum est, & illo aliud, & hoc primum.*

2 *Sunt autem nonnulla quidem quæ fiunt uniuersaliter, namque & semper & in omni, aut sic se habent, aut fiunt, alia uerò semper quidem, non ut plurimum autem, ut non omnis homo masculus barbam emittit, sed ut plurimum.*

Talium itaque necesse est, & medium, ut plurimum esse, si enim A. de B. uniuersaliter prædicatur, & hoc de C. uniuersaliter, necesse est A. de C. semper, & in omni prædicari, hoc enim est uniuersale, & in omni & sẽper, sed supponebatur ut plurimum: necesse est igitur & medium, ut plurimum esse, quod est, in quo B. erunt igitur & eorum, quæ ut plurimum, principia immediata, quæcunque, ut plurimum ita sunt, aut fiunt.

Quoniam autem uidemus in ijs, &c. 1

CVm in his, quæ simul non sunt causis effectibus a posteriori argumentũ sumendum esse docuisset, nunc docet in quibusdã etiam quæ non simul sunt, nihil referre a posteriori, vel si priori incipere, hæc autem sunt quæ mutuo & circulo quodam non in indiuiduo, sed specie generantur ad inuicem: & in his conclusionis præmissas, & præmissæ conuersim conclusiones ostendunt, ut prius dictum est, nempe secundo Prior. cap. 5.

Verbi gratia, sit terra madefacta est, uapores erunt si uapores; erunt nubes, si nubes, pluuia, si pluuia, terra erit madefacta, vnde est circulus; & in his per uapores futuras pluuias, & per pluuias uapores etiam futuros, probare possumus, neutrum enim in specie habet rationem ueram prioris, aut posterioris.

Sunt autem quædam, quæ fiunt uniuersaliler, &c. 2

Theorema quoddam constituit, tale esse medium oportere, quale id quod probatur, sunt enim quædam quæ semper sunt, aut sunt sine defectu, quod triangulus habeat tres angulos, quod sol oriatur, quod occidat quædam quæ frequenter eueniunt, licet aliquando deficiant, vt quod vir barbam habeat, quod pluuiæ sint in hyeme eorũ igitur

quæ semper sunt aut fiunt, & medium debet esse semper in his uero quæ plerunq; & medium etiam plerunque & probat secundum, nam si A. dicitur de S. semper. & B. de C. semper, & A dicitur de C. semper, non ergo plerumque, vt dicebatur, vnde per principium de omni, medium semper non erit ipsius plerunque erit ergo quod est plerumque sine medio, aut medium debet esse etiam plerumque, ut dictum est.

De compositione definitionis ex suis partibus, & quando sunt ignotæ quo pacto venentur. Cap. XIIII.

1 *QVomodo igitur ipsum quid est in definitione assignat, & quomodo demonstratio, aut definitio est ipsius, aut non est, dictum est prius. Quomodo autem oportet venari, quæ in eo quod quid est prædicantur, nunc dicamus. Eorum igitur, quæ insunt semper vnicuique nonnulla extenduntur in plus, non tamen extra genus dico autem in plus ineße, quæcunque insunt quidem unicuique uniuersaliter, at vero & alij veluti est impar, quod omni inest trinitati, sed & non trinitati, quemadmodum ens inest trinitati, sed & non* numero : sed & impar in est omni trinitati, & in plus inest, nam & quinario inest, sed non extra genus: quinarius enim est numerus nihil autem extra numerum, & impar.*

* a.l. trinitati.

2 *Talia itaque accipienda sunt vsque ad hoc, quousque tot accepta fuerint primum, quorum vnumquodque quidem in plus inerit, omnia verò non in plus sunt : hanc enim necesse est eße substantiam rei : vt trinitati inest omnis numerus, impar, primus utroq; modo, & vt non mensuretur numero, & vt non componatur ex numeris : hoc igitur iam est trinitas, numerus impar, primus, & ita primus horum enim vnumquodque, alia quidem imparibus omnibus insunt, vltimum verò & dualitati, omnia autem* nulli.*

* a l. nulli, nisi tria.

3 *Quoniam verò declaratum est a nobis in superioribus, quod necessaria quidem sunt quæ in eo quod quid est prædicantur, vniuersalia verò necessaria sunt, trinitati autem, & cuilibet alij sic accipiuntur in eo quod quid est, quæ accipiuntur sic, ex necessitate quidem eßent vtique trinitas hæc. quod autem substantia sit. ex his planum est : necesse enim est, si non hoc esset trinitatis esse, vt genus aliquid esse hoc, aut nominatum, aut innominatum : erit igitur in plus quam trinitati inexistens. supponatur enim tale esse genus, vt insit secundum potentiam in plus. si igitur nulli inest alij quam indiuiduis trinitatibus, hoc vtique esset trinitati esse, supponatur enim, & hoc substantia vniuscuiusque esse, quę est in indiuiduis vltima talis prædicatio : quare consimiliter & alij cuicunque ita monstratorum eidem esse erit.*

4 *Oportet autem, quando totum aliud negotietur quispiam, diuidere genus in indiuidua specie prima, vt numerum in trinitatem & dualitatem : postea sic illorum definitiones tentare accipere, vt rectæ lineæ de circuli, & recti trianguli, post hæc autem accipientem quid est genus, veluti vtrum quantorum, aut qualium proprias passiones speculari per communia prima accidentia.*

5 *Namque ijs, quæ componuntur ex indiuiduis, ex definitionibus erunt plana, eo quod principium est omnium * definitionum ipsum simplex & simplicibus solis per se insunt accidentia,*

* al. l. definitio, & ipsum simplex.

tia, alijs vero secundum illa.

6 *Diuisiones autem quæ sunt secundum differentias, vtilitas sunt ad ita pertranseundem, ut tamen monstrant, dictum est in præcedentibus: vtiles verò essent ita solum ad syllogizandum ipsum quid est. At qui videretur utiq; nihil, sed statim accipere omnia, ac si quispiam à principio acciperet absque diuisione.*

Differt autem aliquid primum & posterius eorum quæ prædicantur prędicari, ut dicere, animal mansuetum bipes, aut bipes animal mansuetum: si enim omni ex duobus est, & unum quiddam est animal mansuetum, & rursus ex hoc & differentia, homo, aut quodcunq; est, quod unum sit, necessarium est diuidente petere.

7 *Amplius ut nihil derelinquatur in eo quod quid est ita solum contingit, quando enim primum acceptum sit genus, si inferiorum quidem aliquam diuisionum accipiat, non incidet omne in hoc: ut non omne animal aut integrit aut scissis pennis est, sed pennarum animal omne, huius enim differentia hæc, prima uero differentia est animalis in quam omne animal incidit: similiter autem & aliorum uniuscuiusque, & extrinsecorum, & generum eorum quæ sub ipso, ut auis, in quam omnis auis, & piscis, in quam omnis piscis: ita igtitur procedenti est scire, quoniam nihil derelictum fuit, aliter autem & derelinquere necessarium est, & non scire.*

8 *Nihil autem opportet definientem, & diuidentem omnia scire entia, quamuis impossibile dicunt esse aliqui, differentias scire, quę sunt ad unumquodque non scientem unumquodque, sine autem differentijs non esse vnumquodque scire: à quo enim non differt, idem esse huic, a quo autem differt, alterum ab hoc. Primum quidem igitur hoc falsum est. non enim secundum omnem differentiam alterum est: multæ enim differentię insunt eisdem specie, sed non secundum substantiam, neque per se.*

Postea, quando acceperit opposita & differentiam, & quod omne incidit hinc aut inde, & acceperit, in altero quod quæritur esse, & hoc cognoscat, nihil differt scire, aut non scire, in quibuscunque prædicantur alijs differentiæ: manifestum enim est, quoniam si ita procedens uenerit in hæc quorum non amplius est differentia, habebit rationem substantiæ, omne autem incidere in diuisionem, si sint opposita, quorum non est medium, non est petitio: necesse est enim omne in altero ipsorum esse, si quidem illius differentia erit.

Ad construendam uerò definitionem per diuisiones, tria oportet coniectare, ut accipiantur quæ prædicantur in eo quod quid est? & hæc ordinare quid primum, aut quid secundum est; & quod hæc omnia sint. 10

Est autem horum vnum primum per id, quod possumus, quemadmodum ad accidens, syllogizare, quod inest, & per genus construere: ordinare autem ut oportet, erit, si primum acceperit, hoc autem erit, cum acceptum fuerit, quod omnibus sequitur, illi autem non omnia, necesse est enim esse aliquid tale: hoc tamen accepto iam in inferioribus idem modus est, secundo namq; aliorum primum erit, & tertium consequentium, ablato .n. superiori, quod consequitur aliorum primum erit: consimiliter uerò & in alijs. Quod autem omnia 11

omnia hæc sint, manifestum est ex eo quod accepit: & primum secundum diuisionem, quoniam omne, aut hoc animal est: inest autem hoc, & rursus huius totius differentiam, vltimi verò non amplius esse differentiam, aut & statim cum vltima differentia à toto non differre specie hoc: manifestum enim quod neque plus adiacet.

12 *Omnia enim in eo quod quid est accepta sunt horum, neque deficit vllum: aut enim genus, aut differentia vtique esset. genus quidem igitur & primum, & hoc quod cum differentijs assumitur: differentiæ verò omnes habentur, non enim amplius sunt posteriora specie: namq; differret vtique ipsum ultimum, hoc autem dictum est non differre.*

13 *Quærere uerò oportet inspicientem ad similia & indifferentia: primum quid omne idem habent, postea rursus in alteris, quæ in eodem quidem genere sunt cum illis: sunt autem ipsis quidem eadem specie, ab illis autem altera: quando autem in his acceptum fuerit aliquid omnino idem, & alijs consimiliter in acceptis omnino considerare, si idem, quousque ad unam deuenerit rationem, hæc enim erit rei definitio: si uerò non processerit in vnam, sed in duas, aut plures, planum quod non esset utique unum aliquid quod quæritur, sed prima.*

14 *Vt dico, si quid est magnanimitas quæreremus, considerandum in quibusdam magnanimis, quos scimus, quid habent unum omnes in quantum tales, ut si Alcides magnanimus, aut Achilles, & Aiax, quid unum omnes habent? non tolerare iniuria affecti, ille enim bellauit, iste autem iratus est, hic uerò interemit seipsum. Rursus in alijs, ut Lysandro, aut Socrate, si utique indifferentes sunt, & bona & mala fortuna affecti: hæc duo capiens considero, quid idem habent, & non impassibilitas circa fortunas, & non tolerantia cum iniuriantur; si verò nihil duæ utique species essent magnanimitatis.*

Semper autem est omnis definitio uniuersalis: non enim alicui oculo dicit salubre Medicus, sed aut omni, aut specie determinans. 15

Quo quidem sit quod quid est, &c.

Postquam quomodo quod quid est definiatur, & qualiter in demonstratione ostendatur ostensum est, proponit se dicturum qua uia definitionem uenari possimus, definitio autem, aut est alicuius speciei specialissimæ, aut alicuius generis subalterni. incipit autem a methodo definiendæ speciei. vt uult Themist. & Philop. 1

Ante omnia uerò diuisionem prædicatorum essentialium statuit: quædam, inquit, essentialiter prædicantur de specie, ita tamen ut excedant genus illius speciei, sicut ens prædicatur de ternario, excedit tamen genus ipsius, nempe numerum, similiter prędicatur quantitas, excedit tamen. quædam uero essentialiter prædicantur, in plus tamen, ita ut excedant speciem illam, non tamen genus, sicut impar, primum, insunt ternario in plus, quia aliis etiam numeris insunt, non soli ternario, sed non excedant numerum, cum non nisi numeris insint. ita fit etiam in aliis speciebus.

Huiusmodi igitur accipienda sunt, &c. 2

Distinctione prædicatorum essentialium de specie; proposita, methodus consistit in hoc, vt circa speciem definiendam tot prædicata essentialia sub illo genere sumamus, quousque omnia simul iuncta soli illi insint speciei, licet singula separata excedant speciem.

Verbi gratia est definiendus ternarius, cuius genus est numerus, sumam de ternario essentialia omnia, nempe quod est impar, quod est primus vtrobique, & quamuis ista singula sint communia per se. (nam

impar

impar inest etiam quinario, primus vtrobique binario) tamen totum simul soli ternario inest.

Nota. Aduerte dupliciter dici numerum primum, vno modo, quia sola vnitate mensuratur, & non numero aliquo, sicut ternarius, quinarius, septenarius, & alij: altero modo, quia non componitur ex numeris, quomodo soli binarius, & ternarius primi dicuntur: vnde vterque dicitur primus vtrobique, idest, quia nec mensuratur numero, nec cõponitur numeris. si igitur primus, consideretur per se, inest binario, impar per se, inest alijs, totum vero ternario soli, atque hæc est via definiendi speciem, quæ magis deseruit pro indaganda differentia, quæ difficilius cognoscitur.

3 *Quoniam autem ostensium a nobis, &c.*

Probat prædictam orationem esse definitionem ipsius ternarij, & primo probat esse necessarium prædicatum, sic, in quid prædicata prędicantur necessario, illa talia prędicantur in quid, vt notum est, ergo necessaria sunt. maior patet, quia in quid prædicata vniuersaliter prædicantur, vniuersalia autem necessaria sunt. idem dicendum in alijs omnibus à ternario, sed quòd sit substantia, & definitio probatur, illa oratio prædicatur in quid de ternario, ergo vel est genus vel definitio: non genus, quia competeret alijs à ternario: genus enim superius est, ergo est definitio, cum definitio sit oratio quæ in quid, & soli inest. Dices, quomodo illæ differentiæ prædicantur in quid? respondet Philop. differentiam per se in quale quid prædicari, at in definitione simul cum ipso genere prædicatur in quid, definitio, enim in quid prædicatur.

*Qõ. an sit ultima differentia simplex speciei specialissimæ. 1. opin. D.Tho. Hic est * vna difficultas notanda, an vnius speciei specialissimæ vna sit ultima differentia conuertibilis cum specie eadem, Sanctus Thomas hoc loco lect. 13. respondet, quamlibet speciem specialissimam habere vnicam vltimam differentiam conuertibilem cum ipsa, at quia tales differentiæ sint ignotæ, circumscribimus illam per uaria accidentia communia simul coniuncta, quæ dicuntur essentialia; quia formam rei essentialem circumscribunt; non autem circumscribimus per accidentia priopria, quia per talem definitionem oportet demonstrare ipsa propria de specie.

Ratio D.Tho. Ratio Sancti Thomæ est, quia cum differentia sumatur à forma, sit autem vnica forma ultima in specie, erit etiam & differentia ultima hoc idem Alb. tract. de differentia. cap. 5. & in præsenti cap. & uidetur hoc idem docere Aristot. 7. Metaphy. cap. 12. tex. 43. ubi differentias ultimas cum specie conuerti docet, & primo de partibus animal. cap. 1. esse species, inquit, quæ unica indigent differentia. Simplicius cap. 5. ante prædic. docet Porphyr. differentias, ut in plurimum definijsse, hæ autem cõmunes sunt: ubi insinuat non deesse ultimas differentias.

2. Ratio Porhy. at Porphyr. differentiam ultimam specificam nullam uidetur facere, sed solum illud aggregatum ex multis communibus, quem alij quoque sequuntur.

1. Ratio Pro hac opinione esse uidetur, quod potest fieri, ut omnes gradus, qui sunt alicuius formæ rei, inueniantur seorsum in uarijs rebus licet simul iuncti non nisi in illa re. & profecto hoc in homine constat, nam forma ipsi est principium uitæ, quem gradum in formis plantarum inuenimus, est etiam principium sentiendi, qui gradus est in brutis, est etiam principium intelligendi, qui gradus est in Angelis; at simul intelligendo, non est nisi in homine. nam si tu dicas, intelligere homini esse cum discursu, ac ob id non inueniri in Angelis, dicent hi, nihil aliud esse intelligere cum discursu, quam intelligere coniunctum sensitiuo, vnde qui dicit rationale, dicit duo, nempe intellectiuum cum sensitiuo, unde iuxta istorum sententiam ista erat exacta hominis definitio, substantia intellectiua sensitiua.

Et quamuis hæc opinio non careat probabilitate, tamen non est negandum posse esse differentias ultimas simplices ultimarum specierum, cum possint multis inesse simplices gradus formæ Solis speciebus competentes, quamuis hoc forte non sit demonstrabile, est tamen probabilius quam contrarium.

Congruum autem est cum totam, &c. 4

Alteram constituit methodum pro genere

nere subalterno definiendo, generalissima enim non habent definitionem, methodus autem consistit in tribus; primum est, ut tali genere proposito fiat eius diuisio in suas vltimas species. Secundum, ut singulæ definiantur, & sumatur id quod in eius inuentum fuerit commune, hoc enim erit differentia illius. tertium, ut prædicamentum illius inquiratur, in quo ipsius est genus, hoc autem fiet considerando proprietates ipsorum prædicamentorum, quæ in singulis prædicamentis superius expositæ sunt, & sic per rectam habemus definitionem.

Verbi gratia, uolo definire lineam, diuidam eam in suas species, rectam, & circularem; postea singulas definiam, recta est longitudo sine latitudine, cuius medium non exit ab extremis circularis est longitudo sine latitudine, cuius medio inest punctum, a quo lineæ omnes ductæ vsq; ad ipsam sunt æquales. sumam ab vtraque illud commune, nempe longitudinem sine latitudine, postea per proprietates quantitatis comperiam lineam esse quantitatem, & continuam, quia secundum eam est æquale unum alteri, & eius partes terminum habent cõem; dicam igitur, linea est quantitas continua, longa sine latitudine, atque hæc methodus est pro genere.

5 *Compositis enim ex athomis, &c.*

Vult Aristot. ostendere merito ad methodum definitionis generis vtendum esse definitionibus specierum, nam cum genera non sint nisi ex speciebus collecta, merito per ea quæ speciebus insunt ad genus ascendimus. cum in speciebus primo inueniantur & cognoscantur.

Litera autem sic est exponenda, secundum Themist. & Philop. quamuis aliter S. Thom. exponat cõuenientia compositis ex athomis, idest quæ insunt generibus, quæ ex vltimis, & individuis, illius speciebus componuntur, ex ipsarum specierum definitione erunt manifesta, propterea quod omnium principium est definitio, & quod simplex, idest generum & vniuersalium definitio simplicis speciei principium, & quæ insunt simplicibus speciebus, per se illis competere cognoscuntur, alijs vero, nempe generibus non nisi per species inesse illa percipiuntur.

Sed diuisiones, quæ sunt secundum differentiam, &c. 6

Philop. dicit duas vtilitates ex diuisione ad has methodos definiendi proponi, præmittit tamen non demonstrari definitionem per diuisionem, ut dictum est prius.

Prior vtilitas est ad ordinem inter partes definitionis, refert enim multum dicere homo est animal mansuetum bipes, vel bipes mansuetum.

Cuius rationem dat, nam semper partes præcedentes faciunt vnum genus, quod per bipes contrahitur, propterea multum refert unam partem, aut alteram præponere, quamuis ut dicit Aristot. hoc non demonstretur ex diuisione, sed accipiatur, tamen utilis est ad hoc diuisio, nam si recta si partes ipsius priores præponi debent, posteriores uero postponi.

Amplius nihil relinquendum, &c. 7

Altera vtilitas diuisionis est, ut nihil relinquatur in definitione, relinquatur autẽ, cum prætermittitur differentia proxime diuidens genus. signum autem cognoscendi quando differentiæ non sint generi adæquatæ, hoc est, cum enim ipsæ differentiæ non adæquãt ipsum genus vniuersaliter sumptum, non sunt proximæ, ut habere scissas pennas, & habere non scissas, sicut habent vespæ, muscæ, & vespertiliones, non sunt differentiæ proximæ animalis, cum non omne animal habeat pennas scissas, aut non scissas, hæc enim differentię auis sunt, atque hoc signum est pro cognoscendis proximis differentijs generi alicuius, & aliorum generum, quæ extra illud sunt, nempe superiorum, & eorum quæ sub illo sunt, atque ex hoc colligitur prædicta vtilitas ad definitiones.

Nihil tamen oportet definientem, 8 *&cæt.*

Excludit errorem quendam, quem Themist. & Philop. tribuunt Pseusippo nepoti Platonis: hic enim dicebat non posse cognosci differentiam alicuius, nisi cognoscantur omnia a quibus differt, sine differentia uero non cognosci quicquam, nam a quo non

non differt, est idem cum eo, a quo verò differt, est aliud ab eo, si igitur non cognoscitur res sine differentia, nec differentia, nisi alijs omnibus cognitis, non contingit diffinire, aut diuidere, nisi omnibus cognitis.

Hoc reijcit Arist. ac primo illud fundamentum refutat, nempe quod differt ab alio alterum est ab eo, hoc docet esse falsum, nã indiuidua vnius speciei differunt ab inuicẽ, non tamen vnum dicitur alterum, idest diuersum in substantia ab alio, cum non omnis differentia sit essentialis, ex quo fit, vt ad cognoscendum quid res sit, non sit opus omnia cognoscere, cum saltem indiuidua illius speciei non sit opus cognita habere.

9 *Postea cum accipiantur omnia, &c.*

Respondet modo non opus esse cognoscere omnia in particulari, a quibus res differt, sed si genus diuidatur per duas differentias, in quibus non sit medium, aut per plures, & diffinitum accipiatur in una, satis erit, vt cognoscatur differre ab omnibus alijs, quibus inest opposita differentia, licet non cognoscã tur illa omnia in particulari, ut satis est scire omne animal esse aut rationale, aut irrationale, & hominem esse rationalem, ut cognoscatur ab alijs omnibus animalibus differre, quamuis in particulari non cognoscantur, sed vniuersaliter nempe esse irrationalia.

Quod si dicas, vnde sciam omne animal esse rationale, aut irrationale? forsan erit aliud respondet Arist. non posse esse aliud, quia differentiæ sunt immediatæ oppositæ ob id non petitur principium, quando nulla alia statuitur, quod si per huiusmodi diuisiones procedamus, non oportebit omnia in particulari cognoscere, sed tantum rem definiendam esse sub oppositis differentijs.

10 *Ad probandum autem terminum per diuisiones, &c.*

Post methodos definiendi traditas, vult docere diuisionem esse vtilem ad definitionem probandam, non quidem demonstratiuè, ut dictum est, sed alio probationis genere. ad hoc autem oportet tria in diuisione obseruare, primum est, ut non accipiantur in diuisione, nisi tantum essentialia, & non accidentia aliqua alterum, vt ordinate, accipiantur talia prædicata, vt primum sit loco primo, secundum loco secundo, & sic consequenter. tertium, ut sumantur omnia membra diuisionis, vsque ad vltimam speciem, uel vsque ad illud quod definiri debet.

Et autem unum horum, &c. 11

Ostendit modum quo ista in diuisione obseruari possunt, primum quidem obseruabitur examinando talia prædicata per problemata generis, sicut examinatur accidens per sua problemata, idest per præcepta quæ dantur ad determinanda problemata accidentis, vel generis.

Obseruabitur secundum, si primum prædicatum fuerit primo loco, illud autem est primum, quod sequitur omnia alia, non tamen omnia alia sequuntur & inferuntur ex ipso, ut viuens est primum quam animal; nã omne animal est viuens, non econtra omne viuens animal, & idem obseruabitur in sequentibus, nam semper respectu sequentium antecedentia dicuntur prima, & eodem modo sunt examinanda.

Obseruabitur verò tertium duplici signo, primo ne intermedia prætermittantur, sumendo differentias adæquatas, quod cognoscitur, quando genus vniuersaliter non continetur sub illis. uam cum adæquatæ sunt, exactè diuidunt genus vniuersaliter sumptũ, ut diximus paulo superius in hoc capite. secundo, ut diuisio procedat vsq; ad vltimum, quod cognoscetur, quando iam amplius sub illo toto non possumus differentiam sumere, vel si sumamus, est idem cum ipso toto, vnde quando peruentum est ad hominem, scimus absolutam esse diuisionem, quia sub hominem non licet differentiam sumere, uel si differentia sit, puta rationale, est conuertibilis, & idem cum homine, diuisiua uerò differentia debet esse inferior.

Omnia eum in eo, quod quid est, &cæt. 12

Probat modo per talem diuisionem rectè colligi, & probari definitionem, nam omnia prædicata ista sunt essentialia, non ergo est quid superfluum, similiter, nihil erit diminutum, nam non deest genus, cum ac-

cum

ceptum sit primum genus, non deest differentia, quia omnia intermedia vsque ad vltima accepta sunt, erit ergo bona per talem diuisionem accepta definitio.

13 *Quærere autem oportet intendentem, &c.*

Intentio Arist. Non conuenit inter omnes expositores quid Arist. hic intendat. Sanctus Tho. enim vult, vt hic tradatur alia methodus definiendi speciem per resolutionem, Alber. uero & Aegid. ut tradatur hic methodus definiendę passionis ipsius speciei, at potius mihi uidetur dicendum cum Themist. & Philop. quod Aristo. doceat modum separandi ęquiuocum a genere, quia sæpe accipit, ut videantur genera, quæ tamen sunt æquiuoca, traditur autem hic uia hoc dignoscendi

Via autem hæc consistit in his primo ut illius propositi generis sumamus illa singularia quæ censentur unius speciei, & considere mus ea in quibus sunt similia & in differentia. secundo ut sumamus alia singularia, quæ censentur vnius esse speciei inter se, diuersa tamen a priori sub illo genere, & pari ratione consideremus similia in his & indifferentia. tertio, vt utraque comparemus, & uideamus an in aliquo communi conueniat in illis similitudinibus reperto, si enim hoc est erit huius communis definitio, si uero ratio non est vna communis est æquiuocum tale propositum, & non est definiendum.

Verbi gratia, volo definire animal, diuidã in singularia hominis, & quæram an habeant aliquid commune, quo dicuntur animal, & inueniã esse sensibilia rationalia. postea sumam indiuidua leonis, & inueniam esse sensibilia rugibilia, quod si utraque comparem, commune inueniam, nempe sensibile, ob id igitur animal uniuocum & genus erit.

14 *Vt dico, quid est magnanimitas, &c.*

Exemplum proponit Arist. si uelis quid sit magnanimitas definire, prius considera eos qui magnanimi dicuntur unius speciei magnanimitatis, vt Achilem, Aiacem Alcibiadem, hi magnanimi dicuntur quia noluerunt pati iniuriam, Aiax enim occidit sed propterea quod arma Achillis fuerunt sibi denegata, Achilles uero abstinuit se a bello propter Briseidem raptam ab Agamemnone, Alcibiades pugnauit contra suos, quia propter accusationem a bello fuit reuocatus omnes hi conueniunt in hoc, quod uindictam sumebant illatæ iniuriæ.

Postea considera alios magnanimos alterius speciei, scilicet Socratem, & Lysandrũ, hi enim magnanimi dicti sunt, quia æquo animo se habent, tam in aduersis, quam in prosperis.

Si uero fiat comparatio inter has magnanimitates, nihil inuenietur commune, ut uolunt Græci, propterea non erit unica magnanimitatis definitio. Sanctus Thomas vult, quod sit aliquid commune, nempe quod omnes se dignos magnis existimabant, ac inde procedebat uel uindicare iniuriam, uel nihili facere. & utraque expositio conuenit textui.

Semper est enim omnis definitio vniuersalis, &c. 15

Ne quis cum singula considerata sint ea definiri existimaret, docet definitiones, non esse singularium, sed vniuersalium solum & communium, ut Medicus non considerat sanitatem huius uel illius oculi, sed in communi, nempe oculi in vniuersali, aut in specie, puta oculi colerici, sanguinei, uel alterius, itaque definit.

Aduerte Medicum habere speculationem & praxim, quantum ad speculationem respicit vniuersale, quantum ad praxim, & operationem respicit singulare. Sunt autem in singulari tria consideranda, & natura illius, & singularitas, & in totum simul suppositum, nam est principium quo, actionis vel passionis, quia per quam fit actio uel passio. singularitas est conditio necessaria actioni, uel passionis, quia non est actio physica, quæ non sit in singulari, similiter passio, dico physicam, quia intellectus operatio fertur in vniuersale, ac totum suppositum est, quod agit uel patitur, agere enim vel suppositum est. Nota

CAP.

CAPVT XV.

Facilius autem est singulare definire, quam vniuersale. quapropter oportet singularibus ad vniuersalia transire: æquiuocationes etenim latent magis in vniuersalibus quam indifferentibus. Quemadmodum autem in demonstrationibus oportet esse ipsum syllogizatum fuisse, ita & in definitionibus manifestum est: hoc autem erit, si per ea quæ singulariter dicuntur, sit in vnoquoque genere definire seorsum, vt simile non omne, sed quod in coloribus, & figuris; & acutum, quod in voce, & ita in commune progredi obseruantem, ne æquiuocatio incidat. Si vero nequæ disputarè oportet translationibus, planum quod neque definire, neque translationibus, neque quæcunque dicuntur translationibus: disputare enim necesse erit in translationibus.

1 *Facile autem est magis definire singularia, &c.*

Intentio Aristot. EX præcedenti doctrina infert vnum, facilius esse definire singularia, idest minus vniuersalia, quam communia, unde oportet ex definitione inferiorum ascendere ad superiora.

Probat primo, quia æquiuocatio impedit definitiones, hæc autem est frequentior in vniuersaliori, propter amplitudinem eorum, quam in minus vniuersalibus quæ non habent similitudinem, cum æquiuocis.

Probat secundo, sicut demonstratio debet syllogizare, ita definitio declarare, sed clarior est definitio quæ incipit à particularibus, ut si uelis definire simile, acutum, quę communia multis sunt, melius erit, vnumquodque per se definire, nempe simile in coloribus, simile in figuris, similiter acutum in uoce, acutum in sono, & sic paulatim procedere attendendo, ne æquiuocum definiamus.

Ex quo reiicit modo definiendi metaphoricum, qui obscurus est, ut enim non est disputandum per metaphoras, ita nec definiendum, si enim definitiones essent, essent etiam disputationes.

Hic attende, quod hic non intendit docere speciem prius definiri quam genus, sed à toto genere, loquendo facilius est, & securius definire particu aria, quam communia, de quibus non constat esse genus. hoc non prohibet quin incipientes a genere, ipsum prius definiamus. Nota.

Quo pacto problemata habeantur tũ diuisione, tũ etiã proportione. Caput XVI.

AD hoc autem quod habeamus problemata, eligere oportet & decisione, & diuisione, ita vero eligere supponentem genus commune omniũ, vt si animalia essent, quæ speculata sunt, qualia omni animali insunt: his autem acceptis rursus reliquorum primo, qualia omne sequantur: ut si hoc est auis, qualia omnem sequãtur auem, & ita semper proxima: planum enim quod habebimus iam dicere, propter quid insunt consequentia ijs, quæ sunt sub communi, vt propter quid homini aut equo insunt. sit autem animal, in quo A. B. vero consequentia omne animal: in quibus autem C. D. E. aliqua animalia: planum igitur propter quid B. inest ipsi D. namque per A. consimiliter autem & alijs. Et semper in alijs eadem est ratio, nunc quidem igitur secundum tradita communia nomina dicimus. 1

Oportet autem non soulm in his considerare, sed & si aliud quid visum fuerit inexistens commune excipientem, postea quæ hoc sequitur, & qualia hoc sequuntur, vt cornua habentia habere erinaceum, & non vtrinque dentata esse: rursus cornua habere, quæ 2

sequitur

sequitur, planum enim propter quid illis inerit, quod dictum est, propter enim cornua habere inerit.

3 *Amplius autem alius modus est, secundum proportionale eligere: unum enim accipere non est idem, quod oportet uocare sæpium, & spina, & os erunt autem consequentia & his tanquam una quadam natura tali existente.*

4 *Eadem uero problemata sunt, hæc quidem eo quod idem medium habent, ut quoniam omnia* contra resistentia. horum autem quædam genere eadem sunt, quæcunque habent differentias eo quod aliorum, aut aliter sunt. ut propter quid resonat? aut propter quid apparet? & propter quid iris? omnia enim hæc idem problemata sunt genere, omnia enim sunt refractio, sed specie altera. Aliqua verò eo quod medium sub altero medium est, differunt problemata, vt propter quid Nilus decrescente mense magis fluit? quoniam hybernior decrescens est, & propter quid hybernior decrescens est? quoniam Luna deficit, hæc enim ita se habent inter se.*

* ἀντιπερισάσις præcedicit hoc est contrarij status.

1 *Vt habeamus proposita eligere oportet, &c.*

Intētio Aristot. HOc capite ostendit diuisionem, & decisionem, nempe considerationem cōmunis & uniuersalis abstracti a particularibus, & conducere ad determinanda & multiplicanda problemata, & ponit tria theoremata circa hoc quorum primum est, ut separatim consideremus uniuersalia & commune poterimus illa omnia de particularibus probare, & demonstrare.

Pri. theo. Vt sumamus animal, & quæ ei insunt secundum se consideremus, nempe somnum, vigiliam, sensum, motum localem, & alia postea de singulis animalibus eadem per animal medium demonstrabimus, & sic faciendum est in quolibet alio uniuersali unde fit abstratio & decisio illius communis, & considerantur quæ ei insunt, postea fit decisio, ut eadem de inferioribus demonstremus.

Oportet autem non solum in his considerare, &c. 2

Secun. theore. Secundum Theorema est, non solum oportere seligere ista communia, quæ nomina habent posita, sed quæcunque alia communia etiam si nominata non sint, & considerare ea quæ eis insunt, postea de illorum inferioribus demonstrare.

Vt considerare hoc commune, nempe habere cornua, & quid sequatur ex hoc, nempe non habere dentes superiores, & habere multos uentres, nam animalia quæ cornua habent, materiam dentium superiorum in cornua conuertunt, & ob id multos habent uentres, ut cibos postea ruminare possint, & ab uno in alium uentrem transferre, nam cum dentes non habeant, non ita facile possunt cibos conterere.

Per cornigerum igitur illa de animalibus habentibus cornua in particulari demonstrabuntur. Themist. per hoc commune intelligit genus innominatum, Alber. uero passionem aliquam cōem, etiam si non sit genus.

Amplius aliud modus est, &c. 3 Tert. Theorema.

Tertium theorema est, ut non solum commune uniuocum sumamus, sed etiam analogum, cum ea quæ probanda sunt analoga etiam sunt, ut seipsum, spina, & os nihil habent commune uniuocum, sed analogum, ut enim se habet os in terrestribus, ita spina in aquatilibus, & sepium in quodam pisce, qui sepia dicitur, tale proportionale est sumendum, & quæ communiter insunt inuestiganda, posterius enim per tale commune de singulis illa probantur.

Eadem autem proposita, &c. 4

Merito cum multa problemata unico medio docuerit determinari, ostendit illa omnia dici eadem problemata, quæ unico medio determinantur, sicut omnes quæstiones, quæ per antiperistasim probantur eędem dicuntur, ut quare fontes subterranei sunt frigidi in æstate, calidi in hyeme; quare

lucernæ

lucernæ viuaciores sint uigente frigore; quare fiant grandes in autumno; & similia problemata dicuntur eadem, quia eadem est causa nempe antiperistasis, i. obiecto contrarij.

Si medium fuerit idem specie, erunt problemata eadem specie, si genere similiter & problemata, ut quare sic appareat iris: quare fiat imago in speculo, quare echo in aere, omnium horum idem est medium genere, scilicet repercussio licet diuersa sit repercussio in illis tribus.

Dicuntur etiam eadem problemata, quæ vnicum habent medium, sed subordinatione quadam, nam illud est vnius medium & hoc postea est alterius medium, vt quare Nilus magis crescit in fine mensis lunaris. quia est tempus hyemalius finis mensis, iterum quare est tempus hyemalis tunc? quia Luna deficit, illa duo dicuntur eadem, quia ab vno eo medio pendent ordine tamen quodam.

Quomodo causæ & effectus se habeant inter se, & quo pacto causæ venentur, & an vnius effectus plures sint causæ. Cap. XVII.

1 *De causa vero & cuius causa dubitaret vtiq; aliquis, an quando est causatum & causa est, quemadmodum si fluunt folia, aut deficit, & causa fluendi folia, aut deficiendi erit, veluti, si huius est lata folia habere; ipsius vero deficere, est terram in medio esse: si enim non est, alia quædam erit causa ipsorum, siue causa est simul & causatũ, vt si in medio terra est, deficit, aut si latifolium est fluunt folia.*

2 *Si verò sic simul vtique essent, & monstrarentur per se inuicem. sit enim folio fluere, in quo A. latifolium uero in quo B. vitis autem in quo C. si itaque ipsi B. inest A. omne enim latifolium fluit folio, ipsi uerò C. inest B. omnis enim vitis est latifolia, ipsi C. inest A. & omnis vitis fluit folio, causa verò B. medium, sed & quoniam latifolio est vitis, est per folio fluere demonstrare. sit enim D. quidem latifolium, E. vero folio fluere, vitis autem in quo F. ipsi itaque E. inest E. folio fluit enim omnis vitis, ipsi autem E. D. omne enim folio fluens est latifolium, omnis igitur vitis est latifolia: causa autem est folio fluere.* 3 *Si verò non contingit causas esse sibi inuicem, causa enim prior est eo cuius est causa, & deficiendi quidem causa est in medio terram esse: quod autem in medio terra sit, non est causa ipsum deficere. si igitur per causam quidem demonstratio est propter quid, quæ verò non per causam ipsius quod, quod terra quidem in medio est nouit, propter quid autem non: quoniam ipsum deficere non est causa, quod sit in medio, sed hoc ipsius deficere manifestum est, in ratione namque ipsius deficere inest esse in medio: quare planum quod per hoc, illud cognoscitur, sed non hoc per illud.*

5 *An contingit vnius plures esse causas? si enim est idem de pluribus primum prædicari: sit A. ipsi B. primo existens, & ipsi C. alij primo, & hæc ipsis D. E. inerit igitur A. ipsis D. E. causa verò est ipsi quidem D. B. ipsi vero E. C. quare causa quidem existente, necesse est rem esse, re autem existente, non necesse est omne esse, quodcunque sit causa, sed causa quidem, non tamen omnis.*

4 *Aut si semper vniuersale problema est, & causa totum quiddam, & cuius causa vniuersale, vt folio fluere toto aliquo determinato, licet species ipsius sint, & his vniuersaliter, aut plantis, aut his plantis: quare & medium æquale oportet esse in his, & cuius causa, & conuerti. ut propter quid arbores*

folio

folio fluunt, si itaque propter congelationem humidi, & si folio fluit arbor, oportet esse congelationem, & si congelatio inest non cuicunque, sed arbori, est folio fluere.

5 *Vtrum autem contingit non eandem causam esse eiusdem omnibus, sed alteram, aut non? at si quidem per se demonstretur & non per se signum aut accidens? non potest fieri: namque ratio extremi medium est. si verò non ita contingit.*

Est autem, & cuius causa, & cui considerare secundum accidens, non tamen videntur problemata esse si vero non, similiter habebunt medium siquidem sunt æquiuoca, æquiuocorum medium est: si vero vt in genere similiter habebunt, vt propter quid & permutatim proportionale? alia enim causa est in lineis, & numeris, & eadem vtique, inquantum quidem linea, alia inquantum verò habens augmentum tale, eadem, ita & in omnibus: huius autem similiter esse colorem colori, & figuram figuræ, aliam alij: æquiuocum enim est similem in his hic quidem fortasse proportionabiliter habere latera, & æquales angulos in coloribus vero sensum vnum esse aut aliud aliquid tale: quæ verò secundum analogiam, eadem & medium habebunt secundum analogiam.

6 *Se habet autem. sic consequi, causa sibiinuicem, & cuius causa, & cui causa; singulum quidem accipienti cuius causa in plus est, vt extrinsecos æquales esse quatuor in plus, est quam triangulum, aut quadrangulum omnibus verò æqualiter: quæcunque enim quatuor rectis æquales esse extrinsecos, & medium similiter est autem medium ratio primi extremi; quocirca omnes scientiæ per definitionem fiunt, vt folio fluere simul sequitur vitem & excedit, & ficum & excedit, sed non omnes, sed æquale est: si igitur acceperis primum, medium ratio folio fluendi est: erit enim primum quidem in altera medium, quoniam talia omnia sunt postea huius medium, quoniam succus congelatur, aut aliud aliquid tale, quid autem est folio fluere congelari succum in contractu seminis.*

In figuris vero id assignabit, quærentibus assecutionem causæ & cuius causa, sit A. inexistens B. omni: B. vero vnicuique eorum, quæ D. in plus autem: B. vtique vniuersale esset ijs, quæ sunt D. hoc enim dico vniuersale, quod non conuertitur, primum vero vniuersale, cum quo vnumquodque quidem non conuertitur, omnia autem conuertuntur, & non excedunt: ipsis itaque D. causa est ipsius A. ipsum B. oportet igitur A. in plus quam B. extendi: si vero non quid magis causa erit hoc illius si itaque omnibus E. inest ipsum A. erunt aliquid illa vnum omnia aliud a B. si enim non, quomodo erit dicere, quod cui inest E. ipsum A. omni inest: cui vero A. non omni ipsum E. propter quid enim non erit aliqua causa, vt insit omnibus D. sed nunquid & quæ sunt E. erunt aliquid vnum; Considerare oportet hoc, & sit C.* 7

* al. l. sed nunquid & ipsis E. si quidē erũt aliquid vnum.

Contingit itaque eiusdem plures causas esse, sed non ijsdem specie. vt quod longæua sint, quadrupedia quædam, eo quia non habet bilem volatilia vero eo, quod sicca sunt, aut alterum quid. Si vero ad indiuiduum non statim veniunt, non solum vnum est medium, sed & plura, & causæ plures: vtrum uero causat mediorum, quod vniuer- 8

*vniuersale primum, aut quod ad singulare, singularibus planum itaque ea esse, quæ proxima sunt vnicuique, cui sunt causa, primum enim sub vniuersali esse, hæc est causa * vt ipsi D. inesse ipsum C. ipsum * A inesse, causa: ipsi igitur D. ipsum C. causa ipsius est A. ipsi verò C. ipsum B. huic autem idem.*

*al. B. *argy. le. veluti. vt A. competat ipsi D. causa est ipsũ C. vt igitur A. cõpetat, ipsi D. causa est spiritũ C. vt autem cõpetat ipsi C. eã est ipsum B.

De syllogismo igitur ac demonstratione, & quid vtrumque est, & quomodo fit, manifestum est simul verò, & de scientia demonstratiua, idem enim est.

De causa autẽ, & cuius causa est, &c.

HOc caput nescio, an a multis sit intellectum, propter obscurum procedendi modum. dicam quæ mihi uidentur textui maxime quadrare. dubium proponit Arist. 1 nunquid cum effectus sit, causa sit, ita vt liceat ab effectu causam colligere, vt si eclypsis sit terra sit in medio, & si arbor defrondescit, lata habet folia, quod est causa, argumentatur a parte affirmatiua, nam si effectus est absque illa causa, ergo habebit aliam causam, non enim contingit effectum esse sine vlla causa.

2 *Si vero causa sit, & causatum, &c.*

Argumenta pro parte negatiua, quod non sint simul effectus & causa, aliter enim esset circulus à causa ad effectum, & econtra, vt probare vitem defrondescere, quia lata habet folia, & econtra, lata habere folia, quia defrondescit. hoc argumentum soluit dicendo, quod iste circulus non est in causis, sed vna est demonstratio à causa altera est ab effectu, & quia, & hoc non est vllum inconueniens, vt superius diximus. textus est apertus.

3 *An contingit vnius plures esse causas, &c.*

Argumentatur secundo ad probandum, quod non valet ab effectu ad causam, potest idem effectus ad pluribus causis, prouenire, vt vituperabile à superbia, & ab intemperantia, ergo iam non ab effectu licebit colligere causam, non enim licet dicere, est uituperabile, ergo propter superbiam, quia potest esse propter intemperantiam, nec licet dicere propter intemperantiam, nec licet dicere propter superbiam.

Ista argumenta Arist. proponit dubitatiuè, quia non probat antecedentia, quia sunt dubia & opinabilia, solum tangit difficultatem hoc ergo argumento, probat, quòd ex effectu non licet inferre causam omnem, sed disiunctiuè aliquam ipsa hoc literis explicat. vt A. puta vituperabile habet duas causas totales, B. superbiam, & C. intemperantiam, & prædicatur vituperabile de D. nempe superbo, & de E. nempe intemperato, de illo per medium B. superbiam, de hoc per C. intemperantiam, igitur ex singulis medijs colliges effectum, non ex effectu singulas causas, quia est superior effectus, causa verò inferior.

An si semper vniuersale, &c. 4

Rursus contra hanc secundam rationem instat, quia videtur quod quando problema, seu propositio probanda est vniuersalis posterioristicè, causa est vniuersalis, & cuius est causa, idest passio est etiam vniuersalis, & ita omnes tres termini erunt conuertibiles, sensus est, si sumatur proprium subiectum, & vniuersale passionis, causa erit æqualis, & conuertetur cum eis.

Verbi gratia, si defrondescere sumatur de proprio subiecto, nempe non de hac, uel illa planta, sed de illo communi omnibus his quæ defrondescunt, tunc medium etiam erit æquale, nempe quia humidum densatur & congelatur, non quodcunque, sed illarum plantarum talium, & tunc illa erunt conuertibile, & nota hic, & quòd vera causa defrondescendi est humidum congelari, non quod lata sint folia, hoc enim signum quoddam est, nec opus est hæc declarare, cum philosophica sit, satis est, vt exempla intelligantur prout sufficiunt præsenti instituto.

Vtrum autem contingat, &c. 5

Replicat contra hoc etiam dubitando, videtur enim quod possit esse, quod eiusdem effectus sint plures causæ in diuersis subiectis,

ctis, & non una v. g. longæuum inest ceruo, & cornici, sed illi quia caret felle, huic quia sic cum animal est.

Iterum contra hoc dubitat, quia uidetur, quod quando passio demonstratur per se, & non per signa, uel per accidentia (hæc enim unius possunt esse plura) tunc non possit esse quod unius effectus plures sint causæ, & probat, nam medium est definitio passionis & maioris extremi, erit igitur ipsi æquale, si extremum uniuocum & medium similiter, si unum genus, & alterum etiam, si unum analogum, etiam & alterum, ut commutari proportionaliter, & lineis, & numeris & alijs simul analogicè inest, quia alia ratione inest lineæ, alia inest singulis, quamuis inter se similitudinem habeat, si quis igitur uelit dare medium huius, erit etiam analogum.

Similiter simile inest coloribus, & figuris, est, enim color colori, & figura figuræ similis, sed analogicè, nam colores alia ratione dicuntur similes; quia eodem modo mouent uisum, alia ratione figuræ, quia latera habent æqualia medium igitur huius similitudinis probandæ erit analogum, sicut & extremum ipsum.

6 *Se habent autem, sic consequi, &c.*

Ex hac præcedenti doctrina determinat modo, cum medium tale sumendum sit, nempe definitio extremi (ut omnes scientiæ sumunt) tunc omnia futura conuertibilia, nẽpe cuius est causa, idest maius extremum, & cui est causa, idest subiectum, & ipsa causa, idest medium, quod si sub subiectum sumũtur inferiora, singula non conuertentur tamen omnia simul, uel subiectum complectens illa conuertetur cum extremo.

Verbi gratia; habere extrinsecus angulos æquales quatuor rectis, non conuertitur cũ triangulo, aut cum singulis alijs, tamen cum omnibus conuertitur simul, & cum subiecto illa continente, similiter defrondescere, & humidum seminis densari conuertuntur cũ omnibus simul inferioribus. uocat succum seminis, quia ex eodem humido, ex quo nutriuntur folia etiam nutriuntur fructus, & semina arborum.

Nota. Ex quo habes, quod quando sumitur definitio passionis, licet id non semper sit, & proprium subiectum, conuertuntur omnes termini demonstrationis, causa cum effectu, quando uero non sumitur subiectũ proprium, sed inferius, non conuertitur extremum cum inferioribus singulis, cum omnibus tamen simul conuertitur.

In figuris autem sic assignabit, &c. 7

Vult consecutionem causæ, & effectus petẽtibus, per ipsas figuras syllogisticas hoc declarare, & ostendere quod potest aliquãdo fieri, ut eiusdem effectus plures sint causæ, nec repugnare hoc modo syllogizandi.

Aduerte duos terminos in hoc textu uniuersale, & uniuersale primum: uniuersale dicitur id quod non cum alijs conuertitur, ut animal indiuiduis hominis uniuersale est, cum omnibus enim simul non conuertitur, uniuersale primum dicitur, quod licet cum alio non conuertatur, tamen simul cum omnibus illis conuertitur, ut homo suis singulis indiuiduis uniuersale primum est.

Hoc supposito sumit, sit A. puta uiuẽs in omnis B. Puta animali, & animal sit in D. puta in omnib. speciebus suis, singulis autem in plus tunc, A. erit in plus quam B. nempe animal, quia erat uniuersale ipsi, uiuens enim non conuertitur cum animali, alias esset illius causa: id est inferret animal, quod non est: sumit autem hic causam in inferendo. ut uult Philopo. si igitur A. est in B. & B. in D. A. erit in D. per ipsum B. puta uiuens de speciebus animalis, per ipsum animal. Vlterius, si A. uiuens est superius animali, erit in alijs, puta plantis E. nempe alijs ficubus, populis, & reliquis, si enim non esset in his, non esset superius A. inest ergo in istis, quæ sunt distincta ab ipso B. puta ab animali, quod si ista sunt distincta a B. erit ergo A. in eis per medium aliquod, sicut inerat D. per B. si ergo inest his plantis, puta E. per medium aliud C. puta arborem, iam vnius effectus plures sunt: vnde in consequentia syllogistica vnum per multa concludi potest.

Contingit igitur eiusdem, &c. 8

Concludit posse vnum effectum per plures causas eiusdem generis intelligi posse demonstrari, sed non de eadem specie, uel de eodem subiecto, sed de diuersis, vt longæuũ de ceruo, quia caret colera, de cornice, quia est animal siccum.

Si enim definitionem effectus proximam sumi-

sumimus; effectus vniuersalis unica est causa, vt longæui esse bene proportionatos humores.

At præter hanc causam communem, in singulis speciebus multiplicantur causæ; & quo magis species multiplicantur etiam causæ, nam alia ratione est ceruus longæuus alia cornix, & alia aliç species, non tamen semper: nam aliquot species eandem causam possunt participare.

Dices, utra melior causa ea, quæ est vniuersalis passionis, an ea quæ est proxima subiectis singulis? respondet Aristot. eam esse quæ est proxima cuique subiecto.

Nota. Vide clare demonstrationem non sistere in definitione passionum, sed in definitione & causa proxima subiectorũ, vt causa quare ceruus sit longæuus, idest D. sit A. est per C. quia est bene temperatus causa quare est bene temperatus; est B. quia non habet coleram, hæc iam non habet vlterius causam.

Si iste textus econtra legatur incipiendo à particulari causa usque ad uniuersalem, ut quare ceruus longæuus; quia non habet coleram, vlterius quare non habens coletam est longęuum? quia est bene temperatũ, tunc fauet opinioni Aegid. Rom. de medio passionis, sed nihil contra nos, qui aliquando definitionem passionis medium constituimus.

Tandem epilogum facit Arist. ex libro Priorum & Posteriorum simul, nempe dictum esse iam de syllogismo in communi, & de demonstratione, & de scientia ipsa demonstratiua quod idem est. hæc de capite.

Quomodo principia cognoscantur, & quis principiorum sit habitus. Cap. XVIII.

1 *De principijs verò & quomodo fiunt nota, & quis conoscens habitus, hinc est planum ad dubitantibus primum: quod quidem igitur non contingit scire per demonstrationem non cognoscenti prima principia immediata, dictum est prius. Immediatorum vero cognitio vtrum, eadem sit, aut non eadem dubitare posset aliquis: & vtrum scientia vtriusque, aut non, aut huius quidem scientia, illius uerò alterum quid genus, & vtram non inexistentes habitus innascantur, aut inexistentes latuere.*

2 *Si itaque habemus ipsos, absurdum est: contingit enim certiores habentes cognitiones demonstratione latere: si verò accipimus, non habentes prius, quomodo utique cognosceremus, & disceremus ex non præexistente cognitione? impossibile namque, quemadmodum & in demonstratione dicebamus. Manifestum igitur, quoniam neque habere possibile est, neque ignorantibus, & nullum habentibus habitum innasci.*

3 *Necesse igitur habere quidem aliquam potentiam, non talem autem habere, quæ est his honorabilior secundum certudinem. Apparet autem hoc vtique omnibus inexistens animalibus: habent enim congenitam potentiam iudicatiuam, quam vocant sensum.*

4 *Inexistente autem sensu, in alijs quidem animalium fit permansio sensati, in alijs verò non fit, in quotcumque igitur non fit, aut omnino, aut circa quæ non fit, non est his cognitio extra ipsum sentire.*

5 *In quibus verò inest sentientibus habere vnum quiddam in anima cum multa talia fiant, iam differentia quædam fit: ut his quidem fiat ratio ex talium permansione, his uerò non. Ex sensu quidem igitur fit memoria, quemadmodum dicimus, ex memoria uerò, quę plerumque eiusdem fit, experientia. multæ namque memoriæ numero experientia una est, experientia autem aut ex omni quiescente uniuersali in anima, aut uno præter multa, quod utique in omnibus unum sit*

sit illis idem, est artis principium, & scientiæ: si circa generationem quidem, artis, si uere circa ens, scientiæ.

6 *Neque itaque insunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus, sed à sensu, ut in pugna versione facta uno stante, alter stetit, postea alter, quousque ad principium venit, anima uero est, talis, ut possit pati hoc. Quod autem dictum quidem fuit pridem, non manifestè uerò dictum fuit, rursus dicamus.*

Cum enim steterit indifferentium unum, primum quidem in anima uniuersale est, sentitur etenim singulare, sensus uero ipsius vniuersalis est, vt hominis, sed non Calliæ hominis. Rursus in his statur, quousque ad impartibilia steterint, & uniuersalia, ut tale hoc animal quousque animal, & in hoc consimiliter: planum itaque, quod nobis prima inductione cognoscere necessarium est, sensus etenim sic uniuersale facit.

7 *Quoniam verò habitum, qui circa discursum sunt quibus uerificamus, aliqui semper ueri sunt, alij uero suscipiunt falsum, ut opinio, & ratiocinatio, uera autem semper sunt scientia, & intellectus, & nullum scientia genus aliud certius est, quam intellectus: principia uero demonstrationum notiora sunt, scientia autem omnis cum ratione, est, principiorum quidem scientia utique non erit: quoniam uero nihil contingit esse uerius scientia, quam intellectum, intellectus utique erit principiorum, & ex his considerantibus, & quoniam demonstrationis principium non est demonstratio: quare neque scientiæ est scientia. Si igitur nullum aliud præter scientiam genus habemus uerum, intellectus utique erit scientiæ principium, & principium quidem principij, utique erit* si autem omnis, consimiliter se babent ad omnem rem.*

* Arg. I. scientia autẽ ad omnem rem se se habet similiter. Alia lit. q̃ autem omnis

Intentio Aristot.

De principijs autem qualiter fiunt cognita, &c.

POstquam Arist. de his, quæ ad ipsam demonstrationem, & eius structurã pertinent hactenus disseruerit, ac de eius medio quod sit, & quomodo cognoscatur, tractauit, nunc tandem de modo quo ipsa principia complexa acquirantur disputat.

Dictum iam est non esse demonstratiuam scientiam absque horum immediatorũ principiorum cognitione, poterit tamen aliquis tria dubitare, primo, an cognitio mediatorum, & immediatorum sit eadem, idest eiusdem rationis; secundo an cognitio principiorum immediatorum sit scientia, sicut mediatorum, uel aliquod aliud altius scientiæ, & cognitionis genus: tertio an isti habitus, & cognitiones principiorum acquirantur de nouo, an sint naturales, sed latentes à principio, & post notificati.

Si quidem igitur habemus ipsos 2

Incipit disputare circa tertiam quæstionẽ ad vtramque ipsius partem, nam si habemus tales habitus à natura, latent tamen multo tpe vt dicebat Plato, absurdum est profecto dicere quòd habeamus à natura cognitiones, & habitus qui sint certiores demonstratione, & tamen non cognoscamus per ipsos, cum nullus possit demonstrationem habere quin cognoscat statim.

Quod si dicatur tales habitus esse acquisitos, uidetur aliud inconueniens maius. Nam cum cognitio acquisita fiat ex præexistenti cognitione, vt dictum est, oporteret ante illo habitus alias priores cognitiones, & habitus ponere, quæ tamen non sunt.

Concluditur ergo non esse dicendum tales habitus inesse à natura, nec quod ex cognitione præcedenti non fiant, cum omnis cognitio acquisita ex præcedenti fiat, atque cognitio sit ista ex aliqua cognitione, quàm

quàm principiorum cognitio fiat, explicat modo.

3 *Necesse est itaque habere quandam potentiam, &c.*

Intendit docere sensum inesse hominibus natura, & ex hoc sensu prouenire memoriã, & ex memoria experientia, & ex hac colligi per intellectũ vniuersalis cognitionem, atq; hoc esse principium scientię, unde non inesse cognitiones principiorum a natura, nec fieri ex alijs præexistentibus in intellectu, sed a sensu originẽ ducere, qui quidem inest nobis a natura, quod etiam docet. 1. Meta. cap. 1.

Dicit ergo primum necessarium, esse ante principiorum cognitionem, præcedere in nobis quandam cognoscitiuam potentiam, hæc autem non est alius habitus, uel cognitio certior, & honorabilior principiorum cognitione, sicut ipsa principiorum cognitio est certior, & honorabilior cognitione conclusionis; non sic inquam est ista potentia sensitiua, sed est quoddam principium quo indiget intellectus ad suas intellectiones.

At ne quis putaret potentiam hominibus esse propriam, dicit omnibus animalibus inesse, quæ dr̃ sensus, animal.n.eo animal est quo sensum habet, hanc potentiam uocat connaturalem, quia animalia sensum per generationem simul cum esse suo accipiunt.

4 *Cum insit autem sensus, &c.*

Non uniformiter sensum hunc animalib. reliquis, & hominibus inesse ostẽdit, ne quis decipiatur dicens, sicut ex sensu non fit in animali principiorum cognitio, ita in homine. Duas autem diuisiones facit; prior est quę dam animalia præter sensum memoriam habent, quædam autem præter sensum memoriam non habent; memoriam habent illa, in quibus species, & imagines rerum sensatarum manent etiam post præsentiam illarum rerum; nam hoc peccato fit memoria, illa vero non habent, in quibus non manent tales imagines, ac propterea extra rei præsentiam non sentiunt.

Nota. Nota quòd dicit ista animalia non sentire nisi in præsentia obiecti illa quæ sentiunt, loquitur autem disiunctiue, omnino non sentiunt in absentia, aut non sentiunt illa quorũ imagines non manent, nam animalia quæ memoriam non habent, aliquando recordantur quando aliquod sensibile uehemens perceperunt, & quæ memoriam etiam habent, non recordantur, quando debiliter speciem receperunt, nec manet. hoc autem est, ut intelligas memoriam fieri ex permanentia imaginum sensatarum rerum in parte interiori capitis.

In quibus autem idem sentientibus, &c. 5

Posterior diuisio est ex his memoriam habentibus, quædam habent virtutem qua ex multis memorijs unum colligant, & inferant, quædam non habent illam vt unum colligere possint, atque ex his quæ tale unum colligunt, fit quædam animalium differentia distincta ab omnibus alijs, qua vnum ratione & intellectu vtatur, atque hic est homo, qui ex memorijs multis unum vniuersale colligit, & ratione vtitur, reliquis vero id non est concessum.

Ex quo infert ordinem cognitionum in homine, ex sensibus enim exterioribus fit memoria manentibus imaginibus rerũ sensatarum, ex multis autem memorijs similibus experimentum, est n. experimentum collatio multorum singularium sensibilium: ex hoc autem experimento; & ex toto uniuersali collecto iam, & abstracto, & facto uno propter multa, fit principium artis, & scientiæ, artis, si fuerit in rebus factibilibus, scientiæ, si fuerit in speculabilibus, unde principium artis & scientiæ est propositio uniuersalis collecta per intellectum ex experientia & ex memoria, & vltimo ex sensu.

Circa literam, aut copulatiue est legendum, ut notat Philopo. hæc omnia clarius explicantur in prohœ. Met.

Neque igitur insunt determinati, &c. 6

Infert ex prædictis responsionem tertiæ quæstionis, nempe cognitionem principiorum non inesse nobis a natura, nec fieri ex alia notiori intellectiua cognitione, sed a sensu modo, qui dictus est produci, & exemplum ponit, sicut aliquando pugna existente accidit milites hincinde dispersos fuge-

re, ac exercitum destituere, tunc vnus stat, quo stante, alius etiam stat, & post hos alius donec pluribus stantibus fit iterum exercitus, sic fit vniuersale ex hoc, & illo, & alio, & multis singularibus conseruatis in memoria, quæ quidem dispersa erant, sed adunantur, & colliguntur intellectu comprehendente similitudinem omnium per abstractionem.

Quod si dicas, quomodo anima potest recipere has species, & singularia in se de nouo? respondent animam esse talem, ut possit pati ista, nam intellectus secundam Arist. 3. animæ tex. 32. est, ut tabula rasa, qui potest rerum similitudines in se recipere.

Vnde reperit clarius modum quo vniuersale fiat, dicens, quando est aliqua natura secundum se vna, & indifferens multis, vt homo animal, album, & hoc per intellectum nō est separata natura communis, cum igitur talis natura sic est facta una & communis, est vniuersale; ut Petrus est homo, & cæteri etiã sunt homines, at quando sumitur homo per se, qui in illis est sic separatus, iam est vniuersale, ante non erat, fit autem hoc per intellectum.

Dices, nonne sensus circa uniuersalia feruntur? nam visus habet pro obiecto ipsum colorē, non hunc vel illum, respondet potentiam sensitiuam habere ipsam naturam communem pro obiecto, tamen actus & sensationes non fiunt, nisi circa singularia, intellectus uero actus est qui in vniuersalia fertur.

Huius loci declarationem uide superius lib. 1. super cap. 24. vnde sequitur, quod intellectus collectè & adunatè intelligit naturam, quam sensus sparsim in multis percipiunt singularibus, ac ideo per inductionem, quæ sensu fit, cognoscere, seu intelligere incipimus.

7 *Quoniam autem circa, &c.*

Secundam & tertiam soluit quæstionem ostendens cognitionem principiorum non esse scientiam, sed alium habitum scientia certiorem, nempe intellectum: ex quo fit, ut non sint eiusdem rationis cognitio principiorum, & eorum quæ ex principijs deriuantur.

Supponit autem duo, alterum est habitus intellectiuos ueros speculatiuos esse tres, primus quam potest recipere falsum, ut opinio & ratio, idest syllogismus topicus, qui est causa opinionis. alter est scientia, quæ est cognitio necessariorum per causam tertius est intellectus, qui est cognitio necessariorum immediatorum, atque hi duo semper sunt ueri.

Supponit secundò quòd nulla cognitio est certior quam scientia, nisi habitus hic, qui dicitur intellectus, quæ duo colliguntur ex 6. Ethic. cap. 3. tunc argumentum est horum principiorum non est opinio, quia semper sunt uera, non est scientia, quia non habent causam, nec per discursum cognoscuntur, & præterea, quia sunt certiora his quorum est scientia, ergo eorum erit intellectus, non enim restat alius habitus: intellectiuus certior scientia. præterea quia scientiæ non est scientia, aliàs enim esset processus in infinitum, deuenire est ergo ad aliquam cognitionem, quæ non sit scientia, & hæc est intellectus.

Ex quo colligit hanc cognitionem, quæ intellectus dicitur, esse principium, & principium principij, idest cognitionem qua cognoscimus ipsas propositiones primas quæ sunt principia.

Sit autem se habet omnis scientia ad omnem conclusionem, vt enim est scientia cognitio procedens ex alia. & qua cognoscimus id quod ex alio sequitur, ita & intellectus est cognitio, sed non ex alia intellectiua cognitione, ac ideo est principium.

Similiter est cognitio, qua propositiones primæ, quæ ex alijs non sunt, cognoscuntur, ac propterea est principium principij. ex quibus omnibus tres propositæ quæstiones solutæ sunt.

QVÆSTIO I.

An principia per se nota inductione cognoscantur.

VT sensus quæstionis sit manifestus, aduerte primo duo esse genera principiorum, quædam sunt rei, quædam cognitionis principia, rei principia sunt, a quibus res suum esse accipit, sicut materia, forma, & reliquæ causæ dñr rei principia, cognitionis uero principia sunt, a quibus cognitio rei procedit, sicut propositiones sunt principia cognitionis ipsius conclusionis. non autem Primũ No. De sẽsu qõnis.

tem existimet, quòd semper differant re ista principia: cum enim à posterioribus procedimus ad cognitionem priorum tunc differunt re principia cognitionis & rei, at cum a prioribus est processus tunc eadem re sunt principia cognitionis & rei semper tamen differunt ratione, nam rei principia sunt secundum suum esse, cognitionis uero secundum quòd per intellectum sumuntur, & ipsorum cognitio aliorum est cognitionis.

Secundum notan. Aduerte secundo, quod intellectus noster duplicem habet operationem, & apprehendendi, & iudicandi: per apprehensionem enim res ipsas concipit in se, per iudicium uero earum ueritatem, uel falsitatem comprehendit, assentiendo, uel dissentiendo. has autem operationes esse diuersas experientia ostendit, multa enim apprehendimus de quorum ueritate dubitamus, in hac utraque operatione intellectus est dependēs, nam in apprehensione indiget obiecto, quod percipiat, & hoc à sensibus accipit, in iudicio etiam dependet ab apprehensione, non enim iudicium fit, nisi de rebus apprehensis, & preterea indiget iudicium præter apprehensionem alio iudicio adiuuante, nā iudicium conclusionis pendet ex iudicio præmissarum, & quando intellectu iam non est aliud iudicium, quo præmissas cognoscamus, fit recursus ad iudicium sensus per inductionem. an uero semper omne iudicium intellectus dependeat ex alio iudicio siue sensus, siue intellectus, hoc dubitatur modo, & difficultas est propter illas propositiones per se notas communissimas, nempe quodlibet est, uel non est omne, totum est maius parte, & similes. de his enim est quæstio, an notæ sint per inductionem singularium, ita ut absque inductione non cognoscantur.

1. opi. Est quorundam opinio, quòd hæ communissimæ propositiones inductione cognoscantur, nec intellectus eis acquiesceret nisi præcedente iudicio sensus per singularia. rationes autem huius sententiæ hæ sunt.

1. Rō. Prima causa vniuersalis, non producit effectus, nisi mediantibus causis particula rebus, vt patet de cęlo, & Sole, & glorioso Deo, qū naturaliter operatur, semper. n. cum his causis particularibus operatur, at intellectus est causa vniuersalis omniū assensuum intellectiuorum, ergo ad particulares assensus opus est, quod sint alij assensus, vt. n. ad assensum huius conclusionis vtitur assensu harum pręmissarum & principiorum, ita ad assensum principiorum vtetur assensu & iudicio sensus, vt si fiat inductio quædam ex singularibus illorū principiorum, nempe hoc totum est maius sua parte, & hoc totum est maius sua parte, & sic de cęteris, ergo omne totum est maius parte, tunc singularia illa sensu, vniuersale intellectu comprehenditur.

Secundo, si ista principia non cognoscerentur inductione, solo lumine intellectus fierent nota, sed hoc est falsum, nam hoc modo nullus posset ea negare, at constat hęc principia à multis esse negata, vt dicitur. Meth. & notat Auerr. 2. Metaph. com. 15. ergo non cognoscuntur solo lumine intellectus, sed per inductionem. 2. Rō.

Circa hoc aduerte non esse dubium de principijs immediatis vnius scientiæ, sunt enim multa ex his, quę inductione cognosci debent, sed de communibus multarum scientiarum, & communissimus omnium, vt superius diximus. 1. fun.

Et de his est prima conclusio. solum lumen intellectus facta prius apprehensione, sufficit ad certo assentiendum istis dignitatibus. patet conclusio. 1. Post. c. 3. vbi ex terminis cognosci has propositiones dicit Aristo. sufficit, inquit, quid per totum, quid per partem intelligatur cognoscere, vt statim nullo iudicio præcedenti cognoscatur omne totum esse maius parte. vbi Alb. vti diximus comparabat has proportiones visibilibus luminosis, quæ suo proprio uidentur lumine absque vllo alio extrinseco. & Aeg. hoc loco dicit, sicut oculus informatus specie uidet colorem, ita intellectus apprehensione facta assentit istis. Et Linc. 1. po st. c. 9. præterea Arist. 1. Met. c. 1. vocat has ianuas scientiarum, in quibus non contingit error. præterea quia æque notum est singulare hoc totum est maius parte, sicut omne totum est maius parte præsertim cum per sensum non percipiamus aliqu singularia harum propositionum, non enim sensu cognoscitur, si ab his æqualibus hæc demas æqualia, remanebunt æqualia. Prima concl.

Secunda conclusio. licet ista principia possint syllogizari, & induci, tamen non fiunt nota ex tali inductione, & syllogismo, cum in seipsis clarissima sint, & per se fidem habeant. Secū la concl.

Vnde

Ad primum.

Vnde ad primum argumentum respondeo, quòd satis est determinatio ex parte speciei, obiecti, per quam speciem fit apprehensio, & præterea quia sicut lumen solis est causa vniuersalis, tamen se solo calefacit, ita & lumen intellectus se solo inducit assensum illorum principiorum, absque alio particulari iudicio, cum ille assensus principiorum sit quid vniuersale & commune, ex quo deriuantur multi assensus partes conclusionum aliarum.

Ad 2.

Ad secundum dico quod negare aliquid multipliciter contingat, aut ore exterius aut corde interius, non loquimur de exteriori negatione, quia quilibet potest negare omnia, sed de interiori: hæc est triplex virtualis, aut formalis, & hæc directa; uel indirecta: virtualis, cum negamus aliquid in alio, ut qui dicit nullum corpus esse album, uirtualiter negat nullam niuem esse album: formalis, cum aliquid in se ipso negatur; hoc uerò si negatur quia rationes faciunt apparere aliter, tunc est negatio directa: si uero negatur, quia licet in se verum appareat semper, tamen nescire ea quæ sequuntur ex illo, facit de illo dubitare, est negatio indirecta, quo pacto Zeno negabat motum & sensum, quia nesciebat intelligere quomodo si mouetur, aliquid possit pertransire infinitas partes quę sunt in spatio.

Dico negare principia virtualiter non arguit illa per se cognita non esse, imo quoties in bona consequentia aliquis concedit præmissas, & negat conclusionem, uirtualiter negat quodlibet est uel non est.

Dico secundo, nullus negat directe illas dignitates, cum non sit ratio directa contra eas apparens.

Dico tertio indirectè negantur, sed hoc non arguit eas non esse per se notas, nam etiam hunc notum esse, est per se cognitum sensu, & tamen Zeno negabat.

Dices, Arist. dicit has pendere a sensu dico primo, quod loquitur de intrinsecis propositionibus & particularibus demonstrationum immediatarum. Dico secundo quod etiam istæ communissimæ a sensu pendent, quia est necessaria apprehensio terminorum, quæ non fit sine sensu. Obiect. Solut.

Hæc de quæstione breuiter, quæ latius examinari debet lib. 2. metaph. atque de tota enarratione in lib. Posteriorum. Sit laus Deo Opt. Max. qui ad finem nos perduxit, Amen.

Finis Secundi Libri Posteriorum.

LAVS DEO.

VENETIIS. MDCIII.

ADDITAMENTA
AD COMMENTARIA
D. FRANCISCI TOLETI,
IN LOGICAM ARISTOTELIS.

PRÆLVDIA IN LIBROS
PRIORES ANALYTICOS.

Tractatio de Syllogiſmo: de Inſtrumentis ſciendi: & de Pręcognitionibus, atq; Pręcognitis.

AVCTORE LVDOVICO CARBONE A COSTACCIARO.

Academico Parthenio, & in Almo Gymnaſio Peruſino olim publico Magiſtro.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, Apud Seſſas. M.D.CIII.

AVCTOR LECTORI.

ADDITAMENTA hæc, amice Lector, vt minus elaborata, atque polita, nunquã mihi e manibus extorqueri permiſiſſem, ni plus alijs, quam mihi ſoli viuerem: quod qui faciunt, ea ſæpe faciunt, quæ alias facturi non eſſent. Vt itaque nonnullorum votis ſatisfacerem, ea in lucem publicam venire permiſi, quæ vna cum completo de re Logica opere, alio tempore, edere cogitabam. Habeo enim Commentaria in omnes libros Logicos non pœnitenda, quibus, dum grauioribus operibus ſcribendis ſum addictus, extremam manum imponere non queo: faciam tamen aliquando, fauente Deo. Interim ab horum additamentorum editione, occaſione ſumpta, eodem tempore Introductionem in Logicã, ſeu totius Logicæ Compendium, ni fallor, abſolutum, foras dedi. Vno etenim opuſculo, quod nunc ſub prælo eſt, non ſolum quæ in vniuerſo Ariſtotelis Organo continentur; ſed etiam omnia quæ ab ipſo prætermiſſa, & ab alijs ſuperaddita fuere, complexi ſumus. Quare, qui noſtra leget, diſciplinam, alias Tironibus non facilem, facile ſibi comparare poterit; ſi ea quę Ariſtoteles ad iuuenem ingenia minus accommodate ſcripſit, prætermittere, & ad alias artes ſe conferre volet: cum quæ ille fuſe & obſcure docuit, nos breuiter, & perſpicue, quantum per rem ipſam licuit, & quæ ille omiſit, noua quadam ratione, nouis in re Logica ingenijs accommodata, tradiderimus. Etenim, logicis tradendis, eam tenere

ſolemus viam, atque rationem, quæ vt multorum annorum experientia edocti ſumus, ijs qui primo ad Dialecticam cognoſcendam accedunt, maximam lucem affert, & ad reconditas difficultates, quæ in diſſerendi ratione tractantur intelligendas, maxime idoneos reddit. Quã, non modo diſcipuli, eius vtilitates animaduertentes, ſæpe approbarunt, ſed etiam viri eruditi, vt hoc dicam, & vere quidem, commendarunt. Et ne, dum hæc noſtra rudia Additamenta excuſare deberem, aliud opuſculum laudare velle videar, qui eo vti voluerint, nos in tanta de eadem re librorum multitudine, nõ omnino fruſtra tempus, operamq; conſumpſiſſe facile animaduertet. Ideo autem, de hac lucubratione in præſentia meminiſſe volui, vt multa quæ in tractatione de Syllogiſmo hic omiſi, ex ea promenda eſſe monerem. Ibi enim de Syllogiſmorum regulis communibus, de formis, & ſpeciebus in particulari, deque alijs argumentationum ſpeciebus ſcripſimus, de quibus hoc loco fere nihil. Illud ad extremum Lectorem monuerim, in his Additamentis, interdum me dicere, de re aliqua, aliàs dixiſſe, aut eſſe dicturum, de qua in eis non egi, innuendo ea commentaria, de quibus ſupra dicebam: quæ faxit Deus, ut in eius gloriam & ſtudioſorum vtilitatem aliquando cedant: in quos fines, quidquid elaboramus, cedere percupimus.

INDEX CAPITUM SINGULARUM TRACTATIONUM.

Præludiorum Capita.

TRACTATIONIS de Syllogismo Capita.

De

solemus viam, atque rationem, quæ vt multorum annorum experientia edocti sumus, ijs qui primo ad Dialecticam cognoscendam accedunt, maximam lucem affert, & ad reconditas difficultates, quæ in disserendi ratione tractantur intelligendas, maxime idoneos reddit. Quã, non modo discipuli, eius vtilitates animaduertentes, sæpe approbarunt, sed etiam viri eruditi, vt hoc dicam, & vere quidem, commendarunt. Et ne, dum hæc nostra tu dia Additamenta excusare deberem, aliud opusculum laudare velle videar, qui eo vti voluerint, nos in tanta de eadem re librorum multitudine, nõ omnino frustra tempus, operamq; consumpsisse facile animaduertet. Ideo autem, de hac lucubratione in præsentia meminisse volui, vt multa quæ in tractatione de Syllogismo hic omissi, ex ea promenda esse monerem. Ibi enim de Syllogismorum regulis communibus, de formis, & speciebus in particulari, deque alijs argumentationum speciebus scripsimus, de quibus hoc loco fere nihil. Illud ad extremum Lectorem monuerim, in his Additamentis, interdum me dicere, de re aliqua, aliàs dixisse, aut esse dicturum, de qua in eis non egi, innuendo ea commentaria, de quibus supra dicebam: quæ faxit Deus, ut in eius gloriam & studiosorum vtilitatem aliquando cedant: in quos fines, quidquid elaboramus, cedere percupimus.

INDEX CAPITVM SINGVLARVM TRACTATIONVM.

Præludiorum Capita.

TRACTATIONIS de Syllogismo Capita.

De

TRACTATIONIS de instrumentis sciendi vniuersa Capita.

TRACTATIONIS de Præcognitionibus, & præcognitis, &c. Capita.

INDEX RERVM
NOTABILIVM,

Primum numerus paginam, secundus columnam indicat.

Con-

In

Prin-

Scien-

T

V

FINIS.

Errata grauiora, quæ in secundo Posteriorum sunt commissa, à pag. 225. vsq; ad 235. sic emendari debent.

Pag. 226. col. 1. verſ. 26. extra, extrema.
Ibidem. col. 2. verſ. 18. cauſis, effectibus; cauſis & eff.
Ibidem. col. 2. verſ. 21. vel ſi priori: uel priori.
Ibidem. col. 2. verſ. 41. quod triangulus: ut quod triangulus.
Ibidem. col. 3. verſ. 4. A. dicitur S. A. dicitur de B.
Ibidem. col. 3. verſ. 16. Aſſignat: Aſſignatur.
Ibidem. col. 4. verſ. 33. de circuli, & recti trianguli: & circuli, & recti anguli.
Pag. 227. col. 1. verſ. 3. vtilitas: utiles.
Ibidem. col. 3. verſ. 33. ſed primi; ſed plura.
Pag. 228. col. 2. verſ. 33. eſſe: ineſſe.
Ibidem. col. 3. verſ. 6. in eius: in eis.
Pag. 229. col. 2. verſ. 38. hominem: homine.
Ibidem. col. 3. verſ. 15. accepit: accedit.
Ibidem. verſ. 27. conueniat conueniant.
Ibidem. verſ. 28. ſimilitudinibus: ſimilibus.
Ibidem. col. 4. verſ. 1. uoluerunt: noluerunt.
Ibidem. ſed: ſe.
Ibidem. verſ. 35. in totum: totum.
Ibidem. verſ. 38. nam: natura, & verſ. 29. per quam, per eam. & verſ. 48. agere .n. uel ſuppoſitum eſt: agere .n. uel pati ſuppoſitorum eſt.
Pag. 230. col. 1. verſ. 3. ſingularibus; à ſingularibus.
Pag. 230. col. 4. verſ. 32. ſeipſum, ſæpium.
Pag. 232. col. 1. verſ. 29. Argumenta; argumentatur.
Pag. 232. verſ. vlt. Ad pluribus cauſis primi: à pluribus cauſis primis.
Pag. 234. col. 1. verſ. 38. peccato: pacto.
Pag. 234. col. 3. verſ. vlt. quam: qui.

Alia quiuis facile animaduertet.

PRAELVDIA IN PRIORES ANALYTICOS Aristotelis libros.

AVCTORE LVDOVICO CARBONE A COSTACCIARO.

De nomine, & definitione Analysis siue Resolutoris. Cap. I.

Arist. li. 1. post. ca. 1.

OMnem nostrā doctrinam humano more acquisitam ex alia præcedente fieri notitia, sapienter, ut & alia omnia, a sapientum principe pronuntiatum fuit. Inter alia autem quæ ad aliquid de nouo discendum præcognoscenda sunt, vt ille idem uerè docuit,

Ibidem. tex. 2.

est earum uocum notitia, quibus in disputādo, aut scribendo uti fuerit necesse. Cum ergo nos in eos libros, quos Aristot. Analyticos inscripsit, scripturi simus, non male ab inscriptionis notatione, & ab ipsius rei definitione, cū hęc duo potissim præcognoscenda sint, initium sumemus: ex quorum duorum explicatione, librorum inscriptio, subiectaque materia facile intelligi poterunt.

Inscriptio græce ita habet, Analytica ptera, id est resolutoria priora; ubi subintelligitur Biblia, hoc est uolumina, siue libri, ut sit sensus, libri resolutorij priores. Cur autem sic inscribantur, ex ijs quę dicemus planum fiet.

Analysis ergo, uox græca est, qua passim criptores Latini utuntur, & nos in hac suscepta materia sæpe utemur, idem ualet, quod Latine, Resolutio. Est enim ducta, à uerbo Analyo, quod resoluo significat; quod non solum de re aliquo uinculo ligata dicitur, sed uniuerse de omnibus rebus quæ aliquo pacto componuntur, & in aliquid simplicius, atque prius resoluuntur. Analysis itaque nomine intelligimus actum quendam quo aliquid compositum, siue posterius, in sua principia, & priora reuocatur, ac etiam interdum rem ipsam resolutam. Atque hæc breuiter de nomine: neque enim hoc loco sine necessitate pluribus grammaticari uolo.

Quod uero attinet ad rem, ex ipsa nominis iam explicata etymologia, quid sit Analysis, siue resolutio facile intelligi potest. Resolutio igitur, his fere modis describi solet, Resolutio est causarum ipsius rei perscrutatio; Item, Resolutio est ab ultimo ad initia progressio: Item, est ueræ conclusionis propositæ causarum propriarum inquisitio. Itē, Resolutio est regressus quidam rei in ea principia ex quibus est, seu à quibus pendet. Vt cū corpus, quod est constatum ex elementis, in eadem elementa redit: qui reditus dicitur resolutio. Vnde resoluere, nō est solum rem in partes diuidere & soluere, sed rem compositā usq; ad eius prima elementa dissoluere, ut eius natura manifeste perpendatur, & iudicetur. Sunt hæ descriptiones bonæ: tamen adhuc fortasse melius, sic describeres. Resolutio est cuiuscunq; rei in ea principia, a quibus proprie pendet reuocatio, siue re, siue ratione fiat. Ea uero quæ ratione fit, est examinatio qua iudicium sumitur de aliqua re, an sit legitima, atque perfecta secundum suam naturā. Et quoniam huius definitionis intelligentia, tum ex se clara est, tum ex ijs quę dicemus clarior fiet, nihil ad eius explicationē nunc subijcio: unde ad diuisionem transitum faciam, si prius cur inuenta fuerit, ut eius causa finalis innotescat, indicauero.

Alexā. Phil. hoc loco.

Resolutio ergo in scientijs, & artibus, ideo inuenta, & introducta fuit, ut perfecte rem, quāpiā cognoscere possimus, partes, causas, & principia illius exacte pscrutātes; cū tunc sicq; uere scire dicamur, cū ista plane cognoscim*. Expli-

Aristot. li. 1. Phy sico. in proœm.

Explicantur variæ Analyſis ſiue Reſolutionis diuiſiones. Cap. II.

QVod verò ad Reſolutionis diuiſionem attinet, cum variè diuidi ſoleat, eas nos diuiſiones proſequemur, quæ magis cognitu erunt neceſſariæ.

Zimar. Theor. 60. in digreſ. Prima diuiſio, reſolutio, alia realis, alia rationis: Realis eſt reſolutio rei in principia propria per aliquam actionē realem, vt eſt reſolutio miſti in quattuor elementa: Rationis reſolutio eſt illa quæ fit per operationem intellectus; vt ſi quis mente hominem conciperet, & per diſcurſum ī quattuor humores, & in quattuor elementa, ex quibus componitur, eum reſolueret: Illa à quibuſdam naturæ, hæc artis reſolutio vocari ſolet. Quo loco illud ad notauerim, reſolutionē propriè non fieri, niſi in eas partes, quæ ſeparatæ poſſunt ſubſiſtere per ſe, qualis eſt reſolutio miſti in elementa: cuiuſmodi non eſſet reſolutio corporis in materiam, & formam, cum forma per ſe non exiſtat, anima rationali excepta.

Ariſtot. 3. Ethi. cap. 3. Diuus Thom. 1. 2. Secunda diuiſio in practicā, & ſpeculatiuā: reſolutio practica fit, cū propoſito aliquo fine eo vſq; media inquirimus, quouſq; veniamus ad aliq; primum à nobis efficiendū: cuius reſolutionis finis: eſt operatio, & effectio: quæ conſultatio, & deliberatio propriè nominari ſolet. Incidit gratia exempli, quis in febrim: proponit ſibi ſanitatē: incipit quærere media: aduocat medicū, petit, quę ſibi neceſſaria ſunt ad morbum depellendū: audit neceſſariam eſſe diętam, & ſanguinis miſſionem: ſequitur venæ inciſio, & ſectio, vnde incipit ſanatio, ſiue operatio. Speculatiua vero reſolutio, eſt ea quæ nō terminatur in opus, ſed in cognitionem cauſarum, & principiorum.

Tertia diuiſio, reſolutio, alia metaph. quæ eſt ex ſenſibilibus ad intelligibilia reductio; vel vt à pulchritudine corporis ad pulchritudinem animæ, & à pulchritudine, animæ ad Deum: alia mathematica, quæ eſt à concluſione ad prima principia, ſiue à concluſione ad præmiſſas, & ab his ad principia indemonſtrabilia, reuocatio; qua omnes fere vtuntur ſcientiæ, & artes: ſed quia præcipue in mathematicis cernitur; ideo mathematica vocatur. Vnde phyſica corpus ſenſibile in partes, in cauſas, & in prima elementa principia reſoluit: grammatica, orationem in dictiones, & has in ſyllabas, & ſyllabas in literas: rhetorica, item alicuius artificioſæ orationis genere ſtatuque inuento, totam orationem in partes maiores, vt in exordium, narrationem, & alias; & has rurſus in minores, vt exordium in ſuas: & minores in periodos, & has in membra, cola, & dictiones ſimplices reuocat, de quare alibi late ſcripſimus. Cęterum artes, cum modo practico diſcantur, cōponendo traduntur. Alia denique logica, de qua nos priuatim verba facturi ſumus.

Logica reſolutio triplex eſt: alia conſequētiæ, alia conſequentis, alia imperfecti ſyllogiſmi ad perfectum. Reſolutio conſequentię eſt reuocatio illationis argumenti ad prima 1. Poſt. ca. 1. principia ex quibus dependet; vt ſunt regulæ vniuerſales bonæ conſequentiæ, & illa duo prima principia, Dici de omni, & dici de nullo: quæ quidem fit, cum oſtendimus argumētationem habere præmiſſas conuenienter diſpoſitas ſecundum figuram, & modum, vt ſi velles oſtendere hunc ſyllogiſmum, omne animal eſt viuēs, aliquod corpus eſt animal: ergo aliquod corpus eſt viuens, bonam habere conſequentiam, cum reuocares ad prima bonæ conſequentiæ principia; ex qua reſolutione bonitas patet conſequentiæ. Reſolutio conſequētis eſt reſolutio eius, quod infertur, in præmiſſas ratione materię, & in principia à quibus pendet: quod quidem fit, cum oſtendimus argumentationem procedere ex principijs veris, ex cauſis, ex prioribus, &c. Vt ſi quis conficeret hanc demonſtrationē, omne animal eſt corruptibile: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt corruptibilis, quia in ea non aſſignatur cauſa proxima cur homo ſit corruptioni obnoxius, opus eſt reſolutione, qua prima cauſa inueniatur, quæ eſt, eſſe compoſitum ex contrarijs; & hęc ſumenda eſt pro medio termino. Neque enim dicimur aliquid ſcire, niſi concluſionem vſque ad prima principia valeamus reſoluere. Quare tunc dicetur quis perfecte cognoſcere hominem eſſe riſiuum, quia ſcit eſſe admiratiuum: & eſſe admiratiuum, quia nouit eſſe diſcurſiuum, & eſſe diſcurſiuum, quia eſt rationalis: à quo primo principio omnes quæ de homine probantur paſſiones, originem certo cum ordine ducunt. Itaque ſiquis ita demonſtraret, Omne animal admiratiuum eſt riſiuum: omnis homo eſt animal admiratiuum, ergo omnis homo eſt riſibilis, demon-

stratio esset perfecta ratione formæ; non tamen euidens ratione materiæ, nisi deueniatur ad primam causam: ac proinde opus est resolutione, ut fiat euidens. Vnde assignanda est causa proxima tum maioris, quæ est, repentinum gaudium, unde oritur risus; & causa minoris, quæ est cognoscere prius effectum, quam causam, unde sequitur admiratio: ratio uero, cur homo prius cognoscat effectum, quam causam est, quia est animal rationale, & non cognoscit, nisi discurrendo, & hoc est primum principium. Vnde colligeres, Angelum qui cognoscit unico actu, non egere resolutione. Similiter, si assignaretur demonstratio per causam remotam, applicanda esset per causas intermedias, vsque ad immediatam, ut si primo probaretur hominem esse risiuũ, quia rationalis, quoniam esse risiuum non conuenit homini proxime ob hanc causam, sed quia admiratiuus. Atque ex his patet necessitas doctrinæ librorum analyticorum ratione materiæ, seu consequentis.

Resolutio vero argumentorum imperfectorum, fit, cum argumenta quæ fiunt in modis imperfectis ad perfectos reuocantur, ut sunt quattuor primi primæ figuræ.

Quarta diuisio, resolutio, alia propria, alia impropria: propria est illa quã conclusio in principia propria, & per se, a quibus intrinsece pendet, resoluitur: impropria vero, quãdo reuocatur ad præmissas improprias a quibus conclusionis veritas non proprie pendet; vt est resolutio in principia, ex quibus res cognoscitur, non in ea ex quibus existit, ut si quis hanc conclusionem, Deus est, reuocaret in aliquos effectus notos ex quibus a posteriori Deum esse probaret. Vnde colligeres resolutionem esse duplicem, unam in principia cognoscendi, alteram in principia existendi: cæterum, aliquando eadem esse possunt cognitionis, & existẽtiæ principia, cuiusmodi sunt principia mathematica.

Ad extremum, sunt qui mentionẽ faciant de resolutione, quam vocant ex suppositione, quæ fit, cum resoluitur conclusio in principia supposita, quæ tñ suppositione non indigẽt, cum probari possint: vt, si proponatur qõ, & ad eam probandã supponatur aliquid; & postea illius suppositi reddatur ratio, aliquo alio supposito, & sic deinceps, donec venitur ad principia notissima, quæ nulla suppositione egent: sed de diuisione hucusque.

Cur libri priores, & posteriores Analytici inscribantur.
Cap. III.

Ex ijs quæ hactenus de resolutione diximus, proposita difficultas facile explicari poterit: in qua non omnes consentiunt. Quidam enim arbitrantur, duos priores inscriptos fuisse de syllogismo: duos vero posteriores de demonstratione; cum aliquando 1. Post. c. 6. Aristoteles vtrosque sic appellet, & eis de rebus dictis agatur. 1. Prio. ca. 1. Et cum denominatio sumi debeat a re nobiliore, & nobilior sit compositio, quam resolutio, cum compositio terminetur ad esse, & resolutio ad non esse, ideo potius a compositione inscribi debuerunt, nimirum a syllogismo, & a demonstratione. Et cum syllogismus uniuerse sumptus sit cõmunis etiam topico, cur etiam libri topici non inscribuntur resolutorij?

Ad huius difficultatis explicationem, primum hos libros Resolutorios, siue Analyticos inscriptos fuisse docebo: deinde cur sic inscripti fuerint demonstrabo: de primo ita statuo.

Prima positio, hi quattuor libri logici ab Aristotele Analytici inscripti fuere. Primum Initio probatur ex cõi expositorum sñia, ita Alexander, Prior. Auerroes, Eustratius, & alij multi. Neq; In prol. Galenus, cui cõtraria tribuitur sñia, negauit 2. post. inscriptos fuisse resolutorios, sed solum affirmauit 2. libr. non fuisse inscriptos, priores, & posteriores, Poster. qđ quidem non caret probabilitate. Deinde probatur testimonijs Aristotelis manifestissimis: & qđ attinet ad analyticos priores, est locus manifestus in Topicis, ubi ait, quãq; se per falsa syllogizari, ut manifestũ est in analyticis: & in lib. 2. Periherminias. Qđ Lib. 8. spectat ad analyticos posteriores, est locus ex- cap. 4. pressus in Metaphysicis, ubi ait, se aliter di- cap. 1. ctum de definitione, quam in analyticis, in secundo nimirum libro. Quod si interdũ Lib. 7. appellantur libri de demonstratione & syllo- ca. 42. gismo, id fit distinctionis causa. Et licet in illis agatur de demonstratione, & syllogismo: tamen quia talis doctrina traditur per resolutionem, uel quia docetur modus, quo ista resolui possint, propterea inscripti fuere analytici. Ideo autem potius à resolutione, quam a compositione, quæ est illa nobilior, inscribuntur, quia de resolutione multa, de compo-

positione, aut nihil, aut pauca dicuntur. Cur autem libri topici non inscribantur resolutiui infra docebo.

Secunda positio, duo libri, in quibus agitur de syllogismo, merito inscribuntur analytici priores; illi uero in quibus agitur de demonstratione, analytici posteriores. Q͠m, cum in syllogismo, vt est instrumentũ sciendi, considerentur duo, nimirum forma, & materia, siue illatio, & probatio, ideo duplex oritur resolutio, quarum vna fit in ea principia, ex quibus dependet consequentia, siue recta argumentandi forma, altera in ea vnde dependet probatio. Et quia Aristoteles seorsim considerauit syllogismum s̃m formam, in duobus primis libris, & syllogismum s̃m materiam in duobus posterioribus, & vtrumque in sua principia resoluit, ideo illi analytici priores, hi uero analytici posteriores conuenienter inscribuntur: & illa prior, hæc posterior analysis uocatur. Ex quibus colligere licet, quam inepte loquantur, qui hos libros appellant, libros priorum, & posteriorum: sed melius vocarentur, priores analytici, & posteriores analytici, & hunc in modum citarentur; In prima analysi libro primo, vel secundo: & in secunda analysi, priore, vel posteriore libro.

Tertia positio, libri Topicorum non debent inscribi, aut vocari analytici. Quoniam licet conclusio probabilis resolui possit in principia probabilia: tamen quia resolutio proprie dicta, est reuocatio conclusionis veræ, & necessariæ in principia propria, & per se, quomodo resolutio solum reperitur in syllogismo uniuerse considerato ratione formæ, & in demonstratione ratione materiæ, ideo syllogismus topicus, cum procedat per causas probabiles, quæ veræ, & falsæ esse possũt, non habet proprie resolutionem: ac proinde libri Topici, non sunt uocandi resolutorij.

Sed peteret aliquis, cur Aristoteles nõ egerit de syllogismi, & demonstrationis compositione, sicuti egit de resolutione: cui responderem, quia non fuit necesse, cum is facile cõponere rem aliquã possit, qui eius resolutionem nouit: adde etiam, quod nonnihil de compositione docuit. Ex quibus colligeres, nõ esse mirum, si libri priores de syllogismo, & posteriores de demonstratione à scriptoribus vocantur: & cur potius a doctrina quæ de ratione resoluendi traditur, quam a rebus quæ resoluuntur, hoc est à syllogismo, & demonstratione resolutorij, in scripti fuerint: resolutio sit optima ratio ad aliquid recte cognoscendum: sed de causa cur sic inscribantur, mox planius dicetur. Arist. li. 1. Polit. ca. 1.

De causa, siue ratione, ob quam hi libri Analytici inscribantur. *Cap. IIII.*

QVamuis ergo Aristotelis interpretes cõmuniter de horum librorum inscriptione conueniant: tamen in assignanda causa, sunt inter se discordes; vnde uariæ enatæ sunt sententiæ, quas in ipsis positionibus attingã. Vt autem huic difficultati plane satisfaciam, vnum, vel alterum adnotabo.

Notandum ergo est, aliquam scientiam posse dici resolutoriam ex his causis. Primo, quia res in quibus uersatur, fuerunt per resolutionẽ inuentæ: secundo quia ipsamet scientia est per resolutionem composita, qua rõne scientiæ Mathematicæ per antonomasiam dicũtur resolutoriæ, ut supra docuimus: tertio, quia vtũtur Methodo resolutiua: postremo, quia docet modum resoluendæ conclusionis in sua principia, ex quibus dependet.

Rursus notandum est, duo esse genera demonstrationis, unum quod uocatur a priore, cum per causam effectum, & per priora secundum naturam posteriora probamus, vt si per esse compositum ex contrarijs, probares aliquid esse corruptibile: alterum quo per effectum probatur causa, & per posterius id quod est prius, vt si per esse corruptibile probares aliquid esse compositum, ex contrarijs, & aliquid esse ratione præditum, quia est risiuum; cum risus sit rationis effectus. Hinc fit, vt duplex possit esse resolutio, altera, qua à priore ad posterius proceditur: altera qua à posteriore ad priora itur. Trusa. in artem paruam Galeni.

Ex his intelligere licet duas scriptorũ opiniones, quarum altera affirmat hos libros inscriptos esse analyticos à demonstratione propter quid, quod existiment resolutionem speculatiuã procedere a priore ad posterius, & non differre à demõstratione ꝑpter quid, de qua in libris posterioribus agitur, in cuius gratiã, in scripti sunt priores, in quibus tradita est doctrina de syllogismo, demonstrationis causa explicato. Altera eorum, qui putãt sic inscriptos esse à demonstratione, quia, q̃ putant Vide Zimar. digressionẽ Theor. 60. Concil. diffe. 8. Iacob. Forol.

putant esse idem cum resolutione: cum vtraque a posterioribus ad priora procedat: non quod in his libris potissimum agatur de demonstratione, quia; sed qđ hæc sit instrumentum aptissimum ad probandam doctrinā de demonstratione propter quid, & de syllogismo. His ita notatis, has subijcio positiones.

Prima positio, hi libri non inscribuntur analytici à demonstratione propter quid, quoniam demonstratio propter quid est distincta à resolutione, cum resolutio, ut postea dicetur, cum de instrumentis sciendi agam, a posterioribus procedat, illa uero a prioribus. Quare cum sint distinctæ, contrariæ sententiæ fundamentum ruit.

Secunda positio, hi libri non inscribuntur analytici a demonstratione, quia. Quoniam etsi resolutio a posteriore procedat, sicuti & demonstratio, quia; tamē plurimum ista duo instrumenta differunt ut planius alio dicetur loco. Adde etiam, quod Aristoteles, aut nunquam, aut rarissime hoc genere demonstrationis utitur in doctrina de demonstratione, & syllogismo tradenda, quod tamen profundamento contraria sumit opinio. Vt omittam, quod omnes fere scientiæ ita inscribi possent, cum hoc demonstrationis genere vtantur.

Tertia positio, hi libri non inscribuntur analytici à methodo, resolutoria, quod scilicet Aristoteles hac methodo utatur. Est hæc positio contra quosdam, qui aliter sentiunt, quam nos docemus. Nostræ uero sententiæ, hæc fauet ratio, quia ex cōtraria opinione sequeretur libros Topicos, & Elenchos inscribendos esse resolutorios, cum in his etiā Aristoteles methodo vtatur resolutoria, & tamē aliunde sunt inscripti, & cum hic modus sit omnino communis, multi alij libri, Physici, & morales sic inscribi possent.

Mirand. lib. 5. apol. lec. 4.

Quarta positio, hi libri non inscribuntur resolutorij ex eo quod in eis doceatur ratio reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos, est contra quosdam, qui existimarunt, inscriptos fuisse ab ista resolutione, seu reuocatione. Primum, quia inscriptio sumeretur à minima parte, quod non vř consentaneum, & nō haberet locum in libris posterioribus. Deinde, quia talis reductio non potest proprie vocari resolutio: siquidem resolutio procedit a perfecto ad imperfectum, sicuti resolutio naturæ; at illa reductio procedit a syllogismis imperfectis secundæ, & tertiæ figuræ ad perfectos, qui sunt in prima: igitur: Postremo accedat, quod Aristoteles nunquam talem reductionem resolutionem appellauit.

Philop. Alex. Eustr. Magent.

Quinta positio, libri priores fuerunt inscripti analytici ob has caussas. Primo, quia in illis docemur resoluere conclusionem in principia formalia, a quibus dependet: secundo, quia in illis traditur ars resolutiua inueniendi medium ad inferendam conclusionē necessariam necessitate illationis. Tertio, ab illa reductione imperfectorum syllogismorū ad perfectos: Postremo, quoniam hi libri ordinantur ad libros posteriores in quibus agitur de resolutione demonstrationis in principia probantia.

Sexta positio, libri posteriores fuerunt scripti analytici ob hanc rationem, quod in illis docetur ratio resoluendi conclusionē in caussas, siue præmissas probatiuas, priores, notiores, &c. Remanet probata hæc positio ex cōfutatione aliarum opinionum. Sed contra ea quæ diximus obijceret quispiam.

Primo, Mathematicæ disciplinæ dicuntur maxime analyticæ non ob aliam caūsam, quam quod vtantur demonstratione propter quid; igitur signum est resolutionem speculatiuam idem esse cum demonstratione propter quid. Respondeo, ideo appellari maxime analyticas, quia suas conclusiones resoluunt in sua principia clarissima secūdum se, & secundum nos nota.

Secundo, illi dicuntur resolute scire, qui habent demonstrationem propter quid, vnde eos resolutos vocamus qui rem per caussam cognoscunt: igitur signum est resolutionem non differre a demonstratione. Respondeo, resolute scire, formaliter est posse reddere causam alicuius rei, virtualiter autē est posse conficere demonstrationem propter quid, non quod resolutio sit demonstratio propter quid, sed quia is qui scit resoluere, facile potest conficere talem demonstrationem, uel quia demonstratio propter quid supponat semper resolutionem præcedentem.

Tertio scripsit aliquando Auerroes, resolutionem procedere a prioribus ad posteriora, loquiturque de resolutione speculatiua; igitur non erit diuersa a demōstratione propter quid. Quod si interdum ait resolutionē fieri a posteriore ad prius, intelligēdus est de resolutione practica, non de speculatiua. Respondeo,

Zimar. Theor. 60. in fine.

spondeo, Auerroem per resolutionem intelligere diuisionem, per quam partes demonstrationis inueniuntur. Quod autem dicitur de resolutione practica, est aperte falsum, cũ Aristotel. interdum resolutionem practicam cum Mathematica comparet.

Quarto Aristoteles seruat methodum resolutiuam in vtraque parte analyticæ: ergo hi libri dicentur analytici a methodo analytica. Sumptum patet, quia tunc seruatur methodus resolutiua, cum proposito fine scientiæ, principia & partes, quæ ad illum consequendum sunt necessariæ, tractantur: at hoc facit Aristoteles in prima analysi, vbi proposito fine, statim incipit agere de termino, & propositione, quæ sunt necessaria ad id obtinendum, quod sibi proposuerat. Et similiter in secunda analysi, proposito fine demonstrationis, inuestigat omnes eius partes, de quibus postea copiose agit. Atque hæc ratio soluitur ex dictis; licet enim obseruet methodum resolutiuam, non tamen præcipue hinc isti libri inscribuntur resolutiui.

Lib. 1. c. 1.

Lib. 1. c. 2.

Cur libri resolutorij appellentur iudicatiui, & Topici inuentiui. Cap. V.

SI quis Aristotelis doctrinam animaduerteret, eam logicæ, seu librorum logicorũ diuisionem in iudicatiuos, & inuentiuos, cũ nullibi ab eo sit insinuata, sed a Stoicorum schola accepta, facile omitteret. Sed qñ de hac re ab oĩbus fere disputatur, nos ẽt aliquid hoc loco dicemus, cum hi libri iudicatiui, & hæc logicæ pars iudicariua nominetur. Scriptores igitur stoicam diuisionem ad libros Aristotelicos accommodantes, dicunt analyticos libros esse iudicatiuos, topicos uero inuentiuos: Cur aũt ita appellentur, nõ eadem ab oĩbus redditur ratio. Vt autem quid in re non omnino perspecta tenendum sit plane doceam, nonnulla premittam fundamenta.

Cic. in Top.

Primum fundamentum: in humana cognitione duo considerantur, actus ipse cognoscẽdi, siue operationis, & modus cognoscendi. Ratione primi, duo actus attribuuntur humanæ intelligentiæ, rei perceptio, & rei perceptæ iudicium, quo de re comprehensa iudicamus, an talis sit, qualem nos percepisse, inuenisse ve arbitramur. Ratione secundi, hoc est ratione modi agendi, tres distinguuntur actus; quorum vnus est simplex apprehensio, uel abstractio, qua vnum cognoscitur, non cognito a'io: secundus compositio, uel diuisio, quo actu res apprehensas conferendo, coniungimus, aut separamus: tertius discursus, quo ab una re cognita in rei ignotæ notitiam peruenitur. Duo priores actus in omni natura intelligente reperiuntur; at uero actuum diuersitas ex modo intelligendi sumpta in solo hoĩe. Cum ergo Logica, uersetur in dirigendis operationibus intellectus in modo agendi, hinc fit, ut diuidi possit, tum iuxta priores actus, qui ad substantiam intellectionis pertinent in inuentiuam, & iudicatiuam; cum iuxta tres alios, qui a modo sumuntur prout dirigit primam, secundam, & tertiam intellectus operationes. Prima actuum humanorum diuisio quantum ad substantiam non spectat ad Logicum, sed ad Physicum: secunda uero maxime, cum eius sit docere modũ apprehendendi, componendi, & ratiocinandi. Rursus differunt illę diuisiones, q̃ illi duo actus, qui ponuntur in prima, in omni operatione inueniuntur, cum in oĩbus partibus in quibus tres operationes distinguntur, sit opus comprehensione, & iudicio: at uero actus ex modo intelligendi sumpti in uarijs partibus diriguntur. Ex his colligere licet, Logicũ supponere operationes intellectus, ac ẽt ipsas argumentationis formas, rerumque ad aliquid probandum inuentionẽ; cum eius non sit res ipsas tractare, sed solum modum intelligendi perficere, & de illo iudicare sit bonus nec ne, atque res ab alijs artibus cognitas ẽm rectam definiendi, diuidendi, & argumentandi formam ordinare. Propterea antiquiores philosophi, vt Stoici, & Platonici ante Aristotelem dialecticam, siue Logicam ab alijs scientijs non distinguebant, sed una cum illis eã tradebant. Hinc intelligi põt, cur illi interdũ Dialecticum sapientem appellarint, qua appellatione is designabatur, qui non modo res ipsas plene cognoscebat, sed ẽt modum rerum cognoscendarum, & iudicandarum tenebat. At uero Aristoteles Logicam ab alijs semouit, ut prius doceret modum sciẽdi, quã scientiam; cum utrumque simul quęrere, sit absurdum: immo etiam Logicam, & dialecticam inter se dissociauit; ad cuius rei declarationẽ aliud subijcio fundamentum.

Alber. hoc loco. & 5. Met. c. 5. Phil. 1. Prior. in init. Plot. lib. 3. Aen. c. 4. Orig. in cant. Hom. 1. 2. Met. c. 3.

Secũ fundamẽtũ, hæc pars logicæ in qua nunc

nunc versamus, pertinet ad tertiam operationem intellectus, qua ratiocinãdi modus examinatur. Sunt autem in ratiocinatione duo, res siue materia, & modus ratiocinandi, siue forma: quæ duo tenenda sunt ab eo, qui aliquid argumentãdo cognoscere vult. Et quoniam, tum in usu formę, tum materiæ peccari potest, ideo opus fuit aliqua arte, qua de vtraque an sit bona, iudicaretur: id quod per formæ, & materiæ resolutionem in sua principia fit. Et quia hoc iudicium fit a Logico in libris analyticis, in quibus docetur resolutio formæ, & materiæ syllogismi necessarij, quo vtimur in veritate inuestiganda, ideo Logica in hac parte, supposita, tum formæ, tum materię inuentione, de utraque iudicat, & quomodo sit rebus applicanda docet. Ex his colligeres, Logicam proprie suprã, quæ est facultas, qua traduntur instrumenta sciendi, ut sunt sola definitio, & demonstratio, appellandam esse iudicatiuam ratione illius partis quam Aristoteles analyticam inscripsit. Sed iam explicandum est, cur libri Topici dicantur inuentiui, & non iudicatiui.

Tertium fundamentum, quoniam humanus intellectus, dum manet inclusus in corpore in rerum naturas penetrare, earumque intima principia percipere, & causarum cum suis effectis necessarias consequutiones peruidere non potest; hinc fit, vt sæpius circa ea quæ rebus adiacent, & tem extrinsecus circumstant, versetur, ac proinde frequẽtius probabilibus, quam necessarijs argumentationibus utatur: vnde alia extat argumentorum

1. Post. c. 2.

materia, nimirum probabilis: Hę duę materiæ inter se dupliciter differunt. Primo, materia necessaria, quia ordinatur ad scientiam, quæ est vna, & certa, cum vnam tantum partem, nimirum ueram, demõstrator accipiat, ideo eget iudicio, ne in assensu veritatis erretur: non autem inuentione, cum vnicum sit medium, quo omnia demonstrantur: at vero materia probabilis, cum in utramque partem disputari possit, nec certam gignat assensionem, & varijs medijs in eius tractatione vti liceat, ideo potius inuentione, quam iudicio eget. Neque enim opus est iudicio in ijs, in quibus assensio non trahitur necessario ad vnam partem, cũ in materia probabili vtraque possit esse uera, uel falsa. Secundo, quod materia necessaria fuit omnino relicta scientijs, à quibus fuit separata Logica, quæ sibi

1. Post, c. 29.

solum iudicium de instrumentis sciendi assumpsit, ut diximus. At uero materia probabilis, quam nulla ars, uel scientia sibi considerandam sumpserat, sed in omnibus scientijs vagabatur, sumpta fuit à Dialectica, quæ nõ est ars quædam seiuncta à rebus probabilibus, sed probabilem materiam sibi tractandam sumpsit: quam ideo prætermisit Metaphysicus, licet ad eum communium rerum tractatio pertineat; quia solum necessaria cõsectatur. Quo fit, ut Dialectica locos, siue propositiones probabiles, a rebus ipsis sumat, & cum certa ratione uniuerse expediat; quibus postea de singulis rebus propositis probabiliter differere possimus. Et cum in hac locorum inuentione, & methodo sit occupata, ideo Topica, seu inuentiua nominatur, non autem iudicatiua. Est ergo Logica facultas auulsa à rebus, quas scientiæ tractant: Topica uero, seu Dialectica non item: quæ cum certum locum inter scientias non haberet, merito adiecta fuit Logicæ, cum qua nonnihil affinitatis habet. Atque ex his quę diximus colligeres; quod licet Aristoteles nullibi Logicam in iudicatiuam, & inuentiuam diuiserit: tamen eius libri analytici, iudicatiui, & Topici inuentiui nominari possunt, ut ex ipsorum inscriptione intelligere licet. Analysis enim in eum finem est instituta, ut de forma, atque materia, argumentationis necessariæ iudicium ferre possimus: Topica uero, ut sciamus in quacunque materia facile inuenire argumenta ad probabiliter differendum. Merito igitur illa iudicare, hæc inuenire dicitur, sed iam ex dictis aliquas positiones colligamus, quibus quid de re proposita sentiendum sit, breuiter docebitur.

1. Post. c. 27.

Prima positio, Logica iuxta Arist. doctrinã non est diuidẽda in inuentiuam, & iudicatiuã, nec eius libri in iudicatiuos, & inuentiuos. Quoniam ex Aristot. Dialectica, quam inuentiuam uocant, non est pars Logicæ, ut ex ijs quę ad notauim⁹ facile intelligi potest.

Secunda positio, quamuis Aristot. libros analyticos nullibi appellauerit iudicatiuos, nec Topicos inuentiuos: tñ, si finem Analyticæ, & Topicæ spectemus, nõ sunt damnandi illi, qui eos sic appellant. Quoniã analytica doctrina, ut adnotauimus, ad iudicandum, & Topica ad inueniendum referri uidetur.

Tertia positio, analyticæ non est tribuenda inuentio, nec Topicę iudicium, ut nõnulli fa-

li faciunt. Quoniam nec in illa inuenire, cum Logica, vt docuimus, formam, & materiã argumentationis supponat; neque in hac iudicare docemur, vt planius in sequenti positione dicetur. Vbi nota, quod inuenire nihil aliud est quàm ignotum, occultumve manifestare, & vario discursu, actuve intelligendi in alicuius rei notitiam uenire. Iudicare vero est assensione, uel dissensione rem sic, uel aliter se habere cognoscere, uel talem qualem quærebamus, esse intelligere.

Quarta positio, libri analytici conuenienter vocantur iudicatiui, & Topici inuentiui. Huius appellationis hæ assignãtur rationes. Prima, quia analytici, ut diximus, in hunc finem ordinantur, vt habeamus perfectam cognitionem substantiæ, & accidentium cuiuscunque rei per ueras, & perfectas demonstrationes, de quarum forma, & materia iudicatur in dictis libris. At uero topici in eum finẽ referuntur, vt sciamus inuenire argumenta probabilia in quacunque materia. Cum ergo ibi doceamur iudicare, hoc est assentire, uel dissentire, de rebus certis, de quibus solis est proprie iudicium, hic uero inuenire, ideo illi iudicatiui, hi inuentiui conuenienter nominantur. Secunda, quia in analyticis solum docetur ratio concludendi necessario alterã partem, nimirum ueram, ad quod opus est iudicio: at in topicis traditur modus disputãdi in utramque partem in quacunque materia, ad quod faciendum nõ tam iudicio, quã inuentione est opus. Tertia, quia, ut adnotauimus, in analyticis relicta rerum, quæ in argumentatione requiruntur, inuentione, solũ docetur iudicandi ratio de rebus inuentis: in topicis uero, dum uniuersales propositiones ex scientijs colliguntur, & ordinãtur, quibus probabiliter disseri queat, quod munus est Dialectici proprium, inueniendi doctrina traditur. Ac de re proposita hæc satis. Aegid. Rom.

De obiecto librorum prioris Analysis. Cap. VI.

ANalyticorum librorum inscriptione, & appellatione declarata, sequitur ut de eorum subiecta materia agamus: & quod attinet ad priores analyticos, hæ sunt de subiecto auctorum sententiæ.

Prima, eorum qui pro obiecto assignant argumentationem secundum formam: sed tamen aliqui dicunt esse argumentationem, ut est quid cõmune syllogismo, inductioni, & Enthymemati: alij uero, ut est genus uniuocum ad syllogismum dumtaxat, & inductionem. Quæ pro utroque dicendi modo faciunt argumẽta, inferius afferam, & diluam. Mars. Miran.

Secunda sententia aliorum, qui syllogismum pro obiecto agnoscunt; sed tamen non eadem ratione. Nam alij dicunt esse syllogismũ, ut est probatiuus, i. ut uim habet aliquid concludendi, qui analogicè dicitur de demõstratiuo, quo aliquid necessario concluditur, & de probabili. Huius sententiæ fundamentum est hoc: quia syllogismus sub hac ratione cognosci potest: ergo in aliqua parte Logicæ: sed in nulla alia: igitur in hac.

Tertia sententia cõis omnium fere Latinorũ, & speciatim Alberti, D. Tho. Aegidij, doctorum Louaniensium, & quorundã Græcorum, qui dicunt subiectũ esse syllogismũ, ut dicit formam communem syllogismo demonstratiuo, probabili, & sophistico: Aliqui tamen contrahunt hãc consideratione ad syllogismum, ut est forma demonstrationis, ui ex uerbis Aristot. qui proponens suam intentionem, uidetur affirmare, se uelle agere de syllogismo in ordinem ad demonstrationẽ: & in fine omniũ analyticorum, in epilogo, idem cõfirmare uidetur, dum de syllogismo, & demonstratione se egisse ait. Adde etiam, quod de topico syllogismo agit per accidens in defectum demonstrationis: agit igitur de syllogismi forma in ordine ad demonstrationem. Vt autem huic dubitationi plane satisfaciam, quædam subijcio fundamenta. Lib. 1. Prior. Lect. 1. in 1. post. In plo. Alex. Philop. Mag. Auct. in prolo. mag. 1. Prior. c. 1.

Primum fundamentum, omnes doctores conueniunt in hoc, in his libris disputari de syllogismo secundum formam: cum id ex ipso Aristotele manifeste constet: sed in eo differunt, an de syllogismo agatur tanquam de subiecto adæquato, an partiali. Cuius cõtrouersiæ resolutio pendet ex hoc, an inductio, & Enthymema sint aliquo modo species syllogismi, & de eis sub hac ratione tractetur: an uero sint aliquid distinctum. Nam qui censeret, esse species quasdam syllogismi imperfectas, is syllogismum pro obiecto adæquato, horum librorum constitueret: qui uero id negaret, argumentationem faciet obiectum. Quo loco illud etiam adnotauerim nos quęrere de obiecto horum librorum, ut sunt distincti à libris posterioribus: an autẽ ex omnibus

nibus analyticis unum fiat opus, postea examinabitur.

Secundum fundamentũ, syllogismus duobus modis sumi potest: primo in significatione pressa, ac stricta, ut est oratio quæ ex tribus terminis debite dispositis, colligit aliqd particulare: Altero modo large, & tunc nihil aliud est, quàm oratio quæ ex debita dispositione quarumcunque propositionum, infert aliquid aliud, uel uniuersale, uel particulare. Et quamuis primo modo nõ contineat inductionẽ, quia semper aliquid uniuersale concluditur: tamen secundo modo aliquo pacto eam includit. Hanc syllogismi distinctionem Alexander, Albertus & alij adhibuere. Quod uero attinet ad Enthymema, cum huiusmodi argumentandi forma constet ex singularibus, & singularia à scientia reijciantur; hinc fit, ut hoc probatiuum instrumentum per se non consideretur à Logica, quæ est omnium scientiarum organum. Licet ergo Enthymema de quo in his libris agitur, ad syllogismũ reuocari non posset; non propterea inde cõficietur, syllogismum non posse esse obiectũ.

Auẽr. 1. Prior. 2. Prio. c. de syllo. defi. 2. Prio. c. de indu. Lib. 2.

Tertiũ fundamẽtũ syllogismus bifariam cõsiderari põt: primo modo, uniuerse, seiunctus à materia: altero ut est applicatus huic, uel illi materiæ probãti in particulari. Si priore consideretur modo, nihil aliud est, quam oratio, quæ ex duabus præmissis cõuenienter dispositis, alteram necessario, & euidente infert in quacunq; materia: si uero posteriore modo sumatur, est oratio, qua ex duab. præmissis in hac, uel illa materia aliqd probatur.

Hæ duæ cõsiderationes in eo differunt, q̃ iuxta primam habet uim solũ illatiuam, quę pendet ex ordine prædicati cum subiecto, & medij cum extremitatibus: iuxta secundam uero, non solũ aliquid infert, sed etiam probat: uim aũt probandi accipit à materia ex qua propositiones cõstant. Rursus, primo modo consideratus, dupliciter sumi potest; uno modo, ut dicit nudam formã, abstrahẽdo ab omni materia: secundo ut includit aliq̃ materiam in cõmuni; ut. n. eius forma uniuerse cõsiderari potest, ita & eius materia, quæ sunt termini, & propositiones. Syllogismus primo modo consideratus à Latinis cõmuniter uocari solet syllogismus secundum formam; non secus ac si considerares circuli formam abstractam à singulari materia, ut ab ære, à ligno, & à lapide. At uero secundo modo cõsideratus, dicitur syllogismus secundũ materiam; quæ si sit necessaria, dicitur syllogismus demõstratiuus, si probabilis, topicus, si falsa, sophisticus. Rursus primo modo consideratus dicitur illatiuus; secũdo uero probatiuus.

Quartum fundamẽtum, Enthymema, inductio, & aliæ argumentationis species dupliciter considerari possunt: primum prout inter se aliquo pacto distinguuntur, iuxta suas proprias, & particulares natura: deinde, prout uim habent inferendi: quam profecto habent à forma, si uim inferendi formalem spectemus. Forma autem per quam omnes argumentationes aliquid concludunt, tota cõsistit in syllogismo, cum alij argumentandi modi semper uim habeant ab illa propositione quæ in illis reticetur, & in syllogismo exprimitur. Siquidem, omnis oratio quæ aliquid necessario infert, debet habere aliquod medium; quod esse non potest, nisi duæ intercedant pręmissæ: ac proinde ubi una reticetur necessario subintelligẽda erit; quare in omni argumentatione formali, potestate saltem, continebitur syllogismus. Vnde ista Enthymemata, Nullum album est nigrum: ergo nullum nigrum est album: &, Aliquis homo est albus: ergo aliquod album est homo, concludunt quidem, non tamen ex ui formæ syllogisticæ in eis inclusæ, sed ratione materiæ, & conuersionis. Ex quibus inferre licet, quod si quis agat de forma syllogistica, non esse necessarium, ut agat de forma aliarum argumentationum: quippe quia ab illa uim pbandi capiunt omnes; cum præsertim de illis pauca dici possint, & quæ possent, ex ijs quæ de syllogismo dicuntur, intelligantur. His ita notatis, has subijcio positiones.

Primo positio, probabile est argumẽtationem esse obiectum adæquatum horũ librorum. Primo quidem, quia Aristoteles in his libris agit de omnibus speciebus argumentationis: ergo aliquid eis commune pro obiecto erit constituendum; nimirum argumentatio. Secũdo, quia dantur quædam Enthymemata, quæ non possunt reuocari ad syllogismum: & quæ reuocantur, possunt seorsum cõsiderari: igitur. Tertio in his libris dirigitur tertia intellectus operatio, quod per argumentationẽ fit: ergo ipsa erit obiectum. Quarto, quia Aristoteles aliquando diuidit argumentationem, in inductionem, & Enthymema, tanquã in duas species distinctas; Lib. 1. Top. c. 10.

quæ æqualiter de omnibus speciebus prædicatur: igitur. Quincto, quia alibi scriptum reliquit, omnia quæ creduntur, credi per syllogismum, aut per inductionem: quas assignat tanquam species argumentationis: ergo. Denique, omnis syllogismus constat ex duabus præmissis, & ex vniuersalibus colligit etiam particulare: at inductio, cōstat ex multis præmissis particularibus, & infert vniuersale: igitur est omnino diuersa a syllogismo, ac proinde ad eum non reducetur. Quod si dicas, in his libris non agi de principijs, & proprietatibus argumentationis in cōmuni; ac proinde non esse obiectū: Dicerem, argumentationem esse quoddam analogum, & ita satis esse si ostendantur principia, & proprietas eorum, quæ sub ipso continentur.

1.Rhet. c. 2. 2.Prio. c. de id.

Rursus si dicas, Enthymemata, & inductiones reuocari ad syllogismum, Respondere non omnia reuocari, & habere diuersum modum procedendi, & posse secundū se considerari. & denique, esto istę species tractentur in ordine ad syllogismum; adhuc per se tractari dicentur: sicuti in Metaphysica consideratur ens, ut ens est, quod cōplectitur substantiam, & accidens, & tamen accidens consideratur in ordine ad substantiam.

Secunda positio, probabile est argumentationem non esse horum librorum obiectum. Primum, quia si argumentatio assignāda est pro subiecta materia in his libris, maxime quia in eis agit de inductione, & Enthymemate, quæ sunt species argumentationis, ac etiam de cōuersione: atqui inductio tractatur, vt reuocatur ad syllogismū: Enthymema vero est syllogismus quidā imperfectus; conuersio, vel nō est argumentationis species, vel consideratur in ordine ad syllogismum: igitur. Deinde, omnes argumentationis species totam vim illatiuam habent à syllogismo: igitur nō sunt per se tractandæ; ac proinde eorū causa argumentatio nō erit pro obiecto habenda. Præterea omnia quę in his libris tractantur, optime reuocantur ad syllogismum: igitur. Denique, patebit hæc positio ex sequentibus.

Libr. 2. c. 29.

Tertia positio, horum librorum adæquatū subiectum non est syllogismus, vt probatiuus, ut analogice dicitur, de tribus syllogismi partibus. Quoniam sub hac cōtracta consideratione pertinet ad alios libros in quib. priuatim agitur de syllogismo triplici materiæ applicato: syllogismus itaque sub ista ratione consideratus ad alios libros pertinebit. Quod si dicas, syllogismus vt probatiuus analogicè dicitur de tribus speciebus, & sub hac ratione est scibilis: igitur in aliqua parte logicè tractatur: non in alia: igitur in ista. Respondeo, hic non agi de syllogismo, vt est probatiuus, quia probatio pēdet ab aliqua materia, sed solum de probatiuo secundum formam.

Quarta positio syllogismus secundum formam est adæquatum obiectū in libris analyticis, vt nimirum dicit formam communē tribus syllogismorum speciebus, demonstratiuo, probabili, & captioso. Primum probatur hæc positio ex confutatione aliarum opinionum, & ex communiore auctorum sententia. Deinde, syllogismus sub hac consideratione est quid vniuocum, & commune, quod debet considerari in logica, cum maxime dirigat tertiam operationem intellectus: quare de eo facienda fuit priuatim tractatio, quæ nullibi habetur nisi in his libris, in quibus generatim dirigitur tertia intellectus operatio per syllogismum secundum formam: igitur. Postea, omnia quæ in his libris tractantur, pertinent ad syllogismum secundum formā consideratum, vt sunt termini, figuræ, conuersiones, propositiones, & alia: & aliæ species argumentationis, sunt imperfecti quidā syllogismi, ab eoq; vim probandi habent: igitur. Præterea, illud est subiectū in aliqua tractatione, cujus principia, partes, species, & proprietates considerantur: at illa omnia considerantur in hac logicæ parte de syllogismo secundū formam accepto: igitur. Minor propositio patet, quia hic considerantur principia extrinseca, & prima syllogismi ex quibus pendent omnes concludendi formæ, & illationes omnes, vt sunt, dici de omni, & dici de nullo: principia intrinseca remota, ut sunt termini partes, seu principia proxima, tres syllogismorū figuræ, & denique eiusdem proprietates nonnullę: & siquid aliud tractatur, in gratiam syllogismi tractatur, vel vt reijciatur a syllogismo, vt exemplum, vel vt demōstretur aliquam rationem habere syllogismi, vt Enthymema, & inductio: igitur. Ad hæc, certum est ex Aristot. in his libris agi de syllogismo, vt inseruit demonstrationi, vt patet ex capite primo libri primi, vbi suam intentionem proponit, & alijs in locis scripsit demonstrationem solum fieri in prima figura: inseruit autem sub hac consideratione, vt habet

bet communem formam: igitur. Denique, in his libris, vt etiam aduersarius docet, dirigitur tertia operatio intellectus, id autem præstat syllogismus secundum formam consideratus, cum oẽs aliæ argumentationes ab eo vim sumant: horum igitur librorum obiectum erit syllogismus formaliter sumptus. Confirmares et hanc opinionem ab inscriptione, quia hi libri inscribuntur priores resolutorij a resolutione syllogismi secundum formam, vt posteriores a resolutione secundum materiã.

Quinta positio, quamuis syllogismus secundum formam sit communis tribus speciebus syllogismorum secundum materiam, & in ordine ad illas consideretur: tamen præcipue consideratur gratia demonstrationis. Primũ patet expresse hæc positio ex Aristotele, qui explicando suam in his libris analyticis intentionem, dixit, se acturum de demonstratione, & scientia demonstratiua: & in epilogo de ijsdem se egisse ait. Deinde, quia logicæ munus proprium est tradere instrumenta sciendi: at sola demonstratio est instrumentum sciendi per discursum: igitur syllogismus secundum formam causa demonstrationis præcipue consideratur.

Lib. 1. prior. c. 1. Lib. 2. Post. ca. penult.

Sed obijceres, si in his libris agitur de syllogismo secundum formam communem tribus syllogismorum speciebus: igitur istæ species nõ different ratione formæ, a qua omnis sumitur distinctio, sed ratione materiæ a qua tamẽ non sumitur specifica differentia: Respondeo, illas tres syllogismorum species in ordine ad vim illatiuam non differre, nisi accidẽtaliter, vt figura triãgularis ænea, & lignea. Licet ergo differentia essentialis nõ sumatur a materia: accidentalis tamen maxime: & ita, quia prædicti syllogismi, vt illatiui, accidentaliter differunt, ideo nullum ex dictis sequitur inconueniens, sed hac de re planius infra dicetur. Quod si quis sententiã de obiecto a nobis probatam sequi vellet, argumentis pro contraria opinione allatis, sic responderet.

Ad primum, patet ex dictis: diximus enim quo pacto aliæ species in his libris considerentur.

Ad secundum, omnia Enthymemata, si habent illationem formalem, sub qua ratione considerantur in his libris, sunt virtualiter syllogismi, & in ordine ad ipsos necessarii concludunt, ut ex quarto patet fundamẽto. Quare cum inductio, & Enthymema sint intrinsece imperfectæ argumẽtandi formæ, non debent per se tractari, sed in ordine ad syllogismum a quo vim probatiuam habẽt.

Ad tertium, tertia intellectus operatio per se dirigitur solo syllogismo, & per alias argumentationes, vt sunt imperfecti quidam syllogismi.

Ad quartum, solum probat inductionem esse speciem distinctam a syllogismo stricte considerato, sub qua ratione sumitur ab Aristotele in illis locis: at si late sumatur, inductionem aliquo pacto continet. Vnde patet etiam ad quintum.

Ad sextum, argumentatio siue syllogismus in communi primo dicitur de syllogismo stricte sumpto: secundario uero de ipsa inductione.

An ex omnibus libris analyticis vnum conficiatur opus. Cap. VII.

VT huius difficultatis status recte intelligatur, animaduerte, non esse dubium, an ex his libris fiat vnum opus logicum; certum est enim hos libros esse Logicos, & vna cũ alijs efficere vnũ integrum Logicæ opus, sed hoc in dubitationẽ reuocatur, an isti sint vna tantum pars Logicæ, & efficiant vnum opus partiale, vt duo libri Perihermenias faciunt. Quòd autem non vnum conficiant opus sic probatur.

Primũ, illi libri faciunt diuersa opera, qui habent diuersam inscriptionem, diuersa obiecta, diuersumque proœmium: atqui ista omnia in his libris sunt diuersa: igitur. De inscriptione patet, quia, duo, inscribuntur priores: alij, posteriores: de obiecto probatur, quia in alteris syllogismus, in alteris demonstratio, uel aliquid aliud est obiectum: de proœmijs patet ex ipso Aristotele: ergo.

Deinde, syllogismus vniuerse cõsideratus, nõ magis refertur ad demonstrationem, quã ad syllogismum topicum, & elenchum: ergo, si libri priores efficiunt vnum opus cum posterioribus, efficient etiam cum libris topicis, & elenchis.

Postremo, in prioribus agitur de Enthymemate, exemplo, conuersione, & de propositionum mistione, sed ista omnia non considerantur propter demonstrationem: erit igitur tractatio priorum multo communior,

quam materia posteriorum; ac proinde in vnum opus conuenire non poterunt.

Aegid. Scot. Caiet. In hac difficultate fuit prima opinio eorũ, qui ob allata argumenta existimarũt ex omnibus analyticis non posse confici vnũ opus. Secunda aliorum qui contrarium docuerũt; in quibus numeratur Auerr. quẽ Balduinus, Buran. Mirandulanus, & alij sequuti sunt: quorũ sane opinio videtur esse communior, ac etiam probabilior. Vt aũt quid tenendũ sit facile explicetur, vnũ, vel alterum subijcio notandũ.

Primum notandum, ad hoc, vt aliqui libri faciant vnum opus, quattuor sunt necessaria, vt habeant idem procemiũ, eundemq; epilogũ: vt eadem sit eorũ inscriptio, vt quæ in illis tractantur referantur ad vnũ finẽ proximum, & immediatũ: postremo, vt possit assignari aliquod obiectũ omnibus commune.

Secundum notandum, eiusdem est operis tractare materiam, & formam alicuius rei, vt de hominis corpore, deque eius forma, de quibus agit Physicus. Arist. 2. phys. t. 26. Cum enim materia & forma sint quid imperfectum, & vna dicat necessarium ordinem ad aliam, profecto vt ex illis vnum efficiatur perfectũ opus, debebunt vno opere tractari: cæterum, non est necessarium, vt simul cum forma tota materia tractetur, præsertim si sint analoga, sed satis est, vt principalis materia tractetur, qualis est materia syllogismi necessaria, respectu probabilis, & fallacis.

Tertium notandũ, syllogismus nihil aliud continet, quam illationem quandam necessariam vnius ex alio: quæ illatio sequitur rerum connexionem inter se. Quo fit, ut illatio syllogistica ꝓprie ijs rebus cõueniat, quæ necessariam connexionem habent: vnde, si materia sit probabilis, uel falsa, quæ talẽ connexionem non habet, syllogismus ex tali materia conflatus non poterit intellectum conuincere; qui cum illationis necessitatem non sentiat, facile existimabit, in rebus ipsis nõ esse connexionem, nisi probabilem, vel apparentem. Ex quibus colligi licet, materiam necessariam, quæ solum in demonstratione reperitur, proprie pertinere ad formam syllogisticam: alias verò quasi secundario, & per accidens. His notatis vnicam subjicio positionẽ. Libri priores analytici efficiũt vnũ opus cum duobus posteriobus. Primum, quia habent conditiones illas, quas diximus necessarias esse ad constituẽdum vnum opus. Nam habent commune, & vniuersale procemium positum initio libri primi priorum, & vniuersalem epilogum in fine secũdi posteriorum: Eandem inscriptionem, quia omnes inscribuntur analyticis & licet interdum addatur, Priores, & posteriores, hoc fit ad distinguendos partiales libros: ex quo etiam conficitur, vt inter illos aliqua sit connexio, & ut simul sumpti vnum faciant corpus. Hinc est quod Aristoteles hos partiales libros una, & eadem appellatione nominat: & ita per libros analyticos interdum intelligit priores, vt in libro secundo Perihermenias, in primo rhetorico. Cap. 1. alijsque in locis: interdum uero posteriores, Cap. 2. vt in sexto Ethico. capite tertio, ĩ septimo metaphysico. & alibi. Lib. 8. Topi. cap. 4. Habent etiam vnum obiectum, nimirũ demonstrationem, ut dicit materiam, & formam syllogisticam, & definitionem, ut conueniunt in ratione instrumenti sciendi, vt alio loco plane dicetur. Tex. 41. Ordinantur denique ad unum finem immediatũ, ad perfectam cognitionem instrumentorũ sciẽdi: igitur. Deinde, relatiua pertinent ad idem opus: atqui libri qui vocantur priores, & posteriores sunt relatiui: unum igitur opus conficient. 2. Phys. t. 26. Pręterea, materia, & forma alicuius rei eodem opere tractanda sunt, cum ex illis vnũ quid efficiatur: at in prioribus agitur de forma syllogismi, in posterioribus de eius materia: igitur. Et quamuis in prioribus agatur de syllogismo in cõmuni hoc tamen est per accidens, quia intentio Aristotelis erat agere de forma demõstrationis: cęterum quia illa forma est communis omni syllogismo, ideo per accidens factum est, vt syllogismi forma communiter fuerit explicata, ne postea iterum de ea esset agendum. Lib. 1. Prior. c. 5. Confirmatur, quia Logicus, non agit per se de syllogismo probabili, nisi in defectum demonstrationis, uel ad ingenij exercitationem, uel in gratiam eorum qui non sunt demonstrationis capaces: ni potius dicere uelis, tractationem illam non esse Logicam, sed Dialecticam.

At obijceret quispiam, contra id quod dicebamus de vno huius operis adæquato obiecto, quod sit instrumentum sciendi, quia instrumentum sciendi non comprehendit syllogismum sub illa ratione, sub qua tractatur in libris priorum: non erit igitur obiectũ adęquatũ: minor patet, quia in prioribus est sermo de syllogismo, ut est communis demonstratiuo, topico, & insidioso: at instrumentum

tum sciendi, non comprehēdit syllogismum sub ista ratione: igitur. Respondeo satis esse si obiectum adæquatum comprehendat partialia obiecta sub ratione primaria, qua considerantur, hoc est, vt sunt instrumenta sciēdi, & quia in prima analysi agitur de syllogismo in cōi in ordine ad demonstrationem, ideo continetur sub instrumento sciendi. Cum ergo tota tractatio de syllogismo illatiuo quodammodo sit sub demonstratione, cum ei tanquam primo analogato attribuatur, ob vim precipuam, quam habet ad probandum, ideo ad demonstrationem refertur, & sub ea contineri censetur. Atque ex dictis facile solueres argumenta in contrarium allata.

Ad primum, quod attinet ad inscriptionem, patet ex dictis: de obiecto, habent quidē obiecta partialia distincta, non tamen totalia, sed vnum totale: de procemio, negamus habere distincta procemia: quoniam primū caput primi posteriorum, nō continet procemium, sed pertinet ad ipsam tractationem, vt alio loco dicetur: atqui alijs dicerent continere partiale procemium. Bald.

Ad secundum, patet ex dictis, quia syllogismus communiter consideratus refertur ad demonstrationem, tanquam ad finem proximum, & per se intentum; ac proinde cum ipsa facit unum opus, & non cum alijs.

Ad tertium, ideo Aristoteles de illis omnibus egit, ut compleret tractatum de syllogismo in cōi, de quo disputationem propo suerat pp demonstrationem. Cæterū, occasione sumpta aliqua ēt attingūtur in priore analysi, pertinentia ad alios syllogismos, ut propositionum mistio, i. cum vna est contingens, alia necessaria: id tamen fit per accidens.

Asseruntur, ac soluuntur dubitationes quædam circa iam dicta.
Cap. VIII.

VT adhuc magis explicentur ea quæ proxima disputatione docuimus, nonnullæ dubitationes enodandæ sunt.

Prima dubitatio, quare syllogismus illatiuus, de quo ut diximus in primis analyticis agitur, uocatur forma respectu Demonstratiui, topici, & sophistici? cum potius sit quoddam totum, & ueluti genus. Respondeo isti syllogismi, ut supra diximus, differunt accidentaliter ratione materiæ ex qua constant: at illud commune in quo conueniunt ea quæ accidentaliter differunt, se habet per modū formæ, illud uero quod est caussa distinctionis per modum materiæ. Cum ergo isti tres syllogismi accidentaliter differant in ordine ad syllogismum illatiuum, & communem in quo conueniunt; ideo syllogismus respectu istorum dicitur forma: quippe quia figuram & modum includit, quæ se habent, vt forma respectu triplicis materiæ.

Secunda dubitatio, si in libris Prioribus agitur de forma syllogismi in communi, & in posterioribus, ut diximus de materia, hoc est de propositionibus necessarijs, sequeretur syllogismum non habere materiam communē cum tamen forma communis comprehēdat materiam communem, cuiusmodi non possunt esse propositiones necessariæ: quare non erit uerum quod diximus, in prima analysi agi de forma cōmuni, & in posteriore de eius materia. Respondeo, syllogismi formam dupliciter considerari posse: vno modo in ordine ad illationem, & sic respondet ei aliqua materia communis, nimirum termini, & propositiones uniuerse consideratæ: altero modo in ordine ad probationem, & sic non respondet ei una certa materia, sed tres materiæ, necessaria, probabilis & captiosa: ex quibus præcipua censetur materia necessaria, ad quam reliquæ aliquo modo reuocantur: propterea recte dicitur, in posterioribus agi de materia illius communis formæ, uidelicet de primaria.

Tertia dubitatio, genus, ut scriptum reliquit Porphyrius, se habet tanquam materia, nō vt forma: atqui syllogismus uniuerse sumptus, est veluti genus ad demonstratiuum, topicum, & sophisticum: non igitur poterit dici respectu istorū forma, sed potius materia, respondeo, syllogismum uniuerse sumptum non esse proprie genus ratione istorum: quia non contrahitur per proprias differentias. Diceres etiam, Porphyrium intelligendum esse de generibus rerū substantialium: in illis enim quæ accidentaliter differunt, genus sumitur a forma, & differentia a materia: vt patet de simitate, cuius genus est curuitas, quæ se habet per modum formæ, simitas vero veluti materia. Denique, diceres etiam, syllogismum uniuerse consideratum posse dici materiam, quatenus se habet, ut quid indifferēs Cap. de differ.

quod

quod per diuersa contrahitur: quatenus autē diuersis materijs applicatur figura illa syllogistica, se habet tanquam forma.

Quarta dubitatio, si syllogismus esset forma demonstrationis, de eà prædicari non posset; quia nulla forma, (cū oīs forma sit pars) prædicatur de suo toto in recto; quod tamen est falsum, siquidem, non solum dicimus demonstratio constat ex forma syllogistica, sed et, demonstratio est syllogismus: male igitur dr̄ eius forma, siue pars. Respondeo, quamuis pars per modum partis de suo toto in recto prædicari non possit, sicuti genus de sua specie, si vt quædā pars eius est consideretur: tn̄ si sumatur in cōi, & in confuso, vt dicit quidquid est in sua specie, etiam in recto prædicari potest. Syllogismus ergo, si in confuso consideretur, & vt dicit quandam naturam quæ in demonstratione inuenitur, & ut se habet per modū totius, de ea prædicari potest. Lib. 1. Poster. tex. 5.

Quinta dubitatio, Aristoteles in primo libro analysis secundæ, agit de forma demonstrationis: male ergo diximus, in libris prioribus agi de forma demonstrationis, & in posterioribus de eius materia. Facilis est responsio: eo loco Aristoteles non agit de forma demonstrationis, sed formam communem iam explicatam in libris Priorum applicat demōstrationi. Deinde, esto ageret de forma; dicerem tn̄ agere de particulari, & priuata forma demonstrationis: cum tamen prius egisset de eadem forma in communi; nimirum de syllogismo illatiuo, qui est ueluti genus demonstrationis: quem postea ad particularem, & determinatā formam applicuit, ut duplicem de syllogismi forma traderet notitiam. cap. 11.

De scopo fineve ordine, proportione, diuisioneque librorum prioris analysis. *Cap. IX.*

QVæ nobis circa prœmiales disputationes dicenda supersunt, cum facilia sint, quibusdam dubitationibus breuiter complectemur.

Prima dubitatio, quinā sit Aristotelis in his duobus libris scopus, siue intentio. Respōdeo, esse agere de syllogismo s̄m formam. Vt autem id planius explicetur, animaduerte, Logicam dirigere tertiam operationem intellectus, qua discurrimus, idq; per doctrinam, quam tradit de syllogismo: cuius tres sunt species, demonstratiuus, topicus, & Elēchus: qui partim conueniunt, partim differunt. Cōueniūnt quidem in forma, i, in debita dispositione triū terminorum, & præmissarum s̄m qualitem, & quantitatem; differunt tñ ratione materiæ, vt non semel diximus. Cum ergo intentio Aristotelis in sequentibus libris, ut communiter scribitur, esset agere de tribus syllogismi speciebus, diuerso tamen modo, de demonstratione quidē primario, de reliquis secundario, ut supra docuimus, ideo in his libris aggressus est disputationem de forma demonstrationis. Et quia animaduertebat hanc eandem formam esse communem etiam alijs speciebus, ideo disputationem instituit de syllogismo secundum formam in communi; quamuis eius præcipua intentio, esset agere de forma dumtaxat demonstrationis, vt patet ex prœmio, & epilogo, ut supra dicebamus. Cōcludamus igitur, auctoris propositum in his libris esse agere de syllogismo secundum formam in communi, & potissimum demonstrationis gratia. Libr. 1. Prior. c. 1. & 5. lib. 2. Poster. cap. pen.

Secunda dubitatio, quænam est connexio horum librorum cū præcedentibus? Respondeo, cum in libris Perihermenias actum sit de enunciatione quæ est instrumentum directiuum secundæ operationis intellectus sequitur, vt explicetur instrumentum quo dirigitur tertia, quod fit in sequentibus libris.

Tertia dubitatio, quam proportionem habent hi libri cum cæteris, id est, quo loco reponendi sint; huic dubitationi respondeo per hæc dicta.

Primum dictum, si loquamur de partibus Logicæ vniuersæ, hi libri obtinent tertium locum. Nam cum Logica dirigat tres operationes humanæ mentis, primo loco dirigit primam in libro Prædicamentorum, dum decē naturas explicat, & ordinat, ut eas recte apprehendamus: secundo loco easdem copulare docet: in tertio, quomodo ab vna ad aliam discurrere liceat, quod in hac tertia parte fit.

Secūdum dictum, si diuidamus Logicam in artem veterem, & nouam, hi libri obtinēt primum locum in noua. Artem ueterem vocant eos libros qui continēt doctrinam, quæ maxime a veteribus olim de Logica tradita fuit, ut doctrinam de decē naturis, & de propositione, seu enunciatione; nouam uero illam quæ magna parte inuenta, aut saltē maxime

ximo illustrata fuit ab Aristotele, quæ traditur in libris in quibus agitur de syllogismo in communi, & de resolutione consequentiæ, & in libris sequentibus.

Tertium dictū, si Logica diuidatur in inuentiuam, & iudicatiuā, hi libri pertinent ad primā partem iudicatiuam, quia in eis docemur ferre iudicium de consequētia, quę prius iudicanda est, quam id quod consequitur.

Lib. ratio Phys. Quartum dictum, hi libri pręcedere debēt libros analyticos qui vocantur posteriores. Primum quia in his agitur de syllogismo in communi, in illis de quadam syllogismi specie, nimirum de demonstratiuo: at communium tractatio pręcedit: igitur. Deinde, quia Aristoteles in posterioribus citat doctrinam traditam in prioribus, eamque applicat syllogismo demonstratiuo. Quod si obijcias, prius agendum est de materia, quam de forma, sed de materia agitur in posterioribus: igitur illi præcedere debent. Respondeo, duplicem esse formam, vnam particularem, alteram communē: illa propositio procedit de forma particulari, non de communi, cuiusmodi est syllogismus secundum formam, quę postea cō trahitur ad triplicem materiam. quod si rursus obijcias, quę in libris prioribus tractātur, demonstratione docentur: Ergo prius agendum fuit de demonstratione, vt hi libri intelligi possent. Respondeo negando sequelam, quia aliud est loqui de modo procedendi, aliud de ordine librorum. Cum ergo res quæ tractantur in libris prioribus sint communiores, ideo hi primo loco ponendi fuere.

Lib. 3. text. 3. Lib. 1. cap. 2.

Anic. Philop. Quinctum dictū, libri topici non sunt collocādi ante libros in quibus agitur de demonstratione. Hoc dictum est contra quosdam, qui putant libros topicos ponendos esse statim post syllogismi tractationem, at nos cū Alexandro, Alberto, & alijs contra sentimus Primo, quia, vt supra docuimus, ex omnibus analyticis vnum fit integrum opus: connectendi igitur. secundo, intentio Aristotelis, in analyticis, vt est dictum, erat agere de demōstratione; quæ intelligi non poterat sine doctrina de syllogismo vniuerse considerato: igitur. Cōfirmatur ex epilogo horum librorum, vbi nulla mentio fit de syllogismo topico. Tertio, Aristoteles in primo topico diuidit syllogismum in tres species, & prius exponit demonstratiuum, postea topicū, & postremo litigiosum: igitur signum est hoc ordine de eis tractandum esse, atque etiam tractasse. Denique, in fine Elenchorū facit epilogum librorum topicorum, & Elenchorum & nihil meminit de demonstratione: ergo signum est illos libros connectendos esse, quasi vnum efficiant opus, in quo docemur probabiliter disserere, & captiosus in disserendo vitare rationes.

Cap. 1.

Ex quibus colligeres, in hac tertia Logicę parte, libros Elenchos vltimum obtinere locum, sed quæ aduersarius obijcere posset argumenta ea diluamus.

Primum, hunc in modum arguit Auicenna, à communioribus, ut sæpe docuit, & fecit Aristoteles, & inchoandum, sed probabilia sunt communiora, cum omne necessariū sit probabile, non contra: igitur libri Topici in quibus agitur de probabilibus pferendi erūt. Respōdeo, syllogismus probabilis dupliciter sumi potest: primo vniuerse, vt designat syllogismū quęcunq; prout infert conclusionē, siue probabili, siue necessaria consequentia: secundo vt distinguitur contra necessarium, vt syllogismus probabilis dicatur ille, qui non necessario concludit. Si primo sumatur modo, est quid vniuersalius, non vniuocum, sed analogum, & prius cōuenit demonstratiuo, quam topico; ac proinde prius explicari debet demonstratiuus, quam topicus: in analogorum. n. tractatione semper primum analogatum tractandum est in aliquid obstet, cū sit veluti aliorum regula. Si autem secundo consideretur modo, non est quid vniuersalius; quo pacto de eo in topici, disputatur.

Deinde, ita disputat Philoponus: semper inchoandum est à facilioribus, quibus disponimur ad percipienda difficiliora, quam methodum passim in suis operibus seruat Aristoteles: ergo cū syllogismi topici tractatio sit longe facilior, quam disputatio de demonstratione, priore loco ante libros posteriores ponenda fuit. Respondeo, probabilium tractatio non confert ad tractationem necessariorum, cum probabilia sint veluti defectus quidam eorum quæ sunt necessaria. Cū ergo demonstratio sit syllogismus quidam perfectus, & rectus, cæteri uero imperfecti, & obliqui, iure optimo priore loco explicatur. Siquidem, ut scriptū reliquit Aristoteles, rectū est index sui, & obliqui; probabile enim potest esse uerum, & falsum: sophistica uero ratio, est uere falsa: quare per recti, & necessa-

rji notitiam cognoscenda sunt. Cōcludamus igitur priores analyticos præcedere posteriores ordine necessitatis, & facilitatis, ac etiam dignitatis, si forma est dignior materia, & analyticos posteriores anteire topicos, ratione necessitatis, ac etiam dignitatis. Vbi nota, in eo contrariam opinionem decipi, quod prætermittere liceat ordinem necessitatis, vt retineatur ordo facilitatis: cum ille sit præferendus, in cuius exequutione spectandus est facilitatis ordo.

Quarta dubitatio, quonam modo primę analysis tractatio diuidenda sit. Respondeo, primum diuiditur in duos libros: quorū primus in tres partes secatur. In prima traduntur ea quæ pertinent ad syllogismi structurā, naturamque, dum agitur de eius principijs, partibus, & speciebus à figuris sumptis: in secunda disputatur de arte inueniēdi medium ad syllogizandum in omni figura: in tertia de reductione syllogismorum imperfectorū ad perfectos. Secundus liber in tres etiam secatur partes: in prima agitur de potestatibus syllogismi; in secūda de impotētiis, siue obliquitatibus, & imperfectionibus syllogismi: in tertia de alij speciebus argumentationis, imperfectisue syllogismis.

A c.22. A c.23.

Vltima dubitatio, cur Aristoteles nihil egerit de argumentatione, cum sit quid vniuersalius, & ab uniuersalioribus incipiendum sit, & nō possint bene intelligi species, nisi prius explicetur genus? Respondeo, primum, quia ab eo qui aliquam artem, & doctrinam tradit, vt aliquando scripsit M. Tullius, nō sunt omnia tradenda; & maxime ea quæ sunt nota, ut est argumētatio uniuerse sumpta. Deinde, quia argumentatio non uidetur ad solum Logicum pertinere, cum etiam Rhetorica ratiocinatione utatur, ut in libris Rhetoricis docuimus. Postremo, quia argumentatio est quoddam genus analogum, cuius tota uis atque natura continetur principaliter in syllogismo: ac proinde nihil necesse fuit agere prius de argumentatione; cum obiectum analogum satis bene explicetur dum eius tractantur partes. Atque hucusque de quæstionibus procemialibus.

Lib. 1. de orat.

Lib. 2. de caus. elo.

Præludiorum Finis.

TRA-

TRACTATIO DE SYLLOGISMO.

De quibusdam dubitationibus circa doctrinam Aristotelis in primo capite libri primi Analysis prioris. Cap. I.

EXplicatis ijs, quæ ad proœmialem tractationem pertinere visa sunt: sequitur ut ad materiam subiectam, transitum faciamus, & cum nobis non sit propositum cōmentaria in literam Arist. conficere, solum dubitationes quasdā circa ea, quæ in primo capite docentur, breuiter perstringemus, vt hinc sumamus occasionem disserēdi de eo, quod nobis propositū est, nimirum de syllogismo.

Prima dubitatio, quid faciat Aristoteles in primo capite, siue quomodo hoc caput diuidatur. Respondeo, primo proponit vniuersalem intentionem librorum analyticorum. quæ est, agere de demōstratione: deinde methodum eorum, quę hoc capite explicaturus est: Postea proposita explicat. Et primo definit, ac diuidit propositionem: deinde definit ac diuidit syllogismum: postremo explicat omnium syllogismorum principium, quod dicitur, de omni, vel in toto esse.

Secunda dubitatio, quem ordinem seruat Arist. in hac tractatione de syllogismo? Respondeo seruare ordinem naturæ, quia prius agit de eius principijs, tum progreditur ad eius naturam explicandā. Sed objiceret quispiam, si naturæ ordinem obseruare uoluit, cur priore loco non egit de terminis, ex quibus conficitur propositio, ita vt inciperet à primis principijs; cum tn̄ prius de propositione, tum de termino agat? Cui responderē, terminos esse propositionum extrema, quorū definitio intelligi non poterat, nisi prius explicatum fuisset, quid esset propositio.

Lib. 1. Poster. tex. 24. Tertia dubitatio, qua ratione sumatur terminus ab Aristotele hoc loco. Respondeo, terminus aliquando apud Aristotelem sumitur pro ipsa definitione essentiali: aliquando Libr. 1. terminus designat ultimum alicuius rei; Topic. cap. 4. quo modo dicimus, mortem esse extremum vite: aliquando designat extrema rei alicuius, siue sit principium, siue finis; quo modo dicimus, terminos lineæ esse duo puncta: & hoc modo sumitur in præsentia, videlicet pro partibus extremis propositionis, quæ sunt, subiectum, & prædicatum, in quas partes resoluitur propositio.

Sed peteres, cum propositio possit resolui etiam in verbum, ex quo componitur, cur verbum non dicitur esse terminus propositionis. Respondetur, solas partes materiales Auent. proprie dici terminos: & quia uerbū est pars formalis, vt patet ex libris Periherminias; ideo non dicitur propositionis terminus. Adde etiam, quod resolutio proprie in eas partes fieri dicitur, quę separatę possunt remanere, cuiusmodi sunt partes materiales: forma enim vt plurimum, corrumpitur: ideo propositio proprie in subiectum, & prædicatum, quæ sunt partes materiales resolui dicitur.

Quarta dubitatio, vnde dicta sit propositio, Respondeo, sic dictam esse ex eo, quod proposita sit syllogismo, tanquam præmissa ad inferendam conclusionem: sed obijceres: igitur syllogismi conclusio non poterit dici propositio. Respondeo negando sequelam: quia aliqua enuntiatio non dicitur propositio, ex eo quod actu proponatur in syllogismo: sed quia apta sit proponi: & quia etiam syllogismi conclusio, in aliquo syllogismo proponi potest: ideo propositio nominatur.

Quincta dubitatio, Aristoteles definiens propositionem, ait esse orationem affirmatiuam, uel negatiuam alicuius de aliquo: quę oratio potius diuisio quædam, quam definitio esse videtur: & si est definitio, ob id uidetur uitiosa, quia nullum superius definitur per sua inferiora: sed affirmatiuum, & negatiuum, sunt aliquid inferius respectu propositionis communiter sumptæ: igitur Respondeo, re uera, hæc descriptio continet unam propositionis diuisionē, & idcirco aliqui dicunt, totam descriptionem cōtineri his ver-

bis, Est oratio alicui⁹ de altero: alijs vero de signati eiusdem diuisionē in affirmantem, & negantem: cui subijcit aliam in vniuersalē, particularem, & indefinitam; sub particulari continetur etiā singularis, vt aliqui docent.

Sed peteres, cur numerat seorsim indifinitam? Respōdeo, quia non pōt reuocari ad singularem, vel vniuersalē: non ad singularem, qa in materia necessaria æquiualet vniuersali, in cōtingenti uero, particulari æquipollet.

Lib. 1. Poster. c. 2. Rursus diuidit propositionē ratione materiæ, in demōstratiuam, & dialecticam; Demonstratiua est vna pars contradictionis determinata, nimitum uera: Dialectica est altera pars contradictionis ad libitum. Cuius rei signum est, quia Dialectici, quando disputant, alteram partem contradictionis petūt, & ex illa quæ conceditur, respondentem arguere conantur: at vero demonstrator vnam tantum contradictionis partem assumit, veram scilicet. Vtraque tamen dicitur, propositio syllogistica, cum ex vtraque uerus possit fieri syllogismus. Quo fit, vt dialectica propositio, sit solum probabilis: demonstratiua vero tantum uera.

Sexta dubitatio, an in propositionis definitione contineatur sola categorica, an etiam hypothetica. Respondeo, ex communi sententia contineri solum categoricam, siue simplicem: quia composita, siue hypothetica nihil affirmat, uel negat ex se; sed ratione simplicium, ex quibus componitur.

Septima dubitatio, an sub ista definitione contineatur propositio singularis? Respondeo, negando: Quia illud fuit definitum, qd fuit diuisum: at in diuisione non fuit posita propositio singularis: igitur nec definita: neque fuit necesse, cum ex singularibus non fiat syllogismus scientificus.

2. Post. cap. 22.

Octaua dubitatio, quot nam sunt syllogismi principia, de quibus Aristotelē hoc loco agere diximus? Respondeo esse quatuor, Quorum alia sunt intrinseca, alia extrinseca: intrinseca; uel sunt materialia, vt termini, & propositiones; uel formalia, ut figura, & modus: extrinseca, uel dicūtur regulantia, ex quibus omnis bona illatio proxime, uel remote pendet; ut sunt duæ maximæ desumptæ ex illis duobus principiis, dici de omni, & dici de nullo: uel inseruiunt ad reuocandos imperfectos syllogismos ad perfectos, ut sunt conuersio, & transpositio.

Nona dubitatio, an sub definitione syllogismi contineatur tantum syllogismus simplex, siue categoricus, an etiam hypotheticus? Respondeo, contineri solum simplicem: idque ex eo probari potest, quod Aristoteles in definitione ait, Quibusdā positis, quibus verbis intelligit propositiones, eas nimirum, quas supra definiuerat: Sed antea non definiuerat, nisi simplicem propositionē: igitur solum definiuit syllogismum constantē propositionibus simplicibus. Adde etiam, quod solum de hoc syllogismi genere disputauit.

Decima dubitatio, cum Aristoteles ait, syllogismum necessario cōcludere, loquitur ne de necessitate consequentiæ, an uero consequentis? quid autem per necessitatem consequentiæ, & consequentis intelligendum sit, patet ex eijs quæ supra de resolutione agētes docuimus. Respondeo, loqui de necessitate consequentiæ, quod scilicet ex præmissis cōuenienter dispositis, necessario inferatur conclusio, siue ipsa sit necessaria, siue non. Tunc autem syllogismus dicitur habere consequētiam necessariam, quando concesso antecedente, siue pręmissis, siue illę sint in materia necessaria, siue probabili, siue captiosa, ex ui illius dispositionis, quæ in ipsis reperitur, cōsequens necessario admittendum est. Quare, falluntur nonnulli, qui consequentiam necessariam cum consequente necessario confundunt: cum illa abstrahat ab omni materia præmissarum, hoc uero præmissas supponat necessarias. At que de his dubitationibus hucusque, nam quæ de syllogismi natura, & eius principijs dicenda restant, sequentibus disputationibus explicabuntur.

An de syllogismo possit esse scientia. Cap. II.

VOlenti aliquam scientiam acquirere, quàm sit necessaria plena de syllogismi natura cognitio, is profecto intelligeret, quia animaduerteret ab hac vna argumentandi forma omnem humanum pendere discursum, quo in alicuius ignoratę rei venitur cognitionem. Quare, nullo modo operam ludemus, si accuratæ nonnullas de syllogismi natura difficultates discutiemus: in quibus illa sese primo offert, qua quæritur; an de eo certa haberi possit scientia: & quod haberi

non

non queat, his rationibus probatur:

Libr. 6. meta. tex. 6. Prima, de nullo aggregato per accidẽs poteſt eſſe ſcientia, quia diuerſæ res diuerſas habent naturas, & non faciunt vnum genus ſcibile; atqui ſyllogiſmus eſt quoddam aggregatum per accidẽs ex pluribus terminis, & propoſitionibus, igitur.

Secundo, nullum complexum, ut complexum, eſt ſcibile, obiectum enim de quo habetur ſciẽtia, debet eſſe quid ſimplex, & unum: at ſyllogiſmus eſt quid complexum, ut eſt manifeſtum: igitur:

Tertio, ſi de ſyllogiſmo poteſt haberi ſciẽtia, ergo per aliquem alium ſyllogiſmũ, qui debet eſſe ante hunc ſyllogiſmum: tunc peto, an de illo poſſit haberi ſcientia: ſi non poteſt, neque de alio habebetur: ſi poteſt, igitur per alium ſyllogiſmum, & ita dabetur proceſſus in infinitum. Hanc dubitationem, quæ inter procemiales poni potuiſſet, examinat Marſilius quæſtionẽ prima, ac etiam Aegidius: quæ cum facilem habeat explicationẽ, & nulla neceſſario ponenda ſint fundamenta, a nobis paucis perſtringetur.

Prima poſitio, de ſyllogiſmo, ut eſt quid aggregatum ex varijs terminis, & propoſitionibus, varias res ſignificãtibus non põt eſſe ſciẽtia. Hanc poſitionem, quæ eſt certiſſima, probat primum argumentum ſupra allatum.

Secunda poſitio, de ſyllogiſmo uniuerſe conſiderato, vt dicit quandam naturam eius definitione explicatam, poteſt haberi ſciẽtia, doctrina nimirum certiſſima, & uniuerſalis per neceſſarias rationes. Primo probatur hęc poſitio ex communi ſententia, ita Aegidius, Lyncon. Marſilius, & alij. Deinde ſyllogiſmus vniuerſe ſumptus, eſt quid ſcibile, igitur de eo poteſt haberi ſcientia; antecedens patet, quia habet quaſdam proprietates demonſtrabiles: habet cauſam formalem, nimirum definitionem, quæ eſt medium idoneum ad demonſtrandas alicuius rei paſſiones: ſcibilis igitur, cum ad ſcientiã, ut Ariſtoteles docet iſta tria ſolum requirantur, ſubiectũ, paſſio, & medium. Preterea, ſi de ſyllogiſmo nõ datur certa ſcientia; ergo nulla ullius rei datur ſcientia, quod eſt abſurdum: conſequutio probatur, quia non poſſum in ſcientijs particularibus cognoſcere, an hic, uel ille ſyllogiſmus recte concludat, niſi prius notam, atque penitus perſpectam habuero ſcientiam de ſyllogiſmo communiter cõſiderato. Poſtremo

Li. i. poſter. tex. 19. & 25.

confirmatur allata poſitio, afferendo exẽpla demonſtrationum, quæ de ſyllogiſmo fiunt. Primum probare poſſumus omnem ſyllogiſmum in debita figura, & modo euidenter cõcludere, hac ratiocinatione. Omnis argumentatio quæ nititur principijs per ſe notis neceſſario, & euidenter cõcludit: ſed omnis ſyllogiſmus, qui eſt in debito modo, & figura nititur immediate, uel mediate principijs per ſe notis: ergo omnis ſyllogiſmus in debita figura factus neceſſario, & euidẽter concludit. Rurſus poſſes etiam probare, omnem bonum ſyllogiſmum conſtare ex tribus terminis, ad hunc modum: Omnis oratio quæ aliquid neceſſario concludit per ea quæ poſita ſunt neceſſario conſtat ex tribus tantum terminis: ſed omnis bonus ſyllogiſmus aliquid euidenter concludit. Omnis itaque bonus ſyllogiſmus ex tribus conſtabit terminis.

Tertia poſitio, ſcientia de ſyllogiſmo eſt ualde vtilis, & neceſſaria. Patet, quia ſine ea, vt diximus, nullam poſſumus certam, & indubitatam acquirere ſcientiam: & ex ignoratione doctrinæ de ſyllogiſmo in omni arte maximi, & quamplurimi fluxerunt errores: cum non raro ex mala ſyllogiſmorum forma in inquirenda veritate peccare cõtingat: Argumenta in cõtrarium allata hunc in modum ſolueres: ex quorum ſolutione ea quæ docuimus adhuc magis confirmabuntur.

Ad primum, patebit ſolutio ad hoc argumentum ex ijs quæ mox de ſyllogiſmo diſputabuntur: nunc breuiter dixerim, ſyllogiſmum conſtare ex propoſitionibus, tanquam ex partibus integralibus, quæ ſunt veluti viæ tendentes ad vnum, & eundem finem, ac terminum, videlicet ad cõcluſionis illationem: ex quibus conficitur aliquid vnum per ſe; ſicuti ex varijs humani corporis partibus, & membris, in vnum conſpirãtibus, & vna forma colligatis fit vnus homo.

Ad ſecundum, ſyllogiſmus bifariam conſiderari poteſt: primo ſecundum naturam, & quidditatem ſuam in communi, & ſic nõ eſt quid complexum ex multis naturis, ſed vnã includit naturã: ſecundo in particulari, quatenus ſub hac, vel illa ratione, vnam rem ex alia deducit, & hoc modo eſt quid complexum. Licet ergo de ſyllogiſmo hoc ſecundo modo ſumpto non poſſit eſſe ſcientia: tamẽ iuxta priorem conſiderationẽ maxime; Hãc diſtinctionẽ alij aliter exponunt, diſtinguendo de

do de syllogismo, vt cognito, & vt exercito, idest, vt est in vsu.

Ad tertium, de syllogismo generatim cōsiderato habetur scientia per aliquem syllogismum particularem sumptum pro instrumento ad aliquid de illo probādum: & quoniam hic particularis continetur in illo communi; propterea seipsum probat, & de seipso ostendit illam proprietatem, siue attributum illud quod de cōmuni demonstrat: quo fit, ut non detur progressus in infinitum. Neque est inconueniens, ut idem probet seipsum, sub diuersa ratione. Nam ille particularis syllogismus assumptus, tanquam instrumentum particulare, demonstrat aliquam proprietatem, de syllogismo communi: ut uero continetur in illo, illam eandem de se probat. At uero Aegidius hoc pacto, huic satisfacit argumento, dicendo, de illo communi haberi scientiam per aliquem alium particularem, quem non est necessarium cognoscere per alium, quia uel erit per se notus cum sit in prima figura, aut solum indigebit aliqua tantum declaratione, & manifestatione: uel etiam per principia lumine naturali cognita.

An definitio syllogismi allata ab Aristotele sit bona. Cap. III.

CVm ergo sancitū sit, de syllogismo certam haberi posse scientiam, ad eius naturam inuestigandam transitum facientes, eam definitionem explicabimus, quam de syllogismo attulit Aristoteles, quæ ita habet, syllogismus est oratio in qua positis quibusdam, alterum quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint. Contra quam definitionem hæc fieri possunt argumenta.

Libr. 1. prior. ca. 1.

Marf. q. 5.

Libr. 1.

Primo, definitio debet dari per genus proximū, ut in topicis docet Aristoteles: at oratio est genus remotum commune etiam propositioni, ut patet ex libro primo Perihermenias: igitur potius dici debuit, est Argumentatio, quæ est genus proximum.

Cap. 4.

Secundo, quod debuerit dici argumentatio, ex eo probatur, quia præmissæ non sunt vna oratio, sunt tamen una argumentatio: igitur.

Tertio, duę præmissæ sunt duæ orationes, quæ nulla coniunctione copulātur, ita vt fiat una oratio: ergo potius dicendum fuit, syllogismus sunt orationes.

In hac difficultate, quod attinet ad huius definitionis genus, Burana, existimauit argumentationem ponendam esse pro genere, ac proinde, non Oratio, sed Ratio, hunc locum traducendo, dixit, cum uerbum græcum λόγος, etiam rationem, seu argumentationem, & discursum significet. At uero alij, quorum communior est sententia, contra existimarunt, quod melius dicatur, Oratio, quam Ratio, siue argumentatio. Et quoniam hoc loco nihil notandum occurrit, his positionibus propositæ difficultati respondeo.

Alex. Philop.

Prima positio, in hac definitione loco generis non est ponenda argumentatio. Primū quia cum syllogismus significet ratiocinationem, male definiretur per rationem, siue argumentationem, quasi idem per idem. Deinde, quia dubiū est, an argumentatio sit quoddam genus uniuocum, ad eius species: & esto sit, tñ est quid obscurum, de quo Aristoteles nihil dixerat, sicuti de oratione in libro primo Perihermenias: at uitium est definire per obscura, igitur. Præterea, in hac ipsa definitione cōtinetur argumētatio, quæ nihil aliud est, quam unius ex alio deductio; non secus ac si quis definiendo hoīem diceret, esse substantiam aīatam, sensibilem, rationalem. Postea, si poneretur argumentatio, aliæ particulæ essent frustra, quia cōtrahunt orationem, ad argumentationem, quod non facerent, si diceretur argumētatio: vnde siquis definiret hoīem per genus remotum bene diceret, est viuens, sensibile rationale: non autem si diceret, animal sensibile, rationale, quia sensibile, uacaret. Denique, argumenta contraria nihil concludunt, ut ex eorum solutione patebit: igitur contraria sententia, ut particularis, & minus probabilis reijcienda erit.

cap. 4.

Secunda positio, in hac definitione loco generis ponuntur hæ omnes particulæ, oratio in qua quibusdam positis alterum sequitur, quibus exprimitur proximum syllogismi genus: loco differentiæ cæteræ particulæ, eo quod hæc sint: sed iam singulas huius descriptionis declaremus partes.

Marf. q. 5.

Prima, Oratio, cur autē hęc particula vsurpata fuerit, paullò ante docuimus. Secunda, quibusdam positis, quibus uerbis designatur ad syllogismum duas saltem, requiri propositiones, quæ certo ordine sint dispositæ, quod indicatur per illud, Positis, qua particula, aliqui simplices propositiones designari arbitrantur;

trantur, quæ ab Aristotele positiones dici solent, aliis sic exponūt, positus, i. concessis. Hac secunda particula excluditur Enthymema, quod ex vna tantum constat propositionē, & conclusione: & vniuerse omnes argumentationes, in quibus una præmissa oritur ex alia, vt in hac, si sol est, dies est. Tertia particula, Alterum quid a positis, per quam designatur cōclusionem debere esse diuersam a præmissis: & ita excluduntur argumētationes in quibus petitur principium, vel idem concluditur, quod erat in præmissis, vt in hoc syllogismo: si est homo, est homo, sed est homo: igitur est homo: qui vocatur syllogismus, bis idem repetens. Quarta, Necesse est contingere: dicitur. Necesse, ad differentia Exempli, & Inductionis, in quibus non apparet consequutionis necessitas: Contingere, quia in syllogismo non est necessitas absoluta, sed ex suppositione: uel his uerbis designatur conclusionem necessario consequi ex præmissis: non quod consequēs debeat esse necessariū, hoc enim solum reperitur in demonstratione, sed quod consequentia debeat esse necessaria. Vltima, eo quod hæc sunt, qua designatur conclusionem debere necessario sequi ex vi præmissarum: vnde excluduntur argumentationes materiales, in quibus non infertur conclusio ex ui formæ; vt si dicas, si currit, mouetur: vbi, si conclusio inferretur ratione formæ, sequeretur, ut ubicunque est eadem forma, necessario inferretur conclusio, quod est falsum, ut in hoc patet exemplo, si est albus, ergo est homo.

Mars. q. 5. Tertia positio, syllogismi definitio, ab Aristotele tradita, ut bona admittenda est. Patet, quia nihil habet superflui, nihil diminuti, cū suo conuertitur definito, est eo clarior constatq; ex genere, & differentia: igitur. Ad argumenta contra eam allata, sic responderes.

Ad primum, non est necesse, ut definitiones, & præsertim descriptiuæ, fiantur per genus proximum, sed satis est, si assignentur per aliquid notius, ut hoc loco fit: Adde etiam, quod non solum illa particula, Oratio, sed etiam aliæ ponuntur loco generis.

Aristot. libr. 1. poste. Tra. 2. c. 5. Ad secundum, negatur præmissas non facere unam orationem: sunt enim unica oratio ratione medij termini. Rursus ex Alberto præmissæ syllogismi dicuntur una oratio, tum quia dicunt habitudinem ad eundem finem; tum quia pendent ab unico principio; & denique, quia sunt partes constituentes unum syllogismum, sicut plures partes hominis constituunt unum hominem.

Quid sit id, quod definitur in definitione syllogismi, & an definiatur, vt illatiuus, uel vt probatiuus.

Cap. IIII.

VT huius difficultatis status intelligatur, animaduertendum est, in syllogismo tria considerari posse. Primo actum, siue operationē realē, qua intellectus ab uno ad aliud discurrit: secundo res, circa quas talis operatio uersatur, de quibus fit discursus: postremo proprietates quasdam rōnis, siue entia rōnis, quæ aduenjunt rebus, ut in tertia intellectus operatione continentur, denominationes nimirum extrinsecus aduenientes, ob quas res de quibus fit syllogismus, dicuntur esse antecedens, consequens, maior, minorve extremitas, &c. Quæritur ergo quid sit illud quod definitur, an mentis operatio, an res, an proprietates illæ rationis. Rursus syllogismus, ut supra etiam diximus, dupliciter considerari potest, uel ut illatiuus, i. ut solum infert conclusionem, uel ut probatiuus, i. vt aliquid cōcludit: Vnde dubitari potest, vtro hic definiatur modo. Duo itaque in hac difficultate quæruntur, vt ex dictis patet. Et quod ad primum attinet, hæ rationes difficultatem faciunt.

Primo syllogismus dicitur oratio, vocalis nimirum, uel mētalis: definitur igitur prout ipsam designat operationem.

Secundo, syllogismus definitur, vt quidā discursus ab uno ad aliud: at discursus est actio: igitur.

Postremo, certum est nō definiri tantum illas proprietates rationis: igitur operatio ipsam uelis dicere definiri vtrumque simul, ex quibus fit unum per accidens, quod definiri nequit. Quod uero attinet ad alteram dubitationis partem, definiri syllogismum, ut illatiuum hæ rationes demonstrare uidentur.

Primo, syllogismus ut consideratur in his libris abstrahit ab omni materia: at syllogismus illatiuus est huiusmodi: igitur.

Secundo, hoc insinuare uidetur Aristoteles, qui doctrinam de syllogismo explicat per terminos non significatiuos, nimirum per literas A. B. &c. quod sane non faceret, si de

syllo-

syllogismo probatiuo ageret.

Libr. 1. Topi. cap. 1.

Tertio, idē auctor loquēdo de syllogismo sophistico, dixit esse simpliciter syllogismū: at si hoc loco ageret de syllogismo, vt est probatiuus, sophisticus, q nihil probat nō posset appellari syllogism⁹ simpliciter, cū nihil probet: igitur, agit de syllogismo, vt est illatiuus.

Denique, allata definitio omni ex parte accommodari potest syllogismo, qui cōstet ex propositionibus euidēter falsis; qui nullo modo est probatiuus: igitur. Huc facit quod Aristoteles de potestatibus syllogismorum agendo dixit, non posse fieri syllogismum probatiuum nimirum, ex propositionibus falsis.

Libr. 2. Prior. c. de potesta. syll.

In hac difficultate quod attinet ad primā partem, possunt esse varij modi dicendi, iuxta uarias opiniones, quæ sunt circa subiectū Logices. Vnde alij dicerēt definiri per se syllogismum uocalem, ut illi qui tenent subiectum Logices esse orationem, vel uoces: Alij orationem mentalem, seu operationem ipsam realem, ut illi, qui dicunt subiectam Logicæ materiam esse tres intellectus operationes: alij vero res, vt substant secundis intentionibus, quæ sunt in tertia operatione intellectus. Quod uero ad alteram partē attinet, Aegidius, Scotus, & alij existimant definiri syllogismum, ut est illatiuus. At uero Alexander, Philoponus, Auerroes, & quidam alij arbitrantur definiri, vt est probatiuus. Vnde illam particulam, quibusdā positis, hoc modo exponunt, concessis vt ueris, vt sit in syllogismo, qui est probatiuus. Ad has difficultates elucidandas, duo subijcio notanda.

In epit. Log. D. Thom. Opusc. 48. Boet. 1. Prior.

Notandum primum, syllogismus vniuersè sumptus nihil aliud est quā connexio plurium propositionum, ex quibus altera quæ in illis potestate latebat, necessario sequitur, quod discurrendo fit. Vnde syllogismus qui est in mente erit plurium cogitationum mentalium connexio, ex quibus alia, quæ in illis continebatur exoritur. Similiter syllogismus vocalis erit connexio plurium propositionū uocalium, ex quibus alia, quæ illis latebat, educitur. Hinc factū est præmissæ dicantur antecedens, conclusio uero consequens: illæ se habent tanquam causa, quod designauit Aristoteles, cum in definitione dixit, eo quod hæc sunt: conclusio uero tanquam effectus, qui ad illas quasi naturaliter sequitur.

Notandum secūdum, ille syllogismus dr illatiuus, qui cōstat ex tribus terminis, & duabus propositionibus quæcunq; illæ sint, etiā si sint oīno falsæ, ut si dicas, oīs asinus uolat, omnis bos est asinus: igitur omnis bos uolat. At uero syllogismus probatiuus est ille, qui ex notis ad ignotorum cognitionem deducit, & conclusionem probat per præmissas, vel necessarias, uel probabiles, uel apparenter probabiles. Potest autem probatiuus syllogismus dupliciter considerari: primo, ut abstrahit ab hac, uel illa materia particulari: secundo ut est in hac, uel illa singulari materia. His ita notatis, has subijcio positiones.

Prima positio, id quod in hac definitione materialiter, & denominatiue definitur est operatio, siue syllogismus uocalis. Primum probatur ex eo, quod illa particula, oratio, nō potest proprie conuenire nisi operationi uocali. Deinde, eodem modo Aristoteles definiuit syllogismum, quo propositionem, sed in definitione propositionis quod materialiter definitur, est ipsa uocalis operatio: igitur, & in syllogismi definitione. Nec obstat, si dicas, Logicam non uersari circa operationes uocales, ac proinde eas non definiri, quia licet per se dirigat operationes mentales, hoc tamen facit per uocales, cum sint clariores.

Secunda positio, id quod definitur formaliter, siue vt ratio, & ut quo, est syllogismus, vt dicit quasdam proprietates rationis, & secundas intentiones. Explico, sicuti cū a Porphyrio definitur genus, id quod definitur materialiter est natura substrata, puta animal, & id quo definitur, & ratio per quam definitur, & illi naturæ conuenit definitio, puta prædicari de pluribus differentibus specie, est illa relatio, & secunda intentio, ita in hac definitione, id quod definitur est, oratio uocalis: at uerò ratio per quam ei conuenit talis definitio sunt secundæ intētiones, quibus talis oratio, uel res tali oratione expressæ substant. Sicuti cum dicimus, Album esse disgregatiuū visus, quod definitur est album, ratio per quā ei cōuenit ista definitio, est albedo, a qua corpus illud habet, ut visum disgreget. Hac posita declaratione, allata positio sic probatur. Primo, Logicus, vt uerior, & communior docet auctorum sententia, per se non considerat nisi proprietates, & relationes rationis, per quas non secus dirigit operationes intellectus, ac per umbram dirigitur, & constituitur stylus, qui horas ad solem indicat: ergo omnes definitiones assignare debet de rebus,

vt

ut secundis intentionibus substant. Deinde syllogismus formaliter consideratus, dicit proprietates illas rationis, sicuti genus dicit relationem rationis ad speciem; ergo formaliter secundum illas definitur.

Tertia positio, licet probabile sit hic definiri syllogismum, ut est illatiuus, tamen probabilius esse uidetur definiri, ut probatiuus. Intelligenda est hæc positio de syllogismo probatiuo in com̃, non ut est applicatus particulari materiæ. Primum, ille syllogismus hic definitur, de cuius speciebus postea in sequentibus libris disputatur; atqui in consequentibus libris agitur de speciebus syllogismi probatiui in particulari; igitur hoc loco definitur syllogismus probatiuus in communi. Deinde, si hoc loco definiretur syllogismus, ut illatiuus tãtum, sequeretur sub ista definitione includi illum syllogismum qui constat ex aperte falsis: quod uidetur absurdũ, cũ talis syllogismi nullus sit in scientijs usus. Postremo huc facit, quod Aristot. in topicis, hanc eandem definitionem syllogismi attulit; & postea in tres species diuisit, in demõstratiuũ topicum & elenchum, qui syllogismi sunt probatiui; igitur hic etiam definitur, ut probatiuus. Licet ergo, ut suprascripsim⁹, intentio Aristot. fuerit agere de forma demõstrationis: tamen quia talis forma erat cõmunis tribus dictis speciebus, ideo in his libris instituit disputationem de syllogismo probatiuo secundum formam in communi. Quod si quis hãc opinionem defendere uellet, argumenta contraria huic in modum refellat.

Lib. 1. ca. 1.

Ad primum, concedimus considerari syllogismum, ut abstrahit ab hac, uel illa materia, sed tamen ut includit materiam uniuersè consideratam.

Ad secundum, ideo Aristoteles dat exempla in terminis non significatiuis, ut indicet, in syllogismorum regulas abstrahere ab hac uel illa materia particulari.

Ad tertium, cum Aristoteles uocat sophisticum syllogismum, uerum syllogismum, intelligendus est de syllogismo probatiuo secundum formam, ita ut sit sensus, sophisticus qui aliquo modo est probatiuus, est simpliciter syllogismus si eius spectetur forma.

Ad quartum, negamus istam definitionẽ quadrare posse in syllogismos, qui constant ex propositionibus omnino falsis: excludun tur enim per illam particulam, quibusdam positis, idest, ut ueris, uel concessis, ut ueris. Locus autem ille Aristotelis intelligendus est de aperte falsis, non de apparenter probabilibus. Alia argumenta facta circa priorem huius disputationis partem soluuntur ex dictis, ideo nihil ad ea respondeo.

An conclusio sit de essentia syllogismi. Cap. V.

Huius difficultatis tractandæ occasionẽ præbent uerba illa posita in syllogismi descriptione, Alterum quid a positis sequitur: ubi per Alterum, certissimum est intelligi conclusionem, quæ si est alterum, uel aliud à positis, non uidetur pertinere ad syllogismum, & tamen exploratum est pertinere, ut omnes docent. Conueniunt itaque scriptores conclusionem aliquo pacto pertinere ad syllogismum, sed dubium est, quo modo pertineat; an tanquam pars illius, an uero tanquam effectus, & terminus: quo modo fructus dicitur esse aliquid arboris, & terminus aliquid ipsius motus. Est ergo dubitatio, an conclusio sit solum distincta à præmissis, an uero etiam à syllogismo, ita ut natura integra syllogismi, solum contineatur in præmissis. Quod autem cõclusio sit pars syllogismi his rationibus probatur.

Primo, ex Aristotele qui primo posteriorum loquendo de modo, quo cognoscitur conclusio, inquit, Quod antequam inducta sit conclusio, ille qui cognoscit præmissas nõ habet cognitionem rei actu, sed solum potestate: atqui syllogismus perfectus facit scire rem actu: igitur euidens est conclusionem pertinere ad perfectionem syllogismi, tanquam eius partem. Cap. 1.

Secundo, dantur duæ syllogismorum species inter se differentes; quarum una directe concludit, altera uero indirecte; at ista differentia ex sola conclusione nascitur, nec enim differunt in præmissis: igitur conclusio erit de eorum essentia.

Tertio, præmissæ, & conclusio sunt ueluti syllogismi materia, particula uero illatiua est ueluti forma, ita ut sic se habeat, ergo, in syllogismo, sicuti se habet uerbum in enuntiatione, quod est eius forma; ut enim ablato uerbo tollitur enuntiatio, ita remota particula illatiua destruitur argumẽtatio: ergo igitur conclusio de essentia. Confirmatur, ex Aristotele, 2. Physi. t. 35.

stotelis, qui conclusionem aliquando uocauit syllogismi formam.

Quarto, quod ponitur in definitione alicuius, est de illius essentia: atqui conclusio ponitur in definitione syllogismi, qua remota definitio illa esset manca: igitur, aut alias dicendum erit, esse superfluam.

Quincto, si syllogismus est perfectus in solis præmissis, ante cõclusionis illationem, sequeretur conclusionẽ quæ adijcitur, esse q̃d extraneum: igitur illis præmissis apponi posset quæcunq; alia conclusio, etiam extranea.

Sexto, maior, & minor extremitas sunt de essentia syllogismi, sunt enim eius materiales partes, & principia intrinseca: atqui conclusio ex his duabus conficitur partibus inter se proxime coniunctis: erit igitur etiam ipsa de essentia syllogismi.

Septimo, totus syllogismus regulatur ab illis duobus principijs, dici de omni, & de nullo, à quibus maxime pẽdet conclusio, qua probatur aliquid esse, aut non esse in subiecto, ex ui illorum principiorum: igitur conclusio, ut regulata ab illis principijs erit de essentia syllogismi.

Tex. 6. Octauo, omnis motus essentialiter includit terminum à quo, & ad quem, & per illos definitur, ut patet ex tertio Physico, at syllogismus est quædam mentis agitatio, motusque: igitur eius præmissæ erunt tanquã terminus à quo, illatio tanquam uia, seu terminus per quem, & conclusio, ut terminus ad quem, ac proinde erit pars essentialis.

Nono, ad syllogismum pertinet essentialiter id quod probat, & illud quod probatur: conclusio autem est id quod probatur; erit igitur de essentia syllogismi.

Denique syllogismus est mẽtis discursus, qui necessario ꝓcedit ab uno ad aliud, nimirum ab antecedẽte, ad consequens, q̃ est ipsa conclusio: igitur. Atq; his fere argumentis utuntur, qui partẽ defendunt affirmatiuam.

Prima igitur hac in re sentẽtia est eorum, qui dicunt, conclusionem esse partem essentialem syllogismi: quam explicãt, eo modo, quo diximus in tertio argumento. Volunt itaque præmissas, & conclusionem se habere tanquam subiectum, & prædicatum in propositione, & particulam illatiuam, tanquam uerbum, ut quemadmodũ uerbum unit prædicatum cum subiecto, ita particula illatiua conclusionem cum præmissis: unde necessario sequitur esse syllogismi partem. Ita Philoponus in præfatione, & in primum caput primi priorum, & quidam alij. Alex.

Secunda sententia eorum, qui dicunt conclusionem nõ esse de essentia syllogismi, sed esse ueluti effectum, & terminum, ita ut non sit eius pars essentialis, uel integralis. Ita Auerroes in sua Logica, Achillinus, & communiter recentiores. Pro explicatione hæc subijcio fundamenta. Cap. 1. & 1. Prior. ca. 1. De potest. syl.

Primum fundamentũ, syllogismus duobus modis considerari potest: primo ut dicit totam tertiam intellectus operationem perfectam, prout in ea est unum, quod tanquam ignotum infertur, & alterum ex quo tanquã ex noto illud concluditur: secundo ut est instrumentum directiuum tertiæ operationis intellectus. Vt autẽ prima consideratio plane intelligatur, & ad rem applicetur, animaduertendum est, tertiam operationem similẽ esse secundæ: quæ dupliciter considerari potest, primo ut dicit simplicem terminorũ apprehensionem, & prout unus attribuitur alteri, & iuxta hanc considerationem, subiectum est ueluti eius materia, & prædicatum, quasi forma. Secundo, ut dicit eorum connexionem, quæ fit per copulam, seu uerbum, quod coniungit prædicatum cum subiecto, & sub hac consideratione prædicatum, & subiectum sunt ueluti materia, & uerbum ueluti forma, cuius propriũ est connectere partes materiales cõpositi. Similiter tertia operatio, potest primo considerari secundum omnes propositiones quas includit, quæ per particulam illatiuam uniuntur, & hoc pacto illatio se habet tanquam forma, & propositiones tanquam materia. Secundo, ut constat ex antecedente, & consequente, seu ex præmissis, & conclusione, quæ dicit ordinem ad præmissas, & tunc cõclusio est ueluti forma, sicuti prædicatum est forma subiecti. Quare si syllogismus modo priore iam dicto consideretur, conclusio erit ueluti pars essentialis, uel tanquam materia, uel tanquam forma. At uero si consideretur, ut est instrumentum quoddam per quod tertia dirigitur operatio, per quam bona infertur conclusio, quo modo cõsiderari debet, conclusio non est de eius essentia. Siquidem, de essentia causæ non est illius effectus, etiã quatenus effectus est, sed tantum ordo ad effectum. Cum ergo syllogismus secundo modo consideratus se ha-

beat tanquam causa respectu conclusionis; hinc fit, vt conclusio non sit de eius essentia, sed tantum ordo ad conclusionem.

Secundum fundamentum, res aliqua dupliciter definiri potest, vno modo absolute secundum se, sine ullo respectu ad aliud, ut si dicas, Homo est animal rõnale: altero modo per ordinẽ ad aliquid aliud, vt si definias magistrũ per ordinem ad discipulũ, & naturam per ordinem ad operationes. In primo definitionis genere, solum ponuntur ea quę sunt de rei essentia, si quod definitur sit aliquid absolutum: in secundo vero etiam aliquid extrinsecum, cum sine eo res nec intelligi, nec explicari possit, cum includat intrinsecum ordinem ad illud, ac proinde in quocunque relatiuo finiendum suum ponitur cor relatiuũ.

Tertium fundamẽtum, cum syllogismus sit quoddam totum integrale, vidẽdum est, an ad eius integritatem constituẽdã intrinsece concurrat conclusio, ita ut sine illa esse non possit, an uero solum extrinsece: nam si intrinsece concurreret, esset pars; si uero extrinsece, non item. Atque hæc sunt quę adnotare uolui. nunc ad positiones pergo.

Prima positio, cõclusio potest dici pars essentialis syllogismi, si syllogismus cõsideretur, ut dicit totã tertiã operationẽ intellectus, eo modo, vt in primo fundamento exposui.

Secunda positio, conclusio non est de essentia syllogismi, si syllogismus cõsideretur, vt est instrumentum tertiæ operationis directiuũ, sed est veluti eius effectus. Primo probatur auctoritate Aristotelis, qui aliquando dixit, syllogismum cõstare tantum ex tribus terminis, & duabus propositionibus: & alio loco, definiens demonstrationem, dixit, esse syllogismum facientem scire: atqui solę præmissæ faciunt scire, cum scientia sit conclusionis notitia: erit igitur conclusio ueluti eius effectus. Secũdo, syllogismus est quidam motus, agitatioque mẽtis, cuius terminus est cõclusio: at nullus terminus est pars, uel de essentia motus: igitur nec conclusio de essentia syllogismi. Tertio, cõclusio est effectus syllogismi, ueluti fructus sunt effectus arboris: non igitur eius pars. Quod si dicas esse effectum, non syllogismi, sed præmissarum; hoc falsum est, quia syllogismus est aliquid vnũ per se: atqui ex effectu, & causa non conficitur vnum per se: igitur. Quarto, si conclusio est pars syllogismi, erit ueluti pręmissarũ forma, quæ dat ultimam perfectionem syllogismo: atqui hoc est falsum: siquidem, ut ex Aristotele discimus, forma dat unitatem, ac speciem, at conclusio id nõ efficit: cum una, & eadem conclusio per diuersos possit inferri syllogismos, ut in Cæsare, & cęlarẽt: igitur. Cõfirmatur, quia oẽs syllogismorũ figurę distinguuntur ex sola medij termini commutatione cum maiori, & minori extremitate; non igitur per conclusionẽ: ac proinde conclusio non poterit esse eius forma. Confirmatur, inductio, & Enthymema possunt habere eandem conclusionem cum syllogismo: ergo cõclusio nõ est syllogismi forma. Quinto, aliqua proposita quæstione, siue conclusione, conficimus syllogismum ad eam probandam: atqui non componimus nisi præmissas: igitur solæ præmissæ constituunt syllogismum. Postremo, illud est de essentia syllogismi, quod per se requiritur ad dirigendã tertiam operationẽ intellectus: atqui ad hoc non requiruntur nisi præmissæ, ex quibus pẽdet modus, & figura syllogismi: illæ igitur solæ erunt essentiales partes.

Tertia positio, de essentia syllogismi sunt solum duæ præmissæ cum debita earum dispositione secundum modum, & figuram, & ordo præmissarum ad conclusionem: & ita non conclusio, sed ordo ad illam est de essentia syllogismi. Hęc positio remanet probata ex ijs quæ diximus in probatione secundæ: Quod autem ordo ille sit de syllogismi essentia, patet; quia syllogismus est causa conclusionis: igitur, de illius essentia erit ordo ad conclusionem, tanquam ad effectum. Restat ergo ut contraria soluantur argumenta, ex quorum solutione adhuc magis nostra confirmabitur opinio.

Ad primum, respõdent aliqui, per illa uerba, Antequam sit inductum, non esse intelligendam conclusionem, sed minorem propositionem; ita ut sit sensus, Antequam minor sit assumpta, eam partim sciri, partim nõ sciri. Rursus diceres, per illa quæ sunt de essentia syllogismi nos non scire actu conclusionem, sed posse scire actu, & hoc est de intrinseca ratione syllogismi. Rursus, esto sit necessarium, ut conclusio inferatur: non tamen sequitur esse de eius essentia, sed solum ordinem ad ipsam, qui esse non potest sine conclusione, tanquam sine termino.

Ad secundum primum dicerem, differre

Marginal notes: 2. Met. tex. 49. — 1. Prio. cap. 25. — 1. Post. tex. 5.

eos syllogismos ob diuersam habitudinem ad diuersas conclusiones: dicerem præterea, non differre nisi accidentaliter. Quoniam de essentia syllogismi est talis dispositio præmissarum in ordine ad conclusionem, qui ordo ab ipsa dependet: quod autem directe, vel indirecte inferatur, est accidentarium.

Ad tertium, non est par ratio, quia subiectum, & prædicatum se habẽt, tanquam partes materiales, & verbum vt forma; cuiusmodi non est particula illatiua in syllogismo eo modo considerato, quo hic consideratur.

Ad confirmationem, conclusio potest dici forma, eo modo quo diximus in primo notando, vt syllogismus dicit totam tertiã operationem, non vt est instrumentum directiuum tertiæ operationis.

Ad quartũ, conclusio ponitur in definitione syllogismi non tanquã quid essentiale, sed tanquã terminus ordinis essentialis. Ponitur itaq; interdum in definitione id qđ pertinet ad explicandam habitudinem quę est de quidditate rei, ut patet in relatiuorum definitionibus, & in primo notando exposuimus. Porph. c. de specie.

Ad quinctum, negatur secunda sequela: quia, cum syllogismus dicat intrinsecam habitudinem ad conclusionem, non potest ei apponi quæcunque conclusio, sed illa tantum, ad quam dicit ordinem.

Ad sextum, maior, & minor extremitates sunt quidem de essentia syllogismi, vt ponũtur in præmissis, non autem, vt ponuntur in conclusione: immo neque illę censentur esse de essentia syllogismi, vt solum sunt prædicatum, & subiectum, sed prout coniunguntur cum medio termino.

Ad septimum id quod regulatur per illa principia, non est necesse, vt sit pars syllogismi, sed satis est, si sit eius terminus.

Ad octauum, de essentia motus non sunt duo termini, sed habitudo inter duos terminos. Rursus, terminus à quo syllogismi est cõclusionis ignorãtia: terminus vero ad quem eiusdem notitia; motus vero ipse in præmissis continetur. Quare de essentia syllogismi non erit conclusio, sed ordo ad ipsam, vt non semel diximus.

Ad nonum, concedimus illud quod probat esse de natura syllogismi: illud vero qđ probatur minime, sed est solum terminus, vt fructus ab arbore producti.

Ad vltimum, syllogismus non est quicunque discursus, sed ille per quem intellectus tendit in terminum, in quo quiescit: Atque hic sit huius difficultatis terminus.

An propositio singularis possit ingredi syllogismum. Cap. VI.

PRo explicatione tituli huius difficultatis animaduertendum est, propositionem singularem distingui ab vniuersali, ab indefinita, & à particulari. Vniuersalis est illa quæ conuenit omni, & habet ad iunctum signum vniuersale, omne, uel nullum. Indefinita est illa quæ nullum habet signum, siue modum: quæ si sit in materia necessaria æquiualet vniuersali; vt hæc, Homo est animal: si in contingenti, ęquiualet particulari; vt ista, Homo currit. Particularis est illa quæ habet adiunctum signum particulare, aliquod, vel aliud simile. Singularis uero, quæ constat termino determinato, vt Petrus, vel hic homo legit. Vnde patet differentia inter propositionem particularem, & singularem: quia particularis verificatur de vno tantum indeterminate: singularis uero de vno determinate. Lege Bald. § sit 5. in fine Logi.

De particulari certum est ingredi syllogismum, & ideo ab Aristotele numeratur inter propositiones syllogisticas, vt supra diximus. Similiter certum est singularem propositionem ingredi aliquam speciem argumẽtationis, vt docet Alex. & patet de Inductione, & exẽplo, quod cum sit instrumentũ rethoricum, & Rhetor uersetur circa res singulares, profecto cõstare debebit ex propositione singulari. Tota itaque dubitatio est, an possit ingredi uerum syllogismum, & eum quem hoc loco finiuit Aristot. Quod autem ingredi non possit, his rationibus probatur. Lib. 1. Rhetor. ca. 2.

Primo, ex Aristotele propositiones vniuersales de contingenti determinatæ ad pręsens tempus non sunt syllogisticæ: ergo multo minus singulares. Lib. 1. Prior. cap. 18.

Secundo, hoc loco definitur syllogismus, vt est instrumentum ad scientiam comparãdam: at syllogismus qui constat ex singularibus non est vtilis ad hoc, cum scientia non sit de singuralibus: igitur. Libr. 1. Poster. tex. 43.

Tertio illæ propositiones ingrediũtur syllogismũ, quę ab intellectu cognosci possunt: at singulares non possunt cognosci ab intellectu, qui, vt Aristoteles docuit, habet pro obiecto Lib. 1. Physi.

obiecto vniuersale: igitur.

Libr. 2. de an. t. 60. Libr. 1. Phys. t. 49.

Quarto oĩs bonus syllogismus probare debet aliquid ignotum, per id quod est notum ſm intellectum: at singularia sunt nota per sensum, vt Aristoteles aliquando scripsit: igitur, non ingrediuntur bonos syllogismos.

Libr. 1. poster. t. 43.

Quinto, omnis syllogismus hic definitus reducitur ad barbara, uel celarent, ad quos modos non potest reduci ille qui constat ex singularibus: igitur.

In ante præd. ca. 3. Libr. 1. poster. t. 5.

Sexto, si huiusmodi propositiones possent recte ingredi syllogismum, possent etiam ingredi demonstrationem, quia quod cõuenit generi, conuenit etiam speciei secundum primam regulã quę traditur in categorijs: atqui demonstratio nõ fit de singularibus, de quibus non habetur scientia, quæ est effectus demonstrationis: igitur.

1. Post. com. 1. 1. Phys. Dur. 2. s. d. 3. q. 7.

Quod attinet ad opiniones, quidam recentiores putant tales propositiones non posse vllo modo ingredi syllogismum, nixi argumentis factis. Secunda Auerrois, Philoponi, Burlei, Buranæ, & aliorum quorundam, qui sustinent posse ingredi, quia intellectus potest discurrere, & versari circa singularia. Tertia aliorum, qui dicunt propositiones significãtes aliquam naturam proprie singularem non posse ingredi syllogismum; quia non possunt cognosci ab intellectu: at uero propositiones quæ constant ex vniuersalibus affectis aliquo signo demonstratiuo, ingredi possunt, quia cognoscuntur ab intellectu.

Libr. 1. poster. t. 43.

Pro explicatione nota, syllogismum esse duplicem, alterum perfectum, & scientificũ, quo acquiritur uera, & perfecta scientia, quæ est vniuersalium: alterum minus perfectum, qui est quicunque discursus syllogisticus cõstans ex tribus terminis, secundum modum alicuius figuræ: vnde dubitari potest, an singularis propositio ingrediatur syllogismum primo, uel secundo modo sumptum.

Duran. Buran.

Prima positio, intellectus propria cognitione potest cognoscere singularia. Hanc positionem de qua solet esse magna controuersia, ponimus hoc loco, tanquam fundamentum necessarium ad explicãdam præsentem difficultatem, quam breuiter una, uel altera ratione confirmo. Primo quia intellectus accipit suam cognitionem a sensu, qui percipit singulare, in quo desinit sensus: igitur cognoscit singulare, cum inde incipiat, ubi sensus desinit, vt merito aliquando Tullius dixerit, nos ordiri a sensibus. Deinde intellectus ponit discrimẽ inter duo singularia, igitur illa ꝓpria cognitione cognoscit: si verũ est illud quod Philosophus aliquando dixit, potentiã quæ ponit discrimen inter duo debere utrũque cognoscere. Denique, obiectum intellectus est omne ens: igitur & ens singulare.

Libr. 3. Phys. In Lucul. Libr. 1. de an. t. 146.

Secunda positio, si loquamur de syllogismis perfectis inseruientibus scientijs, propositiones singulares primo, & directe in illis poni non possunt. Primum, quia perfectæ scientiæ habentur per veram demonstrationem: sed uera demonstratio, ut Aristoteles docet, non admittit singulares propositiones, cum sint contingentes; & quod demonstratur, nõ demonstretur de singulari subiecto: igitur. Secundo, si syllogismus admitteret singularẽ propositionem, conclusio, quæ sequitur ignobiliorem partem, esset singularis: at de singularibus, ex Aristotele non datur scientia, igitur. Postremo, Aristoteles enumerans propositiones deseruientes syllogismo perfecto, & scientifico, nunquam meminit singularium propositionum: igitur.

Libr. 1. poster. t. 12. Lib. 12. Met. ca. vlt.

Tertia positio, propositiones singulares possunt ingredi aliquem syllogismum utilẽ, qui inseruiat ad perfectam scientiam habendam, saltem indirecte & secundario, ut syllogismi, quibus probantur initia scientiarum. Primo ex Aristotele, qui scriptũ reliquit, nos posse ex singularibus syllogizare, vt cum sit talis syllogismus: Bonum est appetendum, hoc est bonum, appetendum igitur. Idem in libro primo Posteriorum fecit hunc syllogismum ex singularibus, omnis triangulus habet duos angulos æquales duobus rectis: sed iste qui est in semicirculo est triãgulus: ergo. Item possumus facere hunc verum syllogismum, Omne rationale est risiuum: Petrus est rationalis: risiuus igitur. Secundò propositiones particulares ingrediũtur syllogismũ: at singulares æquiualent particularibus: igitur. Confirmatur singulares ingrediũtur enthymema, & inductionem, quæ argumentationes possunt reduci ad syllogismum: ergo. Tertio, aliqua singularia habent passiones, siue proprietates ignotas, quę de illis per syllogismum probari possunt, vt hanc Lunam deficere, esse globosam, hanc terram esse rotundam, & hęc per syllogismos singulares: ergo. Quarto, singulares syllogismi regulantur per illa principia, ex quibus omnes pen-

Auenr. in epit. c. de 1. fig. Cap. 1. Libr. 2. prior. c. 29. & 30.

dent syllogismi, dici de omni, & de nullo: igitur non sunt excludẽdi a natura syllogismi. Siquidem ex ui illorũ principiorum sub quacunq; propositione vniuersali, licet sub sumere aliquam particularem: igitur poterit fieri syllogismus particularis, qui nitatur illis principijs. Quinto, ad perfectam scientiam est necessarium cognoscere principia, quæ cognoscuntur per inductionẽ a singularibus: igitur singularis syllogismus non est reijciendus.

Libr. 1. poster. c. vlt.

Quarta positio, quamuis sub definitione syllogismi tradita ab Aristotele non uideatur contineri syllogismus conflatus ex singulari propositione: tñ ad ipsam reduci põt, ita ut non censeatur oĩno exclusus. Prima huius positionis pars ex eo probatur; quia ille syllogismus uidetur fuisse definitus, qui constat ex propositionibus ab Aristotele hoc loco enumeratis: at singulares non enumerantur: igitur. Secũda pars probatur; quia vt supra diximus, singularis reuocatur ad particularẽ. Sed iam ad argumenta respondeamus.

Ad primum, Aristoteles eo loco, non ait simpliciter propositiones vniuersales de contingenti ad præsens determinatas non posse ingredi syllogismum, sed tantum dicit conclusionem factam ex huiusmodi propositionibus, & de propositionibus de inesse, esse inhabiles ad inferendam conclusionem determinatam, quod non est contra nos. Quid autem Aristoteles per propositionem de inesse intelligat, infra plane docebitur.

Ad secundum, patet ex ijs quæ diximus in secunda positione: & ita cõceditur hoc argumentum, cum probet, quod ibi docuimus.

Ad tertium, negatur intellectum non cognoscere singularia: licet ergo vniuersale dicatur proprium obiectum intellectus; non tamen sequitur non intelligere singulare: nec vspiam Aristoteles dixit, intellectum solum cognoscere vniuersale: cum potẽtia superior, cuiusmodi est intellectus, possit id, quod potest inferior.

3. de Ani. t. 13.

Ad quartũ, licet singularia sint nota per sensum quantum ad existentiã: tamen quantum ad proprietates interdum possunt esse ignota, vt patet ex dictis, puta quod terra sit globosa.

Ad quintum, syllogismi singulares possunt reduci ad Darij, & Ferio, in quibus conclusio est particularis, cui æquiualet singularis. Quod si obijcias, duos posteriores modos primæ figuræ posse reuocari ad duos priores eiusdem figuræ, non autem syllogismum ex una singulari, Respondeo, syllogismos imperfectos reuocandos esse ad eos, qui sunt in prima figura: quod autem posteriores primæ reuocentur ad priores, est per accidens, quia duo posteriores inferunt necessario, & euidenter, & ita non egent reductione. Adde etiam, reductionem illam inseruire syllogismis perfectis inseruientibus scientiæ demonstratiuæ.

Ad vltimum, quando aliquid conuenit generi accidentaliter, non est necesse, ut illud conueniat speciebus: accidit autem syllogismo, quod constet ex singularibus; & ita non est necesse, ut hoc insit omnibus eius speciebus.

Vtrum omnis, & solus syllogismus sit argumentatio formalis. *Cap. VII.*

HVius quæstionis examinandæ occasionem prebent hæc uerba in definitione syllogismi posita, eo quod hæc sint; hoc est propter positas præmissas: quibus indicari uidetur, solum syllogismum habere illationem necessariam ex ui formæ, hoc est ex ui dispositionis terminorum, & præmissarum. Quæ autem dubitationem faciunt, sunt fere ista.

Primo hic syllogismus in primo modo tertiæ figuræ omne grammaticum est sciens: omne grammaticum est homo: ergo aliquis homo est sciens, non habet illationem necessariam: ergo non est uerum, in omni syllogismo inferri necessario conclusionem ex vi præmissarum. Quod illa consequentia non sit necessaria, patet, quia consequens potest esse uerum, & falsum. Quod autem deberet esse necessaria probatur: quia tunc illatio est necessaria, quando existente antecedente necessario, ex vi dispositionis, quæ in eo reperitur, sequitur consequens necessarium ex dispositione præmissarum: at præmissæ allati syllogismi habent debitam dispositionem, & sunt in materia necessaria: igitur consequens deberet esse necessarium, & tamen non est.

Secũdo, ista Enthymemata, Nullum animal est lapis; ergo nullus lapis est animal,

Omnis

Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo, & huius generis alia habent illationem necessariã in quacunq; materia, modo seruetur idẽ modus argumentandi: ergo sunt argumentationes formales: igitur nõ est syllogismi proprium habere illationem necessariam ex vi eorum, quæ posita sunt.

Tertio, illa inductio; hic ignis calefacit, iste calefacit, & ille, & sic de singulis, concludit aliquid necessario in quacunq; materia: id igitur non syllogismo proprium. Quoniã hic nullæ occurrunt citandæ sententiæ, ad ipsa notanda accedo.

Primum notãdum, duobus modis aliquã argumentatio põt dici necessaria: vno modo ratione materiæ, quæ dr̃ argumentatio materialis, vt est illa, quæ habet illationem necessariam ex habitudine, & connexione terminorum, & ex materia ipsa, ex qua argumentatio constat, vt patet in hoc argumento ex puris affirmatiuis in secunda figura, omne risiuum est rationale: omnis homo est rationalis: igitur oĩs homo est risiuus. Altero modo ratione formæ, quæ dicitur argumentatio formalis: vt est illa quæ infert aliquid necessario ex debita terminorum dispositione. Quæ duæ argumentationis partes maxime differunt, quia formalis necessario concludit in quacunq; materia, modo eadẽ figura, idemque argumentandi modus seruetur. Quo fit, vt qui semel in huiusmodi argumentatione admittit antecedens tanquam uerum, teneatur semper admittere consequens esse uerũ. At uero argumentatio materialis, licet interdum habeat cõsequens necessarium, in hac, vel in illa materia in particulari: tamen, si materia mutetur, poterit dari antecedens uerũ, & consequens falsum; quod esse nõ põt, vt si ita quis ratiocinetur; omnis bos est animal: omnis capra est animal: igitur omnis capra est bos: ecce, consequens falsum ex antecedenti uero, ob ineptam formam, ex puris affirmantibus in secunda figura.

Secundum notandum, ad cognoscendum quænam argumẽtatio sit formalis hæc optima assignatur regula, vt videatur, an illa cõcludat in quacunque materia, uel non: quoniam si in quauis materia necessario concludet, proculdubio erit argumẽtatio formalis: si vero in aliqua tantũ, erit materialis. Vt autem argumentatio in omni materia concludat, oportet ut seruetur eadem figura, idemque argumentandi modus. Figura tunc eadẽ seruabitur, quando retinebitur eadem medij termini dispositio, quando eadem terminorum seruabitur acceptio: quando eadem erit qualitas: quando eadem quantitas, ut si vna sit vniuersalis, & altera: & denique, quando eædem seruabuntur particulæ conditionales, vel caussales. Atque ex his intelligi potest, quid in hac difficultate quæratur; hoc nimirum, an reperiatur aliqua species argumentationis à syllogismo distincta, quæ illationem habeat necessariam, in quacunque materia, seruatis ijs quæ dicta sunt, & an hoc oĩ conueniat syllogismo. Atq; hæc sunt, quę adnotasse uolui: ad positiones pergamus.

Prima positio, nullum Enthymema, vt tale est, habet illationem formalem necessariã. Explico, dixi, ut tale est, quia si consideretur, ut potestate est quidam syllogismus, ratione alicuius propositionis subintellectæ, certissime potest habere illationem formalem: unde allata positio de eo intelligitur Enthymemate, quod solum ex antecedente, & consequente constat. hoc posito, allata doctrina sic probatur. Primo, ex Aristotele libro primo posterioris analysis ex vna tantum præmissa nihil necessario concluditur, ut in priore prioris resolutionis libro demonstratur: atqui omne Enthymema, ut tale est, infert conclusionẽ ex una præmissa: igitur nullum Enthymema ex necessitate inferet. Secundo, omnis argumẽtatio formalis, requirit aliquẽ medium terminum, ratione cuius connectatur in conclusione prædicatum cum subiecto, sed medius terminus non potest esse nisi in ea argumentationis forma, in qua duæ sunt præmissæ, cũ debeat bis poni: quare nullum Enthymema erit argumentatio formalis. Maior propositio est manifesta: quia, si aliquis terminus ponatur in conclusione, qui non fuerit in præmissis, variata materia, erit antecedens uerum, & consequens falsum: nimirum, si loco illius ponatur alterum.

cap. 3.

cap. 22.

Secunda positio, exemplum non est argumentatio formalis. Hęc positio probatur ijsdem rationibus, quibus confirmata fuit prima. Vt omittam, quod exemplum non habet conclusionem nisi probabilem.

Libr. 2. prior. ca. de exẽ.

Tertia positio, inductio nisi suscipiat syllogismi rationem, non est argumentatio formalis. Hæc positio, hac confirmatur ratione. Nam, inductio, aut fit per enumerationem

omnium

omnium singularium partium, ut si dicas de singulis hominibus, hic homo ridet, hic ridet, &c. & tunc non concludit formaliter, sed solum rõne materiæ: quia singulis hominibus ridentibus, sequitur oēs ridere ex ui materiæ. Aut dicendum est, in hmōi argumentatione in antecedenti poni aliqua singularia determinata, & in conclusione inferri aliqđ. prædicatum de subiecto distincto, quod abstrahit a quacunque enumeratione determinata; id quod in formali argumentatione nō contingit, in qua subiectum est idem. Aut certe inductio fit quibusdam tm̃ singularibus enumeratis, addendo postea, hæc verba, & sic de singulis: & tunc non pōt esse argumentatio formalis, quia in hac argumentationis forma petitur principium, nimirum id quod est probandum, oēs homines in allato exemplo ridere, & non infertur consequens distinctum ab antecedenti quia, cum dico, Hic homo ridet, & ille ridet, & sic de reliquis, idem est, ac si dicerem, Omnis homo ridet, & hoc idem infertur in conclusione; petitur igitur principium. Vel deniq; inductio fit hoc pacto; honestum est expetendum, & vtile etiā, atq; delectabile: at honestum, vtile, & delectabile, sunt omne bonum; ergo omne bonū est expetendum: & tunc inductio infert quidem necessario, sed ut est quidam syllogismus: quæ, ut Aristoteles ait, reducitur ad primum argumentandi modum tertiæ figuræ.

[r] Libr. 2. prior. c. de indu.

Quarta positio, solus, & omnis syllogismus est argumētatio formalis. Primum hæc positio necessario infertur ex dictis, quia si aliæ species argumentationis nō habent formalem illationem, nisi vt potestate continēt syllogismum; profecto huic soli conueniet esse argumentationem formalem. Secundo, idem non obscure colligitur ex illis uerbis in definitione syllogismi positis, eo quod hæc sunt, quæ palam indicant omnem syllogismum habere illationem formalem ob certam præmissarum dispositionem. Denique, omnis bonus syllogismus est talis, vt antecedenti concesso, necesse sit, & ipsum consequens concedi: ergo omnis syllogismus erit argumentatio formalis; cui hoc est propriū, vt antecedenti admisso, admittendum sit etiā consequens. His ita positis, & confirmatis, ad argumenta respondeamus.

Ad primum, ille syllogismus habet bonā, & necessariam illationem: nec mirum uideri debet, si consequens est contingens: quia præmissæ nō sunt simpliciter necessariæ, sed s̄m quid. Hæc. n. propositio, Omne grāmaticum est homo, non est simpliciter necessaria sed s̄m quid. Est itaque illa conclusio aliquo modo necessaria: quia, si eius subiectum sumatur, vt denominatur a medio termino, ei necessario conuenit ipsum prædicatum.

Ad secundum, illa Enthymemata non habent illationem formalem, sed solum consequentias necessarias, quia, vt diximus, omnis argumentatio formalis, infert conclusionem vi alicuius medij termini a conclusione distincti: at in illis Enthymematibus nullus terminus ponitur in antecedenti, qui non sit in consequenti: quare non erunt argumentationes formales.

Ad tertium, qua ratione hoc argumētum soluendum sit, patet ex ijs quę dicta sunt.

An syllogismus dicatur vniuoce de demonstratiuo, topico, & elencho. Cap. VIII.

EXplicata absoluta syllogismi natura, cōsequens est, vt dicamus aliquid de syllogismo respectu suorum inferiorum: & quoniam ratione materiæ in tres diuiditur species, quæritur hoc loco, qua ratione de illis prædicetur. Vt autem quod in disputationē venit melius intelligatur, atque dubitatio ipsa planius elucidetur, duo subijcio notanda. Marsl. q. 6.

Primum notandum, syllogismus multis modis diuidi potest. Primo in simplicem, & compositum, siue categoricum, & hypotheticum: & si hoc pacto diuidatur, certū est prædicari analogice, cum prius dicatur de simplici, tum de composito, qui ab illo pendet. Secundo ratione conclusionis, quam infert, & sic diuiditur in uniuersalē, & particularem, in affirmantem & negantem, & in directe, & indirecte concludentem, quæ diuisio sumpta est à syllogismi accidentibus. Tertio ratione structuræ syllogisticæ, in tres figuras, ita ut sint tres syllogismorum species ratione triū figurarum. Quarto diuidi potest ratione materiæ ex qua conficiuntur propositiones; & sic diuiditur in demonstratiuum, topicum, & elenchum; & de hac diuisione in præsentia quæritur, quo pacto, syllogismus in has species diuisus de illis prædicetur. Libr. 1. Topic. ca. 1.

Secun-

Cap. 1. antep. Secundum notãdum, vniuocum est illud quod dicit aliquam naturam, quæ æqualiter à pluribus participatur, vt homo à suis indiuiduis. Et quoniam in syllogismo duo considerantur, materia, & forma, videndum est an ratione horũ duorum dicatur aliquid, quod æqualiter participetur à dictis speciebus. His ita notatis, has subijcio positiones.

Lib. 1. prior. c. 1. Prima positio, si syllogismus consideretur secundũ formam præcise, seu vt est illatiuus, prædicatur vniuoce de dictis speciebus. Primum hoc patet ex Aristotele dicente, nihil referre ad syllogismũ, quod ꝓpositiones sint necessariæ, vel probabiles: ergo syllogismus modo dicto consideratus vniuoce dicetur de tribus syllogismis. Huc etiam facit, quod idẽ Libr. 1. Elen. c. 1. dixit, syllogismum procedentem ratione formæ, esse simpliciter syllogismum, secundo, syllogismi structura æqualiter reperitur in omni syllogismorum specie: ergo æqualiter illis conueniet, ac proinde vniuoce.

Secunda positio, syllogismus ut probatiu⁹, uel ratione materiæ consideratus, analogice dicitur de demonstratiuo, & topico. Primò, hæc positio euidenter demonstratur ex ipso Libr. 1. prior. c. 1. & 5. Arist. qui totam de syllogismi forma tractationem retulit ad demonstrationẽ, cuius rei causa nulla alia assignari potest, nisi q̃a sola demonstratio est syllogismus probatiuus simpliciter. Secundo, syllogismus probatiuus est instrumentũ discernẽdi uerum à falso: atqui hoc simpliciter fit per ipsam demõstrationẽ, & ſm quid per syllogismum topicũ, per quẽ solum probabiliter aliquid concluditur: igitur. Tertio syllogismus probatiuus infert cõclusionem, & probat ex ui præmissarum, ꝙ non facit syllogismus topicus, cum eius præmissæ non probent ui propria, sed prout cõceduntur ab aduersario: quare non erit simLibr. 1. poster. c. 2. pliciter probatiuus. Deniq; finis syllogismi demonstratiui est cognitio certa, & euidens rei: finis uero syllogismi probabilis est cognitio rei cum formidine: at certæ, & incertę cognitioni nõ est aliquid cõmune uniuocum: igitur neq; ipsis syllogismis probatiuis.

Libr. 1. elenc. Tertia positio, syllogismus ut probatiuus dicitur æquiuoce de demonstratiuo, & elencho. Primo, ita docuit Aristoteles, cũ dixit, syllogismum sophisticum uideri quidem syllogismum, sed re uera non esse; & hoc declarat per simile, de homine uiuo, & picto. Secũdo, officium syllogismi probatiui est aliquid uere probare, finis uero rei notitia at syllogismus Elenchus nihil probat, nec ullam gignit rei notitiam, sed potius deceptionem: nõ est igitur probatiuus, nisi æquiuoce. Postremo, Lib. 1. poster. ca. 2. obiectum demonstrationis est aliquid uerũ, quod est ens, quia de non ente non est scientia: obiectum uero circa quod uersatur syllogismus Elenchus est falsum quod est nõ ens: at enti, & non enti nihil est cõmune uniuocum: igitur nec his duobus syllogismis. In summa, ut simpliciter propositæ difficultati sine ulla distinctione, uel materiæ, uel formæ respondeatur, dicẽdum est, ut aliqui dicunt, Albert. syllogismum, cum essentialiter cõstet ex materia, & forma, & forma quodammodo sequatur ipsam materiã, analogice de demonstratiuo, & topico, & æquiuoce de Elencho dici. Atque de hac difficultate satis.

An syllogismus demonstratiuus, topicus, & Elenchus differant essentialiter. Cap. IX.

CVm in syllogismo duo reperiantur, materia & forma, & ratione formæ, ut ꝓxima disputatione est dictũ, tres syllogismi, species non differant, sed uniuoce cõueniãt, sequitur ut eorum differentia sumatur à materia. Et quoniam ex parte materiæ non sumitur nisi differentia accidẽtalis, ut Aristoteles docet, ideo uidetur dictos syllogismos Libr. 5. Meta. tex. 25. non differre essentialiter, sed solum accidentaliter. Vt autem huic dubitationi plane satisfiat, duo subijcio fundamenta.

Primum fundamentum, instrumenta quibus artes utuntur, distinguenda sunt ex ordine quem habent ad diuersos fines, ad quos referuntur, cũ finis sit mediorum ratio. Quare, si fines erunt essentialiter distincti, & media, quæ ad illos sua natura ordinantur, erũt essentialiter distincta: quod si fines erunt distincti accidẽtaliter, eadem etiam distinctio in medijs ponenda erit. Et ut doctrinam omnino animaduertendam aliquo illustrem exẽplo, sumantur tres gladij, unus cartaceus, alter æneus, tertius ferreus, qui si considerentur ratione figuræ, inter se non differunt nisi accidẽtaliter, prout unius est in una materia, & alius in alia: at uero si considerentur, ut instrumenta sunt ad res artificiales cõficiendas, uel ad res aliquas scindendas, tunc culter, æquiuoce diceretur de ferreo, & alijs,

Enim-

Enimuero, per cultrum ferreum cōsequi possumus aliquem finem, quem per alios nō itē. Idem dicas de malleo, ligneo, ferreoque: qui ratione finis essentialiter differunt; cum per vnum assequi possimus eum finē, quem per alium, attingere non licet. Huc facit, quod Aristoteles scriptum reliquit, manum de ea quæ est cum corpore coniuncta, & de ea quę est à corpore separata ęquiuoce dici, in ratione instrumenti, quia per illam licet attingere finem ad quem facta est, per hanc uero minime. Ex qua doctrina inferres esse verū, quod alibi de Rhetoricis agendo scripsimus, locos dialecticos, & Rethoricos non esse oīno eosdem, cū hæ duę artes ad diuersos fines quos propositos habent cōsequendos, non ijsdem omnino, nec eadem ratione tractatis vtantur locis: id quod sapienter indicauit Tullius, cū dicit, M. Catonem graues locos ex philosophia depromptos, qui vix probātur in scholis, more stoico in senatu tractasse, se uero ita in lucem proferre velle, vt probentur, ita vt alia erudita, alia popularis videatur oratio.

Libr. 1. Polit.

Proœm. in Paradoxa.

Secundum fundamētum, syllogismus demonstratiuus, topicus, & Elenchus, si considerentur, vt sunt probatiui, habent quandā instrumenti rationem: & ideo, iuxta ea quæ adnotauimus, vt videatur, an essentialiter differant, eorum fines perpendēdi erunt: qui si erunt essentialiter distincti, etiam dicti syllogismi, vt instrumenta sunt, essentialiter different. Huc facit id quod in politicis docet Aristoteles, diuersas reip. species, ob diuersos fines sibi propositos, etiam diuersis vt debere legibus. Atque hæc sunt quæ adnotasse volui: ad positiones accedo.

Prima positio, si dicti syllogismi considerentur, vt sunt illatiui, non differunt inter se, nisi accidentaliter. Doctrina est manifesta ex ijs quæ supra disputata sunt; & confirmatur hac ratione: quia respectu formæ ex qua habent inferendi vim, uniuoce conueniunt, & non differunt, nisi accidentaliter ratione materiæ, cui applicatur forma.

Secunda positio, si dicti syllogismi considerentur, ut sunt probatiui, differunt inter se essentialiter. Quoniam sub hac ratione habent quod sint instrumēta: atqui instrumenta quæ spectāt fines essentialiter diuersos sūt inter se diuersa: eiusmodi sunt ista tria; quorum vnum, nimirum syllogismus demōstratiuus habet pro fine certam rei scientiam: topicus opinionem, & Elenchus, apparentē notitiam: quæ notitiæ sunt inter se essentialiter distinctæ, ut est omnino manifestū: igitur, & syllogismi per quos in istos fines peruenitur. Concludamus igitur, ratione formæ non differre, nec etiam tantum ratione materiæ, sed vt habent habitudines ad diuersos fines specie distinctas, quæ habitudines, respectu istorum syllogismorū, vt probatiui sunt, & ut instrumenta quædam, se habēt per modum formæ, & hoc pacto differunt ratione formæ. Atque ex his plane constat, quid in dubitatione proposita tenendum sit. Et cū hucusq; syllogismi naturam exposuerimus sequitur, vt ad eius principia explicanda pergamus.

De principijs extrinsecis syllogismorum, quæ sunt, Dici de omni, & dici de nullo. *Cap. X.*

CVm nō sit mihi propositum facere integram, & omni ex parte absolutam tractationem de syllogismo, eas solum attingo difficultates, quæ sunt magis cognitu necessariæ. Cum ergo supra decretum fuerit solū syllogismum habere uim illatiuam formalē; nunc, vnde ista uis deriuet, tanquam ex fonte atque principio, docendum proponimus. Hoc autē facimus explicando illa duo principia, quę Aristoteles post syllogismi definitionem attulit, ex quibus omnis fluit argumentatio formalis. In hac itaque disputatione quinque à nobis declaranda sunt.

Lib. 1. Prior. cap. 1. Mars. q. 7.

Primo, quid sit dictum de omni, & de nullo: secundo quæ regulæ ex illo colligantur: tertiò qui argumentandi modi per illas regulentur: quarto, quæ sint principia secundę & tertiæ figuræ: posttemo, an illa duo principia inseruiant omnibus figuris.

De primo, Aristoteles acturus de formis syllogismorum, per quas aliquid per bonam consequentiam colligitur, duo statuit principia, vnde proxime, uel remote omnes bonæ syllogismorum manant consequentiæ. Primum principium, appellat, in toto esse, uel dici de omni; alterum in nullo esse, aut dici de nullo. Et quamuis in toto esse, & dici de omni pro eodem sumantur, & idem sint secundum rem; tamen ratione differunt: Quia in toto esse, dicit relationem subiecti ad prędicatum:

Aegid. in hoc loco.

catum: at uero, dici de omni, includit respectum prædicati ad subiectũ. Dici de omni, nihil aliud est, quam nihil posse sumi sub subiecto, de quo non affirmetur prædicatũ, quod de illo subiecto affirmabatur, vt contingit in propositione vniuersali affirmatiua, vt si dicas, Omne aĩal est viuens, cuius propositionis prædicatum attribuitur distributiue omnibus quæ continentur sub animali. Dici de nullo, est, nihil sumere sub subiecto, a quo nõ remoueatur prædicatũ, quod de subiecto negabatur, ut accidit in propositione uniuersali negatiua: vt, Nullum aĩal est lapis; quod prædicatum, ut negatur de animali, ita negatur distributiue de omni contento sub animali.

De secundo, ex his duobus principijs incomplexis, duo colliguntur principia cõplexa, & aximoxata certissima in arte syllogizãdi; quæ sunt ista. Primum, quidquid dicitur de subiecto distributo, dicitur de quolibet sumpto sub subiecto, vt si de omni animali dicitur, uiuens, dicetur etiam de omni contento sub animali. Quod si subiectum diceretur de inferioribus particulariter, etiã prædicatum diceretur particulariter, vt, quia risiuum dicitur de homine, & homo dicitur particulariter de animali, etiam risiuum de eodẽ particulariter dicitur. Secundum quidquid negatur de subiecto distributo, negatur etiã de omni eo, de quo tale subiectum affirmatur, vt si de omni animali negetur lapis, negabitur etiam de omnibus de quibus animal affirmatur. Quod si subiectum illud, de aliquo particulariter affirmetur, de eodem, illud prædicatum particulariter negabitur; ut, quia latrabile negatur vniuerse de omni homine, & homo particulariter dicitur de animali, aliquod animal non erit latrabile.

De tertio, ex his duobus principijs reguntur quattuor modi directe concludentes primæ figuræ, duo affirmantes uniuersalis, & particularis, siue primus, & tertius: per secundum duo negantes, secũdus & quartus. Quo loco illud admonuerim, ad concludendum aliquid particulare, debere sumi mediũ, quod sit inferius minore extremitate, ut homo, risiuum, latrabilem, & bipes respectu animalis Nam sicuti ad faciendas propositiones vniuersales sumuntur prædicata superiora, uel æqualia, siue conuertibilia, ita ad faciendas propositiones proprie particulares, inferiora sumuntur; neq; enim proprie dicentur particulares istæ propositiones, aliquod aĩal est viuens, aliqua arbor est corpus, sed istæ, aliq viuẽs, est animal, & aliquod corpus est arbor. Concludamus igitur per hæc duo principia regulari quattuor modos primæ figuræ.

Sed dubitari potest, an etiam ab ijsdẽ principijs pendeant modi secundæ, & tertiæ figuræ: à quibus pendere aliquis ex eo probaret, quod in illis eædẽ præbentur conclusiones, affirmantes particulares, & negantes uniuersales: ac etiam quia omnes figuræ debent habere aliquod principium à quo pendeant: at nullum aliud assignatur: igitur. Quid autem in hac re sentiendum sit, respondendo ad id quod quarto loco proposui breuiter docebo.

De quarto, dicimus secundam, & tertiam figuram sua habere immediata principia, à quibus reguntur, & suam vim sumuntur. Quoniam omnis figura quæ ex debita dispositione terminorum aliquid necessario infert, debet habere aliquod principium cui proxime innitatur: at syllogismi secũdæ, & tertiæ figuræ sunt huiusmodi: ergo habent sua principia immediata quibus regulantur. Principiũ tertiæ figuræ immediatum est hoc, quæcunque sunt eadem, uel non eadem vni tertio, sunt eadem, uel non eadem inter se. exempli gratia. Omnis homo est rationalis: omnis homo est substantia: ergo aliqua substantia est rationalis: nullus homo est canis: aliquis homo est doctus: ergo aliquis doctus non est canis. Ex eo igitur quod rationale, & substãtia conueniunt homini, etiam inter se cohærent. At uero secundæ figuræ principia sunt hæc duo. Primum ex opposito consequentis, infertur oppositum antecedentis. Secũdum, quandocunque medius terminus remouetur ab aliquo alio termino, si affirmetur de aliquo subiecto: ille prior terminus, negabitur etiam de illo subiecto. Verbi gratia, hic syllogismus in Cesare, nullus lapis est animal omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis, qui nititur secundo principio. Ex eo enim quod animal remouetur à lapide, & affirmatur de homine, lapis negatur de homine Hic uero, in camestres nititur primo, Omnis homo est animal: nullus lapis est animal: ergo nullus lapis est homo. Nam cum animal sit consequens ad hominem, eius oppositum, quod est non animal, remouebitur ab homine, quod antecedit animal.

De ultimo, quod propositum fuerat, dici-

Marſ.q. 7. mus ſecundæ, & tertiæ figuræ ſyllogiſmos regulari per illa duo principia primæ figuræ mediate quoad perfectionem accidentalem, non autem quoad eſſentialem. Quod regulentur mediate, patet, quia ac de cauſa inuenta eſt ars reducendi ſyllogiſmos imperfectos ad perfectos, mediante conuerſione: & ideo Ariſtot. cum definiuiſſet ſyllogiſmũ, ſtatim eum diuiſit in perfectum, & imperfectũ: & poſt principia perfectorũ, egit de conuerſione, quę nõ modo ſeruit reductioni, ſed etiam eſt principium quorundam ſyllogiſmorum. Quod autem ſolũ regulent quoad perfectionem accidentalem, patet; quia ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figurę, ſi ſpectetur eſſentialis perfectio, quæ cõſiſtit in hoc, ꝙ inferat concluſionem neceſſario, regulantur per ſua ꝓpria principia. Si uero conſiderentur quoad perfectionem accidentalẽ, quæ conſiſtit in clara, & euidenti illatione, ſic pendẽt à principijs primæ, cum per reductionem ad primã figuram, eorum bona pateat conſequentia. Atq; de hac dubitatione tot dixiſſe ſufficiat.

Libr. 1. Prior. cap. 1.

Qua ratione dictum de omni differat ab aliquibus pronunciatis ſui ſimilibus. *Cap. XI.*

VT explicetur id de quo hoc loco quęritur, animaduertendum eſt, eſſe quędam dicta, ſeu prenunciata, quæ affinitatem habent cum dicto de omni, quę ſunt regula prima tradita ab Ariſtotele in prædicamentis, propoſitio vniuerſalis, & dictũ de omni poſterioriſticum, ut loquuntur; ac etiã quo modo differat à ſyllogiſmo. Vt autem iſta omnia plane explicentur, quæ dicenda ſunt, ad quaſdam dubitationes reuocabo.

Cap. 3. antepr. Lege Auenr. in 5. q. log.

Sit igitur prima dubitatio, quomodo dictum de omni differat à regula prædicamentali. Pro explicatione huius dubitationis, animaduerte, Ariſtot. hanc tradidiſſe regulam, Quando aliquid affirmatur de aliquo tanquã de ſubiecto; quęcunq; de prædicato dicuntur, etiam de ſubiecto dicentur. Quærimus modo, quo pacto dictum de omni differat ab iſta regula. Quidam exiſtimant nullo modo differre; at vero Auerroes, & alij cõtra ſentiunt: cũ quibus proculdubio ſentiẽdum eſt. Quoniam regula illa datur de prædicatis quidditatiuis: at uero dictum de omni abſtrahit à quocunque prædicato, quidditatiuo, immo etiam neceſſario, ut patet ex ijs quæ ſupra diximus, illa reſpicit ſuperiora, hoc inferiora.

Loco citat.

Secunda dubitatio, quomodo dictum de omni differat à ꝓpoſitione vniuerſali. Quidam exiſtimarunt nullo modo differre, hac nixi ratione, quia dictũ de omni nihil aliud eſt, quam aliquod prædicatum uniuerſale affirmari de ſubiecto, & de contentis ſub ipſo, quod facit etiam propoſitio vniuerſalis: ergo non differunt. Alij uero dicunt differre, hoc pacto: dictum de omni dicit ordinem ad aliquam propoſitionem particularem, uel uniuerſalem, non negatiuam, ſed affirmatiuam: At uero propoſitio, ut propoſitio, dicit ordinem ad aliquam propoſitionem affirmantem, uel negantem. Alij cenſent differre, ſed hac ratione. Primum, putant iſti dictum de omni ſumendum eſſe ex parte ſubiecti, ut dictum de omni ſit aliquod ſubiectum uniuerſaliter affirmari de inferiorib⁹: deinde ex parte prædicati, quod ſcilicet prædicatum affirmetur de ijſdem inferioribus, ita ut prius exẽpli gratia aĩal dicatur de omnibus ſuis inferioribus, & deinde uiuens, quod eſt prædicatum in hac propoſitione, omne animal eſt uiuens, de omnibus quæ ſub animali continentur. Deinde, hoc poſito, dicunt dictum de omni differre à propoſitione vniuerſali in hoc, quod propoſitio uniuerſalis dicit prædicatum, quod conuenit inferioribus ſubiecto, quæ continet ſolum tanquam partes quaſdã ſubiectiuas: at uero dictum de omni, non ſolum continet illa tanquam partes ſubiectiuas, ſed adhuc includit ea tanquam inferiora de quibus prædicetur. Hanc opinionẽ refellit Auerroes, tum quia eſt contra naturã huius principij dici de omni, quod ſecundũ omnes non à ſubiecto, ſed à prædicato incipit: tum etiam, quia alias non poſſent commode dirigi modi primę figurę per tale principiũ. Concludamus igitur cum Auerroe, & alijs differre, & hoc modo differre. Dictum de omni ſemper dicit habitudinẽ ad aliquã propoſitionem, quam ſimpliciter, & uirtualiter includit: at uero propoſitio uniuerſalis, non dicit habitudinem ad aliam propoſitionem, ſed formaliter dicit tantum prædicatũ vniuerſale conuenire ſubiecto. Exempli gratia, ſi quis dicat omnis iuſtitia eſt uirtus; ſi hæc oratio conſideretur, ut propoſitio eſt, nihil

Sueſ.

Buran.

Apud Auenr.

nihil aliud dicit, quam virtutem conuenire omni iustitiæ: at uero si consideretur, vt hēt dictū de omni, dicit ordinē ad aliquā aliam propositionem, quam potestate includit, puta ad istam, redditio depositi est virtus: cum talis redditio contineatur sub iustitia.

Tertia dubitatio, in quo conueniant, & differant dictum de omni prioristicum, vt vocant, & dictum de omni posterioristicum, de quo Aristoteles in secunda analysi mentionem fecit. Ad hanc dubitationem alias copiosius, nunc breuiter respondebo. Ista duo dicta conuenire in hoc, quod vtrunque dicit aliquam propositionem vniuersalem, prout talis propositio dicit ordinem ad aliquā aliā simpliciter. Differunt autem in hoc, quod dictum de omni prioris analysis abstrahit a quacūque materia: at uero dictum posterioris, requirit materiam necessariam: vnde hęc propositio, Omnis homo currit, & hęc, Omnis homo est animal, pertinebunt ad dictum prioris analysis, quod in omni materia potest reperiri: at uero ad dictū posterioris analysis solum illa secunda, quia dictum de omni posterius, debet conuenire omnibus, & semper, non alicui, non aliquando tantum. Libr. 1. poster. c. 8.

Atque ex his colligere licet, quomodo se habeant ista tria, Dictum de omni prius, dictum de omni posterius, & regula illa prædicamentalis, ut dictum de omni prius, latius pateat, cum reperiatur in omni materia: dictum de omni posterius, restringatur ad materiam necessariam: & regula illa, solum intelligatur de prędicatione necessaria, & quiddītatiua, ut est prædicatio superiorum graduum, & generum, de inferioribus: at dictū de omni posterius continet etiam prædicata accidentaria, necessaria tamen, vt cum proprietates dicuntur de subiecto.

Quarta dubitatio, quomodo differat dictum de omni prioristicum ab ipso syllogismo. Respōdeo, dictum de omni accipitur in communi, & in genere, differtque tanquam signum a re signata. Illud enim quod dictum de omni significat, quomodocunque, est aliquod prædicatum, quod affirmatur vniuersaliter de subiecto, tunc si illud subiectum affirmetur de aliquo, illud etiam prædicatum dicetur de illo: syllogismus autem non dicit hoc, sed in actu exercito, vt loquuntur, hoc est re ipsa, habet in se illud quod significatur tali principio. Si vero dictum de omni sumatur particulariter, tunc differt a syllogismo in hoc, quod dictum de omni dicit vnam propositionem vniuersalem actu, alteram vero includit implicite, & in potentia: at syllogismus duas propositiones actu necessario includit. Et hæc de rebus propositis dicta sufficiant.

Quid per propositionem, de inesse Aristoteles intellexerit. Cap. XII.

INter alias difficultates quę ad multa Arist. loca recte intelligēda conferre possunt, & præsertim ad vniuersam fere doctrinam quā in priore libro analysis prioris docet, est hæc quam explicādam proposuimus, ideo nullo modo prætereunda fuit: præsertim quod maximam habeat dubitationem, vt ex varietate opinionum facile cognoscere licet.

Vt autem id quod quæritur facilius intelligatur, animaduertendum est, propositiones esse in duplici differentia: alias quæ simpliciter pronunciantur, sine ulla modificatione, vt cum dicitur, Homo est doctus, homo est sentiens: alias, quæ aliquam modificationē, habent adiunctam, vt de necessario, & de cōtingenti. Rursus animaduertendum est, propositionē de inesse, ex eo sic appellari, quod significet aliquid alteri inesse: quæ aliquando, simplex, aliquando absoluta, aliquando inexistens, aliquando inhærens, & ab Arabibus, inuenta nominari solet. His notatis, conueniunt scriptores, eam propositionem ab Aristotele vocari de inesse, quæ nullum habet omnino modum coniunctum: differunt autem, an omnis propositio carens modo, siue modificatione, sit censenda, de inesse, siue materia sit necessaria, siue contingens de qua re sunt variæ scriptorum sententiæ. Hanc difficultatem priuatim examinatam inueniens apud Auerroem. 1. Prior. c. 2. Quæst. in Log.

Prima igitur sententia, eorum qui dicunt propositionem de inesse idem esse cum propositione de materia probabili. Dicitur autē, de inesse, quia in illa sustinemus inhærentiā prædicati cum subiecto, cum aduersarius aliquid contra opponat.

Secunda aliorum, referente Auerroe, qui dicunt propositionem de inesse eam vocari quæ caret omni modo, quæcunque sit materiā Theop. Eustr. Amm. Them.

teria ex qua conficitur. Quoniam duo tantū sunt rerum genera, unum quo necessaria, alterum quo contingentia continentur: ergo & duo proposit.onum genera; alterum earum quæ constant ex materia necessaria, alterum earum quæ ex contingẽti constantur. Si ergo tria distinguātur genera, ut Aristotelis fecit, distinguendæ erunt penes materiam ex una parte, & penes modum ex alia. Vnde propositiones necessariæ erunt illæ quæ sunt de materia, & modo necessariæ; ut, hæc, Leo necessario est animal: illæ contingentes quæ sunt de materia, & modo contingenti, ut, Leo, cōtingentes currit: illę uero de inesse, quę sunt de quauis materia, sine vllo modo. Vel, vt alij breuius exponunt, propositio de inesse, est propositio communis necessariæ, & contingenti, ita ut sit genus respectu illarum.

Libr. 1. prior. c. 2.

Tertia sententia Auicennæ, eodem Auerreo referente, qui ponit quinque gradus rerū necessariarum. Primus earum quæ habent prædicatum, quod semper necessario inest subiecto, ita ut propositio sit simpliciter necessaria, ut si dicas, Deus est. Secundus, quando prædicatum est necessario in subiecto, dum subiectum existit, subiectū tamen potest non esse, ut cum dicimus, homo est animal. Tertius, quando prædicatum necessario inest subiecto, cū subiectum est affectum aliqua qualitate, vel denominatione, vt si dicas, homo niger est coloratus: nam esse coloratum semper dicẽ de subiecto nigredine affecto. Quartus, quando prædicatum inest necessario ipsi subiecto pro aliquo tẽpore, vt si dicas, homo morietur, Luna aliquādo deficiet; Quintus, quando prædicatum inest necessario subiecto, ex suppositione, ut si dicas, homo currit, supposito quod currat: nā, vt scripsit Aristoteles, dum res est, necessario est. Hæc Auicenna, qui tamen non satis aperte de re proposita quid sentiat exponit, cū aliter in uno, aliter in alio loco loquatur. Is igitur eā propositionem de inesse uocare uidetur, quæ cōstat uno ex tribus vltimis modis.

Libr. 1. Perihermen.

Quarta sententia est, quæ Alexandro tribuitur, qui duo dicit. Primum, tria esse rerum genera: unum eorum quæ necessario semper existunt: alterum non existentium, quæ tamen existere possunt: tertium eorum, quæ existunt quidem, sed possunt non existere. Secundum, propositiones necessarias versari circa primum genus rerum: propositiones de inesse circa tertium; at uero propositiones contingentes circa secundum.

Quinta Auerrois, qui hæc facit propositionum genera. Primum, qñ prædicatū semper subiecto necessario inhæret. Secundum, qñ non inest, sed pōt inesse: tertium qñ actu inest, & pōt non inesse: quod tripliciter potest contingere; aut enim illud prædicatum inest, ut plurimum, aut inest raro, aut ad utrumlibet. Primum genus constituit propositiones necessarias: ſm contingentes: tertium uero, maxime ſm primum modum propositiones de inesse. Quare ex Auerroę propositiones de inesse dicentur illæ, quæ sunt de prædicato contingenti, ut plurimum actu subiecto inhærente. Ad quam sententiā, quam nonnulli alij sequuntur, accedere uidetur Alpharabius quamuis addat, propositionem de inesse affirmari debere pro paruo tempore.

Vltima sententia est, quæ eam propositionem uocat de inesse, in qua ponitur modus de inesse, ut si dicatur, de inesse homo est albus. Vt huic satisfaciam dubitationi, duo subijcio fundamenta.

Phil. in hunc locum. Mage.

Primum fundamentum, magnum est discrimen inter propositiones nō habentes modum, & illas quæ modum habent: illæ enim quæ aliquem modum habent, quoad ueritatem, quantitatem, & qualitatem maxime ex ipso modo pendent: at uero ueritas, quantitas, & qualitas earum quæ modo carent, ex subiecto, & uerbo maxime spectanda sunt. Vnde iste propositio, Homo est albus, uera est, & indefinita: si uero aliquis dicat, Hominem esse album est necesse, erit falsa, & uniuersalis ratione modi, cū talis modus secum vniuersalitatem afferat.

Secundum fundamentum, propositio de inesse dupliciter sumi pōt: primo generatim, cum significat quamcunq; propositionem, in qua denotatur prædicatū inesse subiecto, siue sit in materia necessaria, siue in contingenti: altero speciatim, cum significat illam tm̄ propositionem in qua designatur prædicatū contingens actu esse in subiecto. Ad huius itaq; difficultatis explicationem uidēdum est, utro modo ab Aristoᵉle sumatur propositio de inesse, an generatim, an speciatim, an uero aliquando uno, aliquādo altero modo. His ita notatis, has subijcio positiones.

Prima positio, ultima sententia supra allata omnino reijciendā est. Primum, quia modus

dus illo est superfluus, nec vnquam in propositionibus adhibetur. Secundo, quia Aristoteles in libro secundo Perihermenias numerando modales, non meminit huius modi de inesse. Postremo, quia propositio de inesse hoc loco apud Aristotelem est propositio absoluta; ponit enim eius exemplum tale, Aliquod bonum est voluptas: at uero propositio assignata, est modalis: igitur.

Secunda positio, Auicennæ opinio, aut est falsa, vt mox patebit, aut coincidit cum opinione Auerrois.

Tertia positio, falsum est, propositionem de inesse esse quoddam genus cōe propositionibus necessarijs, contingentibus. Primo, quia non datur talis propositio, cum oīs propositio sit necessaria, uel contingens. Secundo, quia talis propositio, nullo modo inseruiret demonstrationi: siquidem quidquid concludendum est, aut est necessarium, aut contingens: igitur, & propositio ex qua infertur.

Quare secunda sententia non vr bona, si sub propositione de inesse concludat et nessariam. Etenim Aristotelis regula nulla esset: siue enim maior sit de inesse, siue minor, dūmodo materia sit necessaria, & altera præmissa necessaria, semper sequetur conclusio necessaria: vnde falsa esse secunda regula.

Lib. 1. Prior. c. 10.

Quarta positio, prima etiam sententia nō videtur admittenda. Cur autem admittenda non sit, patebit ex sequentibus. Vt omittam, quod non dicitur propositio de inesse, talis ob eam causam, quam ista sententia assignat.

Quinta positio, si propositiones cōsiderentur in ordine ad rem significatam, duo tantum dātur propositonem genera. Qm̄ solum dantur duo rerum genera, necessariū, & contingens: igitur in ordine ad illa duo tantum erunt genera propositionum: antecedens patet, quia necessarium est id, quod non potest non esse, aut non factum esse: contingens vero, quod potest non esse, aut speciatim non est: cum ergo inter ista duo non detur medium, sequitur omnes res, aut esse necessarias, aut contingentes, & consequenter duo tantum reperiri propositionum genera.

Sexta positio, si propositio de inesse ample sumatur, significare potest omnem propositionem. Quare Aristoteles quibusdam in locis per propositionem de inesse intelligit eam, quæ modo caret, siue materia sit necessaria, siue contingens: quæ positio sic probatur. Primo ex ipso met Aristotele, quoniam agendo de conuersione propositionum de inesse, ponit exempla, propositionum necessariarum, ut omnis homo est animal: quare propositio de inesse, uniuerse sumpta comprehendit etiam necessariam. Et libro priore Perihermenias, dicit propositionem de necessario non differre a propositione de inesse, nisi quod hæc caret modo, illa non item: ergo. Secundo propositiones de inesse deseruiunt demonstrationi potissimæ: huic autem solum deseruiunt propositiones necessariæ: ergo. Tertio, istæ propositiones, homo est animal, homo est risibilis, Leo rugibilis, secundum Aristotelem non sunt modalés cum careant modo: ergo erunt de inesse. Postremo, omnes figuræ syllogismorum de inesse non minus verificantur in illis propositionibus, quæ sunt in materia contingenti, quam in illis, quæ sunt in materia necessaria: ergo propositio de inesse illas continet.

1. Prior. c. 2.

cap. 9.

Septima positio, Aristoteles aliquando nomine propositionis de inesse intelligit eam, quæ est de cōtingenti, vt plurimum actu inhærente subiecto, vt sunt istæ, Homo currit, homo disputat. Primum, aliquando scriptū reliquit ex maiori de necessario, & minori de inesse sequi conclusionem de necessario: si autem maior esset de inesse, & minor de necessario, sequeretur conclusio de inesse: quod si nomine propositionis, de inesse non intelligeret, nisi illam quæ est de contingenti, ut plurimum actu inhærente falsum esset, id quod secundo loco dicit. Signum est igitur, nomine propositionis de inesse, intelligere illam quæ non est de materia necessaria. Deinde, quia capite nono, dicit propositionem de inesse significare aliquid, quod non necessario inest, sed contingenter in subiecto: quare tali appellatione, aliquando intelligit solam illam, quæ est de materia contingenti ad modum explicatum. Vbi animaduertendum est, per propositionem de inesse intelligere illam, quæ est de prædicato contingenti actu inhærente in subiecto.

Lib. 1. Periher. cap. 5. Lib. 1. prior. c. 10. Mat. q. 34.

Lib. 1. poster.

Sed peteres, quare Aristoteles nomine propositionis de inesse aliquando intelligat illā quæ est de prædicato contingenti, & non illam quę est de prædicato necessario? Respondeo, quia inesse est proprium accidentis, & quia illæ tantum propositiones quæ sunt de prædicato contingenti, sunt de aliquo accidenti,

dentis ideo illæ solæ speciatim dicuntur de inesse.

Lib. 1. Prior. c. 2. Octaua positio, propositionum diuisio assignata ab Aristotele hoc loco, in quo explicando versamur, in propositionem de necessario, de inesse, & de contingenti non fuit data penes, res aut materiam tãtum, sed per es materiam, & modum: quod non fuerit assignata tantum penes modum, manifestũ est: quia hic est sermo de propositionibus modalibus, in quibus modus respondet ipsi materiæ: iam alias sequeretur propositiones aperte falsas, quę sunt de modo necessario, aut cõtingenti hic considerari, quod est absurdum. Quod non detur tantum penes materiam, manifestum est, quia tunc nõ essent, nisi duo genera, ut supra probauimus; igitur. Restat ergo, ut dicamus huiusmodi diuisionẽ fuisse assignatam penes materiam, & modum: ita vt quædam sint de materia, & modo necessario: quædam de materia, & modo contingenti; ut homo contingenter est albus: quædam de materia sine ullo modo, & istæ sunt de inesse; vt homo est doctus, homo studet.

Sed peteres cur Aristoteles, sicuti fecit duo genera propositionũ, quę distinguuntur inter se penes materiam, & modũ simul, non fecit & duo alia genera propositionũ carentium modo, ita vt quædam dicerentur de materia necessaria sine modo; quædam vero de materia contingenti sine modo. Respondeo, ob eam causam, quia hoc loco egit de propositionibus in ordine ad conuersionem: cum igitur eædẽ essent regulę circa propositiones carentes modo, siue essent in materia necessaria, siue contingenti, ideo non distinxit illas: secus erat de materia, & modo necessario, & de materia, & modo contingenti.

Sed, cur nõ fecit unum genus propositionis de modo de inesse? Respondeo, quia, vt diximus, talis modus frustra apponeretur; cum ipsamet propositio in actu exercito significet prædicatum inesse subiecto.

An sint ueræ duæ regulæ consequentię, quas Aristoteles capite decimo attulit. Cap. XIII.

CVm proxima disputatione explicuerimus diuisionem illã Aristotelis de triplici propositionum genere, ac etiam docuerimus, quid per propositionem de inesse intelligendum sit, nunc aliam celebrem dubitationem elucidandam suscipimus, quæ fieri solet circa duas regulas, quas idem auctor libro priore analysis primæ capite decimo agẽdo de syllogismis mistis, attulit: Quarum prima hæc est, Ex maiori necessaria, & minori de inesse, sequitur conclusio necessaria. Altera uero hæc, ex maiori de inesse, & minori necessaria sequitur conclusio de inesse, siue contingens. Quod autem prima regula non sit uera, sic probatur.

Primo, ex illo pronunciato tritissimo, quo dr̃ conclusionem sequi debiliorem præmissarum partem: atqui debilior est propositio de inesse, quam necessaria: conclusio igitur in tali syllogismo erit contingens, siue de inesse.

Secundo, quia eadem videtur esse ratio in vtraque regula, hoc est, si maior sit de inesse, ac si sit minor, sed si minor sit de inesse sequitur conclusio necessaria: ergo etiamsi sit maior.

Tertio hoc exemplo, omne ambulãs mouetur: omnis homo est ambulans: ergo omnis homo mouetur: quod factũ est iuxta primam regulam, & tamen conclusio est contingens, vt patet, homo enim contingenter mouetur.

Postremo, maior extremitas, prædicatur de minori per terminũ mediũ, vt moueri de homine, per ambulans: sed medius terminus contingenter inest minori, ut cum homine ambulare, ergo etiam maior extremitas.

In hac dubitatione fuit prima opinio quorundam, qui existimarunt Aristotelẽ hac in parte errasse, vt Alexander, & Philoponus referunt: nixi argumentis iam factis. Secunda sententia communis, omnium Peripateticorum in hunc locum, qui hanc regulam, ut ueram defendunt: cæterum assignanda ratione dissentiunt, & sunt duo dicendi modi. Primus eorũ qui dicunt hanc regulam intelligendam esse, quando minor est de inesse in materia tantum necessaria: tunc enim concluditur conclusio necessaria: Quam explicationem non esse bonam infra demonstrabo. Secundus aliorum, qui dicunt sequi ex tali mistione conclusionem necessariam, non simpliciter, sed secundum quid, vt in fundamentis exponam.

Theop. Eude. Them. Buran. Alber. Doct. Lou. Auerr. libr. 1. prior. c. 15. in gr. Alex. Phil.

Primum fundamentum, necessarium duplex est, alterũ simpliciter, ut est illud quod

non

non potest aliter se habere; et Deum esse, hominem esse animal tantum; alterum secundum quid, siue ex suppositione, quod sequitur, aliquo supposito, ut posito, quod quis ambulet, sequitur necessario eum moueri.

Libr. 1. Periher. c. ult.

Secundum fundamentum, in prima syllogismorum figura, in qua medium in maiori subijcitur in minori prædicatur, prædicatū in conclusione semper se tenet ex parte maioris extremitatis, subiectū uero ex parte minoris. Porro propositionis naturæ perpendi solet ex connexione, & habitudine prædicati ad subiectum: quæ si sit necessaria sequitur conclusio necessaria: si uero contingens, propositio quoq; contingens erit, siue subiectū necessario, siue contingenter existat, ut in hoc patet exemplo, Ambulans mouetur; quę propositio est necessaria, licet non sit necesse ambulantem existere: est tamen necessaria connexio, inter ambulare & moueri. Itaq; propositionis necessitas ex connexione prædicati cum subiecto pendet. Prædicatum autem, ut diximus, in syllogismo est maior extremitas, subiectū uero minor. Ideo in syllogismo necessario, conclusio sumitur ex necessaria connexione quæ est inter maiorē extremitatem & medium terminū: & hoc est quod aliqui dicunt, maiorem extremitatē transfundere suam necessitatem, uel contingentiam in ea quæ sunt sub medio termino; ut præter alios in hunc locum docet Aegid. dum ait, conclusionem esse partē maioris quoad prædicatum, minoris vero quoad subiectū. Quo fit, ut conclusio minorem sequatur quad accidentia subiecti, maiorē vero quoad accidentia prædicati. Sunt autē prædicati accidentia affirmatio, vel negatio, necessitas uel contingentia: subiecti uero uniuersalitas, vel particularitas. Quamobrem in prima figura, si maior sit affirmatiua: conclusio erit affirmatiua: si maior necessaria; etiam cōclusio erit necessaria. Quod si minor fuerit particularis, etiā cōclusio particularis erit. Atq; idem in alijs figurarū modis dicendum est. Conclusio ergo semper sequitur quoad prædicatum propositionem illam, quæ si reuocetur syllogismus ad primā figuram seruatis ijsdem conditionibus, erit maior. Vt ecce, si fieret syllogismus in tertia figura, in Felapton; Nullū ambulans quiescit: omne ambulans est hō: ergo aliquis homo non quiescit: conclusio est necessaria, quia propositio quæ est maior qū syllogismus reducitur ad primam figuram, est necessaria: debet n. reduci ad Ferio, hoc modo, Nullum ambulās quiescit: aliquis homo est ambulans: ergo aliquis hō non quiescit. Similiter, si syllogismus fiat in Darapti; omne ambulans mouetur: omne ambulans est homo: ergo aliquis homo quiescit: conclusio est necessaria: quia propositio illa, si fiat reductio ad Darij, erit maior; hoc modo, Omne ambulans mouetur: aliquis homo est ambulans: ergo aliquis homo mouetur: cuius syllogismi maior est necessaria. Cōcludamus igitur conclusionem quoad affirmationem, vel negationem, necessitatem, & contingentiam sequi propositionem illam, quæ est maior in prima figura, uel quæ erit si syllogismus reuocetur ad primā seruatis conditionibus. His adnotatis has subijcio positiones.

cap. 10.

Prima positio, maiori existente necessaria & minori de inesse conclusio erit necessaria, modo iam dicto, secundum quid. Primum probatur ex ijs quæ adnotauimus. quoniam conclusio quoad necessitatem sequitur maiorem propositionem: ergo, hac existente necessaria, conclusio erit necessaria. Deinde, ratione qua utitur Aristoteles sumpta ex illo principio, De omni; cum scilicet nihil est sub subiecto, cui nō conueniat prædicatum; quomodo animal dicitur de omni homine, quia nullus est singularis homo, qui non sit animal. Tunc si arguitur, Maior extremitas in hoc syllogismo de quo quærimus dicitur de omni medio: ergo dicetur de omnibus eius partibus, siue inferioribus: sed minor extremitas est pars medij: quare de ea necessariò dicetur maior extremitas.

Mars. q. 38.

Secunda positio, secunda Aristotelis regula est uera; hoc est maiori existente contingē te, & minori necessaria, conclusio erit contingens. Patet ex cōmuni sententia, in hæc enim omnes conueniunt: & confirmatur ex dictis: quia conclusio maioris qualitatem sequitur: vt, omne animal currit: omnis homo est animal: ergo omnis homo currit.

Tertia positio, illa prima Alberti & aliorum explicatio, nullo modo est retinenda. Primum, quia Aristoteles hoc loco per propositionem de inesse, non intelligit propositionem sine modo, sed contingentem quod patet ex capite nono, ubi ait propositionem de inesse, esse eam quæ est de prædicato accidentali actu existente in subiecto: igitur in

hoc

hoc capite decimo intelligendus est de illa, q̄ capite præcedenti explicuerat. Deinde, quia si per propositionem de inesse intelligeret eā quæ est in materia necessaria, quomodocunque disponerentur præmissæ conclusio esset necessaria; & ita secunda rueret regula. Atque ex his facile cōtrarijs respōderes argumētis.

Ad primū, conclusio semper sequitur partem debiliorem ad modum explicatum, iuxta proportionem assignatam; quod scilicet quantum ad affirmationem, uel negationē, & necessitatem, uel contingentiam sequatur maiorem, quod uero attinet ad particularitatem, & vniuersalitatem, minorem.

Ad secundum, negatur esse eandem rationem, vt patet ex dictis; quia maior extremitas tribuit conclusioni necessitatem, vel contingentiam.

Ad tertium, illa conclusio est necessaria secundum quid ut diximus.

Ad quartū patet ex dictis, quia cum maior necessario conueniat medio termino, & medius terminus eam necessitatem cōmunicet minori extremitati, necessitatē nimirum s̄m quid, & ex suppositione, ideo sequitur conclusionem esse necessariam, hoc est, posito hominem currere, eum necessario moueri.

De figuris syllogismorum, an sint tantum tres, & quæ sit præstantior. *Cap. XIIII.*

INter eas difficultates quæ de syllogismo tractari solent, illa profecto non est prætermittenda, in qua de numero figurarū syllogismi disputatur: cum eius explicatio maximam lucem afferat, ad argumentorū vim percipiēdam. Aristoteles igitur de figuris syllogismi scribendo tres tantū assignauit, sumpto earum numero a uaria, & unius medij termini dispositione. In prima, medium in maiori subijcitur, in minori prædicatur: in secunda in vtraque prædicatur: in tertia in vtraque subijcitur. Sed uidetur restare quarta, in qua medium in maiori prædicetur, in minori subijciatur: & quod ista figura admittenda sit, his rationibus probatur. (Lib. 1. Prior. cap. 5.)

Primo, syllogismorum figuræ uariantur iuxta uariā medij termini dispositionē, sed præter tres modos, quos Aristoteles assignauit, potest etiam quarto modo utiliter disponi, vt si quis ita ratiocinetur, Omnes hō est animal: omne animal est substātia: igitur aliqua substantia est homo: admittendus ergo.

Secundo, illa figura est admittenda, qua bonus fit syllogismo, qui necessario, & euidenter infert conclusionem, & non eget mutatione: talis est syllogismus qui fit in quarta figura: igitur, vt ecce, Omne animal est uiuēs nullum uiuens est lapis: igitur nullus lapis est animal: qui discursus pendet proxime ab illo principio, Dici de nullo.

Tertio, vbi est varius discursus, ibi est diuersa figuræ ratio, sed in quarta est varius discursus, quia in prima figura proceditur subsumendo; in hac uero ascendendo: erit igitur uaria illatio.

Quarto, Aristoteles sæpe utitur quarta figura, cū hunc in modum argumentatur, omnis homo est animal: omne animal est substantia: ergo omnis homo est substantia.

Quincto, si hæc figura non est admittenda maxime, quia per eam infertur conclusio non naturalis, quia inferius prædicatur de superiore: at hoc est falsum, ut in hoc patet exēplo, in quo directe concluditur, Aliquod animal est risiuum: omne risiuum est homo. Ergo aliquis homo est animal: adde etiam, quod ob eandem rationem liceret excludere tertiam figuram, in qua tales conficiuntur conclusiones.

Sexto, si non est admittēda, maxime quia quæ in hac concluduntur, possunt concludi in prima: at si hoc ualeret, etiam secunda, & tertia reijci deberent, cum ad primam reuocari possint: igitur.

In hac difficultate fuit prima opinio Galeni, referente Auerroe, qui existimauit ponendam esse quartā figuram: cui tres attribuūtur conditiones. Prima, vt medium in maiori prædicetur, & in minori subijciatur, secunda, ut indirecte cōcludatur: tertia, ut non differat à prima nisi in trāspositione terminorū. Secunda eorum, qui ob ultimam rationē dicūt reijciendam esse tertiam figuram. Tertia sententia communis omnium scriptorū, qui solum tres figuras, ut utiles recipiunt, & hanc Aristoteles eam speciatim reiecit. Ad huius difficultatis explicationem, nonnulla ponenda sunt fundamenta. (Libr. 1. Prior. c. 5. & 8. in digr.) (Laur. Val. Marsil. 1. Post. q. 48. Libr. 1. poster.)

Primum fundamentum, intellectus creatus in eo differt ab intellectu diuino, quod diuinus non pendet à rebus, sed potius res pen-

sent ab illo, cũ sit earum causa efficiens, quo fit, vt res non sunt mensura intellectionis diuinæ, sed potius diuina mens ipsarũ rerũ: & ita illæ res dicẽtur uerę, quæ sunt conformes intellectui diuino: sicuti illa domus dicetur recte fabricata quę est conformis ideæ artificis, qui fuit illius causa. At uero intellectus creatus, cum non sit causa rerũ, sed potest res ipsas, in sua cognitione pendet a rebus, q̃ sunt mensura intelligendi, & ideo talis debet esse cognitio, qualis est res. Quo fit, ut ratio, & modus humanæ cognitionibus à rebus ipsis sumẽda sit. Sunt aũt duo rerum genera, unũ in quo ponuntur ea quę sunt seiuncta ab omni concretione materiæ, ut sunt intelligentiæ; quæ non possunt per se primo cognosci nisi ab intellectu, qui sit omnino separatus a corpore, cuiusmodi est intellectus angelicus; qui cognoscendo nõ utitur discursu, sed simplici intuitu fertur in res oẽs, in earum intimas naturas penetrando. Alterum in quo continentur res cõpositæ, & materiales, quæ habẽs naturas multis accidentib. implicatas quæ sunt accõmodatæ ad intelligentiã humanam: cũ humanus intellectus dum est inclusus in corpore, necessario pẽdeat à rebus materialibus, & à sensibus, qui solum res concretas percipiũt. Quamuis ergo humanus intellectus in substantia, & natura sua nõ differat ab angelico: tñ in modo intelligẽdi, & ex parte obiecti differt; cum per simplicẽ actum in rerum naturas penetrare nõ possit; ac proinde debet intelligere cõponendo, ac discurendo. Vnde necessario conficitur, vt modus intelligendi humanus sumendus sit à rebus materialibus: in quibus tria spectari possunt. Primũ earum essentiæ siue naturæ singulæ per se considerata: 2m earundem cõnexio, cum vna sit cõsociata cũ alia, vt natura hominis, cum natura animalis: tertiũ dependentia vnius ab alia in fieri, cũ vna posita, alia sequatur: sicuti effectus sequitur causam. Vnde conficitur, triplicẽ esse debere intellectus nostri operationem in rebus ipsis intelligendis, cũ intelligẽdo ab ipsis pendeat. Prima operatio debet esse simplex, per quã singulæ naturæ solitariæ apprehenduntur. Secunda, connexa, seu composita, quæ rerum connexionem percipit, & vnã cum alia componit. Tertia discursiua, & quasi effectiua, quæ rerum consequentias percipit, & vnam ex alia cognoscit, quæ rerũ dependentiæ respondet, ex qua ratiocinatione gignitur scientia. Ex hac triplici intellectus cognitione, oritur etiam triplex loquẽdi modus simplex, cõnexus, atq; ratiocinatiuus. Et quoniã varij sunt ratiocinãdi modi, quorum alij sunt boni, alij mali, ideo Logica, quę dirigit operationes intellectus hos modos diligentes debet examinare, ut rectã docet in ratiocinando normam; ac proinde in hac re, bona parte, est occupata.

Secundum fundamentũ, in quo explicandum est, quo pacto ex rebus ipsis sumantur omnes argumentationis species, quæ sunt, exemplum, Enthymema, inductio & syllogismus. Argumentatio, vniuerse sumpta, nihil est aliud, quam deductio vnius ex alio. Potest autem vnum ex alio quattuor modis deduci. Primo, tanquam ex parte pars, vel ex singulari singulare, sed ob aliquam similitudinem, quam inter se habẽt; vnde oritur exẽplum, quo ab vno, uel à pluribus particularibus, alterum particulare infertur. Secundo, tanquã ex una parte totum, sed non vniuerse, vnde oritur Enthymema. Tertio, ex omnibus partibus totũ vniuerse, vnde fit inductio. Quarto, ex toto pars, idest ex uniuersali, uel ex superiori inferius, & hoc fit per syllogismum: qui ratiocinandi modus est perfectissimus, ut patet ex ijs quæ disputata sunt. Siquidem non potest dari efficacior probatio, quam si ex toto probetur pars: cũ quod inest toti, necessario debeat inesse parti. Sed iam has easdem argumentandi formas ex ipsis rebus eruamus. In illa connexione, & dependentia rerũ de qua supra dicebamus, duplex cernitur ordo: unus Physicus, in quo spectatur rei existentia, quæ ab alio dependet, dependẽtia cernitur in rebus singularibus, quæ proprie producuntur: alter Metaphysicus, qui est inter ipsas naturas, nõ ut actu existunt, & singulares sunt: qualis est ordo inter genera, & species alicuius categoricæ. In priore ordine duplex reperitur cõnexio: una causę cum effectu quẽ proxime, uel remote procreat: & ab hac connexione oritur forma argumentandi Enthymematica. Quia, ut in re effectus est connexus cum sua causa, ita & in ratiocinatione est connexio consequentis cũ antecedenti. Quo fit, ut hæc argumentandi forma solam probet rei existentiam à posteriore. Ideo Aristoteles, in secundo primæ analysis libro, & in Rhetorica egit de signo; quia per signum, in Enthymemate, rei probans

Libr. 2. poster. c. 30.
Libr. 1. Rhet. c. 2.
Lib. cit. c. 34.
Lib. 1. rhet. 2.
Loc. cit.
c. 53. li. 1. ca. 2.

batur existentia. Altera cōnexio, spectatur inter ipsas res particulares iam productas, nō quod vna pēdeat in esse ab alia, sed quia vna est alteri similis: similia.n. vt talia sunt, in aliquo cōueniunt, ac proinde, vnū ex alio inferri potest, quod fit per eam argumētandi formam, quæ dicitur exemplum, quo ex vno aliud cōficimus, ob eorum connexionem, in eo quo similia dicuntur. Hinc fit, cur Rhetores potissimum vtantur Enthymemate, & exēplo, quia agunt de rebus singularibus, ut actu existunt, & de similibus. In secundo ordine, quē Metaphysicum appellauimus, considerantur res, non ut actu existunt, sed ut sunt vniuersales; quæ non sunt actu separatę à singularibus, sed ex illis per inductionē ab intellectu colliguntur. Atq; ex hac rerum uniuersaliū cum singularibus cōnexione oritur inductio, quę est tertia argumētationis forma. Et quoniam res uniuersæ secūdum varios gradus sunt inter se cōnexæ, vt aīal cum uiuente, & cum animali homo, ex hac cōnexione oritur forma argumentandi syllogistica, de qua hic speciatim quærimus; quæ est omniū perfectissima: cum in ea expresse sumatur aliquid tertiū, siue medium ad probandā quęstionem propositam, quod fit in argumentatione formali, ut supra docuimus. Id autē quod assumitur debet habere, aliquam connexionem cū utraque extremitate, aut saltem cum una, quia si cum neutra conueniret, non esset idoneū ad quæstionē probādam. Exempli gratia si quis propositis duabus quantitatibus vellet certo cognoscere an sint inter se æquales, inueniret tertiam quantitatem tanquā mensuram; quæ si utriq; esset æqualis, illæ essent inter se æquales; iuxta illud pronunciatū. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, quod proprie intelligitur de duabus rebus quātis, tertiæ æqualibus. Quod si illa mensura uni tantum esset æqualis, concluderetur illas duas quantitates esse inæquales. In syllogismo igitur tale mediū est sumendū, in quo ut unque extremū conueniat, aut saltem unū: si vtrunq; conueniet fiet cōclusio affirmans; si alterum tantum, conclusio erit negans. Rursus mediū necessario debet esse vniuersale, quia alias nō esset idoneum ad ligandā, aut dissoluenda extrema: particularia .n. inter se, ut talia sunt, non habent connexionem. Ita aūt mediū debet cum extremis coniungi, ut fiat propositio naturalis, qua superius de inferiore, uel æquale de æquali prædicetur, uel, ut id prædicetur in cōclusione, quod ponitur in maiore. Sed iam uideamus quō ex ulla cōnexione rerū uniuersaliū ex qua syllogismum oriri diximus, tres utiles colligā ut syllogismorū figurę, quod in sequenti faciā fundamē...

Aristo. li. 1. rhet. c. 2.

Arist. li. 2. physi. tex. 19.

Rodul. Agric.

Lib. 1. Physic. t. 17.

Tertium fundamentum, naturæ vniuersales, ut diximus, fundantur in singularibus à quibus per quosdā gradus, uel proxime, uel remote, magis minusque abstrahuntur, donec ueniatur ad vnum summum, uel ad decem summa genera. Quo fit, ut in ista naturarum sub vno summo genere coordinatione, tres assignētur gradus, vnus infimus, siue inferior, alter supremus, & tertius medius: & hic est ueluti uinculum, quo superior natura, cum inferiore deuincitur, ut uiuens est in homine, sed per animal. Ex hoc naturarum vinculo tres oriuntur syllogismorum figuræ, vt mox patebit. Est ergo primū vinculum naturæ intermedię, cum natura superiore, & naturæ infimæ cum media: quæ, licet non sit propriæ caussa inferioris, cum omnes illę naturæ simul existant, tamen re uera media natura est ratio coniunctionis, quia superior nō conuenit inferiori nisi per mediam. Et ut media natura est ratio cur superius uniatur cum eo quod est inferius: ita etiam est ratio, ut ab inferiore remoueatur quod à superiore remouetur. Quo fit, ut media natura superiori subijciatur, & de inferiore prædicetur. Atque ex hoc trium naturarum uinculo, prima nascitur figura cum suis quattuor modis directe concludentibus. Nam, si medium cum vtrisque extremis cōueniat, concluditur uniuersalis affirmans in Barbara: si uero maior extremitas negetur de medio, & medium affirmetur uniuersle de minori, conclusio erit uniuersalis negatiua in Celarēt. Quod si medium sit tale, ut de minori extremitate non dicatur nisi particulariter, ut inferius de suo superiore, duo alij consurgent argumentandi modi in eadem figura, vnus particularis affirmans in Darij, alter particularis negans in Ferio. Quo fit, ut medium in prima figura, sit antecedens ad prædicatum quæstionis, & consequens ad subiectum; ut animal ad uiuens, & ad hominem, in hac quæstione, An homo sit uiuens. Secundum vinculum, duarum naturarum diuersarum in vna natura communi, in qua conueniunt, vt homo, & Leo in natura animalis ita ut de utraque affirmata

In pl. cap. de subst.

Porph. c. de spe cie.

Arist. c. de inuē. med.

affirmata

firmari poſſit, & quia tale medium in vtraq; particulariter ſumitur, vt cum dr̄, homo eſt animal, Leo eſt animal, in quibus, aīal non ſupponit vniuerſaliter, ſed determinate, uel confuſe, ideo non eſt aptū ad connectendum ea quæ ſub ſe ſunt, cum non ſumatur vniuerſaliter. Hinc eſt, vt in altera debeat ſumi diſtributiue, & uniuerſaliter, quod fieri nō pōt, niſi ad altero extremo negetur, quia ſignum vniuerſale negatiuum diſtribuit vtrumq; extremum. vnde, in hac ſecunda medij diſpoſitione concluſio quæ conſequitur ignobiliorem partē ſemper erit negatiua, vt accidit in ſecunda figura. Quod ſi medium negetur de maiori extremitate, orietur Ceſare, vt eſſet aīal reſpectu lapidis, & hominis. Si uero de minori, fiet Cameſtres, vt ſi ſumatur inſenſitiuum reſpectu lapidis, & hominis. Si uero mediū, de minori extremitate particulariter affirmetur, vel negetur, alij duo exoriuntur modi eiuſdem figuræ. Ex quibus colligere ſecundā figuram, uel medium poſitum ex parte prædicati in utraq; præmiſſe, non ualere ad copulandū unum extremum cum alio, ſed ad remouendum vnum ab alio. Tertium vinculū, duarum naturarum cōium cum vna natura inferiore, ita ut vtriq; ſubijciatur, & tunc fit tertia figura. Et qm̄ medium cum ſit inferius non pōt ligare duas naturas ſuperiores niſi minor extremitas in concluſione ſumatur particulariter, ideo ſemper concluſio erit particularis: etiamſi præmiſſæ ſint ambæ vniuerſales. Similiter, quia unum extremum poteſt affirmari, vel negari de medio, ideo in hac figura pōt inferri concluſio tum affirmans, tum negans: affirmans in tribus, negas in totidem alijs. Sed dicat aliquis, cum forma syllogiſmi oriatur ex diſpoſitione uaria medij termini, qui, vt diximus, eſt uelut uinculum extremorum, cur non admittitur quarta, in qua medium noua ratione diſponi pōt? Reſpondeo, quia in tali diſpoſitione non intercedit nouum uinculum naturarum diuerſum a primo, ſed ſola noua ratio procedendi, quæ non eſt naturalis, cum ab inferioribus ad ſuperiora aſcendamus; at naturalis modus eſt, vt a ſuperioribus ad inferiora prædicando veniatur. Adde etiam, quod in prima figura incipitur a medio, in quarta uero ab vno extremo, & prædicatum tanquam ſuperius applicatur ſubiecto tanquam inferiori, uel ſuo æquali. Denique, in prima figura magis apparet connexionis, & vinculi ratio, atque concludendi uis, quàm in quarta, ideo illa fuit approbata, & quarta reiecta, in qua quidquid probatur, poteſt probari in prima; ac proinde, ut minus vtilis reijcienda fuit. Sed peteres, cur iſtæ tres diſpoſitiones trium terminorum ſyllogiſmi, iuxta collocationē medij termini dicantur figuræ. Reſpondeo, ſic appellari per Metaphoram, traslatione ſumpta a figuris mathematicis. Eſt autem in ſyllogiſmo figura triangularis, ut enim in hac figura duæ lineæ ſe contingunt in puncto, & faciunt angulum; quibus ſubijcitur tertia tanquam baſis: unde dicta extat figura: ita in ſyllogiſmo, duæ extremitates, vnitæ in vno medio faciunt duas propoſitiones, quibus additur tertia, qua extremitates uniūtur, tanquam illarum baſis, vnde extat veluti triangularis figura. Atque ex his quæ adnotata ſunt nonnulla colligere licet.

Ariſtot. lib. 6. Top.

Aegid. lib. 1. Poſt.

Primum, cur in ſyllogiſmo debeāt eſſe ſolūm tres termini: Quia duo habentur in quæſtione probanda, & vnus extrinſecus tanquā quid mediū aſſumitur, qui cum ambobus debet eſſe coniunctus, vel ſaltem cum altero ac proinde bis repetendus eſt: & ita tres termini ſufficiunt ad faciendas præmiſſas. Secundum, præmiſſas dēre eſſe duas, cum vtriq; extremitati ſit accommodandus medius terminus: ex quibus poſtea infertur concluſio, per quam hr̄ notitia quæſtionis propoſitæ. Tertium, cur ex puris negatiuis ui formæ nihil poſſit inferri, quia duæ naturæ quæ non conueniunt in aliquo coniungi nequeunt, & ita mediū de quo negantur extrema, non eſt aptū ad aliquid inferendum. Et ex eo tanquam ex nihilo, nihil conficitur. Quartū, cū ex particularibus nihil inferatur, quia inter particularia nihil ītercedit mediū, qd in una ſaltem præmiſſa dēt eſſe uniuerſale, ut poſſit habere uinculi rationem. Deinq; colligitur, cur in ſecunda figura debeat ſemper inferri concluſio negatiua, & in tertia ſemper particularis. Sed iam ad poſitiones accedamus.

Prima poſitio, modus argumentandi per tranſpoſitionem præmiſſarum primæ figuræ, quo utitur Ariſtot. non eſt idem cum figura Galeni. Quoniam in figura Galeni mediū ſemper debet prædicari in maiori, & in minori ſubijci: at ſi in illo modo arguendi quo utitur Ariſtoteles, præmiſſæ non tranſponātur, medium ſemper in maiori ſubijcietur, in

minori prædicabitur; igitur: maior enim extremitas, non est illa quæ ponitur primo loco in syllogismo, sed quæ prædicatur in cõclusione. Quare cum Aristoteles ponit maiorem secundo loco, non facit argumentum in figura Galeni. Vnde modus argumentandi Aristotelicus non introducit nouam figurã: alias enim tres aliæ deberent fieri figuræ, ex præmissarum transpositione.

Secunda positio, figura Galeni est diuersa a modo concludendi indirecte in prima figura, seu non est prima, prout indirecte concludit. Primum, quia in hac concludendi ratione, maior extremitas dicitur de medio, & mediũ de minori: in figura Galeni cõtra. Deinde, quia Aristoteles assignat modos indirecte concludendi in prima figura: at Galenus nouam formam introducit: in qua quęstio per se infertur in conclusione, non autẽ eius conuertens, ut fit in modis indirecte concludentibus primæ.

Tertia positio, Galeni figura reijciẽda est. Primo, quia nunquam infert naturaliter conclusionem, cum per eam in conclusione non prædicetur qđ prædicabatur in præmissis: & ea sequitur conclusio, quæ in prima inferri poterat. Exempli grã, fiat hic syllogismus, Aliquod animal est risiuum: oẽ risiuum est homo, conclusio naturali ordine sic est inferenda, ergo aliquod aĩal est homo, sed Galeni figura infert, ergo aliquis homo est animal. At prima conclusio infertur in Darij facta præmissarum transpositione, ut Omne risiuum est homo: aliquod aĩal est risiuum: ergo aliquod animal est homo. Secundo, ex ista figura sequitur, idem prædicari de seipso, ut ecce, Omne aĩal est sensibile: omne sensibile est viuens: ergo aliquod viuens est aĩal: sensibile in maiori prædicatur de animali, & aĩal in conclusione de viuente: viuens autem in minore de sensibili: ergo & de ijs de quibus dr̃ sensibile; nam ex regula Aristotelis, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur ẽt de ijs de quibus prædicatum affirmatur: sed sensibile dr̃ de animali; ergo & animal de animali: ergo idem de se ipso, quod est absurdum. Quia idem esset notius, & ignotius, prius & posterius, ſm eandem rationem, vt disputat Auerrois. Tertio, quia ista figura infert conclusionem ex vi primæ, ac proinde distinguẽda nõ fuit: nititur. nulli principio, Dici de omni, hoc est quod dr̃ de subiecto, dicitur ẽt de partibus illius. Cum ergo conclusio sit pars subiecti, hoc est aliquod viuens pars viuentis, in ea prædicabitur illud idẽ quod fuit in maiori, nimirum aĩal: hoc aũt est principium, primę figuræ, in qua directe, & naturaliter infertur conclusio: Quare, cum tota uis quartę oriatur a prima, reijcienda erit, cum non sint multiplicandæ figuræ sine diuersitate principiorũ, vnde proxime oritur consequentia. Confirmatur, in ista figura nihil infertur, nisi quod ex antecedente eodem modo disposito sequebatur ex prima, conuersa illius propositione: ergo totam uim probandi habet a prima. Vt, si in figura Galeni fiat hic syllogismus, Omnis homo est rationalis: omne rationale est risiuum: ex hoc antecedente in Barbara, sequitur, ergo oĩs homo est risiuus: at in quarta figura sequitur eius conuertẽns, ergo aliquod risiuũ est homo: quæ conclusio nõ sequeretur nisi posset sequi eius cõuersa in Barbara. Habebit igitur ista figura uim a prima.

Quod si dicas, potius primam habere vim a quarta, vel certe non esse maiorem rationem, cur vna dicatur pendere ab alia, & non contra. Respondeo, dari maiorem rationem, cur quarta pendeat a prima: quia, si in prima potest inferri uniuersalis affirmans, poterit inferri etiam particularis conuersa, non contra: at in quarta solum infertur particularis; ac proinde pendet a prima. Rursus, si in prima inferatur aliqua conclusio negatiua, quæ non sit conuertibilis, tunc non potest sequi cõclusio Galeni, sed inferretur falsum. Vt si fiat hic syllogismus, Aliquis homo est philosophus: nullus philosophus est ignarus: in prima sequitur, ergo aliquis homo nõ est ignarus: at in quarta, uel nihil sequitur, uel hoc, ergo aliquod ignorans non est homo: quæ conclusio est falsa. Quare cum ista figura, uel falsum inferat, uel siquid infert, inferat, ui primæ, & semper contra naturalem ordinem, admittenda non erit.

Quarta positio, aliæ duæ figuræ non sunt reijciendæ. Quia in illis aliquid utiliter concluditur, & quidem ex proprijs principijs diuersis a principijs primæ figuræ: quãuis modi aliarum figurarum ad primam aliquo pacto reuocari queant, & modi tertiæ figuræ in conclusionẽ admittant prædicationem inferioris de superiori, & reuocari ad primã, per conuersionẽ eandem admittant prædicationem. Tribus ergo constitutis atque retentis figuris,

In antepr.

In ca. 8.

figuris, sequitur vt aliquid de earum ordine, & perfectione dicamus.

Quinta positio, prima figura merito priore loco ponitur, vt quæ est alijs perfectior. Est autem perfectior ob has potissimum caussas. Primo, ex parte medij ex cuius appositione figuræ oriuntur: quia solum in prima hēt perfectam rationem medij ratione situs, cū ponatur inter duo extrema: medium.n. id dr̃, quod extrema participat: in alijs vero ab vna tantum parte ponitur. Secundo, ratione conclusionum, seu problematum, quia per hanc solam figuram omnia demonstrari possunt problemata vniuersalia, & particularia, affirmantia, & negantia; in alijs non item, vt patet; vnde latius se extendit, quam aliæ. Tertio ratione roboris inferendi, & connectendi; cū vis illationis magis sentiatur in prima, quæ proxime dependet a duobus principijs notissimis, dici de omni, & dici de nullo. Quarto, quia sola prima concludit propositionem vniuersalem affirmatiuam, ac proinde inseruit perfectæ demonstrationi, & scientiæ: secunda uero speciatim syllogismo dialectico, cū dialecticus potissimum negantem partem cōcludat, dum aduersariorum rationes refellit: at tertia syllogismo sophistico, quia sophismata, ut plurimum fiunt ex particularibus; tertia autem solum particulariter concludit. Quinto, quia aliæ possunt reuocari ad primam, non contra. Denique, hæc figura superat omnes alias, & non superatur ab illis: at vero secunda, & tertia inter se superant, ut statim patebit.

Lib. 1. Poster. tex. 31.

Sexta positio, secunda figura merito secundo loco ponitur, vt quæ est tertia perfectior. Est autem perfectior, primo quia concludit uniuersalem propositionem, quæ est nobilior particulari, quæ sola concluditur in tertia: vniuersale enim est totum, & particulare pars, quæ est ignobilior toto. Secundo, quia in hac medium in utraque prædicatur, in tertia vero subjicitur: at nobilius est prædicari, quam subjci, quia prædicatum habet rationem formæ, & subiectum materiæ. Verum tertia superat secundam in hoc, quod concludit affirmando, & negando. Atq; ex his quæ adnotauimus, & posuimus facile erit in contrarium allata soluere argumenta.

Lib. 3. Phy. tex. ...

Ad primum, illa medij dispositio, aut est inutilis, aut innaturalis: nā si directe concludat, id fit per conuersionē præmissarum primæ: si indirecte, non naturaliter concludit.

Ad secundum, eodem rest cōdetur modo, quia concludit indirecte, cum in conclusione non prædicetur, quod in præmissis prædicatur: & ijsdem terminis posset inferri eadē cōclusio ex puris negatiuis ratione materiæ; ex quibus tñ vi formæ nihil concluditur.

Ad tertium, est diuersitas in modo procedendi, sed quia natura est, ut a superioribus ad inferiora argumentando descendamus, quod fit in prima; ideo hæc sola retinēda est.

Ad quartum, patet ex prima positione: negatur itaque esse eandem argumentandi formam.

Ad quintum, duobus modis pōt dici aliqua propositio innaturalis: primo cū id prædicatur, quod s̄m naturam subijci debet, & ita concedimus illam conclusionem esse naturalem: secundo, respectu præmissarum, respectu quarum illud debet prædicari in conclusione, quod prædicatur in præmissis: at in figura Galeni prędicari debet qd̄ subjicitur: & hoc modo illa conclusio dr̄ non naturalis. Hoc quod diximus intelligendum est in prima figura, in qua altera extremitas prædicatur, quia in secunda utraq; subjicitur. Cum ergo in figura Galeni vna extremitas prædicetur, altera subijciatur, vt conclusio sit naturalis, illa extremitas debet prædicari, quæ in præmissis prædicabatur. Vnde colliges non esse eandem rationem, quoad indirectam cōclusionem de tertia, & quarta figura. Quare, & quia non naturaliter concludit, & si quid concludit, vi primæ concludit, & interdum falsum concludit; ideo reijcienda est.

Ad sextum, non propter hoc solum reijcitur quarta figura, quia eius modi reuocari possent ad primam, sed quia ui primæ conclusiones infert: tertia uero non item, ut patet ex ijs quæ supra disputata sunt. Sed de syllogismo, & eius figuris hucusque, & pro nostro instituto satis. Cætera, quæ de syllogismo, & alijs argumentationis speciebus sunt scitu necessaria, uel utilia, videre poteris in nostra Introductione in Logicam, totiusve Logicæ compendio.

Finis Tractationis de Syllogismo.

TRA-

TRACTATIO DE INSTRVMENTIS SCIENDI VNIVERSE.

Cum Prologemenis in Libros ſecundæ Analyſis.

Suſceptæ tractationis ratio, vtilitas, & ordo. *Cap.* *I.*

QVoniam vniuerſa Logica in inſtrumentis ſciendi explicādis eſt occupata, ob quā cauſſam recte ab Ariſtotele Organum appellata fuit; idcirco nulla pars diligentius ab eo, qui in Logicis verſatur, tractanda eſt, quā ea in qua de perfectis, & proximis ſciendi inſtrumentis, hoc eſt de demōſtratione, & definitione agitur, ut eſt illa, quę poſterior analytica uocatur; cū in ea ex meliorum ſcriptorū ſententia, de dictis inſtrumentis diſputetur. Diog. Laer.

Libr. 1. Phy. & li. 3. c. 3. Et quia, ut idem auctor non uno in loco teſtatum reliquit, ei qui cum ordine, & facilitate aliquid docere vult, priore loco communia tractanda ſunt, ideo nos communem de inſtrumentis ſciendi tractationem conficiendam ſuſcipimus, ut non ſolum ea quæ in poſteriore analyſi de perfectis ſciendi inſtrumentis ab Ariſtotele traduntur, ſed etiā quæ in alijs partibus tradita fuere, melius intelligantur; cum uniuerſe de ijs quæ in tota Logica docentur, nimirum de inſtrumentis humanæ cognitionis, hoc ordine, acturi ſimus.

Primo agemus de eorum numero. Secundo de eorundem definitione, & muneribus. Tertio, demonſtrabimus ad quem artificem eorum tractatio pertineat. Quarto de eorum inter ſe comparatione. Quinto, de eorundē nobilitate atque præſtantia. Sexto de nobiliſſimo inſtrumento. Denique, quo in loco Ariſtoteles definitione egerit. Quibus ad maiorem explicationem ſubijciemus ea capita quæ præmitti ſolent ad libros poſterioris analyſis, in quibus de duobus potiſſimis inſtrumentis ſciendi agitur.

Nomine inſtrumenti, ſic dicti ab inſtruo, quod apparare, & docere ſignificat, deſignatur id, quo vtimur ad aliquid efficiēdum, aut cognoſcendum. Vnde plura inſtrumentorū genera, pro artium, & earum finium diuerſitate inuenta fuere; cum inſtrumentorum ratio a fine expendenda ſit. Nos de inſtrumentis humanæ cognitionis, & quidem de communibus, communiter acturi ſumus. Tractationis itaq; materia, ordine, atque ſcopo propoſita, rem aggrediamur.

Quot ſint ſciendi inſtrumenta. *Cap.* *II.*

QVod igitur ad numerum inſtrumentorum ſciendi attinet, de eo variæ extiterunt ſcriptorum ſententiæ: verum, ut poſtea docebo, probabilis, eſt ea; quæ ſex diſtincta agnoſcit ſciendi inſtrumēta; diſtincta, inquam, ita ut unum non contineatur ſub alio, quæ ſunt, Definitio, Demonſtratio, Diuiſio, Propoſitio, Argumentatio, quæ ſub ſe continet, ſyllogiſmum topicum, Enthymema, & exemplum, atque Methodum. Sed contra hunc numerum ſic argueres.

Primo, videtur eſſe unicum tantum inſtrumentum, videlicet demonſtrationem. Quia ſcientia, cuius cauſſa inuenta ſunt inſtrumēta, eſt perfecta rei cognitio per ſuas cauſas: at iſta habetur per ſolam demonſtrationem: ergo ſola demonſtratio erit ſciendi inſtrumentum. Confirmatur, quia per eam cognoſcimus rei ſubſtantiam, cum contineat rei definitionem, & propria accidentia: quæ qui nouit, totam rem habet perſpectam. Libr. 1. poſter. c. 2.

Secundo, probo eſſe ſolum duo: tot ſunt ſciendi inſtrumēta, quot ſunt quæ de re quapiam ſciri poſſunt: at iſta tantum duo, ſubſtantia & accidens: duo igitur inſtrumēta definitio,

finitio, quæ substantia; & demonstratio qua accidens cognoscitur.

Tertio, quo argumento probatur, vnum ex dictis contineri sub alio, nimirum, demõstrationem sub argumentatione, sub quâ positæ fuere aliæ tres, syllogismorum species: & si demonstratio ponitur pro distincto instrumento, cur non etiam aliæ species?

Quarto probo fuisse prætermissa alia instrumenta quæ non continentur sub enumeratis partibus; videlicet, resolutionem & cõpositionem, quæ priuata ratione iuuant intellectum in rebus cognoscendis, vt est manifestum: imperfecta igitur enumeratio.

In hac difficultate sunt hi modi dicendi. Primus eorum, qui ob primum argumentũ existimarunt unicum esse sciendi instrumentum. Secundus aliorum, qui propter secundã rationem tenent esse duo, definitionem, & demonstrationem; alij vero duo ponentes, dicunt esse, argumentationem sub qua comprehenduntur demonstrationem, syllogismũ topicum, inductionemque, & definitionem. Tertius aliorum, qui enumeratis addunt alia, Quidam addunt resolutionem, & compositionem; alij etiam diuisionem; alij methodũ; alij denique etiam propositionem. Verum, hæ variæ sententiæ aliquo pacto admitti possunt, si distinctio adhibeatur. Vt autem quid in hac difficultate tenendum sit explicetur, duo subijcio notanda.

Amm. Eust.

Primum notandum, instrumẽta, ut supra innuimus, in eum finem sunt inuenta, vt per ea aliquem consequamur finem: unde colligeres eorum multitudinem ac diuersitatem sumendam esse ex eo, ad quod suapte natura sunt ordinata. Et quoniam instrumenta de quibus nostra est instituta disputatio, in eum finẽ sunt excogitata, ut per ea dirigamus humanæ mentis operationes; ideirco eorum necessitas spectanda erit ex hoc, ut illorum beneficio intellectus non erret in apprehendendo, componendo, & ratiocinando: per quas operationes in rerum cognitionem venitur.

Secundum notandum, instrumentorũ quę ad cognitionem rerum habendã conferunt, quædam sunt naturalia, ut intelligẽdi & memorandi vires, lumen naturale intellectus, & sensus, de quibus instrumentis nõ est hic loco sermo. Alia sunt aduentitia extrinsecus per artem & industriam assumpta, ut methodus, diuisio, & alia: & hæc sunt in triplici genere. Quædam sunt quæ remote iuuant ad cognitionem acquirendam, ut diuisio, & methodus; per istam enim nihil proxime cognoscimus, aut de nouo discimus. Quædam quę proxime efficiunt aliquam cognitionẽ, non tñ certam, non euidentem, non omnino perfectam, ut syllogismus topicus, inductio, & exẽplum: his enim utimur, vel ad principia scientiarum probanda, vel cum desiciunt demonstrationes. Quædam, quæ iuuant proxime ad cognitionem perfectam, ut est demonstratio, & definitio. Hoc loco agimus de aduentitijs omnium generũ uniuerse. Potest autem proposita dubitatio; habere tres sensus quorum primus est, ut quæratur de numero instrumẽtorum, quæ aliqua priuata ratione dirigunt intellectum in suis operationibus recte exercendis: secundus de necessitate instrumentorum sciendi proxime, sed generatim: tertius, de instrumentis quæ specialiter perfectam gignunt scientiam. Et iuxta hunc triplicem sensum tres statuam positiones.

Aristot. 2. post. c. ult.

Et 2. poster. cap. ult.

Prima positio, si sit sermo de instrumẽtis, quæ aliqua priuata ratione dirigunt intellectum ad suas operationes recte exercendas, conuenienter dici potes, esse numero sex inter se primo diuersa, ad quæ si quæ sunt alia reuocari possunt, Definitio, Diuisio, Propositio, Argumentatio, ut continet tres species, quibus aliquid minus perfecte cognoscitur, ut sunt, topicus syllogismus, inductio, & exẽplum, Demonstratio, & Methodus. Hæc positio unica confirmatur ratione: quoniã omnia ista sunt instrumenta necessaria ad recte intelligendũ, & aliquod priuatum auxilium præbent: & si quæ sunt alia ad hæc reuocantur; & unum sub alio non continetur, igitur. Etenim definitio obscura patefacit, diuisio confusa discernit, propositio rebus apprehensis, & inter se collatis assensionem præbet: argumentatio probabiliter ratiocinatur, demõstratio necessario aliquid cõcludit, & methodus dicenda cõgruenter ordinat. Primum primam dirigit operationem: secundum & tertium, secundam: quartum & quintum tertiam: sextum oẽs iuuat. Quod aũt unũ ex his nõ contineatur sub alio, & alia ad hæc reuocẽtur, in responsionibus ad argumenta patebit.

Secũda positio, si loquamur de instrumẽtis proximis cognoscendi in communi, omnia reuocari possunt ad duo, ad argumentationem, & definitionem. Primum, quia solũ

ista

ista duo iuuant proxime ad cognoscendum ipsamq; efficiunt doctrinam: igitur. Antecedens patet, quia quidquid est, aut est substantia, aut accidens: substantia proxime cognoscitur per definitionem, accidens uero per aliquã speciem argumẽtationis: hæc igitur duo vniuersè, & proxime sunt necessaria ad cognoscendum instrumenta. Secundo, tot sunt uniuersè instrumẽta quibus proxime aliquid cognoscitur, quot sunt necessaria ad oẽs quæstiones soluẽdas: at omnes quæstiones, quæ sunt numero quatuor, an sit, quid sit, quale sit, & propter quid sit, soluuntur per ista duo instrumenta; quia quid sit, soluitur per definitionẽ, aliæ oẽs per aliquam speciem argumentationis: ergo duo sufficiũt. Tertio, unũquodque instrumentum nomen sumit a suo proximo fine: sed diuisio, propositio, & alia instrumenta, his duobus exceptis, non respiciunt proxime doctrinam, nec ab ea proxime denominantur: igitur. Nõ diuisio, quia solũ designat actum discernendi, vnum ab alio: non Methodus, quia significat actum disponendi; similiter nec compositio, seu propositio: igitur signum est eorum finem proximum nõ esse nouam de aliqua re doctrinã.

2. poste. cap. 1. Libr. 2. poste. c. 1.

Sed diceres, propositio proxime facit aliquid cognoscere: igitur erit in hoc instrumẽtorum genere reponenda. Respondeo, propositionem esse triplicem: unam quæ ponitur in syllogismo tanquam præmissa, & ista non facit instrumentum distinctum ab argumentatione. Secunda, quæ parit aliquã notitiam, & hæc est duplex: vel enim parit notitiam ex principijs per se notis; ut, De quolibet est uerũ affirmare, uel negare: & hæc nõ facit instrumentum cognoscendi, quia ex solo lumine naturali per solam terminorũ notiam, omnibus innotescit. Vel nõ est ex principij per se notis, & tunc, cũ sit obscura, probari debet per aliquam argumentationis speciem; ac proinde non facit instrumentum cognoscendi distinctum. Tertia propositio est illa, per cuius cognitionem intellectus disponitur ad recte componendum simplicia, & tunc constituit quidem instrumentum sciendi ab alijs distinctum, ut in prima positione dixi: tamen non potest dici esse instrumentũ proximum cognoscendi cum ad cognoscendum disponat, & notitia quæ per eam habetur, non potest proprie uocari doctrina.

1. Post. c. 1. 1. Post. t. 25.

Tertia positio, si sit sermo de instrumentis cognoscendi proximis, & perfectis, sunt tantum duo, definitio, & demonstratio. Est doctrina communis Themistij, Alexandri, Cõmentatoris in epitomis suæ Logicæ, Eustratij, Alberti, & aliorum, quæ sic probatur. Primo, ex Aristotele, qui cum in primo posterioris analysis dixisset demonstrationem facere scire, subiecit hæc uerba, si est alius sciendi modus: ubi, per alium modum, intelligit definitionem: duo igitur sciendi instrumenta perfecta de quibus in secunda analysi disputatur. Secundo, quidquid scitur, uel est rei essentia, uel eius passio, sed essentia per definitionem, passio per demonstrationem perfecte scitur: igitur duo tantum perfecta instrumenta sciendi.

1. Poste. c. 2. 2. Post. Trac. 1. Log. Cap. 2. 2. post. c. 2.

Quod si dicas, definitionem contineri in demonstratione tanquam eius medium, ac proinde unum esse instrumentum: Respondeo, definitionem dupliciter considerari: primo, ut facit cognoscere rei quidditatẽ, ut quidditas est, secundo ut est causa propria suarũ passionum: hac posita distinctione, dico definitionem primo modo cõsideratam, quo modo est instrumentum sciendi, non poni in demonstratione, sed tantum secundo modo.

Libr. 2. Phys. in fine.

Sed rursus obijceres de inductione, q̃ facit scire certissime: ergo est instrumendũ sciẽdi perfectũ, non cõtentum sub alijs. Huic obiectioni respondere, hic esse sermonẽ de instrumentis sciendi perfectis, quæ faciunt rẽ scire p suam causam; quod non facit inductio, cũ per eam cognoscamus aliquid per effectus, & a posteriori. His ita positis, restat ut argumenta in contrarium allata soluamus.

2. post. c. ult.

Ad primum, non solum demonstratio, sed etiam definitio facit cognoscere rem per causam, & quidem per nobilissimam, nimirum per formam, & per intrinsecas. Ad confirmationem, substantia nõ cognoscitur per demonstrationem: quæ, vt ante diximus, nõ continet definitionem, ut definitio est essentiæ manifestatiua.

Ad secundum, hoc argumentum conceditur, si loquamur de perfectis instrumẽtis, quæ rem proxime faciunt cognoscere, & ita probat tertiam positionem.

Ad tertium, licet demonstratio contineatur sub argumentatione, sicut & aliæ species continentur: tamen quia demonstratio habet modũ probandi omnino ab alijs distinctum, nimirum necessarium, & per causam, vnde

1. post. t. 30.

unde oritur pfecta rei notitia, & scientia, aliæ vero species solum notitiã imperfectam faciunt, ideo cõuenienter sub nõie argumentationis collocantur, & a demõstratione distinguuntur. Vel si hoc non satisfacit, dicas demonstrationem sub argumentatione contineri, & instrumẽta sciẽdi esse numero quinque.

Ad quartum, quoniam hoc argumentum habet quandam maiorem difficultatem, ideo sequenti disputatione quid respondendum sit, docebitur.

An resolutio sit instrumentum distinctum à demonstratione propter quid, quia, & a methodo resolutiua. Cap. III.

QVæ in hac disputatione nobis dicenda occurrunt, breuitatis & facilitatis gratia ad quasdam dubitationes reuocabimus.

Prima dubitatio, an resolutio differat a demonstratione propter quid: ad quam respõdeo affirmatiue, iuxta ea quæ in prolegomenis in analyticos priores diximus: differt aũt

1. poste. tex.5. his modis. Primo, demonstratio procedit a caussa ad effectus: resolutio uero contra, ab effectu ad caussam. Secundo, demonstratio dicit simplicem progressum a caussa ad effectum: at uero resolutio multas includit progressiones, iuxta numerum caussarum subordinatarum, usque ad primas in quas fit reso-

1.poste. t.2. lutio. Tertio, differũt ratione finis, quia finis demonstrationis propter quid est scientia cõclusionis; resolutionis vero finis immediatus est inquisitio caussarum: mediatus posse construere demonstrationem propter quid, & acquirere scientiã. Quarto, resolutio est ueluti uia ad demonstrationem propter quid, per eã enim inuestigamus caussas ex quibus fit demonstratio: quę est ueluti terminus: differũt

1.poste. igitur: Denique, resolutio procedit a conclusione ad præmissas: at demonstratio propter quid contrario modo se habet: igitur. Vnde syllogismus demonstratiuus est ille qui procedit euidenter ex duabus præmissis necessarijs: Resolutorius vero, qui resoluit principia, uel premissas, conclusionem ve in sua prima principia, & caussas.

Secunda dubitatio, an resolutio differat à demonstratione quia? Respõdeo affirmando, differunt autem ob has caussas. Primo, in quibusdã scientijs inuenitur resolutio, & nõ demonstratio. Quia, ut patet in Mathematicis, in quibus, cũ effectus sint ignotiores non fiunt demõstrationes. Quæ at in eisdem inuenitur vera resolutio, ob quam caussam dicantur maxime resolutoriæ: differt igitur resolutio ab ista demonstratione. Secundo, in hoc genere demonstrationis supponitur existentia effectus, & uera illius cognitio: at in resolutione sępe contrariũ accidit, ut patet in Mathematicis: igitur. Postremo, demonstra- 2.poste. tex.30.
tio quia, probat caussam per effectum: at uero resolutio ex effectu inquirit caussam. differunt ergo. Verum fieri potest, ut resolutio maxime cõducat ad demonstrationem quia, ut accidit in Physicis, ubi effectus sunt notiores caussis, sed tamen hoc est accidentarium.

Tertia dubitatio, an resolutio differat à Methodo resolutiua. Pro explicatione nota, D. Th. 1.2.
Methodum resolutiuam esse duplicem: unã practicam quæ in scientijs reperitur practicis, qua, proposito fine, inquiritur media ad illũ consequendũ idonea, alteram speculatiuam, quæ in scientijs inuenitur speculatiuis. Hoc posito, ad hanc difficultatem respõdeo duob. dictis. Primum dictum, resolutio practica differt à Methodo resolutiua practica, hoc pacto: Quod resolutio est inquisitio mediorum ex pręcognitione finis: Methodus uero resolutiua est illa dispositio quæ obseruatur in executione talium mediorum, secũdum quã vnũ medium alteri præponitur. Secundum dictum, resolutio speculatiua differt à Methodo speculatiua in hoc, quod resolutio est inquisitio caussarum propositę conclusionis: Methodus autem est ordo, qui obseruatur in tractatione scientiarum speculatiuarum.

Quo loco adnotauerim, Aristotelem aliquando Methodum resolutiuam, & resolutionem eodem modo sumere, sicuti & Methodum diuisiuam pro ipsa diuisione.

Quarta dubitatio, an resolutio Logica faciat instrumentum cognoscendi ab alijs distinctum: cui dubitationi respondeo, negando. Nam, aut est sermo de resolutione in cõmuni, quæ iuuat omnes scientias: & tunc reuocatur ad instrumentum Methodi, qua docemur seruare rerum ordinẽ in omnibus sciẽtijs. Aut est sermo de resolutione syllogismi, vel demonstrationis quæ fit in Logica: & tũc non facit instrumentum distinctum, quia reuocatur ad doctrinam de syllogismo, & de-

monstratione. Etenim resolutio syllogismi nihil aliud est, quam proposita conclusione docere modum inuestigandi principia illatiua illius: similiter resolutio demonstrationis est, cum proposita conclusione, inueniuntur præmissæ aptæ ratione materiæ ad illam probandam; Atqui ista continentur sub doctrina de syllogismo & demonstratione, nō faciunt igitur instrumentum, distinctum.

Sed peteret hoc loco quispiam; an definitio cognoscatur per resolutionem sicuti & demonstratio, vt supra diximus? Respondeo affirmatiue, si sit sermo de definitione, vt est medium demonstrationis. Etenim qui resoluit conclusionem in principia illius probantia cognoscendo eius proprietates, consequēter cognoscit proprietates medij, quod reperitur in præmissis. Si vero loquamur de definitione, vt est instrumentum sciendi cognoscitur per diuisionem: & cum diuisio procedat à prioribus ad posteriora, est opposita resolutioni proprie sumptæ. (Aristot. libr. 2. post.)

Atqui si ita est, secundus liber posterioris analysis, non deberet inscribi resolutiuus, sed diuisiuus, & definitiuus, cum in eo sit sermo de definitione, vt est instrumentū. Huic obiectioni, respondeo negando sequelam: quia inscriptio operis debet fieri à maiori parte, in qua agitur de resolutione. Adde etiam, qd diuisio, largo modo dici potest resolutio. Sūt etiam qui dicant, definitionem posse inueniri aliqua ratione per resolutionem, quæ procedit à posterioribus ad priora. (Eustr. Philop.) Sed de numero instrumentorum hucusque.

Definiuntur singula sciendi instrumenta, eorumque propria munera assignantur. Cap. IIII.

QVoniam vero parum vtile esset noscere quæ, & quot sint sciendi instrumenta, nisi ad quid valeāt, seu quę sint eorum munera cognosceretur, & hæc cognosci non facile possint, ni prius quid ipsa sint fuerit perspectum; ideo eorum numero demonstrato, eorundem naturam vimque hoc capite paucis explanabo. Quare singula de singulis dubitando, definiam, & definitioni, munera subijciam. Antequam autem rem aggrediar, illud monuerim, non esse huius locis plene singulorum vim varietatemq; explicare, cū hoc pertineat ad priuatas eorū tractationes; quare breuiter descr bentur, vt rudis eorū habeatur notitia, muneraque melius intelligantur. Et quia per definitionē prima intellectus dirigitur operatio, proinde ab ea initiū capiā.

Prima dubitatio, quid sit definitio, & quæ eius munera: Definitio est oratio, qua clare alicuius rei natura manifestatur: vel ut loquitur Aristoteles, ipsum quod quid erat esse manifestans. Cuius duo præcipua sunt numera. Primum, vt sciamus perfecte apprehēdere atque intelligere rei essentiam, cum passim Aristot. doceat, ipsum quod quid est, definitione cognosci: vt merito à M. Tulio vocata fuerit, rerum operarum patefactio. Secundum, vt per eam possimus probare proprietates rei, & accidentia: quod munus ei conuenit, quatenus ponitur in demonstratione; hoc est, ut est medium ad demonstrandas cuiusq; rei proprietates. (Libr. 2. post. c. 1. — Libr. 7. Meta. t. 48. — Lib. 2. de Ani. t. 11. — Libr. 1. post. t. 22.)

Secunda dubitatio, quid sit diuisio, & quę eius munera: Diuisio est oratio, qua totum aliquod in sua membra distribuitur; vt genus in species, totū essēriale, vel integrale in suas partes, & subiectum in sua accidentia: cuius duo sunt munera. Primum, tollere confusionem, quod præstat dum iuuat ad definitionē inueniendam, quæ cum constet ex genere & differentia, & ista sine diuisione inueniri nō possint sine diuisione, profecto definitio diuisionis indiget adminiculo. Secundum, diuisio aliquo modo dirigit primam & secūdam operationē intellectus, quatenus totū in suas partes distribuit: hinc enim fit, vt melius res ipsas apprehendamus, & maximā vtilitatem ad propositiones multiplicandas capiamus. (Libr. 2. poste. c. 8. — Libr. 7. Met. t. 43.)

Tertia dubitatio, quid sit propositio, & quæ eius munera. Propositio quæ, & enunciatio dicitur, est oratio in qua aliquid vere, vel falso exprimitur: sub hac enim ratione consideratur prout est instrumentum sciendi, quo secunda dirigitur intellectus operatio; quia ut est oratio qua aliquid affirmatur, vel negatur pertinet ad tertiam, cum ex ea conficiatur syllogismus. Ex quibus colligeres, duo esse propositionis munera. Primum, perficere intellectum in secunda operatione exercenda, vt sine errore possit componere simplicia, ac uere enunciare. Secundum conferre ad syllogismos conficiendos, qui ex ipsis propositionibus constantur. (Libr. 1. Perher. cap. 4. — Libr. 1. prior. c. 1.)

Quarta dubitatio, quid sit demonstratio, &

1. post. cap. 2. & quæ eius officia. Demonstratio est syllogismus ex necessarijs contextus, quo aliquid per caussas, aut effectus necessario, & euidenter concluditur. Vbi nota, tria esse demonstrationum genera: unum dicitur potissimũ, & perfectissimum: alterũ demonstratio. Propter quid: tertiũ genus, demonstratio quia. (1. post. t. 30.) Demonstrationi tria tribuuntur officia. Primum ostendere existentiam effectus, & propter quid illius, ut fit in demõstratione potissima. Secundum, ostendere caussam rei, quod facit demonstratio propter quid. Tertiũ ostẽdere causse existentiam per effectus; quod conuenit demonstrationi, quia.

Quincta dubitatio, quid sit argumentatio, probabilis nimirum ratiocinatio, a demonstratione distincta, & quæ eius utilitates. Argumentatio, ut hoc loco sumitur, est oratio, qua aliquid probabiliter, aut certe, non tamẽ per proprias caussas, & effectus cõficitur, cuius hæ sunt utilitates. (Aristot. libr. 1. Top. cap. 1.) Prima confert ad probabiliter disputandum in utrãq; partem. secũda ad cognoscendas proprietates alicuius rei: sæpe enim cõtingit ut ignoremus proprietates, & caussas rerum, ad quas inuestigãdas, uice demõstrationis, probabilius utimur rationibus. Tertia, ad disputandum de quolibet problemate. Quarta ad probanda scientiarũ principia. Denique ad mutua colloquia.

Sexta dubitatio, quid sit Methodus, & quę eius utilitates. Methodus est eorũ quæ in aliqua scientia, uel arte tractantur dispositio, secundum prius, & posterius, prout cõgruit naturæ rerum, uel captui, & affectui audientiũ, legentium, ut in Prælũdijs in Introductionẽ Toleti planius exposui. Fuit autẽ Methodus in hunc finem inuenta, ut in quacunq; tractatione dubiũ ordinem seruaremus. Vt enim in actione, & operatione naturali quatuor inueniuntur, agens, ut ignis: instrumenta per quæ agit, ut calor, & siccitas: uia, quæ ad effectũ tendit, ut alteratio, & generatio, & denique ordo quem agens in agendo, & producendo seruat, dum ab imperfecto ad perfectum progreditur, & a partibus ad totum, ita in productione scientiæ; primo reperitur intellectus qui agit: deinde instrumẽtum quo agit, ut demõstratio, & definitio: postea, uia, hoc est diuisio, resolutione postremo ordo, cuius notitia habetur per Methodi doctrinã: cuius utilitates sunt fere istæ. Confusionem tollit, obscura illustrat, memoriam iuuat, rem breuiter facileque docet, ut iure optimo dicatur, eũ qui inordinate docet, sapientem esse. (Aristot. 1. Met.)

An pertineat ad Logicum agere de omnibus instrumentis sciendis. Cap. V.

DVo in hac disputatione nobis explicanda sunt. Primum an omnium instrumentorum, quæ supra recensuimus tractatio ad Logicum pertineat: alterum, si pertinet, quo in loco Aristoteles de illis egerit. (Phil. 1. Post.) Quod attinet ad primum, quidã existimarunt, agere de definitione pertinere ad Metaphysicũ; cum Aristoteles in Metaphysicis de ea egisse uideatur, Alij uero existimantur, tractationẽ de Methodo pertinere ad Rhetorem non ad Logicum. At vero cõmunis opinio, in utroque ab utrisque dissentit, & recte quidem, ut insequentibus positionibus docebo.

Prima positio, ad Logicum pertinet agere de definitione. Hanc positionem prudens negaret nemo, quã his rationibus breuiter confirmo. Primo ex ipsa experientia, & usu, quia Aristoteles, & cęteri qui Logicã tractant, de illa scribunt, Secundo, quia cum eius explicatio debeat haberi in aliqua parte philosophiæ uniuersę sumptę, nulla est alia pars, in qua magis conuenienter tractari debeat, ac possit. Postremo, definitio est quoddam ens rationis, quo dirigitur humanus intellectus: at de ente rationis sub hac consideratione solus Logicus agit: igitur,

Secunda positio, agere de definitione, ut est instrumentum sciendi per se solum pertinet ad Logicum. (Auuer. D. Th. 7. Met. [illegible]) Est cõmunis doctrina, quæ his confirmatur argumentis. Primo, auctoritate expressa Philosophi, qui in septimo Metaphysicorum, se uelle agere de definitione aliter atque in analyticis actum est, & ibi solum docet qua ratione ex partibus definitionis fiat unũ: cũ ergo hoc loco non agat de definitione, ut est instrumentũ, in analyticis igitur egit. Secũdo, definitio ut est instrumentũ ad eam facultatem per se pertinet, quæ instrumentaria dicitur: sed huiusmodi est sola Logica: igitur. Tertio, agere de definitione, ut est instrumẽtum, est agere de ea, ut est ens rationis, & ut includit secundas intentiones, de quibus agit Logicus, non autem Metaphysicus, qui omnia cõsiderat, ut entia realia sunt,

& vt eis conueniunt passiones entis, vnum bonum, verum; a quibus omnibus abstrahi definitio, vt instrumentum est: igitur.

Tertia positio, agere de methodo in communi, prout est instrumentum sciendi commune omnibus scientijs, pertinet ad Logicum. Explico ideo dictum est in communi quia agere de methodo in particulari cuiuscunque scientiæ, vt Ethicæ, medicinæ, sacræ Theologiæ, & aliarum disciplinarum, pertinet ad Peritum, hoc est ad eum, qui est omnium scię̄tiarum genere præditus, vel ad particularem artificem, scientiam ve: at vero agere de quibusdam communibus regulis, & pręceptis ad methodum pertinentibus, munus est Logicæ, non alterius artis. Hac posita declaratione, allata positio sic probatur. Primo quia methodus vniuerse sumpta est instrumentum sciendi, cum aliquo pacto intellectus operationes dirigat: igitur per se pertinebit ad Logicum. Secundo, quia, cum sit ens rationis, vt est omnino manifestum, includit enim in sua ratione quasdam relationes rationis consequentes res ipsas prout aliquo ordine tractantur, continebitur sub obiecto Logicæ, quod est ens rationis: & ideo ad Logicum pertinebit. Tertio, si non spectat ad Logicum, ea maxime de caussa, quia pertinet ad Peritum, vel ad Rhetorē: at ad neutrum, ad Logicum igitur. Quod non spectet ad Peritum probatur, quia ea solum ad eum spectāt quæ diuersarum scientiarum requirunt notitiam, qualem non requirit methodus vniuerse considerata. Non ad Rhetorem; quia ea methodus, siue dispositio quam explicat bene dicendi artifex, est longe diuersa a methodo communi ab illa qua scientiæ vtuntur, vt libro secundo de Arte dicendi plane docui. Denique accedat illustris M. Tullij auctoritas: qui, in primo de oratore sermone, plane indicauit methodum ad Dialecticam pertinere, cum dixit, Adhibita igitur est ars quędam extrinsecus ex alio genere quodam, qd sibi totum Philosophi assumunt, quæ rem dissipatam, diuulsamque conglutinaret, & ratione quadam constringeret. Quibus sane verbis Dialecticam insinuat, quæ suis instrumentis alias artes, scię̄tiasq; perficit, eis debitum ordinem præscribendo. Atque hæc de primo quod proposui, nunc de altero. Disp. 4.

Aristoteles igitur de ꝓpositione siue enunciatione egit in libris Perihermenias. De syllogismo in communi, & de eius speciebus in primis analyticis. De demōstratione in priore libro secundæ analasis: De definitione in posteriore eiusdem operis, vt postea plane docebo. De argumentatione seu syllogismo probabili in secundo primæ analysis, & in topicis. De diuisione, & Methodo nullibi priuatim, & seorsi, in logicis, nec in alijs libris qui nunc extant. Et fortasse nihil de his duobus ex professo tradere voluit, quia pauca de illis logicus docere pōt: & quæ dici possunt, facile ex eius doctrina colliguntur: aut certe scripsit aliqua, quæ temporū iniuria periere, vt nonnulla alia eiusdem auctoris opera. Laer. in vita Arist.

Quod si quis hoc loco de me quærat, qua nam ratione, de tota logica, & de omnibus eius instrumentis cæterisque rebus ad eā aliqua ratione pertinentibus agi posset, cū plenam huius artis notitiam nō habeamus per Aristotelem, & fortasse per neminem alium alias fauente Deo ei respondebo.

Qua ratione Logicus de definitione, & demonstratione agat.
Cap. VI.

Vt propositæ difficultati plane satisfiat, animaduertendum est, definitionē duobus modis considerari posse, vt ex Aristotele loco supra citato colligitur: primo, vt dicit ipsam rei quidditatem: secundo, ut est instrumentum sciendi. Et vtroque modo rursus bifariam: nam vt dicit rei quidditatē cōsiderari potest, vel in communi, ut designat quamcunque rei naturam, vel particulari, ut dicit rei alicujus determinatæ essentiam, ut hominis, & virtutis. Similiter, ut est instrumentum, hoc est, ut continet, doctrinam recte definiendi, considerari potest, uel ut dicit communem recte definiendi notitiā, uel priuatam alicui certæ arti propriam. Similiter demonstratio bifariam considerari potest: primo pro doctrina recte conficiendi cognoscendive demonstrationem, uel in communi, uel in particulari: secūdo pro ipso syllogismo demōstratiuo ex hac, vel illa materia cōflato. His ita ꝓmissis de re ꝓposita ita statuo. Libr. 7. Meta. t. 42.

Prima positio, de definitione sumpta pro quidditate rei, vniuerse agit Metaphysicus, ut Aristoteles fecit. Quoniam sub tali ratione est ens reale, & prædicatum commune, abstra- Libr. 7. Meta. t. 42.

abstractum ab omni materia: at agere de ente sub ista consideratione est Metaphysici : igitur.

Secunda positio, agere de definitione, ut
significat, quod quid est, in particulari, & vt
est applicata huic, vel illi materiæ, spectat ad
eam scientiam quæ cōsiderat rem illam par-
ticularem. Quoniam particulares scientię ha
bent particularem materiam, quam aliæ fa
Libr. 2. cultates non attingunt. Atque idem de de-
de Ani. monstratione dicas. Vnde definire animam,
& eius passiones demonstrare non est nisi
Physici.

Tertia positio, agere de definitione, & de-
monstratione, ut sunt instrumenta sciendi in
communi est munus Logici. Quoniam sola
logica est facultas instrumentaria, quæ sub
ministrat omnibus artibus instrumenta ad
sciendum necessaria: at huiusmodi sunt defi
nitio & demonstratio : igitur.

Quarta positio, agere de modo definiendi
& demonstrandi, ac recte procedendi in par-
ticulari, pertinet ad Peritum, & ad eum qui
logicæ, & aliarum scientiarum particular. ū,
quæ tali modo vtuntur, cognitionem habet.
Ad huius doctrinæ explicationem, quam li
Cap. 14. bro primo nostræ introductionis ad sacram
Theologiam explicatam inuenies, notandū
est, in quacunque scientia duos habitus gene
re diuersos reperiri: unum quo cognoscitur
subiectum principale, & species illius, ut in
physicis habitus quo cognoscitur corpus na-
turale, & eius partes, speciesque, & passiones;
alterum quo cognoscitur natura, & modus
Lib. 1. procedendi eius scientiæ, quæ circa tale obie
de part. ctum versatur: quem habitum Aristoteles,
c. 1. ex quo hæc doctrina sumitur, peritiam vo-
cat, quod ad eum acquirendum peritia, id est
Auenr. multarum artium, opus sit cognitione, uel po
2. Meta. tius institutionem, græce pædiam, quod per
hunc habitum ad ipsam scientiam recte per-
cipiendam instituamur, & introducamur.
Alij uero Logicam particularem uocant: quia
ut ad Logicam spectat tradere communem
modum definiendi & demonstrandi, ita ad
scientiam siue Logicam particularem perti-
net docere modum definiendi, & demonstrā
di, ac procedendi particularem, in hac uel illa
scientia: per quem modum maxime inter se
scientiæ distinguuntur: secundum quem Ari
Libr. 2. stoteles Physicam à Mathematica distinxit.
Phys. Et hic est ille sciendi modus, quem Aristote
les ante ipsam scientiam cognoscendum es- Libr. 2.
se docuit, cum vtrunq; simul quęrere sit per- Meta. 2
absurdum. Nam, qui modum rei cognoscen- tex. 15.
dæ ignorat, is eam perperam cognoscet.

Quod autem his habitus quem peritiā vo-
cant, sit ab ipsa Logica diuersus, planum est:
quoniā quælibet scientia habet priua:ū defi-
niendi, & demonstrandi modū: cuius notitia
per Logicam, quę cōmunia tradit instrumen
ta, haberi nō potest. Neq; etiam per scientias
particulares, quæ per se non considerant, nisi
proprium obiectum, principia & eius passio-
nes, & potius isto modo procedendi vtuntur.
Erit igitur habitus, facultasve diuersa.

Ex quibus colligeres, notitiam instrumen-
ti particularis habendā esse ante scientias par
ticulares; sicuti notitia instrumentorū in cō-
muni, ante communes sciētias. Alias.n. mul-
ti committerentur errores, ut illis contingere
solet, qui aliquo iter faciūt, & uiā ignorant.
Et cum instrumenta quibus in scientijs uti-
mur priore loco cōparanda sint; profecto per
peritiam, siue pædiam prius particularia in-
strumenta cognoscenda erunt. Vnde, non so-
lum initio alicuius scientiæ, sed etiam in sin-
gulis eius partibus aliqua præmittitur pędia.

Nec inde bene inferres, Logicam non esse
simpliciter necessariam alijs sciētijs, quia nō
sufficit ille priuatus definiendi, & demonstrā
di modus, sed est opus communi doctrina
omnium instrumentorum sciendi, quæ tra-
ditur in Logica: cum hic, uel ille modus ple-
ne cognosci non queat, nisi communis, quod
Logica tradit, prius cognitus fuerit. Logici
itaq; est agere de propositionibus, demon-
strationibus, definitionibusque in communi,
& de illis quæ conueniunt demonstrationi &
alijs instrumentis uniuerse: non autem de
illis quæ accidunt demonstrationibus, & de
finitionibus, vt dependent ab hac, uel illa
priuata scientia.

De comparatione instrumentorū sciendi in communi. Cap. VII.

ACcedentes ad aliud nostræ tractationis
caput, agendum est de instrumento-
rum sciendi comparatione, tum vniuerse,
tum speciatim. Quæ autem dicenda occur-
runt, cum in re uersemur facili, quibusdam
dictis complectar.

Primũ dictum, omnia sciendi instrumenta initio recensita conueniunt in tribus. Primo, in hoc, quod in aliquo pacto dirigunt operationes intellectus, vt ex dictis constat. Secundo, in hoc quod omnia sunt necessaria omnibus scientijs: cum in omni scientia apprehendamus, siue definiamus, diuidiamus, cossiponamusque, ac probemus, & hęc omnia aliquo congruenti ordine pręstemus Vnde facile intelligi potest, quantum omnibus scientis. Logica sit necessaria, cum ipsa sola modum doceat, quo ista sine errore præstari possint. Tertio, quod mutuo se iuuant, hoc est, unum alteri inseruit, vt gratia exempli, argumentatio inseruit definitioni, & hæc argumentationi.

Secundum dictũ, alia quattuor instrumenta differunt æ definitione, & ab argumentatione in his. Primo, quod hęc duo sunt instrumẽta sciendi perfecta, vt supra docuimus illa vero non item, licet in suo genere eis sua conueniat perfectio. Secundo, ista per se, & proximè dirigunt operationes intellectus, definitio primam, demonstratio tertiã, ad quã per se refertur secunda: illa non item. Postremo, ista duo tractantur per se primo; illa vero secundario, & quasi per accidens.

Tertium dictũ, si illa quattuor minus perfecta instrumenta inter se conferantur, quoad nobilitatem, ita collocanda sunt. Diuisio est nobilior propositione, quia per se primã operationem dirigit, & definitioni inseruit: prima autem operatio, vt postea dicã, est cæteris nobilior. Argumentatio quoq; est propositione dignior, quia est ejus finis. At vero Methodus reliqua omnia excellit, prout per omnia vagatur: quamuis sub aliqua alia rõne possit esse alijs imperfectior. Sed nihil est necesse, vt subtili⁹ istas cõparationes faciamus.

Quartum dictum, si duo perfecta sciendi instrumenta, definitio, & demonstratio inter se comparentur, in his conueniunt. Primo, vtraque est instrumentum sciendi per se perfectum; cum per vtrũque proxime sciamus ea quæ de re aliqua sciri possunt. Secundo, vtrunque fit ex præcedenti cognitione, cum nec in rei naturam, nec in eiusdẽ caussas peruenire liceat, nisi aliqua præuia notitia ducamur: vt infra docebitur. Tertio, utrunque fit per communia: neque enim definimus, aut demonstramus res singulas. Quarto, vtrunque fit per priora, & notiora, vt alio explicatur loco. Quincto, in eo conueniunt, quod ita sunt affinia, vt aliquę definitiones sola positione a demonstratione differant, ita vt illis terminis qui in definitione ponuntur, si per modum syllogismi disponãtur, perfecta fiat demonstratio. Postremo, vt datur quædam demonstraaio secundum nos, quæ procedit ab effectis, & quædam secundum naturam, quæ procedit per caussas; ita etiam datur definitio secundum nos, & secũdum naturam.

Libr. 1. poster. t. 1.

Li. 1. poster. tex. 21.

Libr. 1. poster. t. 21.

Libr. 1. poster. t. 30.

Quinctum dictum, demonstratio, & definitio differunt inter se his modis. Primo, illa potest quandoque fieri per caussas extrinsecas, vt per efficientem, & finalem: at vera definitio solum per formalẽ. Secundo illa ostẽdit qualis, sit res, & propter quid, & ita est accidentiũ, hæc quid sit, & est substantiæ. Tertia, illa cõtinet discursum, & dicit verum, vel falsum, hæc est simplex apprehensio, & non significat rem, esse vel non esse. Quarto, demonstrationes possunt esse plures vnius rei, cum res plures habeãt passiones: at definitio vna tantum, cum vnius rei vnica sit essentia. Denique, illa habet formam syllogismi, hæc non item. Atque de re proposita, hæc satis.

Libr. 2. phys.

Libr. 2. poster.

Libr. 1. Periher. c. 4.

Libr. 1. poster. t. 5.

De vtilitate atque dignitate instrumentorum perfectum sciendi. Cap. VIII.

SI qui in scientias incumbere volunt, instrumentorum sciendi vtilitatem, necessitatemque, ac pręstantiam perspectam haberẽt, ij profecto omnem adhiberent contentionẽ, vt eorum perfectam sibi acquirerent notitiã. Qhare, nullo modo tempus operamque perdam, si de re proposita aliquid scripsero. Et quamuis multa in mediũ afferrem possem: tamen paucis ero contentus, fontes ipsos indicando, vnde amplissimos qui volet riuulos poterit deducere. Neque de omnibus instrumentis agemus; sed solum de duobus perfectis, hoc est de definitione, & demõstratione.

Prima igitur utilitas horum instrumentorum ex eo sumitur, quod maxime conducũt ad scientias inueniendas, distinguendas, tuẽdas, atque docendas, ut est omnino cuiq; manifestum. Quare si sciẽtiarum, & artium doctrina est utilis, & necessaria: horum duorũ quoque notitia vtilis, & necessaria erit. Quapropter, si hęc duo instrumenta scientis auferres,

ferres, non secus esset, ac si hominibus manus, pedesq; abscinderes, vel oculos erueres.

Secunda, quoniam dirigunt duas humani intellectus operationes longe præstantissimas: primã, qua aliquid more Angelico simpliciter apprehendimus, & intelligimus: altetam, qua discurrimus, qua maxime a brutis discernimur. Quod si in his operationibus recte exercendis maxima est utilitas, ea instrumenta erunt maxime utilia, quorum beneficio eas recte exercemus.

Tertia, quia per horum instrumentorum cognitionẽ explere possumus innatam illam sciendi cupiditatem; quam qui non sentiunt sensu carent, qui sentiunt, & explere non curant, cum natura pugnant, & sibi ipsis sunt inimici: tum ad rerum cognitionem, consequendam, etiam nullo emolumento proposito, ab ipsa natura impellamur, & animis nostris innata sit in explebilis quædam cupiditas ueri cognoscendi. Quare, non secus uim suæ naturæ infert, qui hunc sciendi impetũ impedit, atque ille qui lapidem ad centrum properantem detineret. Vt ergo uere dictum est, Omnes homines natura scire desiderare, ita uere etiam dicitur, Eos suæ naturæ vim afferre, qui hoc desiderium explere non curat: quod sine horum instrumentorum notitia explebit vnquam nemo.

M. Tullius.

Aristot. libr. 1. Met. ca. 1.

Quarta, quoniam sunt duo adminicula, quæ ad felicitatem naturalem, hoc est ad ueritatem consequendam, ac etiam ad honestatem cognoscendam conferunt. Quare, si vt à multis uere dicitur, humana est uita, felicitas in rerum humanarum, ac diuinarum notitia (hac enim maxime humana mẽs perficitur, & ad recte agendum iuuatur) profecto hæc duo scientiarum acquirendarum pfecta instrumenta, ad felicitatis consequutionẽ conferent. Et quoniam huius uitæ felicitas ad perfectam & æternam vitam consequendam iuuat, ad idem etiam huiusmodi instrumentorum notitia aliqua ratione conducet.

Aristot. libr. 10. Eth. & lib. 3. polit.

D. Th. ibid.

Clem. Alex.

Quincta, hæc duo instrumenta sunt ueluti duę alæ quibus humana mens eleuata facile ad omnium rerum cognitionem peruenit; dum per omnium rerum vniuersitatem vagãdo, res infimas & supremas, corporeas & incorporeas, caducas & æternas, creatas & increatas cognoscit: quorum beneficio, dum res singulas definit, aut caussas earum perquirit, quoquo uoluerit pergit, ibique quiescit, & veritate inuenta alitur.

Sexta, hæc duo instrumenta sunt veluti duo luminaria parui mundi, mentisque humanę, quibus ignorantiæ tenebræ fugnatur, mensque ueritatis splendore illustratur. sine quo splendore, vt quidam auctor scripsit, est veluti infernus quidam. Definitio enim, est quasi sol, quia à se lumen habet, & quod habet, cum demonstratione communicat demonstratio vero est quasi luna, quę minus lucis habet, & aliunde accipit. Definitio, ueluti sol quidam, sola est, & eodẽ modo semper collucet: at demonstratio quasi luna mutationem ac ueritatem admittit. Cum ergo omnes à natura mentem ignorantiæ tenebris obscuratam habeant, his vtuntur ad eam illustrandam luminibus: vt a se expellant, ignorantiam, cunctorum malorum matrem.

Iambli.

Concil. Tolet. d. 38. c. ignorãtia.

Septimo, quia sunt veluti normæ ac regulæ, quibus quidquid veri vel falsi in aliqua cognitione esse potest examinatur, & quasi ad amussim perpenditur. Quare, qui horum instrumentorum perfectam habet doctrinã, is demum ex se omnem ueritatem examinare, & omnem falsitatem remouere potest.

Octauo, quia sunt ueluti duę viæ rectæ atque perpetuæ, per quas mens humana in rerum cognitionem peruenit: definiendo in earum naturas, demonstrando in earundem proprietates & accidentia, ita vt nulla res sit ita abdita, atque remota, ad quam per has duas uias peruenire non liceat; cum omnis quæ de quacunque re fieri potest quæstio, per hæc duo explicetur instrumenta: ac proinde nihil nobis incognitum relinquunt.

Denique, ex eo horum duorum instrumẽtorum percipitur dignitas, quod sint rebus præstantioribus similia, Vbi pro explicatione nota, quattuor esse rerum genera: primũ per se necessarium, quod ab alio non dependet, vt Deus: secundum necessarium quidẽ, sed necessitatem aliunde habet, vt cœli & intelligentiæ: tertium eorum, quæ licet non habeant necessitatem, tamen ut plurimum existunt; ut, pluuiæ in hyeme, hominem nasci integra corpore, & similia: quantum eorum quæ uere non sunt, esse tamen uidentur; ut auricalcum, quod uidetur aurum, & stannũ, quod uidetur argentum. Simili ratione in Logica, quattuor assignares instrumentorũ genera. Vnum quod sua natura est perfectissimum & ex se necessarium, qualis est definitio,

tio. Secundum, quod est quidem necessariũ, sed suam necessitatẽ aliunde fere habet, ut demõstratio quę necessitatem capit à definitione. Tertium, quod vt plurimum veritatẽ gignit, sed non necessario, cuiusmodi est argumẽtatio probabilis, siue syllogismus topicus. Quartum, q̃ veritatem continere uidetur, q̃ mendaciter affectat; cuiusmodi est syllogismus sophisticus, qui non veritatem, sed errorem gignit. Erunt igitur definitio & demõstratio duo instrumenta perfecta, cum rebus sint similia perfectioribus. Atq; ex his, quæ hoc capite disputata sunt facile intelligi potest, quam sit necessaria ea doctrina quam in posteriore analysi tradit Aristoteles, & quanta cum diligentia hęc pars Logicę explicanda & audienda sit. Sed iam videamus, vtrum ex duobus instrumentis sit præstantius.

Libr. 1. Elenc.

Vtrum instrumentum sit præstantius, definito, an demonstratio.
Cap. IX.

Grauis atque illustris hęc apud Logicos habetur disputatio, de qua late à quibusdam scribi solet: nos paucis erimus contenti, nihil tamen omittemus, quod sit dignũ scitu. Et ut plane rem aliquanto obscuriorẽ tractem, hunc ordinem in hac disputatione seruabo. Primum ponam vnicum notandũ, vnde intelligetur ex quo instrumẽti dignitas petenda sit: Deinde sententias cum suis fundamentis afferam: Postea adnotabo quędam ad suadendam opinionem probabiliorem: Præterea, quibusdam positionibus docebo quid sit tenendum: Denique, argumenta nostræ sententiæ contraria confutabo.

Quod igitur ad primum attinet, notandũ est, quod sicuti scientię nobilitas pręcipue ex tribus sumitur, ex obiecti quod scitur dignitate, ex certitudine, & ex fine; cũ illa sit ignobilior quæ ad aliam refertur, ea uero dignior quæ propter se expetitur, & ad aliam non ordinatur; pari etiam ratione ex his tribus instrumentis sciẽdi peti potest nobilitas atque præstantia: quia instrumenta distinguuntur per obiecta, & sunt caussa sciendi, & unum potest referri, aut non referri ad aliud. Quare, illud instrumẽtum dicetur nobilius, quod circa obiectũ nobilius uersatur, & quod scientiam certiorem gignet, atque sui caussa non propter aliud est. Cuius nobilitas rursus spectanda est ex ratione efficiendi, cum instrumentum, vt tale est, aliquid efficiat: quare, illud quod maiorem habebit efficientiam, ac etiam perfectiorem producet effectum, prętantius erit: & speciatim de instrumẽtis Logicis loquendo, illud quod nobiliorem dirigit operationem. Atque ad hæc fere capita reuocare omnes rationes, quas pro se duæ oppositæ in hac re sententiæ afferunt.

Libr. 1. de ani. t. 1.

Libr. 1. Meta. c. 2.

De secundo, ex Græcis scriptoribus Ammonius, Simplicius, Philoponus, Eustratius, & omnes fere Latini, primum locũ tribuunt demonstrationi: quorum sententia his nititur rationibus.

Præfat. in p̃dic. In pœ. 1. prior. Libr. 2. poster.

Primo illud instrumentum est nobilius, quod uersatur circa obiectum nobilius: at huiusmodi est demonstratio, quia non solum uersatur circa substantiam, ut facit definitio, sed etiam circa accidentia: erit igitur pręstantior. Confirmatur, quia Aristoteles, agendo de definitione etiam, ut est instrumentũ sciẽdi, dixit differre à demonstratione sola positione, & definitionem ingredi demonstrationem: quare per eam cognoscetur id quod per definitionem cognoscitur.

Libr. 1. poster. t. 22. Et 2. poste. t. 10.

Secundo, illud instrumentum est præstantius, quod certam & firmam cognitionem parit: atqui demonstratio est huiusmodi, q̃a qui scit per demonstrationem est impermutabilis, & certissime, ac euidenter scit: igitur. Confirmatur, qui cognoscit per demonstrationem, acquiescit in sua cognitione, & nihil vltra quærit: non autem ille, qui sola definitione aliquid nouit: ergo signum est definitionem esse instrumentum imperfectum, & minorem vim habere.

Libr. 1. poste. c. 2.

Tertio, illud instrumentum est prętãtius q̃ facit scire rem per caussam, at sola isto modo facit scire, ut est manifestũ: igitur. Confirmatur, quia ex Aristotele, tunc quis putat se scire, cum aliquid se demõstrasse cognoscit.

Libr. 1. poster. t 10.

Quarto, demonstratio dirigit nobiliorem operationem intellectus: igitur est definitione præstantior: sumptum patet, quia per discursum homo maxime differt a brutis, in q̃bus nihil est rationis, vel ratiocinij, quidq̃d aliqui sine ratione dixerint: & discursus est veluti finis aliarum operationũ humanę mẽtis; atq; quidquid est in alijs reperitur in hac & quod per alias cognoscimus, per tertiam cognoscere possumus, ac etiam aliquid amplius.

Libr. 1. Rhet. c. 1.

Laur. Val. Plutar. in Gril.

plius. Et licet per primam operationẽ simus similes intelligentijs in modo agendi, quia cognoscimus sine ratiocinio: tamen per tertiam sumus eis similes ratione obiecti, quod cognoscitur: quia, vt illę cognoscunt vno intuitu rei naturam & proprietates: ita & nobis per tertiam operationem ista innotescũt, licet non vnico intuitu, ut intelligentijs.

Quincto, demonstratio est finis omnium quæ tractantur in Logica; erit igitur omniũ instrumentorum præstantissimum: antecedens patet, quia liber prædicamentorum ordinatur ad propositionem: hęc ad syllogismum, & syllogismus ad demonstrationem, ut Aristoteles expresse docet: ad quam etiam refertur syllogismus topicus, & Elenchus; ut imperfectum, & obliquum ad perfectum & rectum: igitur. Consequentia est manifesta, quia finis est nobilior eo, quod est ad finem.

Libr. 1. prior. c. 1.

Sexto, omne totum est nobilius sua parte, & continens suo contento, ut ex Arist. discimus: at demonstratio respectu definitionis se habet tanq̃ totum, & tanquam continens, quia vt idem docet, ipsum quid est, est principium demonstrationis, ac proinde in ea cõtinetur: igitur. Quod si dicas, cõtineri, ut medium, non ut est instrumentũ, hæc responsio non est uera, quia ponitur etiam tanquam instrumentum: adhibetur. n. ad dandam notitiam subiecti, ut ex illo postea colligamus passiones ei cõuenire; vt si dicas, omne animal rationale est risiuum, omnis homo est talis, risiuus igitur. Septimo, illud instrumentum est nobilius, quod plura facit cognoscere, & ad plura iuuat: huiusmodi est demonstratio, quia per eã cognoscimus plures rei proprietates, & omnia accidentia: igitur. Atq; hęc sunt ferę allatæ sententiæ fundamenta, quibus sane admodum probabilis redditur.

Libr. 4. de cœl. t. 35. 37 & 39.

Secunda sentẽtia Auerrois in epitomis Logicę, & alijs in locis, Balduini in q̃one de hac re, Mirandulani, & multorum recẽtiorum, a qua etiam non multũ discrepat Albertus, qui sustinent definitionẽ esse demonstratione nobiliorem: tum quia dirigit nobilioẽ operationẽ: tum quia demõstratio ab ea pendet: tũ quia ordinatur ad nobiliorem finem: tum denique, quia ut instrumentum, non ponitur in demonstratione. Quas rationes cum nonnullis alijs postea latius explicabo, ad retinẽdam hanc sententiam, tanquam ueriorem.

Tertia sententia aliorum, qui adhibita distinctione, media uia incedunt. Dicunt itaq; definitionem ex se consideratam esse nobiliorem demonstratione: at uero si consideretur respectu nr̃i, uel ut est in nobis, est ignobilior. Huius sententię fundamẽta sunt duo. Primum, quia definitio, ut est in nobis semper pendet ab aliqua demonstratione, qua illius partes, genus, & differentia inueniuntur. Cum ergo à nobis rei natura cognosci non possit absque demonstratione, demonstratio erit nobilior. Secundum, quia prima operatio in nobis est ignobilior tertia, cũ in ea nullus sit assensus, & in usu pendeat à tertia; ergo etiam definitio quę illam dirigit erit ignobilior. Atque hęc sunt scriptorum hac in parte placita. Quid autem tanquam probabilius tenendum sit, mox docebo. Quod igitur ad tertium attinet, pono hæc fundamenta.

Primum fundamentum, in quo demonstrabitur primam operationem esse nobiliorem tertia. Quãuis ergo ratiocinatio sit maxime humanæ naturæ propria, & per ipsam plura à nobis cognoscantur, id quod pro suo fundamento prima habet opinio: tamẽ omnino existimãdum est primam operationem quæ simplex est, esse discursu præstãtiorem, id quod insequentes rationes efficaciter demonstrant. Primum, quia hæc operatio uersatur circa obiectum nobilius, nimirum circa quiditatem, quę ut ex Aristotele discimus, est proprium obiectum intellectus: quam ut talis est per solam primam operationem cognoscimus: At uero per secundam & tertiã non cognoscitur rei natura, ut natura est, sed uel eam conuenire subiecto per secundam, uel esse caussam passionis per tertiam. Secundo, quia prima operatio nobiliore modo, nimirum simplici actu, & quasi intuitu, more angelico, uersatur circa suum obiectum; tertia uero per motum, qui est actus quidam imperfectus, qui conuenit homini, ut est in corpore. Tertio, quia quęuis præstantissima demonstratio a cognitione quiditatis pendet; quæ notitia per primam habetur operationem. Quarto, quia, licet prima operatio, ut tertia ait sententia, ad inuestigandam, & ad apprehendendam rei naturam pendeat a tertia, hoc est ab aliquo discursu, quo partes definitionis inueniuntur: tamen semper definitio, & naturæ rei notitia est finis talis discursus, qui nulla alia de caussa fit: at finis est præstantior eo quod est ad finem: igitur. Quincto,

Libr. 3. de Ani. t. 36.

cto, ex maxima topica; illud est nobilius, quod magis nobilissimo accedit, ac simile est: sed per primam operationem sumus similes diuinis mentibus, non autem per tertiam, cum illæ simplici operatione cognoscant: igitur. Sexto, quia per secundam & tertiam operationem possumus aliquid vere, uel falso cognoscere, dum vnum de alio affirmamus: at per primam solum vere cognoscimus: quiam cum sit simplex, aut nihil intelligimus, aut rem vt est apprehendimus. Septimo, quia per hanc operationem dicimur intelligere, quod est quasi intus legere & rem attingere: at uero per tertiam qua discurrimus, potius circa rem extrinsece versamur, eamque lustramus, non tamen ad ipsam accedimus: erit igitur prima operatio nobilior tertia, vt duab. vltimis rationib. disputat Themistius.

Ex Them.

Aristot. li. 1. Perihermen. c. 1.

Lib. 3. de Ani. t. 16.

Secundum fundamentum, quattuor modis potest sumi definitio: primo pro ipsamet quidditate reali, & pro re definita; quo pacto non consideratur hoc loco. Secundo, vt est instrumentum topicum, ex quo promuntur multa argumenta probabilia: sub qua etiam ratione non considerantur in præsentia. Tertio, vt est medium demonstrationis potissimæ, vt dicit ambas præmissas, quæ in tali syllogismo ponuntur, & tunc, cum se habeat tanquam pars, & pars, vt pars sit toto ignobilior, profecto erit ignobilior. Quod si definitio comparetur ad scientiam, quæ habetur per demonstrationem in conclusione, tunc sine dubio est nobilior, etiam vt medium est, cum sit illius caussa, quæ semper effectu præstantior. Quarto considerari potest, ut est instrumentum sciendi, ab alijs distinctum, prout ex se sola facit scire rei naturam, vt alias est, & sub hac consideratione est tota difficultas. Quare ista duo instrumenta de quibus dubitatur, comparanda sunt, non vt vnum includit aliud, sed ut distincta, & vt distincta res faciunt cognoscere.

7. Met. t. 4.

1. Top. c. 4.

1. Post. t. 22.

2. Post. c. 1.

Tertium fundamentum; de aliqua re duplex potest haberi scientia; altera perfecta simpliciter, cum de ea cognoscitur essentia, & proprietates; ad quam notitiam habendam opus est definitione, & demonstratione: altera perfecta quidem, at non simpliciter, hoc est non secundum omnem modum, quo res aliqua sciri potest, cum nimirum sola cognoscitur rei natura, aut solæ proprietates: & ad hanc obtinendam satis est, habere solam definitionem qua natura cognoscitur, & sola demonstratio, qua passiones innotescunt. Rursus animaduertendum est, aliud esse aliquam quidditatem, vel definitionem ingredi demonstrationem, aliud eam sciri per demonstrationem. Atque hæc adnotasse sufficiat. Nunc ad id quod quarto loco erat propositum accedendo, has subijcio positiones.

Prima positio, definitio secundum se considerata est demonstratione nobilior. Hoc affirmauerim pro secunda sententia retinenda, quæ sane probabilis est, ut ex sequentibus patebit argumentis. Primo, definitio facit scire rei substantiam, vt est certum, idque Aristoteles docet: demonstratio vero accidens, vt idem testatum reliquit: at multo nobilior est substantia, quam accidens: ergo, si uerum est, quod omnes fatentur, instrumenta sumere suam præstantiam à re quam faciunt cognoscere, definitio erit demonstratione præstantior. Confirmatur, quia per definitionem scimus quid res sit, & per demonstrationem qualis sit: at illud est hoc nobilius: igitur. Quod si dicas, per demonstrationem sciri vtrumque, id non esse verum sequenti ratione patebit.

L. Bal quæsit. 9. in ß. Log.

Libr. 2. poste. c. 1.

Libr. 5. Meta. t. 3.

Libr. 7. Meta. t. 2. & 4.

Libr. 7. Meta. t. 35.

Secundo, præmissæ demonstrationis non possunt sciri per ipsammet demonstrationem: at definitio ponitur in præmissis. Quare aliqua alia ratione cognoscenda erit; nimirum per primam operationem intellectus: vbi uero definitio cognita fuit, adhibetur in demonstratione, vt per eam aliquam passionem cognoscamus de subiecto. Confirmatur, vnius rei non potest esse nisi vnicum instrumentum sciendi proprium, & adæquatum, ut ex Aristot. plane colligitur, & patet, quia ista duo sunt inter se relata, vt omittam, quod alterum esset frustra, sed rei natura optime cognoscitur per definitionem, non igitur per demonstrationem. Accedit etiam quod quidditas est res simplicissima, quæ sola prima intellectus operatione attingi potest, cuius est proprium obiectum: non igitur per demonstrationem, quæ in tertia reperitur operatione.

Libr. 2. poster. c. 9.

Libr. 3. de An.

Tertio, finis, vt non vno in loco docet Aristoteles, est nobilior ijs quę sunt ad finem: atqui definitio est finis demonstrationis; quia per illam cognoscimus substantiam, & per hanc accidentia, quę à natura facta sunt propter substantiam, tanquam propter finem: ergo illud instrumentum quod facit scire substantiam erit finis illius, quod facit scire accidens.

Libr. 2. Physic. t. 31. & 5. Meta. t. 2. Lib. 12. Meta. t. 2.

Quarto, definitio facit scire rem per caussam formalem, ut formalis est; demonstratio

vero

vero per eandem, ut est caussa ipsarum passionum: in demonstratione enim cognoscitur forma, ut est origo proprietatum subiecti: at caussa formalis, ut talis est, est quid præstantius, quam ut ordinetur ad passiones, & accidens: igitur & definitio erit præstantior demonstratione.

Quinto, omnes demonstrationes potissimæ in sua certitudine pendent a definitione, ut est instrumētum sciendi: igitur definitio in ratione certitudinis, unde præcipua scientiæ, & instrumentorum sciendi sumitur præstantia, erit demonstratione dignior. Huius argumentationis consequutio est manifesta ex illo axiomate, Propter quod unumquodque tale, & illud magis: & ita, si demonstrationis certitudo pendet a certitudine definitionis, hæc erit maior. Sumptum probatur, quia omnis demonstratio potissima habet pro medio rei quidditatē, quæ non scitur nisi p definitionē, ut est instrumentum sciēdi: quare origo, & radix certitudinis demonstrationis, pēdet a certitudine definitionis. Quod si dantur aliquæ demonstrationes quæ non pendent a definitione, istæ fiunt per caussas extrinsecas, ut per finem; quæ nō probāt rei quiditatem formaliter, sed solum materialiter, ut cū probatur hominē debere esse rōne præditum, quia factus est ad beatitudinē. Vnde Aristoteles uat. js rōnibus probauit essentialem definitionem demonstrari nō posse.

1.Post. t.42.
Lib. 1. poster. c.2.

Lib. 2. poster.

Quod si dicas, cognita rei essentia per definitionem, talis notitia ordinatur ad demonstrationem: igitur demōstratio erit ueluti finis definitionis: Respōdeo, definitionem per se expeti, & esse gratia sui: & ideo, si ordinatur, id fit, secundario; non ut ab ea aliquam intrinsecam perfectionē accipiat, sed potius, ut ei uim roburque suum communicet, & ut illam perficiat: qua ratione dicimus substantiam esse propter accidētia, ut illa sustineat, & esse, esse propter operationē; cum tamen operatio referatur ad esse. Quo etiam modo dominus dicitur referri ad seruum, & rector ad rem rectam, & regulatam. In summa, est nobilior ratione obiecti, quia uersatur circa substantiam: ratione modi cognoscēdi; quia non pendet ab alia notitia, ut demonstratio: ratione subiecti, quia perficit primam operationem: ratione effectus, quia gignit intellectum, idest notitiam principiorum, quæ est nobilior notitia conclusionis, ut ex fine secūdi libri posterioris analysis constat. Atque hæ fere sūt rōnes quibus secūda nititur sententia.

Secunda positio, definitio etiam considerata, ut est in nobis est demonstratione præstantior. Primum, quia licet definitio, ut est in nobis aliqua ratione pēdeat a syllogismo diuisiuo, quo eius partes inueniuntur; tamen quia definitio est finis talis syllogismi, & ab eo non pendet, nisi instrumentaliter; ideo dicendum est definitionem, etiam ut in nobis est, esse nobiliorem demonstratione. Deinde quia etiam respectu nostri definitio uersatur circa nobilius obiectum, & modo quodā nobiliore: quare suam retinebit nobilitatem, etiam ut est in nobis. Præterea, quæuis præstantissima demonstratio, etiam respectu nostri, pēdet a definitione, ut est instrumentum sciendi: ergo erit quacunque demonstratione præstantior. Iam uero, semper humana ratio appetit, quod sibi melius est, ut Aristoteles docet: atqui magis desiderat scire quiditatem, quæ definitione innotescit, quam ipsum accidens, quod demōstratione cognoscitur: ergo etsi respectu nostri definitio erit præstātior.

Lib. de ortu & inter.

Quod si obijcias, nos uix ullam essentiam cognoscere, ac proinde respectu nostri definitionē esse ignobiliorem quam sit demonstratio per quam multas proprietates percipimus: Respondeo, eadem ratione probari, nos raras habere demonstrationes perfectas, cum perfecta demonstratio, definitionē supponat, & alia præterea multa requirat. Dicerem etiam, hoc esse per accidens, & in præsentia comparandam esse definitionem inuentam cum ipsa demōstratione, uel doctrinam definitiuam, cū doctrina demonstratiua, qua docemur conficere demonstrationem.

Quod si quis diceret, nos per definitionē nullam habere certitudinem præter illam quam habemus de partibus definitionis, siue naturæ rei, quæ habetur per syllogismum diuisiuum; ac proinde totam definitionis certitudinem aliunde pendere, & ex hac parte definitionem esse ignobiliorem, ut quæ est minus certa: Respōderem negando, definitionem non habere aliam certitudinem præter iam dictam, habet enim aliam. Nam postquam aliquis inuenit genus & differentiam per aliquem syllogismum diuisiuum, & per doctrinam definitiuam scit definitionem constare ex genere & differentia, perfectissime potest cognoscere quiditatem per

primam operationem ex vi proprij luminis intellectus. Ex quibus primo infertur, quod sicuti prima operatio intellectus non habet aliunde suam certitudinem, sed ex vi sua, similiter & definitio, quæ habet intrinsecam & independentem certitudinem. Deinde infertur, quod licet definitio pẽdeat ab aliquo syllogismo diuisiuo, vt possit apprehendi rei quiditas; non propterea prima intellectus operatio intrinsece pendet a tertia, sed solum instrumentaliter, & accidentaliter, vt est in hac vita, & in hoc corpore; quo impeditur a perfecta & simplici apprehensione. Ad hãc doctrinam declarandam potest sumi simile a cognitione intellectus, qui in cognoscendo & in sua certitudine pendet a certitudine sensus instrumentaliter & inchoatiue. Similiter demonstratio propter quid instrumentaliter pendet a demonstratione quia, quæ fit a posteriori: Et tamen nemo diceret sensum seu cognitionem sensitiuam esse præstantiorem intellectiua, & notitiam quæ habetur per demonstrationem. Quia, esse maiorem, & præstantiorem scientia quam parit demonstratio propter quid. Similiter lumẽ illud humanum quod habetur per discursum illius syllogismi quo inueniuntur partes definitionis, non est maius lumine intellectus, quo certo apprehendimus quiditatem alicuius rei, eius cognito genere, & differentia. Simile habes in eo qui disponitur ad fidem recipiendã per rationes humanas; qui vbi captiuauit, vt diuinæ literæ loquuntur, intellectum in obsequium fidei, certo scit ea esse vera quæ credit per maius lumen, videlicet per lumen fidei. Hoc pertinet exẽplum, de Samaritanis, qui cum prius credidissent per ea quæ mulier Samaritana eis retulerat, postea audito, & viso vero Messia, alio illustrati lumine, dicerẽ potuerũt, iam nõ ꝑpter tuã loquelã credimus.

1. Post. c. 42.

Ioan. 4.

Tertia positio, instrumentum sciendi analogice dicitur de demõstratione, & definitione. Hæc doctrina patet ex dictis: Quia hæc duo instrumenta non sunt vnius generis, & vnum est nobilius altero, & alterũ in sua certitudine, & perfectione pendet ab altero: igitur conueniunt in aliqua ratione analoga, cũ non sint æquiuoca, nec omnino diuersa. Sunt autem analoga analogia proportionalitatis. Vt enim se habet definitio, vt est sciendi instrumentum, ad ipsam quiditatem, quam facit cognoscere; ita demõstratio ad accidens, cuius sciẽtiam gignit. Verum, cum definitio sit primum analogatum, ideo dictum est, eã esse nobiliorem, & instrumenti rationem de ipsa primatio, & de demonstratione secũdario dici. Reperitur etiam in his instrumẽtis analogia attributionis, quia saltem demonstrationes potissimæ in ratione instrumenti habent aliquam dependentiam intrinsecam a definitione, vt est instrumentum sciendi.

Quarta positio, definitio est finis demonstrationis. Primum, quia omne imperfectum reuocatur ad perfectum tanquam ad finem: at demonstratio, vt est demonstratiũ, est definitione imperfectior: igitur. Secundo, definitio facit scire substantiã, & demonstratio accidens: sed hoc ordinatur ad illam, vt ad finem: igitur & instrumentum quo scitur accidens ad illud quo scitur substantia. Atque hactenus de positionibus: quibus id docuimus, quod probabilius esse existimauimus. Neque enim cõtraria sententia sua caret probabilitate, cum habeat pro se bona argumenta, quæ tamen solui posse in postrema huius disputationis parte docebo. Quod ergo ad postremum quod proposueram attinet, contraria argumenta hunc in modum solueres.

Ad primum, negatur demonstrationem versari circa nobilius obiectum: & cur id negetur patet ex dictis. Ad confirmationem, Aristoteles solum dicit, definitionem quę est sciendi instrumẽtum ingredi demonstrationem, non vt instrumentũ est, sed ut est caussa passionis: sub qua ratione non est ita nobilis, sicuti vt facit cognoscere rei naturam: nec proinde suam dignitatem amittit, cum ideo ingrediatur, vt ei suam perfectionẽ communicet, eamque regat.

Ad secundum, iam docuimus definitionẽ comparatam cum demõstratione potissima esse certiorẽ, cum ei certitudinẽ tribuat. Si vero conferatur cũ illa qua eius partes inueniũtur, ab ea nõ habet nisi certitudinem extrinsecam, intrinsecã vero habet ab intimo naturæ lumine. Et cum definitio in multis excellat istam demonstrationem, dicendum est, absolute, esse omni demonstratione præstantiorẽ. Et ille qui per naturæ lumen quo principia cognoscuntur scit, quorum notitia, vel est scientia, vel quid nobilius scientia, certissime, & immobiliter scit. Ad confirmationẽ, qui ob potissimã demonstrationem acquiescit, non acquiesceret, nisi prius definitionis Libr. 1. poster. c. 3.

noti-

notitiam acquisiuisset: Adde etiã, quod aliquis posset acquiescere in cognitione essentiæ, non cognitis accidentibus, sed in horum notitia minime, ni essentiam cognouerit. Dicitur etiam acquiescere, quia habet perfectã rei notitiam per vtrunque instrumentum.

Ad tertium, definitio facit scire per caussam formalẽ, vt supra docuimus. Et est caussa cur sciamus per demõstrationem: per quã tunc dicimur scire, scientia cõplexa, quæ habetur de eo quod demonstratur: at per definitionem scimus simplici notitia, quæ est nobilior: quam cognitio per discursum habita: vnde patet etiam ad confirmationem.

Ad quartum, iam supra multis rationibus demonstratũ est primam operationem esse nobiliorem tertia. Ad probationem assumpti; homo differt a brutis etiam per primam operationem, & magis quam per tertiam: cũ ille sit hac nobilior. Et quod tertia non sit finis primæ, sed potius prima tertiæ, ex dictis plane constat. Ex quibus etiam patet, nos nõ cognoscere per tertiam quidquid cognoscimus per primam.

Ad quintũ, hoc argumẽtũ remanet solutũ ex allata doctrina: negãdũ itaq; est, omnia q̃ tractantur in Logica referri ad demõstrationem; cũ potius ipsa referatur ad definitionẽ.

Ad sextum, concedimus esse partẽ, vt ponitur in demonstratione, & sub hac ratione esse ignobiliorẽ, sed non est dubitatio de definitione hoc pacto cõsiderata. Quod autem non ponatur, vt instrumentum, vt in eodem argumento dicitur, patet, Quia definitio posita in ipsa demonstratione intrinsece refertur ad conclusionem tanquam ad finem, & terminum, sicuti & ipsæmet præmissæ ordinantur ad eandem conclusionem tanquam ad finem: & quia definitio non debet referri ad cõclusionem, nisi prout est caussa passionum, ideo non ponitur in demonstratione, vt explicat quiditatem formaliter, sed solũ, vt est caussa passionum. Rursus, quocunque modo quiditas ponatur in demonstratione, nõ potest sciri per ipsam, sed per aliud instrumentum, nimirum per definitionem.

Lib. 1. poster. c. 2. Sed hic obijceres, principij nõ datur principium, quia alias iretur in infinitum: sed definitio est principiũ, vt ex Aristotele cõstat: quare ipsa non potest haberi per aliud principium. Huic obiectioni respondeo dicendo, definitionem non esse principium, nisi ut est medium demonstrationis; & sub hac ratione non procedit per aliud principium, cum sit caussa quædam immediata. At vero si cõsideretur, vt est rei quiditas, non habet rationem principij, sed cõpositi; quia cõstituitur ex genere, & differẽtia, tanquã ex principijs formalibus; atq; ita, ut est instrumẽtũ potest procedere ex ꝓprijs principijs formalibus.

Ad ultimam, omnis cognitio quæ aduenit per demonstrationem est accidentiũ; quorũ notitia, ut patet, est imperfectior, quã notitia unius substantię, sicuti notitia creaturarũ omniũ est imperfectior cognitione, quæ habetur de uno creatore. Arist. Rursus per definitionẽ Libr. 7. cognoscuntur etiã accidentia, quoad eorum Meta. quiditatem: & multo melius est scire quid t. 3. sit accidẽs, quã quod sit, uel propter quid sit.

Sed hic restat scrupulus contra id quod dixi in declaratione responsionis allatæ ad dubitationem factam contra secundam conclusionem, ubi docui definitionem pendere solum instrumentaliter a syllogismo illo diuisiuo, quo inuestigatur definitio: Quia instrumentum, cum est acquisita, uel facta res illa, ad quam faciendam illo opus fuit, nõ est amplius necessarium, ut inductione patet: non enim est amplius opus calamo, cum exaratę sunt literæ: at ille syllogismus quo inuenta fuit definitio semper est necessarius, saltem uirtualiter, ut dicamur certo cognoscere quiditatem: igitur definitio nõ pendet solũ instrumentaliter a dicto syllogismo, sed etiam essentialiter, sicuti conclusio a præmissis. Hic scrupulus hunc in modum e medio tollitur: illa maior propositio uera est de instrumẽtis materialibus, non autem de rationalibus, & intellectiuis. Et ratio disparitatis hæc est, quia ut quis dicatur aliquid perfecte cognoscere, requiritur, ut sciat se scire, quod fieri non potest, ni remaneat, saltem uirtualiter, notitia instrumentorum sciendi. Exemplũ sumi potest ab eo, qui per aliquam demõstrationem particularem certissime rem cognoscit, qui nisi saltem in uirtute haberet doctrinam demonstrationis in communi, quæ est instrumentum sciendi, nõ diceretur perfecte scire.

Et quoniam diximus, opinionem contrariam esse probabilem, placet ad extremũ indicare quænam argumenta eam probabiliorem reddant. Primo illud quod sumitur ex parte obiecti, quia definitio facit cognoscere nudam essentiam; at demonstratio essentiã, ut est

vt est per se caussa passionum, quod est illi intrinsecum, vnde oritur quidam modus dicendi per se. Neque enim est accidentale caussis naturalibus esse principium passionum: principium autem nunquam bene cognoscitur sine eo cuius est principium. Vnde, cum præmissæ sint de essentia demõstrationis, in quibus continetur definitio, quatenus per se facit scire caussam passionum, verunq; per demonstrationem cognoscetur: & licet demonstratio habeat vim à definitione, tanquam à quadam sui parte, non propterea sequitur esse ignobiliorem, sicuti homo non est ignobilior anima, quamuis ab ea vim habeat. Secũdo, ex nobilitate potentiæ, quia tertia operatio est præstantior prima: quoniam tertia est veluti terminus aliarum, easq; necessario includit: aliquid affirmat, & vi sua efficit: prima est sine veritate, sine assensu, & efficiẽtia; ac proinde mere passiua. Postremo, sumitur bona ratio ab efficientia a qua instrumentũ suam dignitatem capit. Demonstratio habet vim maximam erga intellectum, quem necessario conuincit, cum certo & euidẽter aliquid cõcludat, atque ad assentiendũ trahat. Definitio vero ab assensu, & euidẽtia abstrahit: vim habet a demõstratione: nec cũ sola cõclusione demonstrationis, sed cũ tota demonstratione comparanda est, quod qui cõtra sentiunt nõ faciunt. sed de his hucusque.

An Aristotelis in altero secundæ analysis libro egerit de definitione, vt est instrumentum sciendi. Cap. X.

IDeo hanc difficultatem hoc loco examinare volumus, vt ostendamus verum, esse id quod supra docuimus, Aristotelem ex professo egisse de definitione, vt est instrumentum: vnde etiam melius intelligi poterit alia difficultas, qua quæritur de obiecto librorum secundæ analyses.

Philo. 1. post. Eust. 2. li. poste. Simpl. initio prædic. Alber.

De re proposita fuit prima nonnullorum Græcorum & Latinorum sententia, qui existimarũt Aristotelem per se in secũdo libro non egisse de definitione, nisi vt est medium demõstrationis. Quod si ab illis petatur, vbinam de definitione, vt est instrumentũ sciendi egerit, Alij responderent, nullibi in Logica, sed in Metaphysica, quorum opinionẽ supra confutauimus: Alij, vt Albertus, dicerent egisse, sed alio libello, qui nunc non extat: Alij denique respõderent, nõ egisse, ob hanc caussam, quia admodum pauca dicenda erant de ea, vt est instrumentum, & illa Aristotelem obiter attigisse, dum egit de definitione, vt est medium demonstrationis. Secunda opinio Suessani, qui existimauit Aristotelẽ tractasse de definitione, vt est instrumentum in libro sexto Topico. Tertia opinio multorum, & speciatim Auerrois in prologo magno, Alexandri, Themistij, Lynconiensis initio secundi posteriorum, Myrandulani, & aliorum, qui censent Aristotelem in secundo libro egisse per se de definitione, vt est instrumẽtũ sciẽdi. Quid autẽ hac in re sentiẽdũ sit sequẽtibus positionibus docebo.

D. Th. Aegid. Sot. Eust. Alber. Libr. 1. instit. anal. Lect. 2.

Prima positio Aristot. non egit de definitione, vt est Instrumentum sciendi in Topicis. Primo, quia definitio vt est instrumẽtum sciendi facit scire quidditatem rei, inuestigat partes illius, agit de modo quo inueniri possunt; &c. at in Topicis solum consideratur definitio in ordinem ad argumenta probabilia, & non alio modo, vt docet Alexander: ergo. Secundo, definitiones topicæ vocantur vanæ ab Aristotele: at definitio, vt est instrumẽtum sciendi, est quid solidum atque perfectum: igitur.

Libr. 6. topic. Libr. 1. de ani. t. 11.

Secunda positio, Aristoteles in secundo secundæ Analysis libro egit de definitione per se, vt est instrumentum sciendi. Primo, probatur ex textu quinto libri primi; vbi cum definiuisset demonstrationem quæ est primum sciendi instrumentum, pollicetur se postea acturũ de alio modo sciendi, per quem modum illustres expositores intelligunt definitionem, de qua nullibi agit in analyticis, nisi in libro secundo: igitur. Secundo in Metaphysicis, vt supra diximus, ait se velle agere de definitione alio modo, quã in analyticis egit: at ibi non agit de ea, vt est instrumentum, ergo hoc in loco egit. Quod si dicas, ex allata auctoritate solum probari egisse de ea, ut est medium; hoc nihil est, quia quærerem, ubinã egerit, ut est instrumẽtum sciendi: nõ in topicis, ut est probatum, ut omittam quod illi libri non sunt analy. etiã nõ in alio libello, qa illũ citasset, prætereaquã quod illud gratis est, & potius debuisset istũ libellũ citare quo cũ maiorem habet affinitatẽ tractatio de definitione, q̃ cum libro in quo de ea agitur, ut est medium.

Libr. 7. t. 42.

mediū. Confirmatur, quia de definitione, vt est medium egit in primo libro, ergo in secũdo sub alia ratione: antecedens, patet: quia egit de principijs demõstrationis; & de premissis necessarijs, immediatis, & causis; at definitio, vt est mediū est talis, igitur. Etenim dum ista docet, medij termini naturam exponit, sicuti cũ docuit debere esse vniuersalem. Tertio, idẽ satis euidenter demõstratur ex ijs, quę Arist. secundo libro de definitione tradit, & sunt fere ista. Primo docet quot sint quæstionum genera, an, & quid, & quale, & propter quid res sit; vt cognoscatur, quæ quæstio per definitionem soluatur. Secundo, docet definitionẽ explicare quid, & demonstrationem propter quid: Quod sane non facit nisi, ut est instrumentum: & eã esse distinctam docet: at vt est medium est idem. Tertio, explicat illam quæstionem, an definitio demõstrari possit: quæ vana esset, si intelligeretur de definitione, vt est medium: & probat non posse demõstrari. Quarto, ostendit quæ sint definitionis partes, & qui modus indagandi eas: quę sane intelligẽda sunt de definitione, vt est instrumentũ. Confirmatur, quia definitio, vt est instrumentum inuenitur ante demonstrationẽ per diuisionem; at uero, ut est medium inuenitur per resolutionem. Confirmatur rursus, quia hoc libro agit de definitione, ut explicat quod quid est: quod cõuenit ei, vt est instrumentũ, non vt est mediũ. Denique, quorsum tam multa de definitione docuisset si de ea non agit per se, ut est instrumentum à demõstratione distinctũ? præsertim dum probat eã esse à demonstratione diuersam: ut expresse ex fine capitis secundi cognoscitur, cũ ait, vnã non esse partem alterius: at ut est mediũ, vnum cõtinetur in alio: igitur. Quarta ratio, quia non esset uerum id, quod uiri illustres docent, Logicam Aristotelis esse perfectam, si nullibi egisset de definitione, ut est instrumentum per se distinctum, cum definitio sit omnium instrumentorũ sciendi instrumentum perfectissimum. Non est tamen dicendum in secundo libro non doceri aliqua quę pertinet ad definitionem, ut est medium demonstrationis: ut sunt ea quæ de caussis, Aristoteles scripsit, ut doceret demonstrationem fieri posse per omnes caussas. Et ut hunc locum concludam, nõ potest bene intelligi definitio, ut est medium, nisi etiam cognoscatur, ut est instrumentum. Quæ contra ea quę diximus, obijci possunt, sequenti disputatione e medio tollentur.

Lib. 1. poster. c. 18. & 25.

Cap. 1.

Cap. 2.

Cap. 4.

Cap. 5.

Cap. 1. & 2.

Cur Aristoteles in secundo libro posterioris analysis egerit de definitione. Cap. XI.

QVod explicandum posuimus non esse omnino uanum, aut apertum, sequentes indicabunt rationes: quibus demonstrabitur Aristotelem non eo loco egisse de definitione, vbi agere debuisset.

Primo, definitio, ut est instrumentũ sciendi, dirigit primam intellectus operationem: ergo de ea disputandum fuit ante libros analyticos in initio Logices.

Secundo, definitio in genere instrumentorum sciendi, ut supra docuimus, est primum analogatum, de quo prius agi debet, quam de secundo analogatis: igitur male de ea egit post demonstrationem.

Tertio, notitia definitionis, vt est instrumentũ sciendi, confert ad eandẽ intelligendam, ut est mediũ demõstrationis: ergo prius de ea agendũ fuit, quam de demonstratione. Huic dubitationi satisfacio his positionibus.

Prima positio, iure optimo Aristoteles egit de demonstratione, & definitione coniunctim, idest de vna simul cum alia. Primum, quia ea quæ sunt analoga cõuenienter simul explicantur, quãdo vnum dependent ab alio at definitio, & demonstratio, ut supra docui, sunt huiusmodi: igitur. Secundo, instrumenta sciendi, præsertim quæ mutuo se iuuant, conuenienter simul explicantur: at demonstratio, & definitio sunt huiusmodi: igitur.

Secunda positio, conuenienter prius Aristoteles egit de demonstratione, quam de definitione. Primo, quia demonstratio est quid notius, quam definitio, ut est sciendi instrumentũ: atqui innata est uia, ut à notioribus procedamus: igitur de ea prius agẽdum fuit. Secundo, quia omnes proprietates instrumẽti sciendi, magis apparent in demonstratione, quam in definitione: ac proinde conuenienter priore loco de demonstratione scriptum fuit. Tertio, quia dubium erat, an definitio esset instrumentum a demonstratione distinctũ, ut colligitur ex capite secundo prim: posterioris analysis, ubi quasi dubitando Aristoteles dixit, si est alius sciendi modus, poste-

Lib. 1. Phys. t. 2.

Cap. 2.

posterius diceturi, & esse instrumetum distinctum posteriore libro plane demōstrat. Quare agendum fuit prius de demōstratione, ut melius intelligeretur quo pacto definitio ab ea distinguatur. Quarto, qm tractatio de syllogismo secundū formam, de quo ingratiam demonstrationis se acturū esse dixerat, interrumpenda nō fuit, quod factum fuisset, si de definitione prius agere voluisset. Quincto, definitio, est finis oīum quæ in Logica tractantur, vt supra docuimus: ergo conuenienter de ea, tanquā de fine, vltimo loco agitur. Denique Arist. scopus in secundo libro erat explicare omnes definitionis species: quarum vna est, quę non potest demonstratione probari: ergo vt recte intelligeretur qualis ista esset, tractatio de demōstratione pręmittenda fuit. Neque his quæ docuimus allata argumenta obstant, vt ex eorum solutione patebit.

Libr. 1. or. cpri. 1.

Ad primum, ideo non fuit agendum priore loco de definitione, quia eius tractatio est obscurior, & quia commodius explicata fuit in ea parte in qua agitur de instrumentis.

Ad secundum, concedimus primum analogatum prius explicandum esse, si nihil obstet: vt accedit in præsentia, iuxta ea quæ diximus. Idem factum est in metaphysicis, vbi posterius agitur de Deo, qui tamen est primum ens, & prima substantia, & primum analogatum obiecti metaphysicæ.

Ad tertium, patet ex dictis: sed hic restant duo scrupuli contra Methodum qua Aristoteles egit de definitione.

Primus, quare Arist. non egit prius de forma definitionis in cōmuni, sicuti egit de forma syllogismi vniuerse? Respōdeo, quia definitio non habet proprie vllam formā; licet dispositio partium eius, hoc est generis, & differentię posset dici aliquo pacto forma, secundum quam genus præponitur differentię: de qua pauca erant dicenda; quæ coniūcta sunt, cum tractatione partium materialium illius.

Secundus, cur saltem nō egit de aliquibus communibus, & necessarijs ad quamcunque definitionem, vt de genere, & differentia in communi, sine quorum notitia definitio intelligi nequit: Nec etiam de proprio, quo deficiente vera differentia, in definiendo vtimur: ac etiam de accidente, vt à vera definitione reijceretur: Ob quas rationes Alpharabius, referente Auerroe, existimauit ante disputationem de proprijs principijs definitionis præmittendam esse tractationem quinque prædicabilium, ut ipse fecit. Ceterum, id non fuit necessarium, quia ista tractatio est introductio utilis ad totam Logicam, ut Porphyrius in suo proœmio docuit. Adde etiam, qđ ad recte intelligēdam naturam definitionis, satis est, vt ipsi termini à Perito explicentur. Atque de instrumentis sciendi hæc vniuerse dixisse uolui. Et quoniam, tū quæ dicta sunt de instrumentis sciendi, & præsertim de definitione, & demonstratione, tū quæ in sequenti tractatione disputanda sunt, non possunt plene intelligi, nisi priuatim explicetur quæ sit intentio Aristotelis in libris secundæ analysis: ideo superioribus capitibus, alia quinque, quasi appendices adijcimus, quibus prolegomena in posteriorem analysim breuiter perstringemus.

In prol. post.

Quod nam sit librorum secundæ analysis obiectum. Cap. XII.

EX illis quæstionibus, quę ante hos libros ad eorum faciliorem intelligentiam pręmitti solent, nos aliquas explicuimus in prefationibus in priorem analysim, aliquas in tractatione de instrumentis sciendi, vt, de inscriptione horum librorū, de eorundem connexione, & distributione, atque etiam non nihil quod attinet ad præsentem disputationem. Quare pauca nobis dicenda restant.

Quod autē attinet ad præsentem difficultatem, de qua quid sentiendum sit non obscure constat ex duobus vltimis capitibus de instrumentis sciendi: qui defendunt Aristotelem libro secundo secundæ analysis non agere de definitione vt est instrumentum, dicerent horum librorum adæquatum obiectum esse demonstrationem: Quia omnia quę per se in his libris tractantur, aut sunt principia, aut partes, & species, proprietatesque demōstrationis: & si quid dicitur de definitione vt est instrumentum, id fit, vt melius intelligatur prout est medium demonstrationis: quare demonstratio erit adæquatum obiectum. At vero qui uolunt agere per se de definitione vt est instrumentum, affirmant horum librorum adæquatum obiectum esse quid analogum, nimirum instrumentum sciendi cōmune definitioni & demonstrationi. Qui autem in vtraque sint sententia, in tractatione de

de de instrumentis sciendi supra diximus.

Cap. 9. Prima opinio, praeter alia sui fundamenta, habet pro se duo loca Arist. ex quibus de sola demonstratione eum tractasse colligitur. Primus locus habetur capite primo prioris resolutionis, vbi proponens suã intentionem ait, De demõstratione, & sciẽtia demonstratiua. Secundus in capite penultimo secũdi libri alterius resolutionis, ubi sciens epilogũ, ait se egisse de syllogismo & demõstratione nulla facta mentione de definitione, signum igitur est, nõ egisse de ea ex propria intentione. Rursus eandem sententiam ex eo confirmares, quod hi libri inscribuntur resolutorij à resolutione demonstrationis: ergo signũ est, hanc solam per se considerari. Deniq; in fine omniũ analyticorum absoluta tractatione de demonstratione, agit de cognitione principiorum: quae doctrina refertur ad disputationẽ de demonstratione, de cuius principijs egerat. His tamen non obstantibus secundam sententiam existimamus probabiliorem.

Si igitur vnica positio, obiectum adaequatum librorum posterioris resolutionis est instrumentum sciendi, ut est analogum ad demonstrationem & definitionem: quę doctrina his confirmatur rationibus. Primo, illud est obiectum adaequatum in aliqua tractatione, quod omnia complectitur quae per se explicantur: at demonstratio, ut supra docuimus, non comprehendit definitionem prout est instrumentum, quę tamen in secundo libro per se consideratur, ut capite decimo demonstratum est: igitur. Secundo in his duobus libris agitur de duobus instrumentis perfectis sciendi per se, quae sunt distincta, & nõ faciunt duo opera diuersa, ac proinde explicari debuerunt, ut conueniunt in vna ratione analoga: ergo obiectum adaequatum horum librorum erit instrumentum sciendi analogum comprehendens demonstrationem & definitionem. Tertio, instrumentum sciẽdi, vt est quid analogum duobus instrumentis, est scibile & debet tractari in aliqua parte Logicae: sed nõ tractatur nisi in his libris: igitur. Confirmatur, quia dantur aliquae proprietates communes definitioni & demonstrationi in ratione instrumenti, vt quod ambo debeant esse uniuersalium, quod sint perpetuae, & al.: ergo debuerunt explicari in aliqua parte Logicae: non in alia, in hac igitur. Denique, non obstant argumenta contra-

1. Post. c. 21.

ria, vt ex eorum solutione patebit, quare haec sententia retinenda erit.

Ad primum, ideo Aristoteles eo in loco solum meminit demonstrationis, quia est finis doctrinae de syllogismo in communi, quam tunc aggressurus erat. Deinde, ut indicaret connexionem librorum priorum, & posteriorum, qui solum ratione demonstrationis connectuntur. Postremo, quia dubiũ erat an definitio esset instrumentum à demõstratione distinctum, quod in altero secundae analysis libro explicatur. Libr. 2. prior. c. 1.

Ad secundum locũ, ideo meminit de sola demonstratione, vt connecteret libros topicos, cum analyticis, in quibus explicata fuit forma syllogismi in communi, & de materia necessaria, vnde sequebatur applicatio ad aliam materiã, nimirũ ad probabilem, de qua agitur in topicis. Et quia tractatio de demõstratione habet affinitatem cũ syllogismo probabili, ideo ut haec insinuaretur connexio, de sola demonstratione meminit, non de definitione, quae vt est instrumẽtum sciẽdi, non est syllogismi species. Adde, quod de eo factus est epilogus, quod oppositũ fuerat: neque.n. necesse est, ut in epilogo praesertim breui omnia numerẽtur, quae fuere etiã per se tractata. Sunt etiam qui dicant, ideo non meminisse de definitione, quia de ea egit sumpta occasione à tractatione de demonstratione. Libr. 2. poste. c. penult.

Ad aliam confirmationem uarie responderi potest. Primo ideo inscribuntur à resolutione demonstrationis, quia demonstratio est notior definitione. Secundo, quia longe plura dicuntur de demonstratione, cuius gratia tractatum fuit de syllogismi resolutione, vnde etiam apparet librorum connexio. Tertio, non est necesse ut inscriptio sumatur ab omnibus rebus, quę in libro tractantur, vt patet de inscriptione librorum meteororum, in quibus non solum agitur de rebus quae in suprema aeris parte fiunt à quibus titulus sumitur, sed etiam de ijs quae in terra, & sub terra generantur. Adde etiam, quod talis inscriptio aliquo pacto desumi potest à definitione, ut patet ex ijs quae de modo inueniendae definitionis in tractatione de instrumẽtis diximus. Quod attinet ad id quod ultimo loco allatũ est, illa doctrina est etiam utilis, & accommodata doctrinae de definitione. Ideo autem Aristoteles adiecit breuem illam tractationem de principiorum cognitione, quia

erat vtilis ad pleniorem doctrinam de principijs demonstrationis; & necessaria omnibus disciplinis, ad quas Logica nos introducit. Quod autem dicebatur, omnia quæ in his libris dicuntur pertinere ad demonstrationem, & ad illam reduci, falsum est, cum definitio, ut est instrumentum sit omnino à demonstratione distincta, ut alio loco supra est demonstratum.

An de demonstratione dari possit scientia per demonstrationem. Cap. XIII.

CVm Aristoteles in secunda analysi agat de instrumentis sciendi, hoc est de demonstratione & definitione; dubitari potest, an de illis uera detur scientia. Hoc autem loco speciatim quæritur de demonstratione, quia de ea agitur in primo libro, & de ea priacturi sumus; postea in tractatione de definitione de ea quoque quæretur, an sub scientiam cadat. Quod autem de demonstratione non possit haberi scientia per demonstrationem, sic probatur.

Primo, quia daretur progressus in infinitum: nam si de demonstratione datur demonstratio, peto, an de illa possit haberi demonstratio: si haberi potest, idem quæram de illa per q̄ habetur, & sic in infinitum: si nō potest haberi, idem dicendum erit de prima.

Secundo, vnum & idem in eadem scientia non potest esse instrumētum & subiectū: sed demonstratio est subiectum partiale librorū secundæ analysis: igitur eius cognitio non potest tradi per aliam demonstrationem.

Tertio, demonstratio est instrumentum proprium scientiarum realium: ergo non potest esse instrumentum in Logica: quare logicus solum probabit proprietates & accidentia sui subiecti per syllogismum probabilem, qui est instrumentum dialecticæ. Arist. li. 1. top.

Quarto, omnis demonstratio, vt ex primo secundæ analysis discimus, debet procedere ex proprijs: atqui rationes quæ fiunt ab Aristotele in his libris non constant ex proprijs: quia in his libris non constant ex proprietates demonstrationis in communi: ergo debent procedere per ea quæ sint omnibus demonstrationibus communia. Tex. 19. Aegid. Paul. Ven.

Atque his rationibus nonnulli commoti, existimant de demonstratione non posse haberi scientiam per aliam demonstrationem, sicuti de syllogismo haberi potest per alium syllogismum. At uero sententia contraria est omnino tenenda, quod scilicet sciētia de natura, & proprietatibus demonstrationis per bonas, & ueras demonstrationes haberi possit. Quoniam ad hoc ut syllogismus dicatur perfecta demonstratio, satis est vt procedat per principia propria conclusioni probandę; cuiusmodi sunt syllogismi qui fiunt de demonstratione. Alex. Caiet.

Pro explicatione nota, aliquam demonstrationem esse perfectam duobus modis intelligi potest: vno modo ex parte obiecti; cū est de obiecto & ente perfecto, cuiusmodi nō est ens rationis, quod consideratur in Logica: altero modo ex parte conditionum ipsius demonstrationis, quas debet habere ille syllogismus, qui necessario & ex proprijs concludit aliquam proprietatem de subiecto. Et hoc pacto rursus demonstratio dicitur perfecta si ex perfectis & veris caussis realibus procedat, ut sunt demonstrationes physicæ: uel imperfecta cum caussæ non sunt reales, gerunt tamen vicē caussæ respectu conclusionis probandæ. Rursus notandum est, hominem vi luminis naturalis, sine vllo habitu scientiæ, vt Aristoteles aliquando docuit, ratiocinari, & aliquid probare, ac refellere, atque probatis acquiescere; quamuis argumentationis, demonstrationisve naturam ignoret: quarum perfecta notitia non accedit nisi per Logicam. Ad hanc autem artificiosam cognitionem non est peruentum nisi per exercitationem; qua obseruatæ & aliquo pacto cognitę fuerunt rationes illæ, quę prius sola naturæ ui fiebant, remotis imperfectionibus. Quando autem quis hanc notitiam est consequutus, is in tradenda perfecta demonstrationis cognitione, demonstratione ui naturæ & exercitationi; beneficio cognita, uti potest, quod sane Arist. in his libris fecit. His notatis, duas subiicio positiones. Alber. Phil. lib. 1. Prior. cap. 2.

Prima positio, de demonstratione nō potest dari perfecta demōstratio ex parte obiecti, vel ex parte caussarum, si caussæ nomen proprie, & realiter sumatur. Doctrina est certissima; quia demonstratio, ut à Logico consideratur est ens rationis, quod non habet ꝓprias, & reales caussas. Verū perfectio demōstrationis, & scientię, ut de perfectione nunc

loqui-

loquimur, non tam ex obiecto, quam ex natura ipsius syllogismi, quo aliquid necessario per priora, & propria probatur.

Secunda positio, de demonstratione potest esse aliqua demõstratio in suo genere perfecta, qualis potest esse de ente rationis, ita ut gignat certam, & euidentem notitiam de tali obiecto. Primo, illud subiectum quod habet proprias passiones, & species, ac etiã caussas, & principia illarum passionũ, potest sciri per demonstrationem: talis est demonstratio, quæ ut est ens quoddam Logicum, habet suas proprietates, quæ per sua principia probari possunt, igitur. Secundo, Aristoteles demonstrauit proprietates demonstrationis, non per syllogismos falsos, uel solum probabiles: per demonstratiuos igitur. Quare, si quis ita ratiocinaretur, nõ disputaret probabiliter, sed necessario: Omnis syllogismus procedens ex primis, ueris, caussisque conclusionis gignit scientiam: sed omnis demõstratio est talis: igitur. Nam constare ex talibus principijs est caussa cur talis producatur effectus, qui non potest aliunde proficisci: sicuti constare ex cõtrarijs est caussa cur aliquid sit corruptibile. Itẽ, hac alia ratiocinatione probo omnem demonstrationem debere cõstare ex certis. Omnis cognitio certa, & euidens debet constare ex principijs certis: at omnis demonstratio est huiusmodi: igitur.

Sed peteres, unde fit, ut una & eadem demonstratio possit probare aliquam proprietatem de alijs, ac etiam simul, & semel de seipsa. Respondeo, hunc esse effectum intellectus humani, qui cum sit potentia a materia seiuncta se in seipsum reflectere potest id quod facit in tota Logica, dũ seipsum instruit, dũ suas operationes per instrumenta sciendi dirigit. Cum ergo demonstratio sit effectus rationis, quodammodo supra se reflectitur, probatq; aliquas proprietates de seipsa, effectus enim est suæ causæ similis. Quare vt definitio, definitione se definit, ita demonstratio demonstratione se demonstrat. Neque argumẽta in contrarium allata hanc doctrinam euertunt, vt ex eorum patebit solutione.

Ad primum, negatur sequela, quia de illa demõstratione particulari quæ assumitur ad demonstrandam aliquam passionẽ demonstrationis in cõmuni, non datur alia demonstratio, sed ipsamet de seipsa eãdem proprietatem demonstrat, sed sub diuersa ratione. Etenim, prout est particularis demonstratio assumpta, ut instrumentum ad aliquid probãdum, habet rationem probationis: vt vero ipsa quoq; includitur in natura demonstrationis in cõmuni cuius proprietates demonstrãtur, probat talem proprietatem de seipsa, & sub hac ratione est id quod probatur.

Quod si dicas, instrumentum est realiter distinctum ab eo cuius est instrumentum, ut patet inductione in omni genere instrumentorum: ergo non sufficit allata distinctio, inter demonstrationem probantem, & probatam, cum sit distinctio solum secundum rationem. Respondeo, antecedens habere veritatem in solis instrumentis realibus, non autem in instrumentis sciendi, & rationalibus. Quoniam, vt instrumenta illa, & res etiã cuius sunt instrumenta sunt reales, ita inter illa esse debet realis distinctio. At vero instrumenta sciendi, & id quod per ipsa scitur, sunt entia rationis, & ita satis est si solum ratione distinguuntur.

Ad secũdum, obiectum horum librorum partiale est demõstratio vniuerse sumpta: at vero instrumentũ est hæc, uel illa demonstratio in particulari, & ita obiectum est distinctum ab instrumento, modo iam explicato.

Ad tertium, negamus demonstrationem esse solum instrumentum scientiarum realium: est enim etiam instrumentum scientię rationalis, scilicet Logicæ, quæ est sciẽtia determinata de instrumentis sciendi, & ita est omnino diuersa à Dialectica: cuius instrumentum est probabilis syllogismus.

Ad quartũ, propositiones quibus Logicus probat demonstrationis passiones in communi, esse quidem vniuersales, sicuti Logica vniuersalis est: sed tamen sunt proprię respectu conclusionis quæ probatur. Sicuti in sciẽtia de animali probantur communes passiones, sed per propria earum principia.

De forma horum librorum, siue de methodo, modoque procedendi, atque de diuisione.
Cap. XIIII.

IN hoc capite duo breuiter nobis explicanda proponimus, horum librorum formã quæ consistit in methodo, rationeque tractãdi, & eorundem partitionem, vnde subiecta

I 2 cogno-

cognoscetur materia: & vt melis intelligatur primum, initium capiemus à secundo.

Quod igitur ad diuiosinem attinet, secūdo analysis in duos diuiditur libros: in quorum primo, vt diximus: agitur de demōstratione, in secundo de definitone. Primus liber in no-

A t. 1. ad 5. uē prīcipales diuiditur partes. In prima Arist. affert, & probat quandam propositionem, vt doceat quæ præcognoscenda sint ante demō-

A t. 5. ad 30. strationem, de qua acturus est. In secunda ꝓposito demonstrationis fine; ipsaq; demonstratione definita, docet quales debeant esse pręmissæ potissimę demonstrationis, & duodecim eius assignat ac probat cōditione, de-

A t. 30. ad 31. que eiusdem principijs disserit. In tertia agit de demonstratione quia, quam comparat cū

A 31. ad 32. demonstratione propter quid. In quarta, de figura demonstrationis, hoc est docet perfectam demōstrationem, tum affirmantem, tū

A 32. ad 34. negantem in sola prima fieri figura. In quinta, agit de syllogismo opposito demonstra-

A 34. ad 39. tioni, quo gignitur ignorantia, siue error. In sexta, docet demōstrationem ex tribus terminis constare, & eos in infinitum non posse abire, & quo pacto mediata propositio ad im-

A 39. ad 42. mediatam reuocetur. In septima, varias demonstrationis species inter se confert, vni-

A 42. ad 44. uersalem negātem, & ostensiuam cū suis oppositis. In octaua, agit de ipso demonstrationis effectu, nimirum de scientia, & scibili, &

A 44. ad finē. de syllogismorū principijs. In nona cōparat, scientiam cum opinione, agitq; de solertia.

Secundus liber in quinque maiores partes diuiditur. In prima agit de quattuor quęstionum generibus. In secunda disputat, an vnū & idem possit sciri definitione, & demonstratione. In tertia uaria caussarum genera distinguit, & docet, an demonstratio per omnia caussarum genera fieri possit, & qui modus sit in demonstratione tenendus. In quarta, docet artem inueniendæ, & conficiendæ definitionis, ac etiam quomodo causse inuestigentur. In quincta, quomodo cognoscātur principia, & de ortu, atque incremento scientiarum. Quod vero spectat ad methodum, certum est Aristotelē uti methodo resolutiua: nam proposito fine horum librorum qui est docere modum, quo certam de rebus possimus habere scientiam, inquirit conditiones principiorum, quibus venitur ad scientiam quæ habetur per conclusinem. Vtitur etiam methodo definitiua, quia definit ipsum scire, & demonstrationem, ac etiam principia materialia demonstrationis. Item procedit modo doctrinali, & sacrificio; quia quæ docet certissimis rationibus comprobat. Item seruat ordinem naturæ, quia à principijs, & caussis ad principiata, & ad effectus progreditur. In quibus explicandis, vtitur exemplis certissimis à mathematicis disciplinis desum ptis: quę licet nunc non sint ita perspicua, cū non detur opera scientijs mathematicis, ut olim fiebat: tū ex se manifestissima sunt, & ad ea quę docet illustrāda maxime accōmodata. Genus dicendi omnino obscurum, ꝙ sciens, & fortasse etiam prudens Aristoteles, qui, vt Cicero scribit fuit homo singulari facundia præditus, affectauit; ut rem maxime necessariam obscure tractando, hominum ingenia ad studium excitaret, & ad suum opus studiose legendum commoueret: nā quę facilia sunt, etiamsi necessaria sint, facile negligūtur: & ueritate ex verbis rebusue obscuris eruta, mirifice delectamur. Quamuis ergo hoc opus ab Aristot. in eum finem sit confectum, vt ad alias scientias comparādas uiam sterneret: tamen data opera, genere dicendi perobscuro, aditum ad ea quæ in eo docet interclusisse videtur, ignauis nimirum, non ijs qui norunt, omnia pulchra esse difficilia. Atque hæc pauca de rebus propositis, & quidem rudites nūc dixisse uolui; alias plura, & magis elaborata, Deo uolente dicturus.

Libr. 2. Acad. quæst.

An quæ tractantur in primo capite primi posteriorum pertineant ad proœmium. Cap. XV.

Quamuis aliqui de re proposita fuse scribant: nos tamen breuiter agemus, cū non sit huiusmodi, vt multum requirat diligentiæ, & operis. Bald. in princ.

Quod igitur ad aliorum sententiam attinet, quidam, ut Balduinus, & Suessanus scribunt, existimarunt hoc caput non pertinere ad proęmiū, sed ad tractationem: quia proęmium positum fuit in primo priorum: & cū hi libri vnum faciant opus cum illis, nō fuit necesse, vt aliud adhiberetur proęmium. Adde etiā, quia in hoc capite nullę adsunt proęmij conditiones; cū nihil proponatur, & nulla captetur attentio, aut beneuolentia. Amm. Cap. 1.

Alij vero propositam dubitationem duobus

bus dictis explicant. Primum, Aristot. tribus modis sua opera exordiri solet. Primo ꝓponēdo ea quę tractanda sunt, ut fecit in primo libro Perihermias, & in primo, primæ analysis: & tunc proprie vtitur proœmio. Secundo repetēdo iam dicta, ut fecit in libro tertio de Cęlo, & in libro primo Meteorologico. Tertio, ab aliqua vniuersali ꝓpositione, vt in primo Metaphysico, in primo de anima, & in primo Ethico. Secundū, Arist. auspicatur est hos libros, tertio modo, ab vniuersali quadā propositione, vnde sibi parat aditū ad dicēdā. Acturus n. de demonstratione, docet, Omnem doctrinam, & disciplinam ex pręexistēte fieri cognitione. Vnde hæ duæ sententiæ negant hoc caput pertinere ad proœmium.

Libr. 4. de Cœl.

At vero Balduinus cōfutatis duobus modis iam explicatis, ita de hac re sentit. Primū fatetur hos libros analyticos habere vniuersale proęmium, vt est dictum. Deinde ait hos posteriores habere partiale proœmium, à principio vsq; ad textum decimū exclusiue. In quibus textibus Arist. tria pręstare docet, nimirū, inuenire, ꝓponere, & ordinare ea de quibus postea acturus est: & in textu decimo incipere distincte tractare, quę ꝓposuerat, & numerauerat, cū ait, Vera quidē &c. Denique hoc proœmiū in tres pręcipuas partes secat. In prima usq; ad textū septimū exclusiue, ponit propositionem vniuersalem, qua docet oēm doctrinam habere instrumentū præcognitū, ex quo necessario fit. In secunda à textu septimo, ad octauum vsq; inclusiue, ex definitione ipsius scire sumit conditiones eius tanquam finis. In tertia, nimirum in textu nono, ex conditionibus ipsius finis, qui est scire infert quales & quod sint conditiones pręmissarū demonstrationis simpliciter, quæ sunt instrumenta ad ipsum scire, quod est finis. Cum ergo Aristoteles proponat, & enumeret ea quæ explicaturus est, vere vtitur proœmio: nam reddere attentum, & beneuolum pertinet ad Oratores, & ad proœmium rhetoricum non philosophicum, ut ipse ait. Quod si ei obijcias, celebrum illam propositionem à qua auspicatur: respondet, istam ad idem tendere.

At uero Aegidius, fatetur quidem hos libros habere partiale proœmium, sed contineri in primo capite: in quo duo Aristoteles præstat. Primo remouet prauam dispositionem quæ esse poterat in animo auditoris, refellendo errorem Platonis de modo, quo fit scientia. Secundo introducendo bonam dispositionem, dum docet scientiam fieri ex præexistente cognitione.

Nos autem, cum alijs existimamus hoc caput omnino pertinere ad tractationem, non autem ad proęmium. Primum quidem, quia iam proœmium positum fuerat supra, libro primo analytico, vbi proposita fuit intentio, & subiecta materia: & ita nihil fuit necesse alio partiali proœmio. Secundo, quia intentio Aristotelis, vt statim plane docebitur, erat explicare quandam propositionem, seu quoddam principium pertinens ad demonstrationem. Postremo, quia in capite vltimo secundi libri, ait se explicasse, non posse fieri doctrinam sine præexistente cognitione: ergo quæ in hoc capite dicuntur, non ad proęmium, sed ad tractationem pertinent, tanquam ea quæ ex professo explicantur, vt in sequenti capite planum fiet.

Quę sit intentio Aristotelis in capite primo primi Posteriorum.
Cap. XVI.

QVod attinet ad Aristotelis intentionem in hoc primo capite, expositores in varias opiniones abiere, & præter sententias proximo capite recensitas, sunt hi alij dicendi modi.

Primus domini Caietani, hoc loco, dum exponit operis huius seriem; qui ait intentionem Aristotelis in his duobus libris esse, tradere perfectam cognitionem demonstrationis, de qua tractat quattuor quæstiones, quæ de vnaquaque re fieri possunt. Primo, explicat quæstionem, an sit, in hoc primo capite: Secundo docet qualis sit, in capite secundo: tertio, propter quid sit, in reliquis capitibus primi libri: quarto, in libro secundo explicat quæstionem propter quid sit, dū agit de eius medio. Quod si ab eo petas, quia ratione probet demonstrationem dari, respondet, id hac ratione pręstare. Primo docet dari scientiam contra Heraclitum. Secundo, eam non fieri per reminiscentiam, sed per præexistētem cognitionem; ac proinde ipsas præmissas, quæ nihil aliud sunt quam demonstratio, esse necessarias ad scientiam comparandam. Quoniam ergo in scibilibus idem est, demonstrare, an aliquid sit necessariū, & an reperiatur; ideo ex eo quod probat demonstrationem esse

esse necessariam ad scientiam, probat scientiam dari.

Secundus Lynconiensis, qui ait intentionem Aristotelis esse ostendere modum quo scientia acquiritur; cum aliqui eam esse negarent, alij vero dicerent, non fieri de nouo. Et quoniam Aristoteles, tanquam Logicus non poterat probare scientiam dari, ostendit saltem qua ratione in nobis acquiratur, & ait fieri ex præexistente cognitione: docetque quomodo conclusio de nouo sciatur, cum antea esset cognita in præmissis.

Heracl. vt patet 4. Met. t. 22.

Tertius aliorum, qui dicunt Aristot. propositum esse explicare demonstrationem fieri ex præexistente cognitione.

Quartus quorundam, qui dicunt, uelle refellere duos errores, vnum eorum qui negabant scientiam; alterum aliorum qui dicebant non fieri de nouo.

Postremus Auerrois, & Græcorum, ad cuius explicationem duo animaduertenda sunt. Primum, in scientia, uel in aliqua re tractandi inchoandum esse a cōioribus, vt non vno in loco docet Aristoteles, & postea deueniendū esse ad particularia. Alterum proprietates demonstrationis esse in duplici differentia; quædā sunt cōes, quædam uero propriæ & particulares. His notatis, dicunt Aristotelis intentionem esse agere de quadā cōi proprietate præmissarum demonstrationis, qd sint præcognitiones quædā & via ad sciētiam conclusionis: vt aūt hoc melius præstet, prius explicat propositionem illam, Oīs doctrina, &c. vt planius infra docebo. Vt huic dubitationi satisfiat, statuo has positiones.

Libr. 1. Phys. t. 4.

Prima positio, Aristot. in hoc capite non intēdit probare demonstrationē esse. Primo, quia probare dari scientiam pertinet ad Metaphysicum. Secundo, quia, vt supra diximus Aristoteles in secundo libro analysis secūdę, & alibi &c, citando hunc locum, ait se explicasse doctrinam fieri ex præexistēti cognitione. Tertio, quia scientia supponit subiectū esse vt ex hoc capite, textu secūdo discimus: & cum demonstratio sit partiale subiectum primi libri, non demonstrabitur esse. Quarto, quando subiectū in aliqua scientia est notissimum, non probatur esse: at quod demonstratio sit, in Logica est certum: igitur. Quin to, sequeretur Aristotelem petere principiū: Quia qui dicit, Omnem doctrinam, & disciplinam, supponit scientiam esse, & eā de nouo comparari. Postremo, quia nec verbum quidem fecit de eo, quod Caietanus ait.

Libr. 4. Met. Au. 3. cœl. cō. 4. Cap. vl. Sot. hoc loco, not. 1.

Secūda positio, intentio Aristotelis in hoc capite non est probare scientiam dari. Tum quia, vt diximus; alibi citatur propositio illa, quā hic Aristoteles probat, quasi priore loco ex professo tractatam: tum etiam, quia ex ijs quæ hic docet, non colligitur habuisse talem intentionem.

Tertia positio, scopus Aristotelis in hoc capite, non fuit uelle docere demonstrationē fieri ex præexistenti cognitione. Quoniam nihil speciatim dicit de præcognitione demonstrationis, sed omnis doctrinæ, & disciplinæ: quare non potest esse principale intentum uelle docere demonstrationem fieri ex præexistente cognitione.

Quarta positio, Aristot. præcipuum intentum non fuit, velle confutare aliorū errores, & pbare sciētiā esse, & acquiri de nouo. Quia obiter, ī fine capitis aliorū errata tollit.

Quinta positio, Aristot. intentio hoc loco est docere quandam cōem proprietatem præmissarum demonstrationis, quod. s. sint præcognitiones, & via ad scientiam cōclusionis, & vt hoc doceat, probat oēm doctrinam ex alia præeunte fieri notitia. Deinde docet præcognoscendi modus, & soluit dubitationem quæ contingere poterat; qua ratione scientia de nouo fiat, si fit ex præexistente cognitione, in qua quod de nouo discitur, potentia cognoscebatur. Postea applicat illam proprietatem scientiæ demonstratiuæ; quæ fieri debet ex præcognitione præmissarum. Deniq; ex conditionibus scientiæ demōstratiuæ colligit proprias præmissarum conditiones, & proprietates, de quibus postea late disputat. Patet ergo ex his, quod nā sit Aristotelis in primo capite propositum, & qui progressus. Atq; ex ijs quæ in vltimis capitibus dicta sunt, paratus est aditus ad intelligenda ea, quæ in sequenti tractatione dicturi sumus: in qua omnia diligenter explicabuntur, quæ ad expositionem doctrinæ ab Aristotele in primo capite libri prioris secūdæ resolutionis traditæ, sunt necessaria.

Cap. 2.

Finis Tractationis de instrumentis sciendi.

TRA.

TRACTATIO DE PRAECOGNITIONIBVS ET PRAECOGNITIS,

Et de ijs quæ ex præcognitione fiunt.

Quid sit præcognitio, præcognitum, & qui precognoscendi modi. Cap. I.

EA est humanæ mentis conditio, dum in hoc corporis ergastulo inclusa manet, vt in nullius rei notitiam de nouo uenire queat, ni aliqua præcesserit, saltem à natura, insita notitia. Vt enim natura sine vlla præiacente materia nihil sua ui potest efficere; ita nec humana intelligētia ni aliqua preiuerit cognitio. Quo fit, ut Logicus scientiarū acquirendarum instrumenta docet, de præcognitionibus per quas ueluti per uias quasdam rerum occultarum acquiritur doctrina, diligenter disputare debeat: cum ijs ignoratis, cætera omnia ignorare sit necesse. (Libr. 1. Physic. t. 52.)

De hac igitur Logicæ particula disputaturus, hunc ordinem seruabo: Primū agam de præcognitionib. vniuerse: deinde de pcognitionibus priuatim, siue de ipsis præcognitis: postremo docebo q̄uo oīs nostra cognitio ex præexistenti cognitione fiat. Quod vero ad primum attinet, hoc primo capite de noīe & definitione præcognitionis, atq; precogniti, ac de modis præcognoscendi breuiter agam.

Præcognoscere igitur, nihil aliud significat, quam ante, uel prius cognoscere: & præcognitio, idem ualet, quod præcedens, siue prior cognitio, quæ aliam cognitionē antecedit; quæ vox uarijs modis vsurpari potest. Primo, cū omnis nostra notitia ortū habeat à sensibus, à quibus, ut aliquādo Cicero scripsit, ordimur; ideo sensuum cognitio, uocari potest præcognitio. Secundo, cū omnis cognitio habeatur uel per inuentionem, uel per doctrinam ab alio, & hæc illam semper supponat, ideo notitia per inuentionem acquisitam cum hac comparata, præcognitio dici potest. (Arist. 2. post. ca. vlt.) Tertio, omnis notitia à qua alia aliquo modo pendet, siue necessario, siue vtiliter, respectu illius, præcognitio appellari poterit: qua ratione dicemus Logicam esse præcognitionem respectu aliarum scientiarum, cum omnes aliæ scientiæ ab hac omnino pendeant. Quarto, illa notitia quæ est in prima intellectus operatione dici potest præcognito respectu cognitionis quæ est in secunda & tertia: & vniuersale loquendo, in quacunq; sciētia, suppositiones, data, siue postulata, & definitiones, eadem nomine nominari possunt. Postremo, prima principia naturę lumine ex sola terminorum comprehensione cognita, dicuntur pręcognitiones respectu conlusionū, quæ ex illis conficiuntur. Has innatas notiones Græci ἐννοίας, & πρόληψις, Cicero notitias, notiones, & prænotiones appellat. (De nat. deor.) Ex quibus colligere licet, hoc nomen dupliciter sumi posse: primo vniuerse pro quacunq; cognitione quæ aliā pręcedit: altero modo proprie, pro præuia notitia ad consequendam aliquam nouam doctrinam, siue eam efficiat, siue ad eam acquirendam tantum iuuet.

Præcognitio primo modo sumpta, sic describi potest, Præcognitio est quęuis cognitio, quæ quocunque modo aliam præcedit: qua ratione sensitiua cognitio pręcedit intellectiuam, cum nihil sit in sensu, quod prius non fuerit in intellectu, & necesse sit intelligentem phantasmata speculari: Altero uero modo accepta, sicut describitur. Præcognitio est pręuia notitia intellectiua ad consequendam rei ignotæ doctrinam dirigendo, aut efficiendo necessaria. (Libr. 2. de an. 11.) Vbi nota, in cognitione rei dubiæ duo considerari posse: primum, aliquid quo dirigimur, & iuuamur ad illam consequendam: alterum, id quo illa cognitio efficitur & producitur: primum est ueluti conditio, hoc ueluti caussa efficiens: illud

præcedit hoc vero sequitur. Quæ duo etiam in caussa naturaliter agente obseruares; vt in productione calefactionis: quæ efficienter est ab ignis caliditate, & ab eius præsentia, tanquam à caussa sine qua non. Vt ergo in hac actione aliquid iuuat, aliquid efficit: ita in doctrinæ acquisitione alia precognitio iuuat, alia efficit. Patet igitur quid sit præcognitio, vnde facile intelliges, quid sit precognitum.

Præcognitum ergo nihil aliud est, quam id circa quod uersatur precognitio, res nimirum ea quæ aliquo modo præcognoscitur, vt est subiectum, & prædicatum quæstiones ad probandum propositæ, ac etiam principia ex quorum notitia aliquid probatur. Modus vero præcognoscendi, est ratio præcognitionis, uel ordo ipsarum præcognitionũ, siue uariæ præcognitiones quæ de præcognitis habentur, vt ex ijs quæ dicemus perspicuũ fiet. Precognitio igitur est notitia q̃ præcedit: Præcognitum est id quod precognoscitur: Modus vero, est ratio præcognoscendi, vt quod de aliqua re præcognoscatur an sit, & quid sit, vel quid significet.

Quotuplex sit præcognitio, siue de precognitionis diuisione.
Cap. II.

PRæcognitio proprie sumpta, quæ ad alicuius rei dubiæ notitiam acquirendam aliquo modo confert, primum ex Auerrois doctrina diuiditur in dirigentem, & agentẽ. (Cap. 1. Epit.) Dirigens est ea quæ disponit, & iuuat intellectum ad cognitionem rei dubiæ, ipsam vero cognitionem non attingit, & est ueluti conditio sine qua non, vt dicebamus, cuiusmodi est nominis notitia: Agens uero est illa quę non solum disponit, verum etiam notitiam nouam efficit atque producit. Rursus vtraq; subdiuiditur, dirigẽs, altera est, quid est quod dicitur, vel quid nominis, altera an sit; quæ sunt, uel rei siue quæstionis simplicis, uel cõpositæ, & utranq; subdiuideres iuxta duo instrumẽta sciẽdi, hoc est definitionis, & demõstrationis. In definitione. n. quęrere possum, & quid nominis, & an sit: in demonstratione vero quia est, de subiecto, & quid nõis de prædicato, ut infra planꝰ explicabitur. Agẽs similiter multis modis diuidi potest: primo in simplicem, & discursiuã: simplex est præcognitio definitionis: discursiua vero est pręcognitio præmissarum syllogismi, aut antecedentis in Enthymemate, & exempli, aut cognitio principiorum demonstrationis: illa impfecta, hæc perfecta dici põt. Secundo diuiditur in pręcognitionẽ vniuersalem, qualis est cognitio principiorum, ex qua quodãmodo pendent oẽs aliæ cognitiones conclusionũ, & in particularem, qualis est pręcognitio principiorum propriorum demõstrationis. Tertio in cognitionem agentem s̃m nos, & secundum naturã. Pręcognitio agens secundum naturã, est notitia caussæ existendi, quę sua natura pręcedit effectum, & est caussa cognitionis illius. Agens secundũ nos, nihil est aliud, quam cognitio alicuius rei quæ aliqua ratione in cognitionem alterius rei nos ducit; quæ non est vere caussa illius, sed nostræ tantum cognitionis. Atqui circa has diuisiones sunt modo nonnullæ dubitationes.

Prima, an quid nominis possit esse aliquãdo præcognitio agens? Respondeo, in definitione, & demonstratione nõ potest esse nisi dirigens: at uero in syllogismo probabili, potest esse aliquo pacto agens. Siquidem syllogismus topicus per Etymologiam aliquid probat: quo argumento aliquando vius est Aristoteles. (Aristot. Libr. 1. de cœl. t. 22.) Verum, cũ quid nominis est pręcognitio agens, reuocatur ad præcognitionẽ præmissarum syllogismi: cuius subiectum præcognoscendum erit definitione quadam crassa, & rudi nominis.

Secunda, an præcognitio, An sit, sit dirigens, uel agens? Respõdeo eodem modo, quo ad præcedentẽ dubitationẽ responsum fuit. Aliquando. n. ex cognitione existentię subiecti, aliquid aliud ratiocinando deducimus, & probamus, uerum ut est præcognitio agens reuocatur ad præcognitionem, an sit, quia continetur sub pręcognitione pręmissarum.

Tertia dubitatio, an præcognitio quid rei possit esse aliquando dirigens. Respondeo non posse esse: quia essentia rei semper præcognoscitur præcognitione agente.

Quarta dubitatio, an præcognitio agens eodem modo sese habeat in definitione, & demonstratione? Respondeo, negando; & ratio est, quia sunt diuersa instrumenta sciendi: & quia demonstratio est instrumentum illatiuum & probatiuum, ideo ex cognitione præmissarum potest inferre cognitionem cõclusionis: definitio uero cum sit instrumentũ

quod-

quoddam simplex explicatiuũ essentiæ, non potest inferre cognitionem essentiæ, per aliquam præcedentem cognitionẽ. Sed peteres, cur præcognitio scientię definitiuæ quiditatis rei, dicatur esse agens, Respondeo ob hanc rationem, quia intellectus aliter nõ potest apprehendere essentiã rei, nisi prius intelligat, & cognoscat genus, & differentiam: quare cognitio generis, & differentię est pręcognitio agens ad cognoscendam rei naturam.

Quinta dubitatio, cur cognitio definitiua non est pręcognitio agens ad cognitionem quiditatis, sicuti cognitio demonstratiua est quædam præcognitio ad scientiam conclusionis. Responsio patet ex dictis, quia sciẽtia demonstratiua est cognitio ipsius conclusionis, quæ est distincta cognitione præmissarum: quarum cognitio potest esse præcognitio agens huiusmodi scientiæ: at uero cognitio definitionis, nihil est aliud, quã ipsamet cognitio essentiæ: & quoniam idem respectu eiusdem non potest esse cognitio, & præcognitio, ideo cognitio definitionis non potest esse præcognitio notitię quiditatis.

Sexta dubitatio, an omnis præcognitio possit esse quæstio, siue quæsitum: Respondeo, afferendo nonnulla dicta. Primum, in diuersis scientijs id fieri potest: exempli gratia, intelligentias esse, est quæstio in Physica, quæ probatur per motum: at uero in Metaphysica in qua sunt obiectum, eas esse est pręcognitio. Secundum, idem contingere potest in eadem scientia: ut ecce, esse admiratiuum est quęstio respectu rationalitatis, quia per hanc probari potest, at vero respectu risibilitatis, quæ per admirationem probatur, est pręcognitio. Tertium, eadem propositio potest esse pręcognitio respectu nostri, vel secũdum nos, & quæstio secundum naturam: Verbi gratia, ignem calefacere, est pręcognitio respectu nostri in ordinem ad calorẽ qui est in igne: quoniam probamus ignem esse calidum, quia calefacit: at secundum naturã eadem cognitio est quęstio: quia probamus ignẽ calefacere ex eo quod est calidus. Quartum, quædam sunt semper præcognitiones, saltem quoad nos, vt est rudis quædam nominis notitia: quia crassa nominis definitio in quacunque quæstione supponitur. Quintum, quęstio propter quid res sit, semper est quæsitum, & nũquam præcognitio: quia est vltimum, quod quæritur de vnaquaque re. Sextum dictum, quęstio an sit, quid sit, quale sit, respectu diuersorũ aliquando sunt pręcognitiones, aliquãdo quęsita. Vt quale sit, respectu propter quid sit, est præcognitio, & respectu an sit, est quęsitum: similiter, an sit, respectu quid nominis: respectu uero quid sit est præcognitum. Quare quædam sunt semper præcognitio, quædam semper quæstio, quędam respectu diuersorum vtrumque.

Ex his quę hactenus de pręcognitionum diuisione diximus, intelligi potest, illas duas pręcognitiones, quas Aristoteles posuit, an sit, & quid sit contineri sub illa diuisione ab Auerroe tradita. Si enim an sit applicetur principijs, de quibus cognoscit, an vera sint, erit præcognitio agens: quia efficit cõclusionis cognitionem: si uero applicetur subiecto erit dirigens: at uero. Quid sit, applicata subiecto, vel passioni, quia semper designat nominis definitionem, est pręcognitio dirigẽs. Quare an sit, non eodem modo sumitur ratione principiorum, & subiecti, cum ibi ueritatem, hic existentiam designet: at uero quid sit, siue quid significet, eodẽ modo sumitur: neq; enim quid rei in pręcognitionibus ponendum est. Hæc quæ strictim de diuisione præcognitionum dicta sunt, ex ijs quę deinceps dicentur, omnino manifesta fient. Libr. 1. poster. t. 2.

An præcognitiones sint tantum duæ An sit, & quid sit quod dicitur. Cap. III.

QVod non sint tantum duę pręcognitiones quas Arist. numerauit, an si, & quid sit, siue quid sit quod dicitur, quã nominis significatio quæritur, sic probari potest. 1. Post. t. 2.

Primo, præcognitio qualis res sit, vt quod homo sit risiuus, est necessaria ad explicandã quęstionem propter quid, vt propter quid homo sit risiuus: & ad soluendam quęstionem, quale sit, est necessaria pręcognitio, quid res sit: erunt igitur duæ alię præcognitiones ponendæ, qualis sit, & quid rei.

Secundo, quæstiones ex Aristotele sunt quattuor: totidem igitur, & pręcognitiones: cum pręcognitio nihil aliud sit, quam via ad quęstionem cognoscendam. Libr. 2. poster. c. 1.

Tertio, pręcognita sunt tria, principium, subiectum, & passio: igitur & tres pręcognitiones, quia pręcognita sunt ueluti obiecta, Libr. 1. poster. t. 2.

Lib. 2. de Ani. & præcognitiones actus, qui ab obiectis speciam sumunt.

Quarto, tres sunt præcognoscendi modi, nimirum, quia est, & quid est de subiecto, quid nominis de passione, & quia est de principijs: igitur & tres præcognitiones.

Quinto, præcognitio, an sit, ratione principiorum designat rei ueritatem, ratione subiecti eius existentiam: at ista duo sunt diuersa; igitur erunt duæ, cum per vnam rei veritatem, per aliam existentiam cognoscamus.

In hac difficultate omnes expositores conueniunt, duas tantum esse præcognitiones, differunt tamen in assignanda ratione: vnde hi sunt dicendi modi. Primus Pauli Veneti, & aliorum, qui supposito triplicē dari distinctionem, numericam, genericam, & specificā tria dicunt. Primum, si loquamur de distinctione numerica à materia sumpta, pcognitiones tot sunt, quot sunt numero principia, subiecta, & passiones, quæ præcognosci possunt, & sic non sunt in certo numero. Secundum, si loquamur de distinctione specifica, sunt numero quattuor: quid nominis de subiecto, quid nominis de passione, an sit de subiecto, & an sit de passionibus. Tertium dictum, si loquamur de generica, sunt tantum duæ quid nominis, & an sit.

Secundus Appollinaris, & aliorum dicentium præcognitionē posse dupliciter considerari: primo s̄m se, & secundū hāc considerationē sunt tantum duæ: altero modo in ordinem ad præcognita, & hoc pacto sunt tres. Vbi animaduertendū est, præcognitionem, quia est, in ordinē ad præcognita, accipi proportionaliter, qa respectu subiecti facit scire, existentiā, respectu principiorū, veritatem.

Soti. Fland. Tertius Diui Thomæ, Caietani, & aliorū, qui dicūt omnes posse reuocari ad illas duas, & sub præcognitione, Quid est quod dicitur, non solum contineri nominis, sed etiam rei definitionem: nos de hac re ita statuimus.

Prima positio, præcognitiones sunt tantū duæ, Quid nominis, & an sit. Primum patet ex Aristotele, qui tantū has duas agnouit, & ad rē dubiam probā tam satis esse iudicauit.

Secundo, vt aliquis acquirat cognitionē rei dubiæ, debet primo aliquo pacto cognoscere ipsum quæsitum, & hoc fit præcognitione dirigente: deinde, in illius notitiam uenire per aliquid notum, & hoc fit præcognitione agente: atqui omnis dirigens, & agens præcognitio continetur sub his duabus: igitur. Tertio, ex Arist. duæ tantum sunt q̄stiones, an res sit, & propter quid sit, quæ sub diuiduntur in alias duas: scilicet, in an sit, & q̄d sit: caussa uero, in quale sit, & propter q̄d sit: ex quibus duæ tantum colliguntur præcognitiones: quid nomen significet, cū non possimus cognoscere, an res sit, nisi prius p̄cognoscatur quid nomen significet: neq; cognosci potest, quid sit, nisi præcognoscatur rē esse: nec etiam quæri potest qualis sit, nisi præcognoscatur, quid significet id quod rē qualificat: quare necessariæ semper sunt duæ præcognitiones, an sit, & quid sit. Libr. 1. poste. c. 2.

Sed diceres relictam fuisse principiorum præcognitionem, cū de ea nulla facta sit mētio, quæ tamen uidetur distincta à præcognitione subiecti. Respondeo, cū existentia, vel essentia, qualitasve rei per demonstrationem ostenditur, semper requiritur principiorum præcognitio: quæ conuenit cum præcognitione subiecti an sit, in quadam ratione analoga s̄m quandam proportionem. Nam vt se habet, esse, respectu subiecti, cum supponitur, an sit illius, ita se habet ueritas principiorum cum de illis supponitur, an vera sint: existentia. n. rei complexè, nihil aliud est, quam ueritas propositionis. Quare, esse, quod præcognoscitur de subiecto, & de principijs, conueniunt analogia proportionis. Vt. n. se habet verū esse ad id quod præcognoscitur, ita se habet aliud esse, ad id de quo ipsum præcognoscitur. Quamuis ergo præcognitio, an sit, in duas diuidatur: tamen quia ambæ in vna ratione analoga conueniunt; ideo sub vna appellatione, Quia est, ab Aristotele fuere comprehensæ: quæ dicitur de subiecto incomplexe, an sit, & de principijs complexe, an sint vera: secundum hāc proportionem: quod sicuti existentia subiecti est esse illius, ita veritas principiorum est esse illorum.

Rursus obijceres, omissam fuisse quæstionem propter quid sit, quæ requirit aliquam præcognitionem ad sui solutionem; nimirū præcognitionem, qualis sit. Respondeo hanc quæstionem explicari per præcognitionem qualis sit, quæ reuocatur ad præcognitionem an sit. Nam cognitio, an sit, duplex est, altera secundi adiacentis, in qua prædicatum non est distinctū ab ipsa copula: altera tertij adiacentis, cum prædicatum est aliquid distinctū, vt si quis cognoscat, an ista propositio, Homo

nino est tessus; veraq; ; quæ præcognitio, qualis sit, continetur sub præcognitione, an sit, tertio alij accentis.

Sed peteres, an illa præcognitio sit agens, vel dirigens? respondeo esse dirigentem, quia tenet se ex parte quæsiti quod præcognoscitur solum præcognitione dirigente, non autē ex parte principiorum, quæ præcognoscuntur præcognitione agēte. Vltimo allata positio probari potest hac ratione, quia omnes quæstiones soluuntur duabus præcognitionibus: igitur erunt tantū duæ. Antecedens probatur demonstrando quomodo singulæ quæstiones per hasce duas præcognitiones explicentur quæ ant. Quæstio, an sit, soluitur per quid nominis subiecti, & per præcognitionē præmissarum quibus probamus existentiam subiecti. Quæstio, quid sit, per præcognitionem quid nominis definiti, & per præcognitionē quia est, & per præcognitionem agētem, qua partes definitionis cognoscuntur, scilicet genus & differentia. Quæstio qualis sit per præcognitionem, quia est de subiecto: per præcognitionem quid nominis, prædicati: & per præcognitionem, quia est, principiorū. Quæstio denique propter quid, per præcognitionem quia est, & quid nominis subiecti: & per præcognitionem, quia est principiorum, & quale sit subiecti.

Secunda positio: præcognitio, quia est, respectu principiorum, & subiecti, ac etiā quia halitas subiecti est una, quæ analogice dicitur de illis tribus. Quare hac in parte placet Caietani opinio, qui loquendo de præcognitione, quia est, respectu principiorum & subiecti, ait prædicari analogice, licet aliter alij sētiāt. Hæc positio patet ex dictis, & ideo nihil est necesse ve eam probemus. Ad argumentorum igitur solutionem accedamus.

Paul. Ven.

Ad primum, quid ad hoc argumentum respondendum sit, ex ijs quæ docuimus planum est.

Ad secundū, negatur cōsequentia: q; per duas tantū præcognitiones omnes explicare possumus qōnes, ut paullo ante diximus.

Ad tertium, negatur consequentia, quoniam ille tertius præcognitionis modus non distinguitur ad duobus prioribus, sed ex illis conficitur, vnde non facit distinctam præcognitionem, sed distinctum modum præcognoscendi.

Ad quartum, negatur consequentia: quia hic non agimus de præcognitionibus in ordinem ad præcognita: sed consideramus præcognitiones in communi, secundum quam cōsiderationem abstrahimus ab hoc uel illo præcognito particulari.

An præcognitio quid res sit, vt necessaria, & ab alijs distincta ponenda sit. Cap. III.

QVuoniam nonnulli explicantes doctrinam Aristotelis de duabus præcognitionibus, existimarunt, sub præcognitione, Quid est, quod dicitur, contineri non solum nominis, sed etiam rei definitionem, ideo huius difficultatis tractandæ occasionem dedere. Et quod ista præcognitio ponenda, & ab alijs distinguenda sit, his rationibus probatur.

Primo, in omni demonstratione propter quid, ut Aristoteles ait, assumi debet definitio subiecti tanquam medium illius: ergo de subiecto præcognoscendum erit, quid rei. 2. Post.

Secundo, ante scientiā conclusionis, in demonstratione saltem potissima, est cognoscenda quidditas rei, quæ cognitio sub nulla dictarum præcognitionum continetur: igitur.

Circa hanc difficultatem fuit prima sententia Alberti, diui Thomæ, & quorundam aliorum, ac speciatim Caietani, qui tria dicit. Primum, Aristotelem, per quid est, intellexisse definitionem nominis, & rei: secundum, in demonstratione propter quid præcognoscendum esse de subiecto quid nominis, & quid rei: tertium in demonstratione quia, satis esse præcognoscere de subiecto quid nominis. Quando ergo Aristoteles de subiecto loquendo ait, Quid est, quod dicitur non excluditur definitio rei, si quis profundius rem speculetur ut Caietanus loquitur. Quia, licet cognoscere quid dicitur, sit solum cognoscere quid nominis: tamen cognoscere quid est, id quod dicitur, nō est præcise cognoscere quid nominis, sed comprehendit etiam quid rei. Secunda opinio Themistij, Philoponi, Aegidij, Apollinaris, & communis aliorum qui dicunt, Aristotelem, per quid est, intellexisse solum definitionem nominis. Pro huius difficultatis explicatione, notandum est, in quibusdam demonstrationibus certum esse non oportere præcognoscere quid rei de subiecto.

Sot. in solut. ad 3. Zab.

Auerro. Paul. Ven.

ut accidit in illis, in quibus demonstratur existentia subiecti de subiecto. Nam cum quid rei supponat rem esse, profecto cum de existẽtia subiecti quæritur, non potest fieri ut eius essentialis definitio præcognoscatur. Quo fit, ut tota difficultas sit de illis demonstrationibus in quibus demõstratur propria passio de subiecto, per illius definitionẽ: in illis enim videtur præcognoscendum esse quid rei de subiecto. Quare, aut Aristoteles per quid est, intellexit definitionem nominis & rei, aut certe in enumerandis præcognitionibus diminutus fuit; sed tamen non fuit, vt statim patebit. Quo fit, ut hæc dubitatio quæ hoc loco tractatur, tractari etiã potuisset infra, vbi de præcognitionibus subiecti quæretur. Quid autem de re proposita sentiendum sit, sequẽtibus positionibus explicabo.

Prima positio, præcognitio qd nominis & quid rei sunt inter se distinctæ. Quoniã vna est de nominis significatione; altera uero de rei natura & essentia; quæ duo inter se nõ cõueniũt: duæ igitur præcognitiones distinctę.

Secunda positio, definitio rei & nominis multis modis differunt. Primo, illa est propria Philosophorum, hęc vero Rhetorum & Grammaticorum. Secundo, illa est præcognitio agens, vt docet Auerroes, hæc vero dirigens: Tertio, illa solet esse quæsitum, hæc vt plurimum est præcognitum. Quarto, illa nõ est nisi vna, hęc potest esse multiplex pro multiplicitate nominum & etymologiarũ. Quinto, illa immutabilis, cum rei essentia variari non possit, hæc mutabilis, cũ nomina ex hominum voluntate significent. Sexto, illa est tantum incompletorũ, vt Aristoteles ait, hæc etiam complexorum, vt idem scriptum reliquit. Septimo, illa est solum rerum realium & existentium, hæc etiam eorum quæ non sunt. Octauo, illa si sit perfecta non habet locum nisi in substantia, in accidentibus vero non nisi imperfecte, vt Aristoteles aliquãdo docuit, hæc potest perfecte reperiri in accidẽtibus, cum eorum significatio non pendeat a substantia, sicuti esse, ac proinde in ordinem ad substantiam definiri debent. Nono, illa est solum nota sapientibus, hæc etiam rudibus: illa paucis, hæc multis potest esse perspecta. Decimo, illa est distincta & completa, cũ resoluat rem in sua principia, hæc vero confusa & imperfecta. Siquidem definitio rei resoluit illam in causas metaphysicas, vel physicas,

Lib. 1. Perihe r. capit. 2.

7. Met. t. 13.

2. Post. cap. 10.

7. Met. t. 12.

nominis vero in sua significata. Quo fit, vt inter se aliquam proportionem habeant. Vt enim de essentia rei est quiditas illius, ita de essentia nominis eius significatio: & vt præcognitio quid rei resoluit rem in sua principia, ita præcognitio quid nominis in suas significationes.

Tertia positio, pręcognitio, quid est quod dicitur, ab Aristotele assignata, solum complectitur præcognitionẽ nominis. Primo probatur ex ipso Aristotele, qui explicans istã pcognitionem, dicit de triangulo esse præcognoscendum quid nominis. Confirmatur ex ipsamet appellatione, quia uocatur, quid est quod dicitur. Rursus confirmatur, quia alias de passione præcognoscendum esset, qd rei, cum de ea dicatur præcognoscendum esse, quid est quod dicitur. Secundo, quia Aristoteles rei definitionem aliter appellare solet, nimirum, quod quid erat esse: vnde hoc loco maxima uteretur ęquiuocatione, si per quid est quod dicitur, intelligeret ẽt, quod qd erat esse. Tertio, in demonstratione nunquã præcognoscitur definitio rei, nisi ut est medium, quo, probatur conclusio: sed hæc præcognitio pertinet ad præcognitionem, an sit principiorum: ergo non includitur sub præcognitione, quid sit. Confirmatur, una est præcognitio qua præcognoscuntur principia & eorum partes, cum per eam præcognoscamus principia, an sint uera, & cũ cognitio quiditatis se habeat tanquam medium conclusionis & pars præmissarum, erit vna tantum, & continebitur, sub prænotione, an sit. Quarto, quia alias sequeretur quattuor esse pręcognita, subiectum, passio, medium & principia at ipsemet Caietanus solum agnoscit tria: igitur. Cõfirmatur, quia ex Aristotele, definitio rei est quoddam principium at principiũ includitur sub præcognitione, quia est: igitur. Denique, istæ duæ definitiones sunt æquiuocæ: ergo non debuerunt sub aliquo uno nomine siue ulla declaratione, comprehendi.

Lib. 2. Phys.

Lib. 1. de anim. 11 & 1. Post. ca. 2.

Quarta positio, quamuis in aliqua demonstratione prænoscendum sit de subiecto, quid sit: tamen non est ponenda præcognitio distincta, sed continetur sub, an sit. Nam, aut cognoscimus quiditatem, vt quiditas est, & tunc scimus illam esse ueram, & constare ex genere, & differentia: aut cognoscimus quiditatẽ in esse subiecto, & hoc pertinet ad pręcognitionem, an sit, præmissarum demõstrationis

tionis

tionis. Quo fit, vt hæc præcognitio sit præcognitio agens. Cæterum, aliqua definitio respectu vnius potest esse agẽs, & respectu alterius dirigens: Verbi gratia definitio puncti, Punctũ est illud cuius pars nulla est, respectu viri docti est præcognitio agens, quia explicat quidditatem rei, & potest esse medium demonstrationis; at vero respectu hominis indocti potest esse dirigens, quia explicat tantum significationem nominis. Et hæc sunt, quæ de numero præcognitionum disputasse volui. Sequitur vt de earum ordine, atque necessitate agamus.

De ordine atque necessitate præcognitionum. Cap. V.

VT primum e duobus quæ in hoc capite explicanda proponimus melius intelligatur, animaduertendum est ordinẽ esse duplicem: alterum naturalem, & est ille quẽ res aliqua secundum se considerata requirit, qua ratione caussa præcedit effectum: alterum secundum nos, vt est ille quem nos commoditatis caussa seruamus: quo modo solemus ꝓcedere ab effectu ad caussam: Hoc posito, de prima huius capitis parte ita statuo.

Prima positio, si loquamur de ordine secundum nos, nullus potest assignari certus ordo præcognitionum; Possumus enim interdum prius cognoscere principia, quã subiectum, & passionem quam principia: licet ista cognitio non sit talis qualis est natura rei.

Secunda positio, secundum ordinem naturæ ex parte præcognitorum prius cognoscendum est subiectum, & passio, quã principia. Quia subiectum, & passio faciunt conclusionem, quæ est finis syllogismi, principia uero sunt media: at prius cognoscendus est finis, quam media, si ordo naturæ seruetur: ergo.

Tertia positio, ꝓcognitio dirigẽs est prior præcognitione agente. Quoniam conclusio quæ est finis, vt ante dicebã, cognoscitur præcognitione dirigente: principia quæ sunt media præcognitione agẽte: igitur, vt cognitio finis est prior cognitione eorum quæ sunt ad finem: ita præcognitio dirigens cũ se teneat ex parte finis, erit prior agente, quæ se tenet ex parte mediorum. Confirmatur, quia prius cognoscendum est an sit subiectum, & quid subiectum, & passio significent, quam probetur passionem inesse subiecto; quod præcognitione dirigente fit. Rursus confirmatur a simili, quia dirigens est veluti conditio sine qua non, sine qua agens agere non potest.

Quarta positio, inter præcognitiones dirigentes hic est ordo. Primo loco est præcognitio quid nominis: tum, quia est principium nominis cognitionis, vt ait Themistius: tũ quia est quid notius: tũ quia præsupponitur a quacunque alia. Secundo, præcognitio an sit: habita enim nominis notitia, quærere solemus, an res nomine significata existat. Tertio est præcognitio, quid sit: quia cognita rei existẽtia, quæri solet quid nam sit. Postremo, qualis sit, quia præsupponitur ad cognitionem propter quid sit, quæ est postrema inter omnes cognitiones, vt patet ex dictis. Vel dicas iuxta præcognita, primo cognoscitur quid nominis de subiecto, deinde, de eodem an sit, postea quid significet de passione, postremo, an sint de principijs: atqui hæc postrema est præcognitio agens. Inter agẽtes autem prior est cognitio maioris propositionis, quam minoris: quia illa præcedere debet.

Sed obijceres, quid nominis põt esse quæstio, vt aliquãdo scripsit Aristoteles: ergo nõ erit semper prima. Respondeo, definitionem nominis esse duplicẽ, vnã rudem & crassam; & hæc semper est præcognitio, & nunquam potest esse quæstio, & de hac intelligitur, qđ supra diximus: alteram exactã atq; perfectã, & hæc potest esse quæstio. Porro in præcognitione quid nominis eodem modo procedendum est, ac si quæremus, quid res sit: supponendum est enim rudis illius nominis notitia, & per illam deueniendum est ad perfectã & absolutam nominis cognitionem. In Elen.

Rursus obijceres, Auerroem dicẽtem, posse præcognosci existentiam rei sine nominis præcognitione: cum tamen prius dixisset, nihil esse notius significatione nominis. Respõdeo, quod ille ait intelligendum est, iuxta allatam distinctionem de exacta nominis definitione, sine qua interdũ cognosci potest rei existentia. Verum perfecta nominis cognitio semper fere præcedit omnem quæstionẽ, cum non de nominibus, sed de rebus quæstiones fiant. Com. 2. 1. Post.

Denique obijceres Aristotelem dicentem, non posse cognosci, an sit, nisi cognoscatur quid sit: erit igitur hæc præcognitio prior. Respõdeo, Aristotelem eo loco, solum affirmare 2. Post. cap. 9.

re

re velle, non posse perfecte cognosci existentiam rei, nisi prius cognoscatur, quid est: non tamen voluit negare, absolute loquendo, nõ esse præcognoscendum aliquo modo, an sit, ante cognitionem, quid sit.

Quinta positio, præcognitionum allatus ordo non solum seruandus est in cognitione quæ habetur per doctrinam, sed etiam in ea quæ acquiritur per inuentionem. Quoniã, licet in hac scientia non intercedant voces; tamen semper is qui scientiam inuenit debet habere aliquam apprehẽsionem, quæ est ueluti quædã præcognitio nominis; & ita prius debet apprehendere subiectum, cum prædicatum, siue passionẽ: sed de hac re planius paullo post dicetur. Et hæc de primo quod propositum erat: nunc de altero.

Sexta positio, præcognitio dirigens quid nominis, his de caussis est necessaria. Primo ob diuersitatem idiomatum, diuersarum nationũ, quę interdum secum nomina cõmunicant: vnde voces Græcæ apud Latinos explicatione egent. Secũdo, quia singulæ artes habent quasdã proprias voces, quarũ significatio est ignota ijs qui primo ad eas accedunt. Tertio, quia ignorata vocum significatione, disputatio progredi non potest. Postremo, quia ni aliquo pacto prænoscatur subiectum, esse, alia de ipso demonstrare non possumus.

Septima positio, præcognitio agẽs est omnino necessaria. Doctrina est manifesta; quia cum sit efficiens caussa cognitionis subsequẽtis; ut effectus non potest esse sine caussa, ita non potest esse cognitio subsequens sine præcedente.

Octaua positio, præcognitio quid nominis non solũ est necessaria in doctrina quæ habetur à magistro per uoces, sed etiam in ea quæ habetur per inuentionem, quamuis in hac non intercedant uoces. Hoc affirmauerim cum Aegidio, contra Paulum Venetũ, sed pro explicatione nota: Definitio nominis, ut etiam supra diximus, est duplex, vna propria, quæ nihil aliud est quam cognitio significationis alicuius uocis, & hæc non est necessaria in doctrina inuentiua: altera rudis & crassa rei notitia, quę est similis illi cognitioni quæ habetur per significationem uocabuli, & de hac intelligitur allata positio. Etenim etiam in doctrina inuẽtiua opus est ista prænotione; cum non possimus propria industria rem aliquam inuenire, nisi prima aliquem conceptum cõfusum & imperfectum de illa re habeamus.

Sed hic dubitales, an prægnitio, an sit semper sit necessaria in scientijs respectu subiecti. Nam Aristoteles, scriptum reliquit, scientias de subiecto non quærere, an sit: vnde nõ erit semp necessaria, & ubi aliquis sit quæstio non erit semp necessaria, ea q̃ præcognitio. Huic dubitationi respondendum est, Aristotelem, quando ait duas esse præcognitiones, nõ esse ita intelligendum, ut illæ de quacunque re debeant semper præcognosci; sed solum affirmare uoluit, omnes præcognitiones aliquãdo necessarias ad rem aliq̃ cognoscendam, ad illas duas reuocari, an sit, & quid nominis. Quando ergo dixit de subiecto, nõ esse præcognoscendum quod est, solũ significare voluit esse quasdam scientias, quæ non præcognoscunt existentiam subiecti, cum sit omnibus notissima. Sed de hac re infra accuratius. 1. poste. t. 2. & 24.

Quot sint præcognita. Cap. VI.

EXplicata natura, numero, ordine, necessitateque præcognitionum, quę nihil aliud sunt, quam notitiæ quibus aliquid de aliquo præcognoscitur, sequitur, ut de præcognitorum numero agamus, vt postea de modis quibus singula præcognosci debeant, agere possimus.

Præcognita nihil aliud sunt, quam ea de quibus aliquid præcognoscitur. Aristoteles ergo agens de præcognitionibus tria tantum numerauit præcognita, Dignitatẽ, siue principia, subiectum, & passionem: quæ enumeratio uidetur esse insufficiens.

Primo, vltra dignitates oportet præcognoscere præmissas, & quidditatem rei, vt quidditas est: quæ cum sub illis tribus non continentur, profecto erunt plura.

Secundo, multæ fiunt demonstrationes, quę non demonstrant aliquam passionem de subiecto, uel aliquod accidens, aut prædicatum accidentale: ego in his, loco passionis, aliquid aliud præcognitum erit.

Tertio, conclusio est aliquo modo præcognoscenda in præmissis: ergo faciet aliud præcognitum.

Quarto, in scientia quiditatis rei, oportet cognoscere definitum, genus, & differentiam: sed ista non continentur sub illis tribus: plura igitur.

Postre-

Postremo, duę sunt pręcognitiones: igitur & duo pcognita; nam vt dignitas, quę constat ex subiecto, & prędicato vnam habet præcognitionē, ita subiectum, & prędicatum conclusionis vnam habebunt præcognitionem.

In hac difficultate omnes auctores conueniunt in tribus. Primo, respectu definitionis tria esse præcognita, definitum, genus, & differentiam. Secundo, respectu demonstrationis esse etiam tria, principia, subiectū, & passionem. Quod si petas, cur Arist. solum horū trium meminit, & non illorū; respondent alij, non fuisse intentionem Aristot. agere de omnibus præcognitis, sed solū de pręcognoscendis in demonstratione. Alij dicunt, non fuisse Aristot. propositū, enumerare omnia præcognita, sed solum attingere omnes modos præcognoscendi, ad quos alij reuocandi sunt: explicat aūt illos in his quibus pręcognitis demonstrationis, quia illę erant notiora, & clariora. At vero differunt, in assignanda ratione cur tantum tria sint pręcognita demonstrationis: in quo sunt hi dicendi modi.

Philop.

Primus eorum qui hanc reddunt rationē: ad demonstrationē ductiuā necessaria, præmissæ & conclusio: sicū in conclusione duo sint subiectum, & passio, & ex præmissis sola maior dicatur dignitas, in qua minor potestate continetur, hinc est quod tria sint præcognoscenda, dignitas, subiectum, passio.

Alber. Porph.

Secundus aliorum, qui dicunt in demonstratione esse tria, principia, de quibus cognoscendum est esse uera, passionem demonstrandam, de qua pręcognoscitur quid nominis, & subiectum passionis, de quo pręcognoscendum est, quia est; quoniam ni esset, non posset substare passioni, quod si consideretur, ut est caussa passionis, oportet præcognoscere, etiam quid rei.

Tertius aliorum, qui dicunt in demōstratione considerari quattuor caussas, efficientē quæ sunt præmissæ: materiam, quæ est subiectum: formam, quæ est passio: finem, quę est, scientia, & cum scientia sit vltima omnium non potest esse præcognita: restat igitur, vt sint reliqua tria.

Quartus eorum qui dicunt, in demonstratione esse tria, principia extrinseca, intrinseca, & conclusionē, & quia intentio Arist. fuit enumerare solum pręcognita necessaria ante demonstrationem, & præmissæ quę sunt intrinseca principia in ipsa demonstratione cognoscunt, sequitur tria tantum esse præcognita, dignitates, quę sunt principia extrinseca subiectum, & passio.

Pro explicatione huius difficultatis sit vnicum notandum: quando Aristotelis ait, passionem esse vnum præcognitum, nomine passionis intelligendum est quodcunque prędicatum, siue sit proprietas, siue aliquid extrinsecum, uel intrinsecum subiecto. Similiter nomine principij, siue dignitatis non intelligitur vna tantum propositio, proxima, vel remota, sed id ex quo infertur conclusio: quod in demonstratione, minimum, constat duabus pręmissis, & in syllogismis hypotheticis interdum possunt esse plures, & in illis qui constant ex propositionibus demonstrabilibus. Hoc posito, has statuo positiones.

Prima positio. Primus modus dicendi nō videtur bonus. Primo, quia Aristoteles loquitur de præcognitione ante scientiam demonstratiuam: antequam præcognoscenda est etiam minor; & ita esset aliud præcognitum. Secundo, quia, ut maior potest esse ignota, ita etiam minor: quare par erit vtriusque hac in parte ratio.

Secunda positio, neque secundus modus admittendus est. Quoniam, ut supra est probatum, sub quid nominis, non continetur, quid rei.

Tertia positio, tertius quoquē dicendi modus non uidetur admittendus. Primo, quia præmissæ non sunt caussa efficiens demonstrationis, enim demonstratio, quæ est syllogismus quidam tota continetur in præmissis, sed conclusionis. Secundo, quia subiectū non est materia demonstrationis, nec etiam prædicatum forma, licet illud se habeat per modum materiæ respectu prædicati, hoc uero per modum formæ respectu subiecti.

Quarta positio, quartus etiam modus reijciendus uidetur. Quoniam Aristoteles initio capitis loquutus est de doctrina & disciplina in communi; & in textu secundo, in quo explicando uersamur, ponit præcognitiones cuiuscunque doctrinæ & disciplinæ communiter: Quando autem affert exemplum in præcognitis, intelligi debet de præcognitis saltem in ordinem ad demonstratiuā scientiam; & quia ante illam præcognoscendam sunt etiam principia intrinseca, non est cur ipsa à præcognitorum numero excludantur.

Quinta positio, probabile est intentionem

Aristo-

Aristotelis hoc loco non fuisse simpliciter ostendere ipsa præcognita, sed solum per exẽpla docere omnes præcognoscendi modos reuocari ad duos. Nam, cum in principio capitis dixisset, Omnem doctrinam ex præexistenti fieri cognitione; & aliquis petere potuisset, quot nam modis præcognoscitur illud quod per doctrinam scitur, ideo in secundo textu, docet præcognoscendi modos ad duos esse reuocãdos qui sunt, An sit, & quid sit. Postea has præcognitiones quibusdam exemplis explicando, dicit, de illo principio, De quolibet est uerum affirmare, uel negare, &c, præcognoscendum esse quod sit uerum: de triãgulo hoc est de passione, est enim passio lineæ in Geometria, quid nominis: & de vnitate, quæ est subiectum in Arithmetica, ãn sit, & quid nominis. Vnde inferres, probabile esse, quod aliqui dicunt, Aristotelis intentionem nõ fuisse ennmerare oĩa præcogniťa simpliciter, nec etiam respectu demõstrationis. Cæterum, illud certum est, nomine illius principij, intelligere quæcunq; principia demonstrationis: nomine trianguli, quodcũque quæsitum, & nomine vnitatis, quodcunque subiectum, ut supra adnotauimus.

Sexta positio, quidquid sit de Aristotelis intentione, dicendum est tria esse præcognita demonstrationis, principium, datum, & quæsitum; Nomine principij omnes dignitates & premissæ demonstrationis intelligũtur: nomine dati, quodcunque subiectum: & nomine quæsiti, quidquid concludi potest de subiecto dato. Primo, probatur hæc positio ex communi scriptorum sententia, & interpretum Aristotelis hoc loco. Secundo, quia tot sunt præcognita, quot sunt illa de quibus aliquid præcognoscere debemus: hæc autem sunt tria: igitur. Minor propositio patet, quia ea præcognoscenda sunt, sine quorum prænotione non potest fieri demonstratio: at ista sunt iam dicta: igitur. Etenim de subiecto oportet præcognoscere quid nominis, & an sit, de passione quid significet, & de principijs an sit vera, & nihil aliud restat præcognoscendum, igitur. Tertio, antequam cognoscatur res dubia oportet aliquid de problemate proposito præcognoscere: in problemate sunt duo, subiectum & prædicatum, vnde duo oriuntur præcognita: & quia in cognitionem rei dubiæ veniendum est per aliquid notum, necesse est præcognoscere principia per quę venitur in notitiam rei dcl cultæ. Cõfirmatur, tot sunt pręcognita, quot sunt ea quæ diuerso modo præcognoscuntur: at ista sunt tria, subiectum, passio, & principia, ergo. Nam licet subiectum & passio pręcognoscantur pręcognitione, an sit, tamẽ ista præcognitio diuersam habet uim respectu vtriusque, ut patet ex dictis.

Septima positio, definitionis præcognita sunt tria; definitum, genus, & differentia; Quoniam antequam rei quiditas cognoscatur, oportet aliquo pacto cognoscere definitum: & postea inuestigare definitionem, qđ fieri nequit, nisi cognoscatur genus & differentia; ac proinde ista duo extra definitum cognoscenda sunt. Atque ex his facile in contrarium allata solueres argumenta. Libr. 2. poste.

Ad primũ, & 2m patet ex dictis, & ideo nihil est necesse aliquid priuatim respondere.

Ad tertium, hoc loco est solum sermo de ijs quæ secundum se præcognoscuntur, non de ijs quæ uirtute & in uniuersali, quo modo conclusio cognoscitur in præmissis, non formaliter, sed potestate & in communi, ac proinde non facit distinctum pręcognitum.

Ad quartum, non fuit intentio Aristotelis numerare præcognita cuiuscunque disciplinæ, & ideo non meminit de præcognitis definitionis.

Ad ultimum, dignitas cognoscitur ut quid complexum, ideo habet vnam præcognitionem, at vero subiectum & passio non cognoscuntur vt quid complexum, alias enim non esse necessaria demonstratio, qua probatur coniunctio prædicati cum subiecto.

De varijs principiorum diuisionibus, & an de principijs præcognoscendum sit quid nominis. Cap. VII.

PRæcognitionum ac pręcognitorum doctrina vniuerse exposita, sequitur, vt de ijsdem priuatim agamus: & primum quidẽ de principiorum prænotione. Antequam autem quicquam de dubitatione proposita scribo, quasdam principiorum diuisiones, quæ nobis vsui erunt afferam.

Prima diuisio, principiorum alia sunt cõplexa, alia incomplexa: complexa sunt propositiones quędã ex quibus aliæ deducuntur,

Libr. 3. de cœl.

vt hoc, Natura nihil facit frustra: incõplexa sunt simplices termini, uel res per simplices terminos significatæ, vt caussa, motus, natura. Incomplexa, alia sunt principia tantũ cognoscendi, quæ licet non sint caussę rei, ducunt tñ in illus notitiam: vt in physica, motus, in medicina, pulsus, & in moralibus voluptas, & dolor:

Libr. 2. eth.c. 2.

alia sunt etiam principia essendi, ut illa quæ sunt caussa rei, & in eius cognitionem nos ducunt; ut in physica, natura, & oẽs caussæ. Vnde non placet, quod aliquando dixit Iandunus, esse quędã principia essendi, quę non sunt caussa cognoscendi:

Libr. 1. Phys.q. 7.

nam ut res se habet ad esse, ita ad cognitionem: quare, vt in esse pendet a quibusdam principijs, ita etiam in cognitione: cũ præsertim scire sit rem per caussam cognoscere: quare, eadem erunt essendi & cognoscendi principia.

1. Post. t. 5.

Quo fit, vt principiorũ incomplexorum duo sint genera, cognoscendi, & essendi. Complexa vero, alia sunt communissima oĩbus scientijs, vt principium illud, De quolibet est uerum affirmare, uel negare: quod omnes scientię supponunt:

1. Post. t. 24.

alia communia multis scientijs, vt illud, Omne totũ est maius sua parte; ꝙ est commune omnibus mathematicis: alia propria singularum scientiarũ, vt in physicis, Natura est principium motus & quietis: & in Medicina contraria contrarijs curantur.

Libr. 2. phy.t.4.

Boet. li. d' hebd.

Rursus diuidi possunt in ea quæ sunt oĩbus nota, ut sunt principia vniuersalissima: & in ea quæ solũ doctis sunt manifesta; ut, ex nihilo nihil fieri: substantias immateriales nõ esse in loco, & alia. Item, diuidũtur, in dignitates & positiones: dignitates sunt propositiones omnibus notæ ex sola terminorum notitia & explicatione, quæ dignæ sunt vt ab omnibus concedantur, & necessarium non est vt habeantur in principio scientiæ.

Zimar. theo. 33

Libr. 1. post.c. 2

Them. ibi Proc. in 3.lib. Euc.c.1.

Positiones sunt illa principia quæ non mostrãtur, nec oportet, ut cognoscantur ab eo qui docendus est. Positionum, quæ dicunt aliquid esse, uel nõ esse, uocantur suppositiones, quę uero nihil affirmant, uel negant dicuntur, definitiones.

Libr. 1. poste. t. 15.

Quod si hæ propositiones affirmant aliquid, ꝙ vel nescitur a discipulo uel putatur esse falsum, petit præceptor vt cõcedantur in principio, probandæ postea in ipsa scientia, & hæ vocantur petitiones, uel postulata; cuiusmodi principia sunt in Mathematica.

Eucl. li. 1.

Atque hęc de principiorũ diuisione prout ad nostrum propositum pertinet. Nunc de eorum pręcognitionibus priuatim agendum est: vbi hæc prima oritur, dubitatio, an de illis sit necesse pręcognoscere quid nominis. Et ratio dubitandi est, quia hoc loco Aristoteles de ista præcognitione nihil meminit: & tamen alibi expresse ait, de principijs præcognoscendum esse quid nominis.

Libr. 1. poster. t. 5.24

Vt autem hæc difficultas planius intelligatur, notandum est primo, aliud esse loqui de principijs communissimis omnibus sciẽtijs, aliud de principijs singularum demonstrationum, & quamuis certum sit, ut postea probabo, de principijs præcognoscendum esse quid nominis: Aristoteles tamen ponit differentiam inter illa. Nam de communissimis dicit, non esse præcognoscendum quid nominis, de alijs uero maxime.

1. Post. t. 24.

Rursus notandum est, omnes concedere de vtrisq; pręcognosci posse quid nominis, sed differunt in assignanda ratione, cur id Aristoteles non expresserit: de qua re sunt hæ diuersæ sententiæ.

Prima eorum qui dicunt, non esse pręcognoscendum quid nominis, quia intelligi possunt, sine vlla notitia terminorum: vt patet in scientia inuentiua: ac proinde Aristoteles non posuit istam prænotionem.

Secunda aliorum, qui dicũt, Aristotelem, p. quid est, intellexisse indifferenter definitionem nominis & rei, ita ut per istam pręcognitionem aliqñ intelligenda sit definitio nominis, aliquando rei: & quoniam principia cum sint complexa, nullo modo habere possunt definitionem rei, ideo Aristoteles non dixit de illis præcognoscendum esse, quid est.

Tertia quæ asserit de dignitatibus, quare solum meminit Aristoteles, non posse præcognosci quid nominis: tum quia constant ex terminis quibusdam commissimis, qui non possunt habere veram definitionem nominis: tum etiam quia sunt, quid complexum; complexum autem, ut tale nullo definitionis genere definiri potest.

Quarta quæ asserit, principia, ut principia sunt, non habere definitionem nominis per se: quod si quando habent, illud est commune, quando nimirum aliquod nomen commune illis imponitur: & ideo Aristoteles, non meminit talis præcognitionis.

Aegi. Alb.

Quinta, asserit mentem Aristotelis fuisse agere solum de primis principijs, quæ quia non sunt cognoscenda nisi habitualiter, p. o-

A pol. 6 post. q. 3.

pterea non requirunt præcognitionem quid nominis, ac proinde de ea nihil meminit.

Denique, alij dicunt principia non habere definitionem nominis, nisi ratione terminorum complexorum ex quibus componuntur: Et quia termini complexi eodem modo præcognoscuntur per quid nominis sicuti subiectum, & passio, ideo Aristot. illam præcognitionem quid nominis principiorum, cõprehendit sub præcognitione quid nominis subiecti, & passionis. Atq; hæc sunt interpretum Aristotelis placita, quæ non sunt omnino certa, vt ex eorum confutatione patebit.

Prima positio, prima sententia & explicatio non videtur admittenda. Quia pari ratione tolleretur præcognitio quid nominis subiecti: patebit etiam huius sententiæ falsitas ex sequentibus.

Secunda positio, neque secunda explicatio admittenda videtur. Primo, quia, vt supra docuimus, falsum est Aristotelem per quid nominis intelligere etiam quid rei. Deinde, esto ita esset: tamen, cum de principijs necessariũ sit præcognoscere quid nominis, Arist. huius præcognitionis meminisse debuit.

Tertia positio, tertia quoque sentẽtia reijcienda est. Primum, quia Aristoteles non solum intelligẽdus est de primis principijs, sed etiam de alijs. Deinde, cũ definitio quid nominis nihil aliud sit, quam vocabulorum explanatio, etiam illi termini erunt talis definitionis capaces. Adde etiam, quod falsum est, complexa non habere nominis definitionẽ, & Aristoteles id plane docet. Vnde facile etiam quartam reijceres sententiam. (2. poste. t. 9.)

Quarta positio, neque quinta explicatio admittẽda videtur. Primum, quia etiam aliorum principiorum mentionem fecit, & per illam dignitatem omnia intellexit principia. Deinde, vt est necessarium cognoscere habitualiter, quia uera sunt, etiam habitualiter præcognoscendum est, quid nominis. Postrema uero sententia, quia sine vllo fundamento, gratis introducitur, nihil est cur speciatim confutari debeat etiam illud, quod aliqui dicunt, ideo Aristotelem huius prænotionis nõ meminisse, quia erat omnibus manifestum; quia etiam infra, cum de eadem re agitur tacere debuisset: & eadem ratio etiam ualeret contra præcognitionem quid nominis de subiecto.

Quinta positio, complexa definitione nominis definiri possunt, ac proinde eorum talis potest esse præcognitio. Primum, hoc expresse non vno in loco docuit Aristoteles, quamuis, vt idem ait, definitionis rei nõ sint capacia. (Libr. 7. Meta. t.12.13. & 14.) Deinde, complexo poni potest commune nomen, quod postea potest explicari; igitur: vt si omnibus operibus Homeri ponatur hoc nomen Ilias, & deinde explicetur significare historiã belli Troiani. Et libro primo Perihermenias, si quis homini, & equo imponeret hoc nomen, tunica, & diceretur, tunica est alba non esset vna propositio: vnde de tunica, præcognoscendum esset quid nominis. (Loc. citat. t.26. Cap. 5.) Deinde possunt habere definitionem nominis ratione terminorum incomplexorum ex quibus componuntur: & hoc fieret, tum explicando significationem singulorum per se; tum etiam explicando significationem, vt simul iuncta constituunt tale complexum.

Sexta positio, ante quamlibet demonstrationem præcognoscere oportet quid nominis terminorum, qui sunt in præmissis. Primum quia impossibile est præcognoscere eas esse ueras, nisi cognoscatur quid significent termini ex quibus componuntur. Secundo ex communi doctrina Themistij, Philoponi, Auerrois, Diui Thomæ, & ipsiusmet Aristotelis, qui hoc asserit. (Cap. 4. & 10. Com. 11. 33.)

Septima positio, ante scientiam, totalam prœcognoscendum est quid nominis terminorum, qui sunt in principijs illius scientię. (1. Poste. t. 24.) Primum, quia vt est probatum, possunt habere aliquam nominis definitionem: igitur. Deinde, quia sine ista præcognitione non potest cognosci eorum veritas. Adde postremo quod aliæ opiniones, vt patet ex earum confutatione, non sunt bonæ; hęc igitur recipienda. Cur autem Aristoteles non enumerauerit, statim dicam. Quo loco animaduertendum est, in principio scientiæ non prędoceri, quid nominis significent termini, sed solum an principia sint vera, & an sit, & quid significet subiectum, & passio; vt patet in Mathematicis. Nec id fit, quod non sit necesse, sed quia sunt omnibus notissimi, quod non accidit in terminis præmissarum singularum demonstrationum.

Octaua positio, Aristoteles his de caussis non meminit præcognitionis nominis principiorum. Primo, quia agit de pręcognitionibus necessarijs ante totalem scientiam; ac proinde

Tex. 24 proinde de præcognitione principiorum cõ-
munium, quorum termini noti sunt: at vero,
cum postea agit de principijs proprijs, dicit
de illis esse præcognoscendum quid nominis,
cum illorum termini non sint omnibus no-
ti. Secundo, quia eius intentio non erat addu-
cere omnes præcognitiones præcognitorum
in particulari, sed tantum aliquibus exemplis
explicare illas præcognitiones, quarum men
tionem fecerat. Quare, non est mirum si non
meminit illius præcognitionis dirigẽtis prin
cipiorum, cum de illa postea dicturus esset.
Loco ci. Sunt qui dicunt, Aristotelem in illis exẽplis
voluisse indicare ante scientiam demonstrati
uam de quibusdam præcognoscendum esse
quia est, de alijs vero, quid est qđ dicitur, de
alijs vero utrumque: unde mirum uideri nõ
debet, quod in particulari non addiderit oẽs
præcognitiones huius, uel illius præcogniti.

An de principijs præcognoscendum sit quod sint vera. Cap. VIII.

QVamuis ex Aristotele, & ex cõmuni in-
terpretum sententia certissimum sit, de
primis principijs, & dignitatibus, præcogno
scendam esse eorum ueritatem: tamen id qđ
alias certum esse uidetur, hæ rationes in du-
bium reuocant.

Prima, conclusio non infertur proxime ex
his principijs, cũ sint ab ea remota: ergo con-
clusio cognosci poterit etiam si principiorum
illorum ignoretur ueritas.

Secũdo, quoniam uidemus, ut plurimum
particulares scientias non præcognoscere hu
iusmodi prima principia, sed solum propria.

Postremo, qa talis cognitio est Metaphy-
Lib. 11. sica, ut ex Aristotele discimus: igitur non est
sum. 2. necessaria in priuatis scientijs. Hic nullæ oc-
c. 2. currunt citandæ sententiæ, ut autẽ quod pro-
positum est plane explicetur, unicum subij-
cio notandum.

Notandum itaque est, tres a Philosophis
assignari caussas efficientes scientiæ, siue con
clusionis alicuius demonstrationis, intellectũ
agentem, præceptorem qui uoce, uel scripto
docet, & principiorum notitiam. Intellectus
ob has rationes dicitur esse caussa scientiæ.
Primo, quia facit uniuersale, qđ est obiectum
intellectus possibilis, & scientiæ: secundo: qa
facit species intelligibiles, sine quibus nõ po-
test esse cognitio intellectiua, cum obiectum
accedere debeat ad potentiam: tertio intelle-
ctus agens, ut multi scribunt, illustrat phan-
tasmata, & intellectum possibilem ad hoc, ut
possit intelligere. Præceptor autem dicitur
caussa scientiæ, non eo modo quo intellectus,
sed solum, quia ostendit modum quo debe-
mus intelligere: sicuti medicus ostendit mo-
dum quo ægrotus sanari debet. Quare, sicuti
si ægrotus non seruaret medici præcepta non
sanaretur, ita discipulus nisi seruet modum a
præceptore datum, scientiam nequit acquire
re: est tñ inter has duas caussas differentia:
qm̃ sine prima nullo mõ potest acquiri scien
tia: at sine secunda põt, licet non ita cõmode,
ut patet in doctrina per inuentionẽ acquisi-
ta. Tertia caussa, principiorum notitia, cum
duobus comparari põt: primo cum demõstra
tione, quam principia ingrediuntur, & tũc nõ
solum sunt caussæ efficientes, sed etiam ma-
teriales demonstrationis: secundo, cum scien
tia demonstratiua quæ acquiritur, & tũc sunt
caussæ efficientes. Nam sicut res se habet ad 2. Met.
esse, ita ad cognitionem: res autem in esse pẽ t. 4.
dent a primis principijs: quare & in cogni-
tione. Merito igitur principiorum notitia di-
cetur caussa scientiæ conclusionis. Hoc nota-
to, de proposita dubitatione sic statuo.

Prima positio, de principijs proximis de 1. Post.
monstrationis, & de præmissis præcognoscẽ- c. 2.
dum est, quod uera sint. Primo probatur ex
communi sententia, & ex Aristotele, qui hoc
expresse docet, immo ait esse magis cogno-
scenda quod uera sint, quam conclusio. Dein-
de, conclusio cognoscitur ob principia proxi-
ma: ergo multo magis ipsa debent esse cogni Libro 1.
ta, iuxta illud axioma, Propter quod unum poster.
quodque tale, & illud magis. t. 5.

Secunda positio, de primis principijs opor
tet præcognoscere aliquo modo quod uera 2. Met.
sint. Quia non potest perfecte cognosci con t. 4.
clusio, nisi aliquo pacto cognoscantur prin-
cipia regulantia illius, cuiusmodi sunt prima
scientiæ principia. Quare, ut exacta habeatur
cognitio, aliqua ratione talia principia cogno
scenda erunt. Quæ cum sint ualde remota, &
ante cognitionem scientiæ non cognoscãtur
ab omnibus, ideo initio scientiæ præ doceri
debent. Qua autem ratione præcognoscenda
sint, an habitu, an actu, sequenti dubitatione
explanabitur. Atque ex his facile solueres ar
gumenta in contrarium allata.

Ad primum, conclusio nunquam censebitur cognita nisi aliquo pacto cognoscantur principia etiam mediata, cum per illa tandem omnia cognoscantur.

Ad secundum, particulares scientiæ, non ideo non cognoscunt ista principia, quod eorum notitia non sit aliquo modo necessaria, sed quia, cum sit per se nota, supponuntur tā quam vera. Quia is qui docendus accedit ad aliquam scientiam debet esse dispositus ad assentiendum primis principijs.

Ad tertium, ad Mataphysicum pertinet cognoscere illa principia in cōmuni, & vniuersaliter: at eorundem notitia, vt sunt applicata ad hanc, vel illam materiam, pertinet ad particulares scientias. Vt ecce, cognoscere hoc principium, De quolibet, est affirmare, vel negare est proprium Metaphysici; at cognoscere de aliquo affirmandum esse, ut esse lineam est proprium Geometræ.

Quomodo principia præcognoscenda sint, an actu, an potestate. *Cap. IX.*

QVamuis ergo exploratum sit principia cognoscenda esse: tamen adhuc dubitare licet, quo nam modo cognoscenda sint, an actu, an potestate tantum. Vt autem huic dubitationi satisfiat, animaduertēda est illa principiorū distinctio, quod alia sint cōia, ut dignitates, alia propria illius demonstrationis quæ facienda est, quæ necessario demonstrationem ingrediuntur: dignitates non item; licet interdum ingredi possint. Et quia in præsentia nullæ occurrunt citandæ sententiæ, & nihil est notandum, has subijcio positiones. (1. Post. t. 26.)

Prima positio, principia propria demonstrationis præcognoscenda sunt actu, quantū ad veritatem, & quid nominis. Probatur ex Arist. qui varijs in locis hoc docet, dum ait, nihil posse cognosci, nisi intelligantur propria principia eius quod cognoscitur. Secundo, horum principiorum notitia, vt supra diximus, est caussa efficiens proxima conclusionis: ergo non potest actu cognosci conclusio, nisi eius principia actu cognoscantur. (Libro 1. poste. t. 5. & 15. Libro 2. cap. vlt. Libr. 6. Eth. c. 3.)

Secunda positio, ante quamlibet particularem demonstrationem non est necessarium præcognoscere actu aliquod primum principium, v. g. illud, De quolibet est verum affirmare, uel negare. Primum, quia communiter homines demonstrant aliquid, & nihil cogitant de primis principijs: & tamen uere demonstrant: ergo ante demonstrationem non est necessaria actualis istorum principiorum notitia. Secundo, quia potest quis facere perfectum syllogismum sine cognitione primi principij, vt si hoc modo discurrat, Omne calidū calefacit: ignis calidus, calefacit igitur, qui syllogismus est perfectus sine cognitione ullius primi principij; ergo talis cognitio non est necessaria.

Tertia positio, dignitates seu prima principia ante demonstrationem cognoscenda sunt saltem habitu. Primo, quia ante cognitionē conclusionis debent cognosci præmissæ, cum ab illis proxime pendeat conclusio: sed illæ non possunt cognosci sine cognitione saltem habituali alicuius primi principij: ergo. Minor propositio patet, quia non possunt cognosci, nisi cognoscantur omnia ea quibus pendent: atqui pendent ab aliquo primo principio: ergo illud saltem præcognosci debet. Secundo, omnis demonstratio concludit ui alicuius primi principij: ergo illud aliquo modo præcognoscendum est. Tertio, vel premissæ sunt indemonstrabiles, & nullam habent caussam: & tunc erunt prima principia: vel sunt demonstrabiles, & tunc, vel demonstrantur per alia principia demonstrabilia, uel per indemonstrabilia: si primum, igitur demonstranda erunt; & ita dabitur progressus in infinitum, uel ueniendum erit ad indemonstrabilia, quæ saltem habitu sint cognoscenda: ergo ante demonstrationem aliqua principia modo dicto præcognoscenda sunt. (Apol. q. 3.)

Quarta positio, non est necesse, ut prima principia cognoscantur actu ante scientiam conclusionis. Primo, illa sunt cognoscenda actu, ante demonstrationem, a quibus conclusio proxime depēdet: atqui, ab hoc principiorum genere non dependet proxime cognitio conclusionis, vt Aristoteles docet in Ethicis: igitur. Secūdo, dignitates communes nullius rei sunt caussæ: non enim homo est animal propter hoc principium, De quolibet est verum affirmare, uel negare; quia ut Aristoteles ait, non propter nostrum affirmare, vel negare res erit, uel non erit: similiter, non ideo aliquid est simile alteri, quia quæcūque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, cum hoc sit extrinsecum: igitur. Postremo, dicta prin- (Lib. 6. cap. 3.) (Libr. 1. perther. c. vlt.)

principia non ingrediuntur actu demonstrationem, cum non sint propria: neque virtute, cum res non pendeat intrinsece ab illis: neq; principia proxima sint uera, aut certa propter illa: ergo nõ est necesse, ut actu præcognoscantur, sed dices, si ita est, quare necessario præcognoscenda sunt, aliquo mõ, ut est probatum? Rñdeo, quia licet non sint caussæ in essendo, sunt tamen caussæ in cognoscendo: cum sine illis non possimus cognoscere illationem syllogismi: adde etiam quod præcognoscenda sunt ad conuincendos proteruos.

Quinta positio, si prima principia, & dignitates actu ingrediantur aliquam demonstrationem saltem imperfectam, ut est illa quæ ducit ad impossibile, pcognoscēda sunt actu.
1. Post. t. 26. Primum patet hæc positio ex doctrina Aristotelis, qui hoc aliquando docuit: cui cõsen-
1. Post. t. 2. tit Philoponus, Themistius, & alij. Deinde cõfirmatur eadem ratione, qua probata fuit
Cap. 11. prima conclusio. Cæterum, quando prima
12. principia ingrediuntur demonstrationē, non habent propriam dignitatum rationem, sed potius quorundam principiorum particularium, & propriorum illius conclusionis, ut
Loc. cit. Aristoteles scribit. Ex his omnibus colligitur ante particularem demõstrationem esse necessarium habere cognitionem actualē præmissarum, & habitualem principiorum: at vero ante sciētiam totalem esse necessariam cognitionem principiorum illius scientiæ.

Sed ob jcieres, multi faciunt ueras demonstrationes. & tamen negant prima principia: ergo non est necessaria ulla principiorum cognitio: antecedens patet de antiquis philosophis, qui negabāt illud principium, De quolibet est verum affirmare, vel negare: & tamē faciebant ueras demonstrationes. Respõdeo, ista principia non posse negari ab homine sanæ mentis: & si negentur, tunc negandæ erūt omnes illæ demonstrationes, quæ ab illis pēdēt. Quo fit, ut ante demonstrationem principia cognoscenda sint, non solum præcognitione dirigente, qualis est quid nominis, sed etiam agente, cum principiorum cognitio sit caussa notitiæ conclusionis. Sed de hac dubitatione hucusq;.

Quibus modis principia probari possint, & cur ab aliquibus negentur. Cap. X.

CVm ergo primorum principiorum ueritas, uel actu, uel habitu habenda sit, ad hoc ut perfecta habeatur scientia; peteret hoc loco quispiam, qua nam rõne eorum ueritas cognosci, & si negaretur quo pacto defendi possit: qua de re non uno in loco disputauit Cap. vlt.
Arist. ut in altero posterioris analysis, in sexto Vide
Eth. & alibi. Similiter aliqs peteret, quid Zim.
caussæ sit, cur ab aliquibus principia, alias no Theor.
ta, negari soleant; quibus duabus dubitationi 33.
bus, una & altera satisfaciemus positione.

Prima positio, prima principia complexa cuiuscunque scientiæ, varijs modis cognosci & probari possunt: modi autē sunt fere isti. Primus, aliqua cognoscūtur sensu, ut ignem 1. Top.
esse calidum, solem lucere: quam cognoscen c. 3.
di rationem tanti Aristoteles fecit, ut aliquā 2 Met.
do dixerit, cum qui negat sensum, egere sen tex. 7. &
su & pœna Secundus, aliqua cognoscuntur 14.
experientia, qua ratione multa principia cognoscuntur in arte medendi, ut hoc principium, quod contrarijs contraria curentur; Reubarbarum purgare bilē; & id genus multa alia. Tertius, per inductionem, quæ comprehendit sensum, & experientiam. Quo loco animaduertendum est, falsum esse quod aliqui dicunt, mathematicas disciplinas acquiri per experientiā: quorum sententia pugnat expresse, cum eo quod in sexto Ethico. docet Aristoteles, vbi assignat hanc caussam Cap. 8.
cur pueri possint esse Mathematici, non autē Ethici, vel Physici, quia disciplinæ Mathematicæ habentur per abstractionem, & per prin 1. Eth. c.
cipia valde nota: Moralis autem, & Naturalis 3.
scientia per experientiam; quæ in pueris aut nulla est, aut certe exigua. Quare ex Aristotelis doctrina Mathematicæ non habentur per experientiam. Quartus, per diuisionem, aut per syllogismum hypotheticum; & a signo, Libro 6.
qua ratione probantur illa quæ sunt nobis Eth. c. 3.
aliquo pacto obscura, licet secundum se nota sint. Quintus, denique aliqua cognoscuntur per consuetudinem, qua ratione fere omnia principia moralia innotescūt, quem modū in primo Ethico. posuit Aristoteles. Hinc Cap. 7.
est, quod agendo de auditore moralis philosophiæ, pueros, & incontinentes auditores

non

non idoneos esse docuit: quia cum consuetudine bonorum morum careant, non admittunt principia. Atque hæc de primo, quod explicandum proposuimus: nunc de secundo dicamus.

Secunda positio, prima principia uarijs de caussis negari possunt. Non loquimur hoc loco de cõmunissimis, & notissimis, quæ ab homine mentis compote, animo saltem negari nequeunt, quæ sunt veluti sciẽtiarum ianua, a qua aberrat nemo, sed de principijs singularum scientiarum: caussæ autem cur negari queant, sunt fere istæ. Prima, aliqua naturæ prauitas, vt si quis ob cæcitatem negaret niuẽ esse cãdidam; aut ob corruptum gustum, mel esse dulce. Secunda, ob imperitiam illius sciẽtiæ cuius principia negantur, vel ob paruam exercitationem in aliqua arte, ut si quis ob ignorantiam doctrinæ syllogisticæ negaret ex duabus affirmantibus in secunda figura nõ licere argumentari; & parum versatus in perspectiua, parallelas lineas æqualibus spatijs distare. Et quoniam ex ignoratione principiorum, & plurimi, & grauissimi oriuntur errores, ideo Plato iubebat, ut multus haberetur de principijs sermo. Ob hanc caussam, idem Plato, qui plus in Mathematicis, quã in Physicis uersatus erat, in his sæpe errauit.

(Zimar. Theor. 33. in addit. — Libro 4. Meta. t. 9. — Auerr. lib. 1. de cœl. com. Et 2. Met. cõ. 16. — 1. Cœl. t. 33. — Libr. 1. de gen. — Libr. 3. cœl. t. 6.)

Tertia ob ignorantiam Logicæ, quæ docet modum cognoscendæ veritatis: quod sæpe Aristoteles antiquis Philosophis, & Auerroes obijcit Auicennæ, & multis Iurisperitis obijci potest, qui ob eandẽ caussam sæpe grauiter errant. Quarta, ob prauam educationẽ, in propositionibus cõtrarijs uirtuti, ut in moralibus accidere solet. Id quod, vt refert Aristoteles accidere consueuit ijs, qui fabulis assueti, non possunt ea credere quæ vera sunt. Quod hominibus suæ religionis accidisse ait Auerroes. Qui ergo negaret principia manifesta per sensum, sensu indigeret. Qui principia pertinentia ad religionem, si sint communissima non probatione cõuincendi, sed potius pœna cohercendi sunt: qui negant principia, quæ non sunt omnino nota reuocandi sunt a uitijs, quibus qui sunt infecti, non facile admittunt ea, quæ ad virtutem consequendam sunt necessaria, vt homines incontinentes: Quam ob caussam, vt dicebam, Aristoteles dixit, iuuenes non esse idoneos philosophiæ morum auditores, cũ suas sectari velint animi affectiones, quas qui sequitur, ab honesto facile abducitur. Denique, ideo aliqui interdum principia negãt, quod nihil velint admittere, nisi omnino exploratum, & certissimum, non animaduertentes, quod sapiẽter scriptum reliquit Boetius, Disciplinati hoc esse in unoquoque genere certitudinem quærere, secundum quod subiecta natura postulat, & eos errare, qui in omnibus artibus certitudinem requirunt mathematicam.

(1. Phys. t. 71. — Libr. 3. de cœl. comm. 67. — 2. Met. t. 14. — 1. Phys. — Libr. 1. Eth. ca. 4. — Lib. 1. de Trinit. — Aristot. loc. cit.)

An scientia ita supponat sua principia esse, vt illa nulla ratione probare possit. Cap. XL.

HAec ultima circa principiorum doctrinã nobis restat explicãda difficultas, in qua hæ rationes dubitationem faciunt.

Primo, ex Aristotele principia supponuntur, & non quæruntur. Si non quæruntur, igitur probari non possunt.

Deinde, quia uersari circa prima principia est munus sapiẽtis, & Metaphysici: ergo scientia particularis ea probare non poterit.

(Lib. 11. Met.)

Tertio principia ante quãcunque demonstrationem cognoscuntur: igitur nulla ratione probari poterunt. Circa hanc difficultatẽ, hæc sunt scriptorum sententiæ.

Prima Auicennæ, & aliorum, qui existimant hoc solum esse munus Metaphysici. Quod si eis obijcias, Aristotelem in primo Physic. probasse principia esse, dicunt id fecisse tanquam Metaphysicum. Quoniam existentia sequitur rem, vt res est: at res est, ut res est in cõmuni consideratur a Metaphysico; ergo ab eo solo esse rei demonstrari potest.

(Tex.)

Secunda opinio aliorũ, qui distinguunt de principijs: quædam dicuntur principia subiecti scientiæ, quæ ab alijs vocantur principia essendi: quædã principia scientis, q̃ alij principia cognoscendi uocant: hac posita distinctione, dicunt, quædam principia in scientia probari posse per alia a priori, nimirum principia essendi, per principia cognoscendi. Sed isti errant, dum existimant demonstrationem a priori, procedere ex principijs cognoscendi, cum talis demonstratio sit a posteriori.

Tertia opinio cõis fere oĩum, & priuatim Auer. q̃ affirmat principia incognita nõ posse probari a priori, a posteriori tñ per aliquos effectus probari posse. Ad huius difficultatis explicationem, has subijcio positiones.

Prima

Prima positio, prima principia incomplexa essendi, nõ possunt probari à priori: Verbi gratia Physicus nõ potest probare à priori materiã, & formam esse. Ratio huius doctrinæ est manifesta; quoniam, si possent demõstrari à priori iam non essent prima, quia haberent illa priora ex quibus penderent in esse; siquidem demonstratio à priori procedit per caussas, Si ergo demonstrentur à priori habebunt caussas, & ita non erunt prima in esse. Intellige hanc doctrinã de primis principijs simpliciter. Quod si petas, quo si illa ignota fuerint, & non possint probari à posteriori, quæ nam scientia illa demonstrabit? Respondeo probari debere à subalternante, siue à superiore scientia: & à Dialectica ex probabilibus; à Metaphysica vero ex communibus.

Arist. 2. poste. t. 23. & 27.

Secunda positio, scientia aliqua particularis probare potest principia incomplexa sui subiecti, uel essendi a posteriori, demonstratione Quia. Primo, patet experientia: hoc. n. fecit Arist. in primo Physico. ubi ex mutatione probauit dari principia essendi rerum naturalium, & octauo Physico dari primũ motorem ex motu. Secundo, interdum in scientijs principia sunt ignota, & dantur effectus notiores, quibus demõstrari possunt: quid ergo impedit, quin sciẽtia eã à posteriori pbet? Postremo, quia alias quæstio, an sit, esset superflua in omni scientia, excepta Metaphysica.

Tex. 58.

Tertia positio, principia complexa, siue cognoscendi non possunt proprie demõstrari, quamuis habeant veram caussam essendi. Quoniam prima principia cognoscendi sunt omnibus notissima: demonstratio uero petit ad ignotum: quare si demonstrari deberent, opus esset procedere ab ignoto. Vnde, si quis in Physica negaret motum, recurrendum esset ad sensum. Licet ergo huiusmodi principia caussam habere, & demonstrari possint: tamen demonstratio esset inutilis: ideo Aristoteles dixit, vanũ esse uelle tentare probare naturã esse. Quod si aliquo pacto sint ignota, ad qua diuisione, vel inductione, & syllogismo hypothetico manifestanda sunt, vt fecit Arist. probando, hoc principiũ, Nostram doctrinam ex præexistente fieri cognitione.

Libr. 2. Physic. tex. 6.

Quarta positio, primorum principiorum notitia non dicitur esse nobis innata, quasi sit insita à natura, sed quia ex sola terminorum declaratione sine vllo discursu illis asẽtimur. Quod non sit aliquid à natura tributum, patet ex Aristotele dicente, intellectum esse tanquam tabulam rasam, in qua nihil est omnino dictum, & opus esse intellectu agente, qui reducat intellectum possibilem ad actum. Quare, si proponatur hoc principiũ, Totum est maius sua parte, uel hoc, De quolibet est uerum affirmare, uel negare, si quis intelligat istorum terminorum significationem, istis assentietur principijs. Terminorũ autem explicatio non est caussa efficiens assensus, sed solum conditio, & præcognitio dirigens. Quo fit, vt hoc principiorũ genus nullo modo negari possit ab homine mentis cõpote, & si negetur, refugiendum est ad demonstrationem reducentem ad impossibile, vel ad sensum. Argumenta contraria facile soluuntur ex dictis.

Libr. 3. de An. t. 14. 1. Met. c. vlt. 2 Post. c. vlt.

Ad primum, respondeo cum Themist. & Auerroe, Aristotelem loqui de demonstratione à priori, non à posteriori, in qua principia supponuntur esse, & non probantur.

Com. 24.

Ad secundum, Metaphysicus solum considerat existentiam in genere, prout sequitur ipsum ens, & existentiam in communi: at pbare existentiã, ut sequitur hoc, uel illud esse, pertinet ad scientias particulares.

Ad tertium, principium in demonstratione à priori est præcognitũ: at vero in demõstratione à posteriori est quæsitum. Atque de principiorum prænotione hucusque.

An de passione præcognoscendum sit quid nominis. Cap. XII.

QVamuis in aliqua proposita quæstione primo loco occurrat subiectum, & postea passi, siue prædicatum: tamen ideo priore loco de præcognitione passionis, quã subiecti disputare uolumus, quod de ea pauciora dicenda sint, & id quod dicemus, ad ea conferet, quæ postea latius de subiecti prænotione dicturi sumus. Circa præcognitionem passionis, siue quæsiti duo in hoc capite quæruntur.

Primo, cum præcognitio quid sit, de passione, sit necessaria, cur Aristoteles eam omisit, & non dixit, de passione duo esse præcognoscenda, sicuti de subiecto? Deinde an præcognitio nominis subiecti, eadem sit cum præcognitione nominis prædicati. Et quod

sit

sit ab ea diuersa his rationibus probares.

Primo, ubi sunt diuersa pręcognita, ibi sunt diuersæ pręcognitiones, præcognitiones enim sunt actus, qui distinguuntur per obiecta: sed præcognita sunt distincta: igitur & præcognitiones.

Deinde, ut se habet definitio rei ad suum definitum, siue ad rem ipsam: ita definitio nominis ad nomen definitum: atqui definitiones rei distinguuntur pro diuersitate eorũ quę definiuntur: igitur & definitiones nominum: cum ergo nomen subiecti & passionis inter se differant: igitur & eorum definitiones. Circa hanc difficultatem, missis varijs interpretum super hoc Aristot. loco expositionibus quid sentiam, vnica præmissa distinctione, quibusdam positionibus docebo.

5. Meta. t. 12. Notandum itaque est ex Aristotele, triplicem esse distinctionem, genericam, specificã, & numericam; si de ijs loquamur, quæ vniuoce in aliquo conueniunt. Illa dicuntur numerice distingui, quæ cum cõueniant in vna natura essentiali; solum accidentaliter differunt, vt Petrus & Paulus, in quibus sub vna natura, varia sunt accidentia per quæ numero differunt. Illa dicuntur specie differre quę partim essentialiter in aliquo communi conueniunt, partim uero essentialiter differunt per vltimas & intrinsecas differentias; vt homo, & leo, qui conueniunt in gradu communi essentiali generico, sed differentia essentiali distinguuntur. Illa vero genere, quæ differunt in essentia, & conueniunt solum in aliqua ratione superiori, uel etiam omnino differunt: primo modo differunt homo, & lapis: secundo modo homo, & qualitas. Cum ergo præcognitio nominis definiti, & passionis aliquo modo distinguantur, uidendum est quo pacto.

Prima positio, de passione præcognoscendum est quid nominis antequam fiat demõstratio. Primum patet ex communi scriptorum sententia: id enim omnes fatentur.

1. poste. t. 23. 24. & 25. Deinde confirmatur rõne, quia alias non posset cognosci an præmissæ sint uerę, & an esset uera conclusio quæ ex illis deducitur.

Secunda positio, præcognitio quid nominis subiecti & prædicati numero differunt. Ratio est manifesta, quia diuersis actibus vtrunque cognoscitur: non sunt igitur idem numero. Præcognitio enim nihil aliud est, quam actus cognoscendi: quod sit non distinguerentur numero, vno & eodem. Actu vtrunque cognosceretur, quod est falsum.

Tertia positio, istæ duæ nominis præcognitiones specie inter se differunt. Quoniam omnis definitio sumitur distinctionem suam specificam à definitio; ita vt si quę definiuntur specie differant, etiam definitiones sint inter se specie diuersę; ratione nimirum rei quæ definitur: at præcognitio nominis subiecti, & passionis est quædam definitio nominis: ergo cum nomina inter se specie differant, etiam illorum definitiones erunt specie diuerse.

Quarta positio, istæ duæ præcognitiones conueniunt genere, & ita sunt quid vnum vnitate generica. Primum, quia certum est aliquo pacto conuenire, cum ambę sint nominis præcognitiones: at non conueniunt numero, vel specie, vt est probatum: genere igitur. Secundo, definitio nominis sumit suam naturam à significatione nominis, est enim in nomine, uox ueluti materia, & significatio veluti forma: sed subiectum & prædicatum habent distinctas significationes specie: ergo genere conuenient: cum vtrunque aliquid significet.

Quinta positio, quod attinet ad præcognitionem quid sit passionis idem dicendum est, quod supra diximus de eadem respectu subiecti: quare quod attinet ad id de quo primo loco dubitari posse diximus, nihil est vt aliquid speciatim dicamus.

Atque ex his colligere licet, quot sint pręcognitiones, de quare supra disputatum fuit: Nam, si loquamur de vnitate generica, sunt duæ genere: quoniam pręcognitio an sit est vna genere analogo, vt docuimus: & præcognitio quid nominis est etiam vna genere: genere igitur duę. Specie vero quattuor, quia præcognita sunt numero tria, & vnum præcognoscitur duabus præcognitionibus distinctis, quattuor igitur specie. Nam alia est pręcognitio nominis subiecti, alia prædicati, & alia an sit principiorum, alia vero an sit subiecti: erunt itaque quattuor. Si vero loquamur de vnitate numerica, nullus est certus earum terminus, ut patet. Atque ex his facile solueres argumenta in contrarium allata: Nam quod attinet, ad præcognitionem quid sit, patet ex ultima positione. Argumenta in altera dubitatione allata, plane soluuntur ex dictis. concedimus itaque differre specie ge-

nere tamen conuenire, & Aristoteles solum considerauit præcognitiones genericas, quæ sunt tantum duæ. Sicuti in primo, & secundo physico: egit de principijs, & caussis generice, quæ tamen species sunt multo plures. Atque de hac prima passionis prçcognitione dixisse sufficiat, nunc de secunda dicamus.

An de passione præcognoscere oporteat, an sit. Cap. XIII.

Circa hanc præcognitionem illud dubitationem facit, quod Aristoteles nihil de ea dixerit: & tamen uidetur esse necessariũ præcognoscere passionem existere, cum ut plurimum, eius præsupponatur existentia, de qua propter quid sit probatur. Confirmatur, quia antequam probemus passionem inesse subiecto, opus est ut illam in præmissis alicui attribuamus: ergo præcognoscendum est ea esse. Ad huius difficultatis explicationem hęc subijcio notanda.

Primum notandum, hæc dubitatio non solum intelligenda est de passione proprie sumpta, ut est ea quæ conuertitur cum subiecto, sed de quocunque prædicato quod potest in conclusione de quouis subiecto concludi, siue sit proprium, siue accidens commune, siue aliquid essentiale: quamuis re uera, in demonstratione potissima non probetur nisi propria passio de suo subiecto. De quacunque, itaque prædicato siue quæsito hic dubitatur, an de eo præcognoscendum sit, quia est, an solum sufficiat præcognoscere quid nominis.

Secundum notandum, proprietates, siue passiones sunt in duplici differentia: aliæ quæ vni tantum subiecto conueniunt, quo cum conuertuntur, ut latrare cum cane, coaxare cum rana; aliæ quæ insunt pluribus subiectis, & ita non conuertuntur cum eo subiecto de quo probari possunt, ut rotunditas respectu terræ, quæ illi conuenit, sed non soli. Et quidem quod attinet ad hoc passionum genus, non est difficultas, an prçcognosci possit talem passionem existere; quia fieri potest ut in alio subiecto cognoscatur, ut rotunditas in cœlo, in sole; sed dubitatio est, an debeat, aut possit præcognosci respectu subiecti, de quo probanda est.

Tertium notandum, ex Auerroe, tria dantur demonstrationum genera: primum, qđ vocatur, demonstratio quia, cum per effectus probatur caussa. Secundum, quod nominatur, Propter quid, cùm à priori per caussam probatur effectus: tertium, quod ipse uocat demonstrationem potissimam, siue simpliciter, qua simul probatur propter quid rei, & esse ipsius. Sed difficultas est, an uere sint tria demonstrationum genera inter se distincta: qua de re alio loco dicendum est. His ita notatis, has subijcio positiones.

Prima positio, prçcognitio, an sit, de passione non est necessaria ante omnem demõstrationem. Quoniam dantur demonstrationes in quibus probatur passionem esse: ergo non est præcognoscendum eam existere.

Secunda positio, in demõstratione Quia, quæ procedit ab effectu, & passione præcognoscendum est de passione, quia est. Quoniam non posset per illam tanquam per medium, probari caussam existere. Cæterũ, tunc non prçcognoscitur passio, uel eius definitio, vt passio est, sed quatenus est quoddam principium demonstrationis.

Tertia positio, ante demonstrationem à priori, quæ demonstrat an sit, & propter qđ sit de passione, conuertibili cum subiecto, nõ est necesse præcognoscere an sit de passione, sed solum quid nominis. Quoniam id quod probatur non est præcognoscendum.

Quarta positio, ante demonstrationem qua probatur, an sit & propter quid sit passionis quæ non est reciproca cum subiecto, potest quidem præcognosci, an sit passionis absolute & simpliciter loquendo; quamuis neque hoc sit necessarium; non tamen debet præcognosci, respectu subiecti de quo demõstranda est. Quare, si quis vellet de terra demonstrare esse rotundam, potest quidẽ præcognoscere hanc proprietatem esse in rerum natura: non tamen præcognoscendum est, an sit, respectu terræ: quia repugnat, ut id præcognoscatur, quod probandum est.

Quinta positio, si demonstratio simpliciter distinguatur à demõstratione propter qđ in demonstratione propter quid præcognoscendũ est de passione, quia est. Quoniam hęc demonstratio non probat passionis existentiam, sed solum caussam reddit, cur passio insit subiecto: supponitur igitur existentia.

Sexta positio, in hoc genere demõstrationis, non præcognoscitur id quod in conclu-

sione prædicatur, & quod se habet vt passio, hoc est passionem simpliciter inesse subiecto sed inesse ob talem caussam. Nam quod prædicatur, est necessaria connexio passionis cũ subiecto ob talem caussam: hoc autem non præcognoscitur, sed probatur. Quare simpliciter loquendo, ante demonstrationem propter quid nunquam est præcognoscendum, an sit passionis, licet præcognosci possit passio, cuius caussa demonstratur: & id multo magis affirmari potest, si illa duo genera demonstrationis non distinguuntur; quæ sane distinguenda non sunt.

Sed objiceret quispiam, in maiore propositione semper affirmatur passio de medio termino; ergo de ea præcognoscendũ erit quia est, cum premissæ precognoscende sint. Responde, primum in maiori non præcognosci passionẽ existere, sed solum necessariam eius connexionem cum maiore extremo: in conclusione uero, ex eo quod cognoscimus medium terminũ inesse minori extremitati, & hanc existere, cũ sit subiectum conclusionis, cognoscimus etiam passionem existere: non itaq; præsupponitur existentia. Deinq; etiãsi cognoscamus passionem existere; ista præcognitio est præcognitio principiorũ, non passionis. Siquidem passio, vt ponitur in præmissis, non habet rationem passionis, sed est pars principiorum. Ex quibus intelligi licet, cur Arist. non dixerit, præcognoscendũ esse an sit. Primum, quia nunq̃ præcognoscitur, an sit de passione, ut passio est, sed interdum vt est principum. Deinde, eius intentio, vt non semel diximus, non fuit enumerare oẽs præcognoscẽdi modos, huius, vel illius precogniti; sed tantum illas duas generales præcognitiones, necessarias ad quacunque doctrinã. Diceres etiam, Aristotelem solum loquutũ fuisse, de demõstratione potissima; ante quã solum necesse est præcognoscere quid nominis de passione, & ideo huius tantum præcognitionis meminit. Vnde solueres id quod primo loco objiciebatur. Ad confirmationem; in præmissis, vt diximus, nõ præcognoscitur existentia passionis, sed solum eius cõnexio cum caussa: & esto, quod præcognoscatur; tamen quia illa includitur sub præcognitione præmissarum, & non sub præcognitione dirigente de qua hic est sermo, ideo de ea non fuit facta mentio. Itaque, si loquamur de præcognitione dirigente passionis solum præcognoscendum est quod nominis. Quod vero attinet ad præcognitionem agentem quid rei ipsius passionis, aliquando prçcognoscendũ est quid ipsa sit: vt accidit in illis demonstrationibus in quibus per definitionem passionem probamus caussam inesse subiecto; ut si per definitionẽ Ecclipsis probares interpositionem terræ inter Solem & Lunam. Verum, vt etiam supra innuimus, talis præcognitio includitur, sub præcognitione, quia est. Et hæc sunt quæ de passione præcognoscenda dixisse volui.

De quibusdam communibus dubijs circa præcognitiones subiecti. *Cap. XIIII.*

QVoniam multa in posterioribus analyticis de subiecto, obiectove scientiæ, tum totali, tum partiali disputari solent; ad quorum intelligentiam non parum utile erit, si nonnulla de subiecto uniuerse explicata fuerint; idcirco, antequam venio ad priuatas difficultates de præcognitionibus subiecti, quasdam dubitationes communes de obiecto explanabo.

Prima dubitatio, quid, nomine Subiecti intelligatur. Respondeo, hoc nomen varijs modis sumi. Primo subiectum sumitur pro materia quæ agentibus naturalibus subiacet ex qua omnia fiunt quo modo sepe in physicis vsurpatur. Secundo, pro re per se subsistente; vt cum dicitur mutationem fieri de subiecto in subiectum. Tertio, pro termino ad quem tẽdit motus: & interdum pro quocunq; termino; vt apud Philos. cũ dixit, quietem esse in duobus subiectis, hoc est in duob. terminis. Quarto, pro obiecto sensus; vt cum Aristot. dixit, subiectum tactus esse prius. Quinto, pro eo cui aliquid aliud inest; quo modo substantia dicit subiectum accidentiũ. Sexto, pro eo quod opponitur principijs, & caussis; ut apud Aristotelem, cum ait, principia rei non esse probanda per subiecta, hoc est per principia, & caussata. Septimo, pro eo quod est concessum in scientia. Octauo, pro termino propositionis, vt accipitur ab Aristotele non vno in loco in Logicis. Nouo & ultimo, pro ea re de qua demonstrantur passiones in aliqua scientia: & hoc modo sumitur in præsenti tractatione.

Libr. 1. tex. 69. & 81.
Libr. 5. phy. t. 3.
Libr. 5. phys. t. 54.
Libr. 4. met. in prin. ca. de sub.
Auerr. Libr. 1. pri. c. 2.

Secunda

Secunda dubitatio, ad quam scientiā pertineat agere de subiecto? huic dubitationi respondeo his dictis. Primum dictum, agere de subiecto reali uniuerse sumpto, pertinet ad Metaphysicum. Quoniam hic solus artifex considerat ens reale, ut ens est, in cōi, & consequenter ens scibile, & subiectū in cōi. Secūdum dictum, agere de subiecto reali in particulari, pertinet ad scientias reales particulares; vt ad physicum agere de ente seu de corpore naturali. Tertium dictum, agere de subiecto in communi, ut est ens rationis, hoc est ut ei conueniunt attributiones quædam per rationem, spectat ad Logicam. Quia hæc sola facultas cōsiderat entia rationis, sub qua rōne, nunc de subiecto disputatur. Quartum dictū, agere de obiectis particularibus, distinguendo subiectum unius artis ab alio, pertinet ad Peritū. Quia id nō pōt fieri sine multis habitibus, qui in solo Perito reperiūtur.

Libro 4. met. t. 1. & lib. 6. t. 3. & 4.

Loc. cit.

Tertia dubitatio, quæ sint conditiones subiecti totalis alicuius scientiæ. Respondeo, in subiecto totalis, ut nōnulli scribunt, requiri has conditiones. Primo, debet esse per se notum in tali scientia. Secundo, ut omnia in ordinem ad illud tractentur: unde scientia habet quod dicatur una a talia subiecto. Tertio, ut in scientia cōsiderentur principia, partes, passiones, & species eius. Quarto, ut sit quid incomplexum, sicuti & illius principia incomplexa sunt. Quinto, ut sit uniuersale: quia de re particulari non est scientia, excepto Deo, in quo natura & esse non differūt. Sexto, ut de eo præcognoscatur quid nominis, & esse, ut hoc loco docet Aristoteles. Septimo, ut sit aliquid unum, uniuersale uniuoce, uel analogice. Octauo, debet adæquare omnia quæ tractantur in scientia. Nono, debet esse ueluti mensura ipsius scientiæ. Erit autem mensura his modis. Primo in esse & ueritate; quia nostra scientia a rebus depen det, & ut res se habet in esse, ita in cognitione. Et in hoc scientia humana differt a diuina, quæ a rebus non pendet. Secundo, quoad esse actu & potentia, hoc est, quādo obiectū est scibile in potentia, sciētia erit in potētia: & qn̄ subiectum erit actu scitum, scientia erit actu. Ideo Aristoteles dixit, scientias secari, sicuti & res. Tertio in unitate: scientia.n. ab obiecto habet quod sit una. Quarto, in distinctione: quæ ex eodem loco sumitur, unde & unitas. Quinto in nobilitate, quia pro ratione rei cognitæ speciatim scientiā dicitur magis minusve nobilis. Sexto, in uniuersalitate; ut illa dicatur uniuersalior scientia, quæ est de magis uniuersalibus. Denique, in prioritate & posterioritate, ut illa dicat prior uel posterior scientia, quæ est de subiecto priore, vel posteriore.

D. Th. 1 pro. in lib. sent. Scot. de vniu.

Libro 1. post. te. 42.

Libro 2. meta.

Libro 3. de an. t. 38.

Libro 1. de an. t. 8.

Quid intelligat Aristoteles nomine esse, cum ait illud de subiecto præcognoscendum: vel, An de subiecto præcognoscendum sit esse essentiæ, vel existentiæ. Cap. XV.

VT declaretur huius dubitationis status, animaduertendū est, Philosophos duo assignare esse; alterum qđ uocant essentiæ, siue naturæ, alterū existentiæ. Esse essentiæ est illud, qđ habent oēs res, quibus est determinata natura, ut in hoīe esse animal rationale: p hoc.n. constituta est hoīs natura: quod esse tribuitur oībus rebus, vt abstrahunt ab oī existentia, cum non sit ex se productū, & si produci debet, non pōt aliter esse, cum tale esse sit necessarium. Quo fit, ut inde sumatur propositiones quæ dicuntur æternæ ueritatis, ut hoīem esse animal rationis particeps, & animal esse substantiam sentientem. Esse existentiæ nihil aliud est, quam existentia ipsa rei iā productæ, vt existit extra suas caussas. Hoc esse duplex est, alterū actuale, & est illud qđ res habet actu, cū est producta: alterum potentiale, qđ res habet in suis caussis a quibus produci pōt, ut animal in semine: qđ esse a quibusdā dicitur esse in potentia obiectiua, quia suo tempore produci potest. Sunt autem duo in quibus omnes conueniūt: primum in acquisitione scientiæ opus fuisse subiectum esse in rerū natura: quia nostra sciētia habet ortum a sensu, qui solum uersatur circa ea quæ actu existunt: secundum, in ipso etiam scientiæ progressu, præcognoscēdum esse aliquo modo ipsum subiectum esse, sed dubium est, quid nomine, esse intelligēdum sit, & quid Arist. intelligat cum ait, de subiecto præcognoscendū esse, Quia est, an esse essentiæ, uel existentiæ, an actuale, an potentiale: de qua re hę sunt scriptorum sentētiæ:

Alex. 1. top. c. 4. Caiet. qu. 2. & 4.

Prima eorum qui dicunt, esse præcognoscendum esse: esse existentiæ tātum. Qm̄ nō possunt demonstrari passiones de subiecto,

Apolli. Bal. q̄sito 6.

nisi supponamus illud habere certam, & determinatam existentiam: igitur tale esse supponendum erit. Confirmatur, quia, vt res se habet ad esse, ita ad cognitionem: sed prius est rem existere in se, quam habere ordinem ad passiones quæ de ea cognoscuntur, ergo.

Secunda opinio aliorum, qui dicũt solum præcognoscendum esse, esse potentiale, hoc est, rem esse in suis caussis. Quoniam scientia solũ probat passiones posse esse in subiecto: quare satis erit præcognoscere subiectũ posse existere.

Tertia sententia eorum qui uolunt de subiecto præcognoscendum esse tale esse, ut de ipso possint probari passiones, & proprietates. Cęterum, hi petunt principium: nam dũ quæritur quodnam esse præcognoscendum sit de aliquo, ad hoc, vt possit esse subiectum demonstrationis, consequenter etiam quęritur, quodnam esse requiratur ad hoc, vt proprietates de ipso probari possint. Adde, q̃d iste modus explicandi est contra communẽ cõsensum, in explicãda illa præcognitione, An sit. Rursus, si ita esset, pari ratione de passione esset præcognoscendum, quia est proportionaliter. Nemo.n. est ita mentis inops, qui aliquam proprietatẽ de subiecto demonstrare contendat, & non supponat talem passionem esse demonstrabilem.

Libro 1. top. c. 1. Quarta, eorum quorum in topicis meminit Alexander, & Auerroes, qui dixerunt de subiecto p̃cognosci esse, hoc est, ens esse genus saltem analogum illius subiecti. Verum p̃cognoscere rei genus nõ est p̃cognoscere, an sit, sed potius quid sit, & sane nemo est, q̃ p̃ præcognitionem, an sit, tale quid cõcipiat. Vnde ista sententia est omnino reijcienda.

Quæst. 3. in li. 1. post. Quinta Balduini qui ait, præcognosci de subiecto esse, hoc sensu, subiectum apprehensum esse tale, vt dicit conformitatem ad esse actuale extra animam. Sed hic modus confutatur ab alijs, quia ista conformitas nihil aliud est, quam relatio quædam: at per præcognitionem, An sit, non quærimus aliquam relationem: igitur.

Libr. 1. poster. com. 2. Sexta Auerrois, & Porphyrij, referẽte Alberto, Caietani & aliorum, qui dicunt de subiecto præcognoscendam esse actualem existentiam in scientijs realibus, non autem in scientijs rationalibus. Antequam huic dubitationi satisfacio, vnum & alterum subijcio fundamentum.

Primum fundamẽtũ, tria sunt quæ hic difficultatem faciunt: primum, an de subiecto semper præcognoscendum sit esse existẽtiæ, & q̃uo, cum uideamus de multis esse sciẽtiã; quæ non semper existunt. Secundum, cur de aliqua re non sufficiat tantum præcognoscere esse essentiæ: tertium, an aliqua possit esse demonstratio de subiecto, cuius nullum esse præsupponatur. Et quamuis hęc difficultas sit de subiecto totali scientiæ, tamen traducitur etiam ad subiectum demonstrationis.

Secundum fundamentum, duobus modis potest dici aliquid esse necessarium ante demonstrationem: primo quod sit aliquid essẽtiale constituens intrinsece demonstrationẽ: secundo, quod sit quædam conditio: quę, vel est necessaria simpliciter, cũ sine ea non possit esse demonstratio, cuiusmodi, gratia exẽpli, est propinquitas ignis ratione calefactionis, vel ad bene esse, qualis est siccitas ligni combustibilis in calefactione. Præcognitionum autem aliquæ sunt necessariæ simpliciter, cuiusmodi est principiorum cognitio: al quæ uero ad bene esse. His ita notatis, ad positiones accedo.

Prima positio, de subiecto præcognoscendum est esse essentiæ antequam passio de illo probetur. Ita Aegidius, Apollin. Bald. Zimar. & alij. Primum, quia sequeretur demonstrationem esse inanem, cum omnis demonstratio fiat, vt cognoscamus passionem conuenire subiecto per aliquam caussam: atqui vt præcognoscatur hoc esse: nõ possumus cognoscere passiones inesse subiecto: ergo. Cõfirmatur, quia prius natura est rem esse, quã esse talem, sicuti prius est esse hominem, quã esse album: ergo prius præcognoscẽdum est subiectum habere esse essentia, determinatũ nimirum, & certum, quam ei conuenire talẽ passionem Secundo, ante demõstrationem, vt supra docuimus, non est præcognoscẽdũ de passione, an sit, quia hoc demonstratur in conclusione, sed non potest demonstrari nisi de subiecto p̃cognoscamus esse essentiæ: ergo. Siquidem esse passionis pendet a tali esse subiecti. Cęterum, licet hoc uerum sit: tamẽ, non hoc tãtum sibi uoluit hoc loco Aristoteles, cum dixit de subiecto esse præcognoscendum, quia est, vt ex sequentibus notum fiet. Text. 5. q. 4. Theor. 38.

Secunda positio, in sciẽtia reali debet præcognosci esse existentię actuale, suis saltẽ locis,

nis,& temporibus, remotis impedimentis: dicimus suis locis,& temporibus, quia multæ sunt naturæ quæ non habet indiu dua semp actu existentia,& ideo de his satis est præ nosscere, quod suis temporibus existant. Primo quæstio an sit, supponitur ab omnibus alijs quæstionibus: at per istam quæstionem communis opinio intelligit esse existētiæ actuale: ergo hoc esse præcognoscendum est, ante quam aliquid de subiecto probetur. Secūdo, illud esse de subiecto est præcognoscēdum, ratione cuius substat passionibus: at subiectū non substat suis passionibus nisi per esse existentiæ actuale: ergo. Tertio, illud esse debet esse prænotū de subiecto, quod uel notū est per sensum, vel manifestum fuit aliquo medio: atqui hoc non est nisi esse existentiæ actuale: ergo. Quarto, aut de subiecto præcognoscendū est esse potentiale, aut esse actuale: si hoc secundum concesseris, habeo intentum: primum dici non potest, quia pari ratione de passione præcognosceremus esse, quod est contra Aristotelem: nemo enim est, qui aliquam passionem demonstret de subiecto aliquo, qui nō præcognoscat, & supponat talem passionem esse possibilem. Quinto, omnis nostra cognitio est de rebus existentib. quamuis non sit de eis prout existunt: ergo ante scientiam de subiecto noscendum erit hoc esse. Confirmatur, quia omnis nostra cognitio habet ortum a sensu: at sensus non cognoscit nisi quæ existunt: ergo. Denique, ex Aristotele qui ait de subiecto, præcognoscēdum esse, An sit, at hoc simpliciter prolatum intelligitur de esse existentiæ: neque enim esse potentiale, est proprie esse, sed secūdum quid. Cæterum, hoc esse est præcognoscendum respectu nostri, siue scientiæ humanæ, non autem respectu diuinæ, & angelicæ.

Auerr. in Paramet. tra. 3.

Tertia positio; non est opus ante omnem demōstrationem præcognoscere de subiecto esse actuale existentiæ. Primo, possunt fieri optimęq; demōstrationes sine esse actualis existentiæ, vt si demonstrares de cane esse latrabilem, etiam nullo existente cane: igitur non est necesse præcognoscere tale esse. Cōfirmatur, quia in demonstratione solum concluditur necessaria cōnexio prædicati cum subiecto: igitur fieri poterit demonstratio, etsi nō præcognoscatur esse actualis existentiæ. Et hoc est quod aliquæ propositiones dicūtur, æternæ ueritatis, quia inter attributum, & subiectum est necessaria connexio,& abstrahunt ab actuali existentia. Secundo, in aliquibus demonstrationib. probatur subiecti existentia, vt cum probatur existentia causæ p effectum, vt Deum,& materiam esse: igitur nō supponitur esse. Sed diceres cur ergo Aristoteles dixit, de subiecto præcognoscēdum esse Quia est: Respōdeo, eius dictum intelligendum esse de subiecto demōstrationis potissimæ qua probatur propter quid passio in sit subiecto: aut indefinite, hoc sensu, De aliquo subiecto præcognoscendum est, an sit.

Quarta positio, in aliquibus demonstrationibus de subiecto necesse est præcognoscere esse actualis existentiæ, pro eo tempore quo fit,& habetur demonstratio. Quoniā in aliquibus probatur passionem esse actu in subiecto: vnde nō potest cognosci actu canem esse latrabilem, nisi canis sit actu.

Quinta positio, in scientijs rationalibus, vt in Logica, non est necesse præcognoscere de subiecto esse existentiæ actualis, sed solū esse obiectiuum in intellectu. Ratio est, quia hoc ens non habet aliud esse. Quare, in demonstratione quæ haberet pro subiecto aliquid fictitium præcognoscendum esset de illo subiecto illud esse, quod requiritur ad talem passionem, quod est, p non repugnātiā.

De quibusdam dubitationibus circa ea quæ proximo capite dicta sunt. Cap. XVI.

VT adhuc ea quæ docuimus magis clara fiant, nonnullæ dubitationes nobis enucleandæ sunt.

Prima dubitatio, si de subiecto præcognoscendum est esse existētiæ actualis: igitur de ijs rebus quæ non sunt, nec fuerunt, nec futuræ sunt non poterit esse scientia: quod uidetur falsum, cum res possibiles habeant certam,& determinatam naturam, ratione cuius cognosci possunt. Respondeo concedendo sequelam: siquidem scientia supponit subiectum esse aliquid uerum habens determinatam essentiam: res autē illæ quæ sunt tantum possibiles, nullum habent esse in se, neque sunt certæ,& determinatæ essentiæ: sed solum habent ordinem extrinsecum ad potētiam diuinam per quam fieri possunt. Neque Deus proprie cognoscit huiusmodi res, sed

sed suam essentiam in qua res possibiles repræsentantur.

Secunda dubitatio, si Deus corrumperet oẽs species, solo hoĩe relicto, adhuc homo haberet earum scientiam: & tñ non haberent existentiam actualem, vel possibilẽ: ergo nulla istarum est necessaria ad conficiendã demonstrationem: & tñ nos cõtra docuimus. Rñdeo, ideo homo haberet rerum destructarum scientiam, quia uel cognouit existentiã actualem illarum qñ erant, uel quia ab illis illam accepit. Adde etiam, quia si tolleretur impedimentum uoluntatis diuinæ possent actualiter existere: unde non abstrahunt ab oĩ existentia, & ita de illis pcognosci posset, esse, sublatis impedimentis, & hoc satis est.

Tertia dubitatio, propositiones quæ dicũtur æternæ ueritatis abstrahunt ab omni esse existentiæ, & dicunt solam connexionẽ prædicati cum subiecto: Quare de illis poterit esse scientia sine præcognitione actualis existentiæ. Respondeo, huiusmodi propositiones non abstrahunt ab omni existentia, sed supponunt omnino existentiam possibilem suo tempore locoque. Etenim, si etiã ab hac existentia abstraherent, non haberẽt certam naturam, sed essent quid omnino fictum: ac proinde de illis scientia haberi non posset.

Quarta dubitatio, existẽtia est propria indiuiduorum, & singularium: atqui singularium, cum sint uarietati subiecta, non habetur scientia: Quare de subiecto scientiæ non erit præcognoscendum, quod existat. Respõdeo, hanc uel illam existentiam conuenire particularibus, a quibus abstrahitur existẽtia alicuius indiuidui indeterminati, quodcunque illud sit. Est itaque existentia duplex, altera singulorum indiuiduorum, & hæc est variabilis: altera alicuius indiuidui indeterminati, & hæc est immutabilis, quæ de subiecto præcognoscenda. Cum ergo species conseruẽtur in indiuiduis, necessario dabitur aliquod indiuiduum in quo existãt. Præcognoscitur itaque natura uniuersalis, nõ in abstracto, sed in aliquo indiuiduo singulari, nullo tamen determinate assignato, quod quidem sciẽtijs minime repugnat. Quo loco animaduerte, si finem naturæ spectemus, potius existentia est propter speciem, quam propter indiuiduum: quia natura intendit conseruat indiuidua causa specierum.

Libro 2. poster. c. 22.

Quinta dubitatio, datur aliqua sciẽtia de ijs quæ non sunt, ut de uacuo, de infinito: de quibus non potest præcognosci esse existentiæ: quare non semp prænoscendũ erit. Rñdeo, de his rebus non habetur scientia nisi p accidens, & negatiue. Quod si Aristoteles de illis probat aliquid positiue, ut motum fieri in instanti, si daretur uacuũ, id facit, ut probet non dari uacuum, cum motus non possit esse in instanti: adde ẽt, quod si probaretur aliquid positiuum, supponendum esset esse existentiæ saltem per non repugnantiam, nõ autem secundum potentiam Physicam.

Libr. 3. & 4. Phys.

Sexta dubitatio, scientia non demonstrat passiones actu esse in subiecto, sed tantũ posse inesse: ad hoc autem satis est præcognoscere subiectum posse existere: ergo falsum est, quod supra de actuali existẽtia diximus. Cõfirmatur, quod de aliquo subiecto demõstratur est passio in natura necessaria: at huiusmodi propositio abstrahit a quacunque existentia: igitur. Respondeo, esto scientiam demonstrare tantum passiones posse inesse subiecto: tamen quia illas probat de subiecto reali, & uere existẽti, ideo de subiecto præcognoscendum est esse. Adde etiam, quod sciẽtiæ frequenter demonstrãt passiones uere, & realiter inesse subiectis, saltẽ suo determinato tempore. Ad confirmationẽ, tales propositiones dupliciter cõsiderari possunt: primo ut dicũt solam connexionem terminorum, & secundum hanc considerationem abstrahunt ab existentia: secundo ut in illis denotatur prædicatum uere, & realiter inesse subiecto, & sub hac consideratione negarem abstrahere ab existentia saltem communi.

Septima dubitatio, Mathematica est sciẽtia realis, quæ cum abstrahat ab esse, non potest illud supponere: falsum igitur quod supra docuimus, realem scientiam supponere esse. Respondeo, Mathematica abstrahit ab esse in demonstrandis passionibus de subiectis; non tamen abstrahit a præcognitione existentiæ subiecti. Nam, cum omnes sciẽtiæ reales versentur circa aliquod obiectum actu existens, ut supra diximus, ne existimetur subiectum esse quid fictum, specialiter supponere debent esse existentiæ, de suo subiecto.

Libro 4. Meta.

Octaua dubitatio, omnes scientiæ abstrahunt ab existentia: igitur non præcognoscũt illam de suis subiectis. Respondeo, scientias abstrahere ab esse existentiæ si spectemus rationem formalem ipsarũ: quia cum uersentur

tur circa vniuersalia formaliter, non possunt considerare subiectum, ut formaliter existit: sed si consideremus cōditionem sine qua nō ipsius subiecti, nego abstrahere ab existentia.

Nona dubitatio, si Deus nullam omnino speciem crasset, nec facere decreuisset, adhuc saltem Angeli possent habere scientiam pro prietatum illarum specierum, & tamen nulla ratione de illis posset præcognosci esse subiecti: igitur, ista præcognitio nō est simpliciter necessaria. Respondeo, primo hic esse sermonem de scientijs humanis, quæ versantur circa res existētes. Secūdo, tali posito casu, Angeli non cognoscerent proprietates esse re in subiectis, vt nos scimus per nostrā scientiā, sed tantum cognoscerent posse inesse, sicuti ipsæ species possibiles sunt.

Caiet. cap. 1. 1. Post. dub. 2.

Decima dubitatio, res esse, est contingens, possunt enim esse, & non esse: at scientiæ nō uersantur circa contingentia: non igitur supponunt esse subiecti. Respondeo, hanc uel illam existentiam particularem esse contingētem, non tamen existentiam speciei vniuersè consideratam. Nam supposito vniuerso, necesse est species saltem suo tempore existere.

An scientia possit probare existentiam sui subiecti adæquati, & totalis. Cap. XVII.

CVm omnino exploratum sit, verum esse quod Aristot. ait, de subiecto præcognoscēdum esse quid nominis, omnis dubitatio est de præcognitione, an sit: & cum quæstio, an sit, possit esse dubia, ideo de hac præcognitione speciatim dubitari solet. Qd autem subiecti totalis existentia probari possit, his rationibus suadetur.

Vide Bald. q̃sito 6. Zimar. Theor. 53.

Primo, potest dari in scientijs aliquis effectus notior subiecto adæquato, vt est, gratia exempli, motus in Physica: quare per talem effectum illius existentia probari poterit.

Secundo, vt se habet scientia particularis ad subiectum particulare, ita scientia totalis, ad totale: atqui illa potest demōstrare existētiam sui subiecti: igitur & ista. Minor propositio est manifesta ex Aristotele primo Elenchorum, capite primo, vbi demōstrauit illius partis subiectum: & in primo Posteriorū, capite primo, vt quidam uolunt, probauit demonstrationem dari: & denique libro tertio de cœlo probauit ignem esse: ergo.

Tertio, inter alia quæsita, primum est, an sit, quo scientia respectu sui obiecti adæquati carere non debet: quare poterit illud explicare.

Quarto, ex communi vsu, quia in omni sciētia solet tractari quæstio de eius subiecto: ergo signum est scientiam posse aliquo modo probare existentiam sui subiecti.

Quinto, subiectū interdum est ignotū in sciētia: igitur eius existentiā probare licebit.

Postremo, ex Aristotele, eiusdem scientię est considerare, si est, & quid est: at scientia de suo subiecto considerat, quid est: igitur, &, an sit. 6. Met. t. 1.

In prol. 5. q. 2. & 1. Met. q. 1. 1. Elenc. In 1. Met. q. 1.

Prima sentētia in hac difficultate fuit Scoti, quā priuatim defendit Anton. Andreas, vt cæteros omittam Scotos: eandem sequitur Conciliator, & ut refert Auerroes fuit opinio antiquorū, Qui existimarunt subiectū totale non posse demonstrari à priori, à posteriori uero, maxime, per aliquem effectum notiorem.

Libr. 4. Physic. comm. vlt. Cap. 21. Cap. 11. Com. vlt. 26. Cō. vlt. In Theo. 53.

Secunda sententia Themist. in sua Paraphrasi in primum, & secundū Posteriorum: & Auerrois in primum Posteriorum, & in primum, & secundū physicum, & alijs in locis Philop. Alberti magni, D. Tho. Caietani & Zimaræ, nullam scientiā posse probare, esse, de suo subiecto totali. Pro huius difficultatis explicatione hæc subijcio fundamenta.

Primum fundamentum, tria sunt genera rerum quę in aliqua scientia reperiuntur: aut enim sunt res omnino notissimæ; aut sunt omnino ignotæ: aut medio modo se habēt, vt si sint partim notæ, & partim ignotæ. Si sint prioris generis nullo modo probari queūt; quia demonstratio est instituta ad probandum ignota: si secūdi, probari potest eas existere, uel à priori, uel saltem à posteriori: si vero tertij non possunt probari uia doctrinę, ut recte aduotauit Themist. hoc est genere aliquo demonstrationis, sed solum aliqua inductione, uel syllogismo hypothetico. Quare ad solutionem quæstionis considerandum est, an subiectum sit inter res manifestas in scientia, an sit ignotum, an de eo possit dubitari. Siquidem, si manifestum fuerit, frustra probabitur: sin minus procul dubio probari poterit à posteriori per aliquem effectum notum.

Secundum fundamentum, quod aliquid

in

in scientia probari non possit ex triplici causa
fit. Primo, quia nullã habet caussam per quã
probetur, sicuti Deus. Secundo, cũ habet qui-
dem, sed illa nõ pertinet ad illam scientiam,
quæ considerat tale subiectũ, sed ad superio-
rem, ut ad Metaphysicam. Postremo, qñ licet
caussam habeat, & pertineat, ad scientiã: tñ,
cum sit omnino certũ, non eget probatione:
Tex. 6. ideo Arist. in secundo Physico, dixit ridicu-
lum esse uelle probare naturam existere.

Tertium fundamentum, etsi ex Aristote-
Libr. 1. lis doctrina scientiæ in suo debeant contine-
poster. ri genere, & non licet ab vno in aliud tran-
t. 20. & scendere: potest tamen interdum quia aliquã
23. scientiam tradit transcendere, non, ut est ar-
tifex particularis, sed tanquam Metaphysi-
cus, vel Peritus: qua ratione interdum Ari-
stoteles in physicis probat aliqua quæ perti-
nent ad Metaphysicum, non quatenus phy-
sicus est, sed ut Metaphysicus, vel Peritus. At-
que hæc adnotasse sufficiat.

Prima positio, esse subiecti totalis scientię
nulla ratione in propria scientia demonstra-
ri potest: Dixi, in propria, quia in superiori
probari, sicuti in propria aliquo pacto decla-
rari potest illius existentia, vt Them. docuit.
1. poste. Primo, ex Arist. subiectum existere est pręco
t.2.25. gnito quadã: quare non potest esse quæsitũ,
& ita probari non poterit, cũ talis præcogni-
tio, si vlli subiecto cõuenire debet, totali ma-
5. Meta. xime conueniat. Secundo, scientia & scibile,
t. 2. vt Arist. docet, sunt relatiua: ac proinde si
scientia est actu, ipsum obiectum debet esse
actu. Si ergo scientia potest probare suũ sci-
bile, siue obiectũ necessario supponenda erit
scientia ante suũ obiectum: quia iam suppo
nitur scientiã esse & probare suum subiectũ:
Cap. de & ita erit vnum relatiuũ sine suo correlatiuo
subst. quod est falsum. Tertio, oĩa quæ probantur
in totali scientia, aut sunt principia, aut par-
tes, aut species, aut proprietates subiecti, quæ
omnia supponunt subiectum esse: quare pro-
bari non poterit. Quarto, si scientia probat
suũ subiectum esse, aut id facit ex communi-
bus, & hoc non; quia tunc non esset uera de-
mõstratio: uel ex alienis, & hoc non ob ean-
dem rationem; quia non potest egredi suũ
genus: uel ex proprijs, & tunc sequeretur sup
ponere subiectum, & illud idem posse pro ba-
1. Post. ri: quia si principia sunt propria, debent esse
t. 19. ꝓpria subiecti, quod iam supponeretur esse.
Confirmatur, quia sequeretur dari processũ
in infinitum: quia ante demonstrationem
de subiecto præcognoscendum est esse: qua-
re, vel cognoscitur per demonstrationem, uel
alio modo: si alio modo probabili, non de-
monstrabitur: si per demonstrationem, etiã
subiectum huius demonstrationis præcogno
scendum est, & hoc vel per demonstrationẽ
uel alio modo, & sic dabitur processus in
infinitum, vel deueniendum erit ad subiectũ
indemonstrabile. Postremo, quia subiectum
in scientia, aut est notissimum, aut numera-
tur inter res notissimas: at quod est notum
probari non debet: ergo.

Secunda positio, esse subiecti principalis
nullo genere demonstrationis potest probari
in propria scientia. Primum, quia hoc obie-
ctum est finis omnium aliorum obiectorum
partialium: ergo supponendum est esse. Se-
cundo, existentia obiecti totalis maxime pẽ-
det ab existentia obiecti principalis: ergo si
totale supponitur esse, etiam & principale.
Sed peteres, quæ nam est potissima ratio cur
de totali subiecto supponatur esse, de qua re
legendus est Zimara. Respondent aliqui, qa Theor.
est notissimum. Quæ responsio non satisfa 53.
cit, cum in scientia sæpe dentur effectus no-
tiores subiecto: & interdum etiam principia
nota secundum naturã: igitur probari posset.
Alij uero dicunt, quia hoc est proprium mu- Auerr.
nus Metaphysicæ, quæ considerat ens vni- 3. cœl.
uersalissimum, & diuidit obiecta particula- com. 4.
ria particularibus scientijs. Quæ responsio de
obiecto totali aliquo modo est uera. Sed me Zim.
lior est responsio, si dicamus, ideo non posse cont. 1.
probari, quia est subiectum, nimirum ob pro super 4.
priam rationem formalem subiecti; quæ est, de cœl.
quod subijciatur; & quod subijcitur, quate- cõ 32.
nus tale, non probatur: vnde appellari solet, Auerr.
Datum. Sed diceres, in scientia probantur 1. Phys.
principia à posteriori, ut patet in primo phy- cõ vlt.
sico: atqui obiectum pendet à principijs: er-
go dum probantur principia, etiam obiectũ
probabitur. Respondeo, esse disparem ratio-
nem de subiecto & de principijs: siquidem
subiectum, uel est notissimum, vel supponi-
tur, vt concessum & probatum in alia scien-
tia. Principia vero, si sint nota, non proban-
tur, si ignota, vel habent caussam per quam
probari possunt; & sic probabuntur à supe-
riori: vel habent tantum effectum notio-
rem, & tunc probantur à posteriori. Est ita-
que alia obiecti, ratio, quia vt quid concessũ
suppo-

supponitur; alia vero principiorum. Vt autem quæ diximus notita fiant, ad argumenta contrariæ sententiæ respondeamus.

Auerr. Ad primum, primum non damus in omni scientia demonstrationes, Quia: deinde, vt possit esse de re quapiam demonstratio, non satis est, vt detur aliquid notius illa, sed vlterius requiritur, vt id quod demonstratur sit ignotum, vt expresse patet ex Aristotele di- Libr. 2. phys. t. 6. cente, ridiculum esse velle probare naturam dari. Adde etiam, quod est contra naturam subiecti, vt probetur, etiamsi detur demonstratio. Quia, quia probari possit, cum de eius ratione sit, vt supponatur.

Ad secundum, quod attinet ad primum locum, non probat dari syllogismum elenchum, sed declarat illum per similitudinem. De secundo, falsum est ibi probari demõstrationem existere, sed solũ explicat illud principium, quod proposuerat: Ad etiam, quod licet partialia obiecta non possint probari à partiali scientia: tamen à totali maxime.

Arist. li. 1. poste. t. 25. Ad tertium: scientia non quærit de suo subiecto totali an sit, sed illud supponit, & præcognoscit: & ita concedimus istam quæstionem non fieri in ea scientia in qua est subiectum, sed in superiori.

Ad quartum, scientiæ in initio non probant suum subiectum esse; sed cum multa sint quæ videntur participare naturam illius subiecti, quærunt quid nam illud sit, & quod sit proprium obiectum. Quod si interdum absolute quærunt, an sit, id faciunt per habitum alterius scientiæ.

Ad quintum, quid ad hoc argumentum respondendum sit patet ex dictis.

Ad sextum, hic locus potius facit contra aduersarios, cum Aristoteles ibi plane dicat, scientias non demõstrare, si est, de suis subiectis, quia non considerant, quid est. Quo autem pacto hic locus intelligendus sit, sequenti capite plane docebo.

An de subiecto partiali, & minus principali possit demonstrari an sit in propria scientia.
Cap. XVIII.

QVoniam uero de duobus subiectorum generibus quid sentiendũ sit, quantum ad hanc præcognitionem, An sit, explicatum est; sequitur, vt de tertio genere dicamus. Quod autẽ neque de partiali de subiecto probari possit, An sit, his rationibus suadetur.

Primo, auctoritate commentatoris, qui aliquando id expresse docuit. 2. De an. cõ. 27.

Secundo, quia probare de aliqua re existẽtiam pertinet ad Metaphysicũ; cum existentia, sit proprietas quædam communissima. Auerr. 1. post. cõ. 32.

Tertio ex Aristotele, qui libro sexto primæ philosophiæ expresse dicit, scientias particulares non considerare, si est, de suo subiecto. Test. 1.

Quarto, subiectum totale, nihil aliud est quam omnia partialia subiecta simul sumpta: at de illo supponitur esse, nec probari potest, vt docuimus, idem igitur dicendum de partialibus.

Postremo, quia si de aliquo particulari subiecto probaretur existentia, sequeretur de subiecto totali non supponi esse.

In hac dubitatione quidam ob allatas rationes existimarunt, neque de partiali subiecto posse probari existentiam.

Secunda sententia contraria, quam non vno in loco docuit Auerroes, quem Zimara, & Lyncon. sequuntur, de subiecto particulari posse demõstrari existentiã, si sit ignotũ existere; licet id raro contingat. Ad huius difficultatis explicationem duo subjicio notãda. 4. Cœl. cõ. 32. 2. De an. cõ. 29.

Primum notandũ, huius quæstionis sensus est duplex: vnus, an partiale obiectũ possit demõstrari à priori: alter, non possit demõstrari à posteriori per aliquem effectũ notiorem. Et quamuis hæc difficultas communiter tractari soleat iuxta secundũ sensum: tamen à nobis iuxta vtrunq; sensum explicabitur, cum in primo sensu maiorem difficultatem habeat, quam in secundo. Theor. 53. Libr. 1. post. c. 1.

Secundum notandũ, ad hoc vt de aliquo subiecto probari queat existẽtia à priori, duo sunt necessaria. Primum, vt cognoscatur quidditas illius: sicuti enim substantia in suo esse pendet à sua quidditate, ita ipsa existẽtia, quę est actus ipsius quidditatis. Quare, vt demonstretur existentia à priori, opus est, vt eius cognoscatur quidditas. Secundum, ut existentia illius subiecti sit ignota; cum ad rem notam manifestandum, non requiratur demonstratio. Deinde, hoc alterum requiritur etiam ad probandam existentiam à posteriori. Rursus ad idem efficiendum necessarius est aliquis effectus notior, ex quo deueniamus in cogni-

tionem existentiæ ignotæ. His ita adnotatis, has subijcio positiones.

Prima positio, esse subiecti partialis minus principalis ignoti potest demonstrari à posteriori in propia scientia: quamuis id raro cōtingere soleat. Hoc docuerim cum secunda, & communi sententia, quæ sic probatur. Primo, quia hoc fecit Aristoteles qui in Physicis probauit ignem esse: qui est quoddā partiale obiectum in sciētia naturalis & in libro tertio de anima probauit dari intellectū agētem. Quod si dicas, id non fecisse per habitū particularem Physicæ, sed tanquam Metaphysicum, hoc non est verum: quia scientia non debet transcendere suum genus, vt Aristoteles docet, quando nō est necesse cognoscere aliquid per habitum sciētiæ superioris, vt aliquando fecit Aristoteles, quod non fecit in allatis locis. Adde etiam, quod media quibus probauit existentiam subiectorū particularium, sunt propria illarum sciētiarum: ergo, & ipsæ demonstrationes, quæ ex medio termino discernuntur. Secundo eiusdē scientiæ est considerare, an res sit, & quid sit: sed scientiæ considerant, ipsum quid est suorum obiectorum particularium: ergo considerant etiam eorum existētiam. Tertio, fieri potest, vt aliquādo esse subiecti partialis sit ignotū, & possunt dari effectus notiores in eadē sciētia: quibus demonstrari potest illius existentia: igitur. Quarto, quia alias quęstio, an sit, in omnibus scientijs, dempta Metaphysica, esset vana; quod est absurdum. Quod si dicas, posse demonstrari esse principiorum, & ita quæstio an sit non erit vana: at si hoc concedas, id etiam concedendū erit quod nos probamus; cum eadem sit omnino ratio principiorum, & subiectorum partialium. Quinto, optimus modus demonstrandi existentiā alicuius rei respectu nostri, est à posteriori: sed hoc fieri potest in proprijs scientijs respectu obiectorum particularium: igitur.

Libr. 3. de Cœl. t. 18. 2. cœl. t. 32. Tex. 2.

Libr. 1. poster. t. 32. Libr. 1. Phys. t. 11.

Secunda positio, esse subiecti partialis non potest demonstrari à priori in eadem sciētia. Vbi nota, hoc non fieri ex eo, quod scientia non consideret quidditatē subiecti, quia eā considerat, sed ex hoc, quod quidditas cognosci nequit, nisi prius cognoscatur subiecti existentia. Cum ergo iam nota sit existentia, nihil est necesse, vt postea demonstretur. Explico, vt aliquis demonstret à posteriori existentiā subiecti partialis, debet primo inuestigare quidditatē illius: deinde debet scire quidditatem existere: hæc autem fieri non possunt, nisi prius, saltē à posteriori cognoscatur subiecti existentia. Vnde, antequam possit haberi medium ad demonstrandum existentiam à priori, iam cognoscitur: ac proinde demonstrari non debet. Sed peteres, vnde sit, vt principia in scientia demonstrari soleant, esse autem subiectorum partialium non nisi raro. Respondeo, id contingere ex eo, quod obiectorum proprium est subijci scientię, ac proinde præsupponi, & ita vt plurimum nō demonstrantur. At de principijs non est eadem ratio. Rursus peteres, an es subiecti partialis demonstretur à scientia particulari respectu cuius est subiectum, an vero à scientia totali. Respondeo, probari à scientia totali, uel certe ab aliqua parte superiore. Vt ecce, probare ignem esse, aut spectat ad ipsam Physicam, quæ est scientia totalis, aut ad illam quę agit de elementis, quæ est pars quædam superior ea, quæ agit de tali elemento. Atque ex his patet, quid in proposita difficultate tenendum sit: restat vt argumentis respondeamus.

Zimar. Theor. 53.

Ad primum, Auerroes eo loco, solum docere voluit, vt plurimum non probari existentiam subiecti partialis, vt ipsemet alibi exposuit.

Ad secundum, ad Metaphysicum solum spectat considerare existentiam in communi, & vt est artifex quidam vniuersalis probare existentiam omnium obiectorum partialium ex communibus, vel demonstratione ducente ad impossibile contra proteruos.

Ad tertiū, Aristoteles eo loco docere voluit ad scientias particulares nō pertinere cōsiderare existentiam, vt est prædicatū quoddam commune, sicuti non considerant ipsam essentiam in communi, ad quā talis existentia consequitur. Et quod hoc voluerit, patet euidenter, quia per quid est, nō intellexit quidditatem particularem, cum ibidem concedat scientias particulares cōsiderare omnes caussas suorum obiectorum, caussamque formalem, & quidditatiuā. Quando ergo ait scientias particulares non considerare, an sit, proculdubio intelligi debet, de existentia, vt est prædicatum cōmune, quod cōsequitur quidditatem in communi: aliàs eius consequentia esset nulla. Hoc autem nō est contra nos, qui solum asserimus existentiam, vt consequitur ad quidditatē particularem subiecto-

rum partialium posse probari a scientia particulari à posteriori.

Ad quintum, concedimus obiectum adæquatum vniuersaliter loquendo, idem esse quod omnia partialia: verum quia scientia non supponit subiectum adæquatum esse, vt distinctè comprehendit sub se omnia obiecta partialia, sed tantum in confuso supponit dari aliquod subiectum adæquatum comprehendens omnia partialia sub se; ideo fieri potest, vt sit nota existentia subiecti adæquati illo modo suppositi, & vt dubitetur de aliquo in particulari, an contineatur sub adæquato, & an sit in rerum natura. Adde etiam, quod non omnia probantur, vt subiectum principale, quod est scientiæ finis, & esto probentur, non tamen probatur totale; quod a particularibus formaliter distinguitur: denique nõ possunt probari omnia simul sumpta, sed seorsim singula. Atque de re proposita hæc satis.

An scientia possit quærere de suo subiecto quid sit, & ostendere propter quid de illius existentia. Cap. XIX.

DVo in hoc capite nobis explicanda proponimus: vnum an scientia de suo subiecto, tum totali, tũ partiali inuestigare possit, quid sit: alterum, an possit reddere propter quid, de illius existentia. Et quoniam, hic nulla est maior difficultas, vtranque dubitationẽ paucis perstringam: & de primo has statuo positiones.

Prima positio, scientia potest quærere qd rei subiecti partialis. Est doctrina cõmunis, & patet ex Aristotele, qui primo Posteriorũ capite secundo docuit quid sit demõstratio: & libro secundo de anima definiuit animam; quæ duo sunt partialia obiecta librorum citatorum, idemque alijs in locis fecit.

Secunda positio, scientia potest quærere qd rei sui subiecti totalis à posteriori per aliquos effectus notiores: quæ doctrina, quidquid nonnulli dicant, sic probatur. Primo, quid rei subiecti totalis non est præcognitum in scientia, sed quæsitum: ergo quæri, & probari poterit. Secundo, contingere potest, vt quid rei totalis obiecti sit ignotum, & dari in scientia effectus notiores per quos inuestigari possit quid sit: igitur nihil impedit quin fieri possit. Denique, quia notitia quid rei maximè spectat ad ipsam scientiam & ad subiectum: igitur inuestigari debet.

Sot. in pri. cap. in resp. ad 5.

Quod si obijcias, eiusdem artis esse considerare si est, & quid est: sed scientia non inuestigat an sit, vt supra docuimus, & Aristoteles docet: ergo nec quid sit. Respondeo; illa propositio, Eiusdem est considerare si est, & quid est, duobus potest intelligi modis: primo iuxta mentem Aristotelis, & tunc dicẽdum est, non esse ad rem; quia Aristoteles, vt proximo capite diximus, in solutione tertij argumẽti, loquitur de existentia in communi. Secundo considerari potest secundum se, abstrahendo ab intentione Aristotelis, & tunc debet ita intelligi, quando est ignota existentia alicuius subiecti, & eiusdem quidditas, eiusdem esse probare existentiam & assignare quidditatẽ. Quod si interdum accidat, vt existentia sit nota, & quidditas ignota; vnum inuestigari poterit, & non alterum. Et hæc de prima dubitatione.

Lib. 6. Met. t. 1.

Quod vero ad alteram attinet, videtur nõ posse assignari propter quid causam vt existẽtiæ subiecti: quia necessarium esset in aliqua præmissa petere principium; quod est inconueniens. Sumptum patet in hoc exemplo. Sit aliquis qui uelit reddere caussam existentiæ hominis, is tali uteretur syllogismo: Omne animal rationale est: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est. Atqui in minori propositione supponitur hominẽ habere esse, quod in conclusione probatur, petitur igitur principium. Hac tamen ratione nõ obstante, hanc statuo positionem.

Scientia potest ostendere propter quid existentiæ sui subiecti. Primo, cur subiectum existat non est præcognitum in scientia: probari igitur poterit. Secundo, subiecti existentia habet aliquã caussam, nimirum quidditatem cuius est actu: sed scientiæ particulares inquirunt, quid sit suorum subiectorum: ergo per illud probare poterunt eorum existentiam. Qua autem ratione ista quæstio probari possit, patet in allato exemplo argumenti in contrarium allati, in quo non petitur principium. Vt autem intelligatur quo pacto in hac ratione, Omne animal rationale est: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est, non petatur principium, animaduerte, illud uerbum est, in minori propositione non dicere rei existentiam, sed

solam coniunctionem prædicati cum subiecto; & hinc est, vt non petatur principium. Qn̄ autem in conclusione dicitur, ergo oīs homo est, hoc verbum prædicat suam significationem, quam secum importat; est.n. uerbum nota eorum, quæ de alio dn̄r. Neque id mirum uideri debet, quod prius dicat vnionem, & postea existētiam: quia prior est vnio essentiæ cum subiecto, quam sit vnio existentiæ cum eodem subiecto: hoc est prius est, hominem esse animal rationale, quam actu existere. Patet igitur quid de utraque proposita dubitatione sentiendum sit. Atque hæc sunt quæ de præcognitis dixisse volui. Sequitur, vt de ijs agamus, quæ ex præcognitionibus cognoscuntur, quæ est tertia nostræ tractationis pars. Quod dum faciemus Aristotelis pronunciatum, celebremque sententiam initio secundæ analysis allatam, & reliquam totius capitis doctrinam explanabimus. Libr. 1. periher. c. 3.

An omnis doctrina ex præexistente fiat cognitione. Cap. XX.

ARistotelis propositum in primo capite libri primi posterioris analysis, vt interpretes nonnulli adnotarunt, illud fuit, vt doceret ad humanam scientiam comparādam quasdam esse vias: vt autem hoc melius explicaret, priore loco hanc propositionem, siue principium proposuit & probauit, Omnē doctrinam ex aliqua præexistenti fieri cognitione. Postea uero docuit p̄cognoscendi modos: & quia dubitari poterat qua ratione sciētia de nouo acquiratur, hanc dubitationē soluit. His in primo capite explicatis, in secundo, primum ipsum scire definit, ac etiam demonstrationem, cuius proprius effectus est scientia; ex quo effectu principiorum, siue p̄missarum demonstrationis conditiones & proprietates colligit, quas postea late p̄bat.

Cum ergo hactenus de præcognitionibus & modis præcognoscendi, præcognitisque late egerimus; Sequitur ut de ijs agamus quę ex præexistenti cognitione fiunt. Vt autem quod explicandū proposuimus facilius exequamur, nonnulla prænotanda nobis sunt.

Primum notandum, illa propositio, qua Aristoteles posteriores analyticos auspicatus est, est omnino vera, Omnē nimirū doctrinam, ac disciplinam discursiuam ex præexistente fieri cognitione: quam optime per inductionem, in scientijs, in dialecticis, & in rhetoricis comprobauit. Quam rursus confirmare posses a simili ducto ex rebus naturalibus; in quibus nihil potest de nouo fieri, qd̄ non fiat ex alio, nimirum ex aliqua præexistente materia, in qua id quod fit dicitur esse in potentia: pari ratione in genere intelligibilium, quidquid de nouo intelligit, ex alia re cognita colligi debet, in qua potestate cōtinebatur. Et ut naturaliter ex nihilo nihil fit ita etiam ex incognito nihil potest de nouo cognosci. Hæc enim est uis humanæ mentis, vt ex una re cognita, ratiocinādo, in alterius rei cognitionē veniat; qua ratione omnis humana acquiritur doctrina, vel disciplina. Nomine disciplinæ, vel doctrinæ intelligitur cognitio non apprehensiua, sed iudicatiue cuiuscunque rei dubiæ. Nam illa proprie dicimur discere, aut doceri, quæ aliquam dubitationem habent, cum ea quæ nota sunt non egeant præceptione, nec aliqua præexistente cognitione. Verum, doctrina & disciplina idē sunt, & sola ratione differunt, vt ex Aristotele discimus. Etenim, eadem notitia ut est a magistro, dicitur doctrina, prout vero suscipitur a discente dicitur disciplina: sicuti idem motus, ut est ab agente dicitur actio, & ut recipitur a patiente dicitur passio. Vnde, omnis doctrina est disciplina, non tamen cōtra: quia aliquis proprio marte pōt alicuius rei cognitionem per inuentionem acquirere: cuius notitia dicetur disciplina, non autē doctrina. Aliqui tamen per doctrinam intelligunt cognitionem, quæ habetur per inuentionem, & per disciplinam, eam quæ a magistro verbo, vel scripto traditur. Libr. 1. Phys. Libr. 3. Phys. c. 3.

Secundo, notandum est triplicem esse cognitionem, unam diuinam, quæ in solo Deo reperitur: alteram angelicam, quæ est in Angelis: tertiam humanam, quæ in homine reperitur. Hæc rursus duplex: una naturalis, q̄ viribus naturæ acquiritur: altera supernaturalis quæ diuinitas datur. Naturalis item duplex: altera sensitiua, quæ habetur per sensus externos, uel internos: altera intellectiua, quę per intellectum acquiritur. Hæc duplex, una apprehensiua, altera iudicatiua, uel discursiua. Apprehensiua item duplex, una est, simplex quæ habetur per simplicem apprehensionem: altera composita, quam acquirimus per compositionem in secunda intellectus

opera-

operatione: Discursiua, quæ per discursum accedit quo de re apprehensa iudicamus. Vnde iudicium est actus, quo supposita apprehensione, de re apprehensa iudiciū facimus. Quo fit, vt iudicium sit actus scientiæ, vel opinionis, vel fidei, ex quo gignuntur habitus. Discursiua, altera practica, cuius finis est opus; altera speculatiua cuius finis est sola cognitio. Videndum itaqua est, quæ nam ex his cognitionibus fiat ex alia præcedente, & de qua intelligendus sit Aristoteles.

Tertium notandum, præcognitio duplex est; vna sensitiua, quæ præcedit omnem cognitionem intellectiuam; cum omnis humanæ mentis notitia ortum habeat a sensu, & nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Altera intellectiua, quæ est cognitio intellectus aliam præcedens, ad eam consequendam necessaria. Rursus præcognitio duplex: una dirigens, quæ iuuat tantum, & disponit ad aliquam cognitionem habendam: altera agens, quæ non modo disponit, sed etiam efficit cognitionem rei dubiæ, ut supra docuimus. Aristot.

Quartum notandum, particula ex, in illa propositione posita, cum dicitur, ex præexistente, potest habere quadruplicem habitudinem. Primam termini a quo; quo pacto dicimus, ex tenebris fieri lucem; secundum partis componentis; vt cum dicimus, hominem constare ex animo, & corpore: tertiam caussæ efficientis, vt cum dicitur, ex calefactione fieri ignem: quartam subiecti ad formam; quo modo dicimus formam fieri ex materia, vt ex ferro formam gladij. Videndum est ergo, quo modo hic sumatur. His ita notatis, quasdam proponam, & explicabo dubitationes faciliores circa allatam Aristotelis propositionem.

Prima dubitatio, an sub illa propositione cōtineatur notitia sensitiua, ita ut etiam ista dicatur fieri ex præexistenti cognitione? Respondeo, non contineri: excluditur enim per hanc particulam, intellectiua. Adde etiam, qa in cognitione humana deueniendum est ad vnam, quę non fiat ex alia, ne detur progressus in infinitum: hæc autem est cognitio sensitiua: igitur. Vt omittam, quod ista cognitio non est doctrina, uel disciplina. Quod si petas, an una cognitio sensitiua fiat ex alia, Respondeo fieri, quia cognitio sensuum interiorum pendet a cognitione sensuum exteriorum: & aliquis sensus exterior, puta gustus, tactum supponit. Libr. 3. de An.

Secunda dubitatio, posito Aristotelis propositionem intelligendam esse solum de intellectiua notitia rei dubię, tamen cum dicit, fieri ex præexistente cognitione, quid nomine præcognitionis intelligat, intellectiuam, an sensitiuam? Respondeo, licet omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistente sensitiua: tū Aristotelis propositio non intelligitur de ista, ut ex sequentibus patet, quia textu secundo, loquendo de præcognitionibus, solū meminit de præcognitionibus eorum quæ intelliguntur, non eorum, quæ sentiuntur.

Tertia dubitatio, an cognitio Dei, & Angelorum ex præexistente fiat cognitione. Respondeo non fieri: Quoniam eorum cognitio nō est doctrina, uel disciplina discursiua: Quia uno actu, & intuitu omnia intelligunt. Et quod attinet ad Dei cognitionem, illa est idem cum essentia diuina: quare non potest fieri ex alia: alias enim Deus factus esset: & ita non esset Deus: cum nomine Dei intelligatur id, quod a se est. Angelorum uero cognitio, fit per quasdam species ipsis a natura inditas, non ex alia præuia cognitione. Quod si dicas, Angelos superiores illuminare, ergo, aliqua saltem ex præcedenti notitia Angeli cognoscent, quod aliqui concederent: sed tamen contrarium tenendum est. Quia, licet inferiores Angeli recipiant illuminationes a superioribus, ut Dionysius Areopagita, & Theologi docent: tamen id fit immediate, non ex aliqua præcedente notitia. D. Th. 1. par.

Quarta dubitatio, an cognitio primorum parentum, Salomonis, & Prophetarum, qui diuinitus edocti fuere, facta fuerit ex alia pcedente? Respondeo, negando: quia proxime a Deo edocti sunt. Verum tamen est, quod si ex reuelata doctrina aliquid colligebāt, illius rei cognitio, ex alia saltem natura præcedente, fiebat. Sot. hoc loco.

Quinta dubitatio, an cognitio quæ habetur per fidem, & habitus infusos fiat ex alia. Respondeo, si loquamur de præcognitione agente, non fit ex alia: cum proxime tales habitus a Deo infundātur, nec vi naturæ acquiri possint, & ita nulla præcedēs cognitio est eorum caussa. Si uero loquamur de dirigente, aliquando fiunt ex alia præcedente, ut patet in adultis, qui per aliquam præuiam notitiam ad fidem recipiendam parantur, sed

fi le

fide suscepta, non per illam, sed per solum fidei lumen proxime credunt. Verum ista notitia, non comprehenditur sub hac propositione, quia Aristoteles solum loquitur de doctrina humana.

Sexta dubitatio, an cognitio Theologica quę colligitur ex rebus reuelatis fiat ex alia. Respondeo affirmãdo, etiamsi loquamur de agente. Quoniam talis doctrina est vere discursiua, & ex notis ad ignota procedit. Neq; ad hoc requiritur, vt principia ex quibus colligitur sint euidentia, quod aliqui exstimarunt, sed sat est, vt sint verissima in tali scientia, & in superiore scientia manifesta. Sed de his subtilius differere non est huius loci.

Septima dubitatio, quem sensum faciat particula, ex, in allata propositione: respondeo his dictis.

Libr. 2. Physic.

Primum dictum, ex in illa propositione non dicit habitudinem termini a quo. Quia terminus a quo vt docet Aristot. dicit priuationem, quo modo dicimus, ex immusico fieri musicum: at pręnotio, respectu doctrinæ quæ ex ipsa fit, non se habet tanquã priuatio: igitur. Adde, quod terminus, a quo non est simul cum termino ad quem: at præmissæ quæ sunt prænotiones ad conclusionem, & omnis cognitio ex qua alia fit, stant simul cũ doctrina quæ de nouo acquiritur: igitur.

Secũdum dictum, nec etiam designat ordinẽ partis. Quia doctrina, & disciplina, non dicunt notitiam apprehensiuam, sed iudicatiuam, quæ non componitur ex notitia apprehensiua.

Tertium dictũ, ex, hoc loco, non designat ordinem caussæ materialis. Quoniã vna notitia non recipitur in alia, vt forma in materia.

2. Phys. t. 89.

Quartum dictum, designat ordinem caussæ efficientis. Patet ex Aristotele, quia infra docet assensum conclusionis fieri ex assensu præmissarum: at hoc non fit nisi in genere caussæ efficientis: igitur. Vnde alibi præmissas respectu conclusionis dixit habere rationem caussæ efficientis.

Quintum dictum, assensus conclusionis nõ producitur à solo intellectu, sed etiam ab assensu pręmissarum, & lumine intellectiuo, quæ se habent, sicuti caliditas respectu calefactionis quæ fit ab igne: qui tanquam caussa principalis per caliditatem calefacit.

Ex quibus colligeres, hũc esse sensum propositionis Aristotelis, Omnem assensum, siue habitum indicatiuum quocunque modo acquisitum fieri ex alio priori iudicio acquisito, aut naturaliter indito. Quo fit, vt assensus primorum principiorum, non sit doctrina, sed potius semina, & lumina ex quibus iudicia de rebus incognitis, seu doctrinæ, & disciplinæ fiunt.

An doctrina quæ habetur per definitionem fiat ex præexistente cognitione, & an contineatur sub propositione ab Aristotele probata. Cap. XXI.

QVod autem definitio, vt est sciendi instrumentum, non fiat ex præexistente cognitione, & quod non contineatur sub illa propositione ab Aristotele probata, his suadetur rationibus.

Primo, ex voce gręca, qua vtitur Aristoteles, cum ait omnis doctrina, & omnis disciplina διανοητικὴ, id est discursiua: at notitia quę habetur per definitionem non est talis: igitur.

Secundo quia Aristoteles probat istã propositionem per inductionem in scientijs quę discursu acquirũtur: at definitionis doctrina non acquiritur discursu: igitur.

Tertio, præcognitiones quæ sunt necessariæ in demonstratione, ęquiuoce conueniunt præcognitionibus definitionis: nam illę efficiunt scientiam demonstratiuam, hæ vero definitiuam: illę præcedunt tempore, hæ sunt simul tempore: ergo non possunt compræhendi sub hac propositione,

Quarto, sola demonstratio est illa quæ ex aliqua cognitione præcedente facit deuenire in alterius cognitionem: definitio enim immediate parit cognitionem rei: ergo sola doctrina discursiua procedit ex præexistente cognitione.

Quinto, alias Aristotelis propositio esset æquiuoca, cum discursus, sit modus procedendi ex præexistẽti cognitione in doctrina discursiua, quæ acquiritur sine discursu, non autem in definitiua. Prima in hac re opinio fuit Auerr. hoc loco, Apol. Lyncou. Aegid. & aliorum, qui putarunt definitionis notitiã non contineri sub ista propositione. Secũda

Alpha-

Alpharabij, Themistij, Albumazari, & aliorum, qui dicunt definitionem fieri ex præexistenti cognitione, & sub hac propositione contineri: idem alibi sensit Auerroes: vnde sibi contradicere videtur. Nos quid in hac dubitatione tenendum sit, sequentibus positionibus statuemus.

1. Meta. cō. 48. 1 epit. ca. de rhet. demōst.

Prima positio, si loquamur de scientia definitiua secundum se, abstrahendo ab hac vel illa, dicendum est, non fieri ex præexistente cognitione. Quoniam talis scientia versatur circa obiectum simplex, & modo quodam simplici: quare sub ac ratione non potest fieri ex præexistenti cognitione. Confirmatur, quia modus cognoscendi definitiuus fit per simplicem intuitum, qui non requirit nisi obiectum præsens; vt patet in oculorum intuitu: igitur.

Secunda positio, si loquamur de scientia definitiua vt est in nobis, fit ex præexistenti cognitione, & comprehenditur sub Aristotelis propositione. Primo, probatur hæc positio expresso Aristotelis testimonio in primo Metaphysico, & in sexto Ethico cap. tertio, & sexto Topico, & in altero secundæ analysis, libro, quibus in locis hoc docet. Secundo, notitia definitiua est uere doctrina rei dubiæ de nouo acquisita: ergo fit ex præexistenti cognitione. Tertio, quod facit scire ignotum necessario debet præcedere ex præexistenti cognitione rei notæ: atqui definitio facit scire quæstionem, Quid res sit, nobis ignotam: igitur. Quarto, scientia definitiua non potest acquiri nisi cognoscantur partes definiti, genus & differentia, quorum notitia parit cognitionem, quæ habetur per definitionem: ergo. Quinto, definitio & demonstratio sunt instrumenta sciendi; non æquiuoca, sed analoga: igitur, vt demonstratio fit ex alia præeunte notitia, ita etiam definitio. Quare ruit fundamentum aduersariorum, qui dicunt, ideo non fieri ex alia cognitione, quia demonstratio, & definitio conueniunt æquiuoce in ratione instrumenti sciendi. Confirmatur: quia Aristoteles in secundo secundæ analysis docet modum inueniendi definitionem per diuisionem: & in sexto Topico, ait partes definitionis esse notiores definitione: igitur. Quod si Auerroes dicat, non posse cognosci partes definitionis, quin simul etiã ipsa cognoscatur definitio, hoc nihil est; quia potest cognosci genus, ignorata differentia, & differentia sine consideratione generis: & cũ cognoscantur per diuisionem, seorsim cognoscentur.

Te. 48. Loc. 17. Ca. vlt.

Alb. tr. 1. c. 3. Alex.

Tertia positio, definitionis doctrina fit ex præcognitione agente, & dirigente: explico cum quis vult acquirere notitiã naturæ alicuius rei, primũ debet præcognoscere quid res definienda significet, quod fit præcognitione dirigente: deinde debet prænoscere genus, & differentiam definiti, quod pertinet ad præcognitionem agentẽ, saltem instrumẽtaliter. Quare præcognitio agens definitionis est illa qua præcognoscimus partes illius, genus videlicet, & differẽtiam. Nam cũ debeat dari aliqua præcognitio, vt est probatum; quæ nõ potest esse partiũ simul sumptarũ, sic.n. esset ipsa definitio; proinde erit notitia partium seorsim. Quod aũt isti præcognitio sit agens, patet a simili de demonstratione, quia, vt præmissæ efficiunt assensum conclusionis; ita præcognitio illarum partium notitiam definitionis, & sicuti præmissæ demonstrationis sunt aliquo modo notiores conclusione; ita & partes definitionis notiores sunt ipsa definitione, cum ex illarum notitia, hæc fiat. Concludamus igitur sub illa propositione vtrãq; contineri doctrinam, sed præcipue demonstratiuam. Sed iam respondeamus ad argumenta in contrarium allata.

Ad primum, illud verbum proprie, & stricte acceptũ designat solum disciplinam discursiuam; at uero si in lata sumatur significatione, omnem intellectiuam designat cognitionem, ac proinde etiam definitiuam.

Ad secundum, probauit Aristoteles suam propositionem eo modo, quia erat notior, adde etiam, quod manifestat per scientias Mathematicas, in quibus nõ solum sunt demonstrationes, sed etiam definitiones: denique, ideo tali vsus est probatione, quia statim acturus erat de demonstratione.

Ad tertium, illæ conditiones conueniunt etiam scientiæ definitiuæ, secundum quandam rationem analogam. Licet ergo specie differant vtriusque instrumenti præcognitiones; genere tamen analoga conueniunt, vt patet ex dictis.

Ad quartum, postquam est inuenta definitio gignit essentiæ cognitionem sine præcedente notitia: sed non potest inueniri, nisi eius partes inueniantur; ad quod opus est præuia cognitione.

Ad quintum, negatur sequela: quia licet defini-

definitio, & discursus habeant diuersum modum procedendi: tamen quia vtrisque est commune vt ex præcedenti cognitione fiant, saltem analogice, & proportionaliter; ideo propositio illa non est æquiuoca.

An principiorum notitia fiat ex præexistenti cognitione. Cap. XXII.

HAnc dubitationem cum sit facilis, breuiter explanabimus; cuius tractandæ, hæc argumenta occasionem præbent.

Primum pro parte negante est hęc ratio, q̃a principia sunt clara, & sola terminorũ notitia sunt manifesta: igitur nõ hab bunt pco gnitionẽ agentẽ. Deinde est expressa auctoritas Arist. in altero libro secdæ analysis, vbi ait primorũ principiorũ cognitionem non fieri ex alia præcedente, idque probat: quia illa notitia fit ex alia, quæ fit de nouo: at cognitio principiorum non fit de nouo: igitur.

cap. vlt.

Contra vero, quod fiat ex alia notitia, ex eo probare licet, quia interdum probari solent: igitur. Adde etiam, quod aliquando prima principia habent caussas per quas ꝓbari possunt: igitur. Pro huius difficultatis explicatione, hæc subijcio notanda.

Primum notandum, hæc dubitatio intelligenda est de ea principiorum notitia, quæ consistit in affirmatione, vel negatione in secunda operatione intellectus: quæ operatio põt ex duplex; Nam interdũ per illã cognoscimus aliq̃d ignotũ, & tunc certũ est, hanc cognitionem debere fieri ex aliquo prius cognito: interdũ cognoscitur aliq̃d notũ cuiusmodi est cognitio primorũ principiorum, & de hoc cognitionis gñe est p̃ ens dubitatio.

1. Post. co. 134. Secundum notandum, ex Auerroe principiorum tria sunt genera: quædam sunt omnino per se nota ex sola terminorum cognitione: vt hoc, totum est maius sua parte: q̃dam omnino ignota, quibus sine probatione intellectus non acquiescit: quædam quæ medio modo se habent, cum sint partim nota, partim ignota; cuiusmodi est illa propositio, quam initio primi posterioris analysis probat Aristoteles. Rursus hunc in modum diuideres: principia alia sunt nota secundum sensum, uel nobis, non autem natura: alia nota natura, non nobis, vt Deum esse: alia non natura & nobis; vt est illud, De quolibet est verum affirmare, vel neg. re. His ita adnotatis, hac subijcio positiones.

Prima positio, notitia principiorum, quæ sunt per se nota nobis, vel secundum sensũ, non fit ex præexistente cognitione. Patet experientia, possumus enim cognoscere ignem esse calidum, solem lucere, sine vlla præuia cognitione, quamuis talis notitia nõ sit scientifica, & perfecta, cũ nondum cognoscamus caussam. Quare, cum horum principiorum notitia non sit propriæ doctrina, non continetur sub Aristotelis propositione.

Secunda positio, principia quæ sunt nota secundum naturam, non autem nobis, innotescunt ex præexistenti cognitione. Possunt enim probari, ac probantur à posteriori, vt in Physica, Deum esse.

Tertia positio, notitia principiorum, quæ sunt per se nota nobis, & natura, fit ex præexistenti cognitione, saltem inductione. Ita docet Aristoteles in fine secundi libri posterioris analysis; vbi ait, prima principia cognosci per inductionem, non quæ fiat ab homine quando habet notitiam horum principiorum, sed quæ fuerit saltẽ in pueritia, ut Auer. Phil. Them. & quidam alij adnotarunt. Quare ad horum principiorum cognitionem nõ solum requiritur terminorũ explicatio; sed necessaria est etiam aliqua inductio; quãuis sit insensibilis, & sæpe à nobis non percipiatur, qua posita, sola terminorum explicatione opus est ad illorum principiorum veritatem cognoscendam. Itaque ad horum principiorum notitiam requiritur præcedens inductio, & apprehensio terminorum, quæ tenet locum præcognitionis. Cæterum, horum principiorum cognitio non continetur sub illa Aristotelis propositione; quia non est dubia, nec de ea fit quæstio, consequenter, neq; proprie d scitur, nec à doctore habetur; vnde non est disciplina, uel doctrina. Cõ. 57.

Alij ad dubitationem propositam responderent duabus propositionibus, quarum prima hæc est, Principia per se nota nõ cognoscuntur ex præexistẽti cognitione, neq; eorũ notitia hic continetur, cum ista cognitio nõ sit rei dubiæ, altera, hęc Principia vel omnino, uel aliqua parte obscura probari possunt inductione, & horum cognitio sub Aristotelis propositione continetur. Ratio, quia probantur inductione, & in scientijs, igitur

eorum

eorum habetur doctrina.

Atque ex his facile solueres argumenta superius facta.

Ad priora, primũ concludit de principijs notis nobis, & s̃m sensum, de scdo, Arist. eo loco nihil determinat, sed solũ probabiliter disputat, an cognitio principiorũ fiat ex prȩexistenti cognitione, & affert rõnem, quandam dubitãdi, postea soluit dubitationẽ, & docet eorũ doctrinã fieri ex prȩexistẽte cognitionȩ & illam nõ esse à natura, sed fieri de nouo, quamuis non cognoscantur nisi à posteriori.

Ad posteriora, ad primũ, solum concludit de illis quæ sunt nota scd̃m natura, uel quæ sunt nobis aliquo pacto ignota. Ad secundũ, licet habeant caussam ueritatis, tamen quia illa caussa statim reluceat in principijs, cognitis terminis, ideo illorũ principiorum notitia, non fit ex aliqua præeunte cognitione.

An cognitio practica, siue per doctrinam, siue per inuentionem accedat, fiat ex præexistenti cognitione.
Cap. XXIII.

QVod autem artis cognitio non fiat ex alia cognitione, & quod non contineatur sub Aristot. propositione, sic probatur.

Primo, quia intentio Arist. erat declarare præcognitiones scientiæ proprie dictæ, cuiusmodi est sola cognitio speculatiua, ergo.

Secundo, artes possunt acquiri sine ulla doctrina, sola experientia, ut patet in mutis, & surdis, ergo.

Tertio, si artes fierent ex præexistenti notitia, bruta, cũ sint capacia disciplinæ, acquirerent nouam cognitionem ex alia præexistente, quod uidetur falsum.

Quarto, cognitio inuentiua non potest dici doctrina, nec disciplina, cum non habeatur à præceptore, igitur.

Denique prȩcognitiones de quibus Arist. agit non conueniunt notitiæ per inuentionẽ acquisitæ; quia, cum non acquirantur per sermonem, non est necesse prȩcognoscere quid nominis, ergo.

Quod attinet ad artes, quas ab alijs discimus, quidã pp duo priora argumẽta existimarunt earũ cognitionẽ nõ contineri sub Arist. ꝓpositione. Alij vero contra sentiunt, quorũ verior est sententia. Similiter quod attinet (A uerr. Them.) ad cognitionẽ inuentiuam, aliqui putant non contineri, alij uero maxime. Vt autem q̃d in his dubitationibus tenendum sit plaue explicem, quædam subijcio notanda.

1. Primum notandum, in qualibet arte duo considerari possunt: primo præceptorum cogitio, & habitus in ratione existens, qui proprie dicitur ars: secundo habilitas quædã in corpore, seu partibus corporis, per frequentes actus contracta: vt patet in arte saltandi, & in arte canendi: qui habitus proprie nõ dicitur ars. Exempli gratia, qui scit fidibus, habet huius artis præcepta in intellectu, quibus potest prompte, & sine errore instrumentum tractare: habet etiam habilitatem quandam in manibus, & digitis.

Secundum notandum, artium præcepta sunt in duplici differentia: quædã sunt omnibus artificibus cõmunia, quæ alij ab alijs accepere: quædã quæ proprio labore, atque inuentione acquisita sunt, quorum paruus, & exiguus est numerus, & hæc cum non sint excogitata nisi per tertiam intellectus operationem, quæ necessario fit ex præexistenti cognitione ꝑfecto ex antecedẽti notitia fiẽt.

Tertium notandum, certum atque omnino exploratum est animalia esse capacia disciplinȩ, sumẽdo disciplinã late ꝓ oĩ notitia quæ quocunq; modo p assuefactionẽ haberi põt, vt cognoscere licet ex Arist. ex Plutar. de solertia aĩalium, & ex Plin. qui de elephãto, ex aĩalibus maxime hebeti, aliquid p assuefactionem didicisse scribit; & experientia passim hoc docet in catulis, & psittacis. Immo, animalia, non solum ab hoĩbus condocefacta aliquid discunt, sed & sua sponte. Et sane, in quibusdam tm̃ vĩ esse prudentiæ, uel industriæ, ut ratione videantur prȩdita, id q̃d nonnulli, sed parum prudẽter existimarunt. (Libr. 1. met. c. 1; Libr. 8. cap. 3.)

Tertium notandum, aliqua ars, siue scientia tribus modis proprio labore sine præceptore acquiri põt. Primo per deductionem ex vno principio cognito: & tunc certum est hanc nouam notitiã ex præexistenti fieri cognitione: qua fere ratione inuentæ sunt Mathematicæ. Secundo p multas experientias, vt accidit in medicina, q̃ tota fere nititur experientiæ. Tertio per resolutionem, qñ proposito fine inuestigantur media ad illũ consequendum necessaria. In medicina, gratia exempli, medicus sibi proponit morbi curationem: quo fine ꝓposito, inquit, ad morbũ

tollendũ, necesse est eius caussã auferre: mor
bi caussa est humorũ inæqualitas: humores
non possunt tẽperiem reuocari nisi mittatur
sanguis: sanguis aũt mittendus est per venę-
sect onẽ: quare ad hunc morbum curandũ
vena secanda est. In his oĩb. modis, vt patet,
præcedens intercedit cognitio. Atq; hæc ad-
notasse sufficiat; ad positiones accedamus.

Prima positio, si ars sumatur pro notitia
pręceptorum, & habitu qui est in ratione, ars
1. Meta. siue cognitio practica ex præexistenti fit co-
t. 84. gnitione. Primo probatur ex ipso Arist. qui
Libr. 1. ad probandam propositionem illam, in qua
cap. 1. explicanda versamur, utitur inductione vbi
6. Eth. & artem rhetoricam, ponit: q̃ fieri ex alia no
cap. 3. titia expresse initio suæ rhetorices docet. Se-
cundo, practica cognitio est habitus quidam
intellectus de nouo acquisitus: at huiusmodi
habitus non possunt acquiri sine præeunte
cognitione intellectiua: igitur. Tertio ea q̃
scimus in scientijs practicis, ꝑ discursum sci-
mus: atqui qđ per discursum scitur, cogno-
scitur ex pręexistenti cognitione; igit. Confir
matur, quia artes fiunt ex finis cognitione &
resolutione in media ad illum necessaria; at
resolutio finis in media fit ex præcedente no
titia; igitur Denique, cõi ratione, quia oĩs no
2. Post. titia de nouo acquisita, ex alia fieri debet; at
t. 101. artes fiunt de nouo; ergo ex alia notitia.

Secũda positio, si ars sumatur pro illa ha-
bilitate, q̃ est in corpore, ars non fit ex præexi
stente cognitione. Primum, quia ista qualitas
in corpore non est notitia; ergo nõ requirit
præuiam cognitionem. Deinde, quia etsi ille
habitus fiat ex frequẽtatis actibus, & ex præ-
electione finis; tñ si fieret sine vna præcogni-
tione, adhuc acquireretur, vt patet in illis, qui
sæpius aliquid temere faciũt; accidit ergo illi
habitui ex præcedenti notitia fieri. Cęterum
illa facilitas quæ in membris est, quidquid
aliqui dicant, artis nomen non meretur.

Tertia positio, ars illa quæ in brutis de no
uo accedit, non fit ex præcedente notitia, &
ita non continetur sub Aristotelica proposi-
tione. Quĩa ille habitus non est ars, quę, vt ex
Arist. constat, est recta ratio agibilium; sed
6. Eth. est sola habilitas in corpore, ad q̃ exercendã
cap. 5. non mouẽtur ex aliquo habitu rationis, qua
Bur. lib. bruta carent, sed imaginatione, & memoria
2. phys. per modum naturæ, & quodam impulsu na-
turali, quo lapis tendit deorsum, & auis nidu
lum facit. Apprehendunt itaq; bruta aliquid
vt sibi conueniens, aut non cuius apprehen-
sione per memoriam ad agendum excitant.
Memoria aũt per signa adhibita ab instituto
re mouetur, vnde consequitur operatio Qua-
re eorum ars non fit ex præexistenti cogni-
tione, nisi sensitiua.

Quarta positio, cognitio inuentiua fit ex
præcedenti cognitione. Quĩa ista notitia est
scientia rei dubiæ; at hæc fit ex præexistenti
cognitione, igitur.

Quinta positio, doctrina discursiua ex
præexistente fit cognitione. Quia in huius
doctrinæ acquisitione, conclusio infertur ex
notitia præmissarum, uel antecedentis.

Sed peteres, an absolute loquendo, omnis
cognitio intellectiua ex alia fiat cognitione; Libr. 1.
Rñdeo, negando: q̃a alias daretur progressus post. c. 3
in infinitum: quare veniendum est ad quas
dam primas notitias, quas non pręcedit nisi
cognitio sensitiua. Rursus peteres, an possit
dari aliqua notitia rei dubiæ quæ non fiat ex
alia pręeunte cognitione, Rñdeo, naturaliter
fieri non posse: at vero supernaturaliter ma-
xime, vt lib. 2. Introductionis in Theologiã
contra impietatem Auerrois late demonstra-
ui. Sed diceret impius, ista notitia diuinitus
data esset frustra, quia alia uia posset acqui-
ri: sed obiectio nulla est, quia multa sunt quę
viribus naturæ cognosci ab homine nõ pos-
sunt: & dato, qđ nonnullorũ notitia ab hoĩe
haberi queat, tñ non ita bene, non ita facile,
nec ab oĩbus: & ideo non daretur frustra.
Rursus diceret, modus operãdi sequitur mo-
dum essendi: at hõ est corporeus & sensitiuꝰ;
ergo oportet vt cognoscat per sensus: ergo
non põt aliquid cognoscere mõ supernatu-
rali: sed hæc obiectio procedit de mõ natura
li cognoscendi, qđ si hõ naturaliter cognosce
re dẽt, p sensus ei cognoscendum sit. Adde, Zimar.
qđ Deus põt hoĩem docere p sensibilia. Rur- the. 13.
sus obijceret, Deus & natura sẽp faciunt qđ Aristo.
melius est: at si iste modus cognoscendi esset
possibilis, esset & melior; ac proinde oẽs codẽ
mõ intelligerent, & tñ non ita est. Concedo
hunc modum esse optimum, sed non est ne-
cesse, vt oẽs isto mõ intelligant: sed sat est si
aliqui, qui alios postea doceãt. Denique obij-
ceret, talis cognitio neq; est frequenter, ne-
que vt plurimum, sed raro; oẽ autẽ qđ raro
euenit vitiosum est, & a casu; igitur. Rñdeo, Libr. 2.
aliquid esse raro dupliciter cõtingit: vno mõ phys. c.
fortuna & casu, & qđ sic raro euenit, vitiosũ
est,

est, quia contingit ex defectu agentis: sedo, voluntate diuina, & quod sic ratio accidit nō est uitiosum, & imperfectum, sed perfectissimum. Et ut huic capiti sit finis, argumentis respondeamus.

Ad primū, in primis, negamus fuisse intentionem declarandi solum præcognitiones necessarias scientiæ proprie dictæ: deinde, esto ita sit: tñ Aristotelis propositio extendēda est ēt ad artes; cum ipse dederit exēpla in artibus, in dialectica nimirū, & in rhetorica.

Ad secundum, licet artes aliquæ experientia comparentur: non tñ sine aliqua præexistēte notitia. Surdi, & muti hñt alios sensus, ex quibus intellectus pōt præcognoscere q̄nā instrumenta apta sint ad aliqua opera artificiosa, & consequenter artem acquirere.

Libro 6. Eth. c. 3. Ad tertiū, ars proprie est recta ratio factibilium, q̄ non pōt esse in brutis, nisi quātum ad habilitatem quæ est in corpore: quæ etiā fit ex aliqua præcedente notitia sensitiua.

Ad quartum, pōt dici disciplina prout recipitur in intellectu: doctrina uero quatenus inuenitur ab intellectu.

Ad quintū, præcognitio agens habet vim in cognitione inuentiua; ac etiam dirigens, aliquo pacto, vt supra docuimus.

An conclusionis cognitio requirat aliquem assensum præmissarum. Cap. XXIV.

QVoniam præmissæ sunt veluti via ad acquirendam notitiam, quæ habetur per conclusionem, merito dubitari pōt, an aliqs illarum assensus sit necessarius, ad hoc ut cōclusioni assentiamur: vt plane explicetur alia dubitatio, quæ quæri pōt, an doctrina discursiua ex præexistenti fiat cognitione. Vt autē quod propositum est doceatur, quædam subijcio fundamenta, cum hic nulla occurrant argumenta, aut citandæ sententiæ.

Primum fundamentum, cum in hac difficultate exponendum nobis sit, qui nā sit progressus ab una cognitione ad alterā, mediāte discursu, animaduertendum est, qđ sicuti datur triplex intellectus, diuinus, angelicus, & humanus, ita etiam triplex datur intelligendi modus. Cum ergo intellectus diuinus oīa intelligat unico simplicissimo actu in essentia diuina, quæ omnia sub vnica simplici ratione in se formaliter, vel eminenter continet; inde fit, vt nullus omnino in hac cognitione sit ordo, uel ex parte intellectus cognoscentis, vel ex parte rei cognitæ, siue obiecti. Intellectus angelicus, licet vnico, & simplici actu sine discursu cognoscat, & nullum habeat ordinem ex parte cognitionis, cum non possit esse ordo, vbi vnica tantum est res simplex: tñ ex parte obiecti, qñ videt rem aliquam in seipsa, potest habere ordinem, cum in obiecto sit aliquid prius, & aliquid posterius: secus, qñ aliquid videt in essentia diuina. At vero intellectus humanus habet ordinem ex utraque parte, & cognitionis, siue actionis, & rei cognitæ. Prius enim cognoscit caussam, quam effectum, vel effectum quam caussam, cū ei necesse sit, vt ex vnius rei notitia in alterius cognitionem veniat. Vt autē, quod de ordine in cognoscēdo diximus, melius intelligatur, alia subijcio fundamenta.

D. Ansel. D. Tho. 1. par.

Secđm fundamentū, progressus a cognitione caussæ ad effectum, siue proprietatē pōt esse quadruplex. Primus ex parte obiecti tantū; qualis est progressus, quo intelligentiæ cognoscunt res in seipsis, ut ante dicebam: quem modum hoc declarares simili, sumpto ab eo, q̄ vnico intuitu decem videret ordine constitutos hoīes: vbi ex parte actus uidēdi nullus esset ordo, cum sit unicus actus: at uero ex parte obiecti, maxime. Secundus, ex parte obiecti, & intellectus siue potentiæ simul: qualis progressus est in nostris cognitionib. quib. prius cognoscimus caussam, uel effectum. Hic autem pōt esse duplex, alter quo ex principijs uniuersalibus peruenimus ad cognitionem uniuersalem, q̄ est in pfecta demonstratione, & scientia, alter quo ex principijs uniuersalib. ducitur conclusio particularis. Atque ex his tertius apparet processus a cognitione uniuersali ad particularē. Quartus, qñ p reminiscentiam recordamur eorū, quorum obliti sumus, ut accidere solet post longum morbū. Neque præter hos quattuor processus assignandus est quintus, qui sit tantum ex parte potentiæ, & non ex parte obiecti: hic. n. modus nō reperit, si loquamur de modo cognoscendi scientifico, qualem reqrit rerum natura. Neque etiam ponendus est aliquis modus procedendi ex parte intellectus diuini, q, ut patet ex dictis, in nulla cognitione Dei da prioritas, aut posterioritas. Libro 1. posteri. t. 30.

Tertium fundamentum, qñ per demonstratio-

strationem semper probatur aliqua propria passio de subiecto, q̃ pendet a caussis illius, & pręsertim a genere, & a differentia, quib. rei natura constituit̃, hinc fit, cur doctrina demonstratiua aliquam supponat notitiam. Qñ aũt de passione loquimur, de vera, & propria intelligimus, q̃ necessario proficisci debet ab aliquo qđ sit rei intimum atque essẽtiale: qm̃ si ab aliqua caussa accidentali nasceret̃, cũ illa mutari possit, ẽt propria passio a proprio subiecto separari, ac in alio extrinseco reperiri posset: qđ est contra propriæ passionis naturam. Qđ si passio in esse pendet a genere, & differentia, ab ijsdem etiam eius pẽdebit cognitio: cum res ita se habeat ad cognitionẽ, ut se habet ad esse. Ex his ergo ĩtelligitur, cur scientia demonstratiua quæ habetur p cognitionem propriæ passionis per caussam, necessario fieri debeat ex alia præuia cognitione.

Libro 2. Met.

Quartum fundamẽtum, cum Aristoteles in primo capite primi Posteriorum probasset illud axioma, Omnem nostram doctrinã ex præexistẽti fieri cognitione, ex qua necessario sequitur humanam scientiam aliquem admittere progressum, ac etiam de nouo fieri, per illos præcognitionis modos, quos assignauit; qm̃ aliquis, ut antiqui faciebant, potuisset affirmare, scientiã non acquiri de nouo, quia si quod addiscitur fuit ante cognitũ, igitur nihil discit̃ de nouo; Aristoteles huic dubitationi occurrit, ex cuius explicatione, q̃dam illorum sophismata soluuntur, quibus probabant scientiam non fieri de nouo, sed per reminiscentiã. Ait itaq; Aristoteles, posse aliqua prius aliquo modo sciri, in uniuersali nimirum, & in potentia, & aliquo modo ignorari, actu uidelicet, & in particulari.

Vt autem totius Aristoteles progressus in hac dubitatione soluenda intelligatur, sequẽtium textum sentẽtia explicãda est. In textu igitur tertio, aliqui uolunt doceri qũo pręcognoscãtur præmissæ, seu principia ante conclusionẽ, ita vt agat de ordine p̃cognitionis principiorum, & dicunt, maiorem cognosci prius tempore, q̃ conclusio, minorem vero non ita sed simul tempore, quamuis prius natura cognoscatur cum conclusione, supposita notitia bonæ consequentiæ. Vnde ex præmissis, prima prius tpe; altera simul cum cõclusione cognoscitur. Sed quibusdã hæc expositio non placet: Quia, cum ista doctrina sit vera de oĩbus minoribus, eam Arist. non cõtraxisset ad minores particulares. Alij dicũt hic explicari duas cognitiones, q̃ uidentur ex alijs fieri, & non fiunt: una est illa quæ hr̃ per reminiscentiam: unde sensus verborum Aristotelis hic est, contingit nos cognoscere quędam, q̃ prius cognoscebamus. Altera, cognitio singularium, quæ non fit de nouo, sed cõtinet̃ tanq̃ pars in toto, sub uniuersali. Alij, dicunt doceri qũo conclusiones uniuersales, & singulares cognoscant̃: uniuersales cognoscunt̃ ex eo qđ alia cognoscimus p propriũ medium; at singulares, nõ p aliud medium, sed p applicationem propositionis uniuersalis, quæ applicatio sensu fit, & ita sine medio demõstratiuo cognoscuntur. Alij, dicunt vel se docere qũo cognoscantur ea q̃ in doctrinæ discursiua continentur, sicuti prius docuerat qũo cognoscãtur, quæ demonstrationẽ præcedunt. Quæ ergo in doctrina discursiua continentur, alia cognoscuntur per alium præcedentem discursum, ut sunt propositiones uniuersales: alia uero sine ullo alio discursu, sed in illo eodem, inducentes, hoc est subsumentes per sensum sine ullo alio medio cognoscimus, ut sunt propositiones particulares.

D. Th. Aegid. Linc. Vener. Sotus. & alij.

Them. Auerr.

Alber.

Tolet.

Postea, cũ docuisset, qũo præmissę cognoscant̃, docet, qũo cognoscatur conclusio antequã sit inductũ, qñ. s. minor est particularis, vel acceptus syllogismus, qñ minor est uniuersalis, quia tunc solum cognoscitur in potentia, & partim scimus, partim ignoramus: at qñ est facta sumptio, pfecte scitur cõclusio, qa simul tpe cognoscit̃ cũ sũptione.

Atq; ex hac doctrina, qđ cõclusio aliquo modo sciatur, aliquo modo ignoretur Arist. soluit propositam dubitationem, siue hoc sophisma. Si homo, discit, aut quęrit quod scit, & hoc non, quia nulla eget inquisitione: aut quod nescit, & hoc, ẽt si inueniat, nõ cognoscet, non secus ac si quis quæreret aliquẽ, cuius nullam haberet notitiam. Socrates apud Platonem, huic rationi respondet dicendo, hoiem, quærere id quod scit cuius erat oblitus. Vbi nota, Platonem posuisse ideas, quæ non solum erant principia essendi rerum, sed etiã cognoscendi ingenerando in mente species rerum, sed quia anima ab idea producta & inclusa in corpore, nõ potest exire in actũ, hoc est, actu ĩtelligere sine exercitatione, qua remouentur impedimenta, ideo per eã, sublatis impedimentis, homo eminiscitur eius q prius nouerat, & ita non discit de nouo. At uero

In Menone.

Aristot. 1. Met. t. 44.

Libr. 1. Poster. cap. 3. Libr. 2. poste. c. ult.

uero Aristot. respondet, discere in actu, quod prius sciebat in potentia, non per species infusas, sed per innatas notiones a natura tributas, quæ sunt ueluti totius humanæ doctrinæ semina, vel etiam per aliquam notitiam iam prius cognitã. His ita adnotatis, accedamus ad positiones.

Prima positio, nostra sciẽtia siue cognitio non fit per reminiscentiam. Hoc asseuerauerim contra Platonicorum opinionẽ, q̃ vno, uel altero argumẽto nunc refellã, plura alibi dicturus: idq; ea de caussa nũc facio ut Arist. fundamentum de mõ quo humana doctrina fit de nouo firmum maneat. Primo, experiẽtia manifestissima quisque in se cognoscit, se re uera discere de nouo, non aũt reminisci: cum multa discamus, quorum nulla in nobis præcessit notitia. Deinde, q̃a si oĩs scientia haberetur per reminiscẽtiam, sequeretur debere dari scientiam infinitam, q̃a reminiscẽtia ex Platone est eorum q̃ actu cognita fuerãt in Mathematicis, vt in numeris possũt fieri infinitæ demonstrationes, cum numeri in infinitũ crescere possint: igit̃ p̃cessit cognitio infinita actu. Nec valet si dicas, p̃cessisse solũ cognitionem earum demonstrationem q̃ haberi cõiter solent, quia si daretur certus d mõstrationum numerus, cum ad illũ peruenitur, uel cessandũ esset, q̃d pugnat cũ experientia, q̃a sẽper p̃gredi licet, uel aliqua fieret de nouo cognitio, & non per reminiscẽtiã.

Cicer. Tusc. 1.

Secunda positio, in omni demonstratione intercedit progressus humani intellectus, ita ut prius cognoscantur præmissæ, q̃ conclusio. Hæc positio testat explicata, & probata ex primo, & secundo fundamento. Et adhuc ex sequenti disputatione magis patebit.

Tertia positio, in oĩbus discursibus humanæ intelligentiæ præcedit in præmissis, siue in antecedenti aliqua notitia conclusionis. Hæc positio probatur discurrendo per singulos. Primo, q̃d attinet ad discursum qui fit p̃ reminiscentiam, res est manifesta: tunc enim conclusio est cognita, licet actu non considerẽt. Deinde, q̃d spectat ad discursum quo ex vniuersalibus principijs ad particulares conclusiones p̃gredimur, certũ est cõclusionem aliquo pacto esse cognitã in confuso, ignoratam uero distincte. Etenim sub hac propositione, oĩs canis latrat, continetur &̃ hæc hic canis latrat. Postremo, in ea quoque demonstratione qua colligitur, propositio uniuersalis ex principijs uniuersalibus, cõclusio est cognita in potentia; cum uirtute contineatur in præmissis. Cæterum, necesse est vtranque cognoscere præmissam, cum ordine illo, & dispositione, quã forma syllogistica requirit. Concludere itaque licet in oĩ demonstratione, discursuve humano semper conclusionẽ cognosci aliquo mõ in p̃missis, saltem in potentia, & in confuso, & notitiã demonstratiuam ex præexistente fieri cognitione. Quare sensus proposi[tio]nis ab Arist. hoc loco probatæ, erit iste, Oĩs habitus iudicatiuus qualis est ille qui acquiritur per assensum conclusionis, fit ex alio priori iudi[c]io acquisito, aut naturaliter inde, tanquam ex causa efficiente.

An præcognita maiori, & minori simul tempore cognoscatur etiam conclusio. Cap. XXV.

Cum certum sit cõclusionem aliquo pacto cognitã esse in præmissis, illud non paruam habet dubitationem, an præmissæ, & conclusio simul cognoscantur, quod hoc loco nobis explicandum proponimus. Vt aũt id q̃d in dubiũ reuocatur, plane intelligi queat, animaduertendum est, duobus modis aliquid posse dici simul, aut prius, posteriusve: uno mõ tempore; quo pacto hora quæ præcessit dicitur prior ea, quæ subsequitur: altero modo natura, cum duo ita se habent, vt eodem tempore sint simul, ita tñ, ut unum pendeat ab alio, illudve supponat; qua ratione caussa dr̃ esse prior effectu, ut sol prior sua illuminatione. Quæritur ergo, quonam modo cognitio præmissarum præcedet, aut sit simul cum notitia conclusionis.

præd. cap. de prior.

Rursus animaduertendum est, præmissas quattuor modis cõsiderari posse: primo materialiter, ut sunt propositiones quædam aliquid affirmantes, uel negantes. Secundo, ut includunt relationem ad conclusionem, tanquã caussæ ad effectum. Tertio, ut sunt medium, & quasi uia cognoscendæ cõclusionis. Postremo, ut sunt duæ propositiones simul unitæ secundum debitum modum, & figurã syllogisticam. Vt ergo exacte intelligãtur ea quæ ad hanc difficultatem pertinent, secundũ has quattuor considerationes respondendum est ad difficultatem propositam: cuius resolutio ex eo &̃ maxime pendet, an intelle-

ctus

ctus unico actu possit plura intelligere. Et q. dem aliqui existimant plura simul cognosci posse, idque affirmant de præmissis, & conclusione, ut unum est ratio intelligēdi aliud: sicuti uno, & eodem actu uoluntas in finem, & in media fertur. Alij uero cōtra existimāt, tū de actu intellectus, tū uoluntatis: q̄uis qđ de uoluntate dicunt sit minus probabile, & cōtra cōem sententiā: de intellectu sic ꝓbāt.

Caiet. in 1. Post. d. Tho. q. 8. art. ult. Greg. 1. sen. d. 1. q. 1. art. 2.

Primo, qa de essentia discursus est, ut unū inferatur ex alio: at hoc fieri nō potest, si cōclusio, & ꝓmissæ unico actu cognoscātur: ergo, cū demonstratio siue argumentatio sit intrinsece discursus, non poterit tota unico actu cognosci. Confirmatur, discursus distinguitur essentialiter a simplici apprehēsione: at si quæ per eum cognoscuntur vnico actu cognoscerentur, nullā esset distinctio: igitur.

Secundo, quia ex contraria sentētia sequeretur in Angelis esse discursum, quod aduersarius negat, sequela probatur. Quia ut nos unico actu possumus cognoscere præmissas, & conclusionem, ita intelligētiæ cognoscūt causam, & effectum, ergo si in hoc consistit ratio discursus, in illis erit discursus.

Tertio, ex cōi sententia cognitio præmissarum est caussa conclusionis, at idē non potest esse caussa suijpsius, non erit igitur idē actus ille quo cognoscuntur præmissæ cum illo quo cognoscitur conclusio, & ita ad minimum erunt duo, unde demonstratio non erit vnus simplex actus, sed plures cōiuncti.

Postremo, idē confirmatur experiētia, qa non possumus eodē actu cognoscere utrūque, cum prius præcedat cognitio præmissarum, & postea subsequatur notitia cōclusionis. Neque vr̄ esse parem rationem de uoluntate, & intellectu, quia uoluntas nō fertur in medium ꝓp aliquam rationem distinctam a fine, sed eadem ratio quæ adducit uoluntatem, ut feratur in finem, facit ēt, ut feratur in media, nec ēt est de essentia actus uolūtatis, vt habeat aliquem discursum. At uero intellectus sub diuersa ratione fertur in præmissas, & in conclusionem: & de essētia tertiæ operationis intellectus est discursus, & unius ex alio deductio. Quare, licet uoluntas uno actu tendat in finem, & media; id tñ non est dicendū de intellectu. Sed iam uideamus quid in hac difficultate tenendum sit.

Prima positio, si præmissæ considerentur secūdum se, ut sunt propositiones quædam, possunt prius tempore cognosci, quā cognoscatur conclusio. Primum patet hæc positio experientia, cū nos experiamur prius illas, quam hanc cognoscere, sub dicta consideratione. Deinde, quia quando unum potest cognosci altero ignorato; unum potest prius tempore cognosci, quam aliud, at maior, & minor ita se habent respectu conclusionis, vt si aliquis apprehenderet præmissas, & non animaduerteret uim illationis, igitur.

Secunda positio, si maior, & minor considerentur, ut relata ad cōclusionem, simul natura, & eodem actu cognoscūtur. Primo qa ut res se habet in esse, ita in cognitione: sed præmissæ, vt dicunt relationē ad conclusionem, sunt simul natura cū illa: simul igitur cognoscuntur. Secundo, relatiua cognoscuntur eodem actu, ut relatiua sunt, & simul natura: atqui præmissæ, ut dicunt ordinē ad cōclusionē sunt quid relatiuū: ergo. Vnde infertur, non posse aliquem cognoscere relationē quæ est inter conclusionem, & præmissas, nisi per aliquē actum intellectus, qui simul fertur in vtrunque, ita ut simul cognoscantur. Libro 1. Meta. t. 4. Arist. in præd. c. de relat.

Tertia positio, si maior & minor considerentur ut sunt medium, & uia ad cognoscendam cōclusionem, probabile est, qđ unico actu cognoscantur cum cōclusione; ita tñ, vt ille actus prius natura feratur in præmissas tanq̄ in medium, & posterius natura in conclusionem tanq̄ in terminum. Explico, nō pōt aliquis cognoscere conclusionem tanq̄ terminum præmissarum, neq; præmissas tanq̄ viam illius, nisi per aliq̄ vnam intellectionem, q̄ prius natura fertur in præmissas, tum in conclusionem. Declaratur hæc doctrina simili sumpto ab aspectu, q eodem actu fertur in lucem & in coloratum: sed in lucem prius natura, tanq̄ in medium, & rationē, qua coloratum vr̄; & posterius natura in coloratū, vt in terminum. Declaratur ēt simili sumpto ab actu uolūtatis in finem, & media. Hac posita declaratione, allata positio sic probatur. Eodem actu ferimur in medium, & in terminum: ergo eadem notitia cognoscimus præmissas, vt sunt medium, & conclusionem, ut est terminus. Quod si petas, cur ille actus per se primo feratur in præmissas, q̄ in conclusionem: Rñdeo, quia prius natura est ꝓmissas esse medium, q̄ cōclusionē esse terminū.

Sed peteret hoc loco quispiam, an notitia q̄ de nouo acquiritur, siue sit per modum iudicij,

dicij, siue apprehensionis producatur, & corrumpat in instanti. Huic petitioni rñdeo his dictis. Primum, si applicatio obiecti ad potentiam intellectiuam fiat successiue, vt fit cũ ab vna notitia transitur ad aliam, & in abstractione specierum intelligibiliũ à phantasmatibus; in intelligendo erit successio: sicuti, si oculis successiue varia obijcerentur spectabilia. Sed̃m posita obiecti applicatione, simplex notitia, siue apprehensiua, siue iudicatiua fit in instanti, nõ secus, ac illuminatio. dixit, simplicem, q̃a cõplexa, & discursiua fit successiue. Vt ergo ad præsentiam solis in instãti totus aer illuminat; ita posito assensu præmissarum & consequentiæ fit notita conclusionis. Quia nulla hic intercedit qualitas realis quæ impediat, q̃n iste motus fiat in instanti.

D. Th. 1. 2. q. 113. ar. 7. ad 5.

Arist. 2. de ani. t. 70.

Sed obijceres, põt dari assensus cõtrarius qui restat; ergo non fiet productio instantanea noui assensus. Rñdeo, contrariũ assensũ opponi solum priuatiue: quod si quis contrarius assensus esset actu, non daret applicatio obiecti, q̃ nos supponimus. Vnde sicut in gñatione formarum naturalium, positis oĩbus requisitis, in eodem instanti noua forma introducit̃, & præcedẽs corrũpit̃, ita in gñatione scientiæ noua notitia adueniẽte tollitur contraria: Quare per absentiam caussæ conseruantis põt in instanti corrũpi actualis notitia, iudiciumve. At secus dicendum est, de notitia habituali, cum rõne gñationis, tũ corruptionis, q̃a ista fit successiue. Similiter q̃d diximus, non hẽret locũ in argumento probabili ad gignẽdã opinionem: q̃a non quęuis probabilis ratio est idonea ad remouendam opinionẽ: sicut ratio demõstratiua ad remouendum errorẽ, qui in genere caussæ materialis prius natura tollit̃, q̃ verus assensus introducatur; qui tñ in genere caussæ efficientis prius introducitur. Vt aũt q̃ posuimus firmiora reddantur, quasdam obiectiones quæ fieri possunt afferam, & refellam.

Prima: pręmissæ sunt caussa cõclusionis: igit̃ non possunt simul cognosci: cum cognitio caussæ pręcedat cognitionẽ effectus. Rñdeo, si præmissæ considerent̃ sed̃m se, tunc illarum cognitio est caussa cognitionis conclusionis: sic aũt cõsiderentur ut mediũ, & uia cognoscendæ conclusionis; tunc nõ sunt caussa, sed potius se hẽnt ut rõ formalis cognoscẽdi conclusionẽ; vt est terminus: sicuti lumen est ratio formalis videndi coloratum.

Secunda; plura, ut plura nõ possunt simul cognosci: sed præmissæ, & cõclusio sunt plura: igit̃ Rñdeo, præmissæ, & cõclusio q̃n cognoscuntur vnico actu, intelliguntur per modum vnius; quatenus vnum est ratio cognoscẽdi aliud, & quatenus dicunt vnionẽ quãdẽ in medio termino. Quo loco animaduerte, aliud esse scire plura, aliud illa intelligere, aut cogitare: plura. n. vt diuersa sciri possũt, vt ex Arist. discimus; intelligi uero, aut cogitari nõ possunt, saltem perfecte: Quia ut dici solet, Pluribus intentus minor est ad singula sensus: & ita cogitatio vnius remittit cogitationem alterius. At uero cum plura intelligũtur per modum vnius, intellectio vnius non impedit intellectionem alterius; ut cum quis cognoscit, leonẽ esse aĩal, & leonem currere; cognitio subiecti, non remittit cognitionem prædicati, neq; cognitio præmissarum, cognitionem conclusionis, cũ se habeant per modum vnius, cum illa referatur ad istam.

Libr. 4. Top. c. 4.

Tertia; si uerũ esset, q̃d diximus, sequeret̃ vnũ, & eundẽ actum posse esse assensum, & dissensum, q̃d est absurdum, sequela probat̃. Quia, si sumatur syllogismus qui habeat cõclusionẽ negatiuam, & aliq̃ præmissam affirmatiuã; tunc si vnico actu cognoscant̃ præmissæ, & conclusio, iste actus respectu conclusionis erit dissensus, & respectu præmissæ affirmatæ assensus, uera igitur sequela Rñdeo, negando sequelã; q̃a cum cognoscamus pręmissas vt medium, & cõclusionem ut terminum, non habemus nisi vnicum assensum, Quare ille actus, tam respectu præmissarum, q̃ cõclusionis est assensus. Neque. n. existimandum est, ut aliqui falso existimarunt, quamcunq; cognitionẽ de propositione negatiua esse dissensum, nisi intellectus illi assentiatur, vnde nõ dicet̃ hẽre dissensum, sed assensum.

Quarta; cognitio pręmissarum dr intellectus, conclusionis uero notitia, scientia: at isti sunt distincti habitus, vt ex 6. Eth. discimus, ergo. Rñdeo cognitionem præmissarum ex se consideratam esse distinctam, ut argumentum probat, si aũt considerentur præmissæ vt sunt via ad cõclusionẽ, uego est distinctã.

Libr. 1. post. c. 3 & lib. 2. c. vlt.

Quarta positio, cognita maiore, & minore, cum ipsarũ inter se dependentia, & debita dispositione sed̃m modũ, & figuram, simul loco. in tpe cognoscitur conclusio. Explico, non põt aliquis assentiri maiori, & minori, & cognoscere dependentiam illarum inter se ratione medij

Sup. hoc resp. ad 4.

medij termini, & debitam structuram syllogisticam, quin simul tpe assentiatur conclusioni. Quo loco animaduertendum est, qñ dico simul tpe, non debes intelligere, intellectum eo tpe, quo cognoscit maior, & minor, eodem & assentiri conclusioni; id. n. falsum est: sed qđ intellectus, cum primũ assentitur maiori, & minori, nulla intercedente mora, eodem tpe continuo assentitur & cõclusioni. Hac posita explicatione, allata positio sic pbat. Primo, experientia: nam cum aliquis cognoscit oẽm triãgulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & hũc esse triangulũ, statim & cognosci hre tres angulos duob⁹ rectis æquales. Scđo, oĩs caussa realis sufficiẽs, positis debitis circunstantijs, necessario pducit effectum: sed intellectus cũ assensu maioris, & minoris est caussa sufficiens naturalis productiua conclusionis: igitur.

Sed peteres, an in hoc casu cognoscat minor, & maior, & conclusio eodem actu? Rñdeo, negando: quia sunt tres assensus distincti: quorum vnus præcedit alterum: & ita in prima parte temporis est assensus præmissarum, in altera vero conclusionis: uterq; tñ est eodem tpe continuo. Caussa asit cur præmissæ, & cõclusio simul tpe cognoscantur, ea est, quia quædam sunt, q̃ consequuntur necessario ex principijs: & ideo cognitis illis ut ueris, necesse est ut conclusiones quæ in illis virtute continentur, cognoscantur. D. Th. lib. 1. perih. lect. 13.

Quod si dicas, caussam multo tempore precedere suum effectum: & ita cognitio pmissarum erit ante cognitionem conclusionis. Respondeo, negando sumptum: quia si loquamur de caussa naturali in actu, cum debitis circunstantijs, necessario, & proxime sequetur effectus.

Sed rogares, in quo nam genere caussæ cognitio conclusionis pendeat à pręmissis? Rñdeo, si conclusio consideretur ut fit ex terminis positis in præmissis, pendere in genere caussæ materialis, ut ex Aristotele colligitur: Libr. 5. met. c. 5.
Si vero consideretur ut continetur uirtute in illis, & illarum positione infertur, pendere in genere caussæ efficientis; vt ex Aristotele hoc loco, & ex communi explicatione habetur. Et qm ex his quę dicta sunt facile argumenta alterius sentẽtiæ solueret is, qui quod posuimus tanq̃ probabilius uellet defendere, ideo eorũ priuatam solutionem omittimus.

Atque hęc sunt quæ de pręcognitionibus, præcognitis, & de ijs quæ ex pręcognitione fiunt dixisse volui: quæ, cum commentaria in vniuersam Logicam foras dabimus; accuratius, fauente Deo, tractabimus. Neque.n. in præsentia ea diligentius excussimus, cum in alijs maioris momenti operibus occupati simus, & cũ minus putabamus, e manibus quodammodo exciderint. Verum, vt vt sunt, quia non inutilia fore putauimus, ea in publicum venire permisimus.

Finis Tractationis de præcognitis.

Laus Deo, & Beatæ Virginis Annuntiatæ.